

BIBLIOTEC NAZ
Vittorio Emanuele II
7
F
24

R. P. LVISII
TVRRIANI,
E SOCIETATE IESV
THEOLOGI,

OLIM IN COLLEGIO COMPLVTENSI Professoris primarij, nunc supremi Senatus sanctæ Inquisitionis Calificatoris ex munere,

SELECTARVM DISPVTATIONVM
in Theologiam Scholasticam, Positiuam, & Moralem,

PARTES DVÆ.

Adiungitur selecta trigesimæ censura quædam Theologica de qualitate multarum propositionum, per centurias dubiorum distincta.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT.

Cum INDICIBVS, Disputationum & dubiorum, locorum item Scripturæ, & Rerum verborúmque copiosis.



LVGDVNI,
Sumptibus IACOBI CARDON.

M. DC. XXXIV.
CVM PRIVILEGIO.



EXCELLENTISSIMO D.

D. GASPARI DE GVZMAN, COMITI DE OLIBARES, DVCI de S. Lucar la mayor, de rebus ad ſtatum pertinentibus Conſiliario, PHILIPPI IIII. Regiæ Cortinæ Cubiculario Præfecto, Hyparcho Regio, Indiarum Cancellario maximo, S. P. D.



ARVI *hi longæ ſolicitudinis partus, vt creſcant, vt viuant, tuam,* EXCELLENTISSIME PRINCEPS, *opem exoptant, imò ad eam quaſi ſuæ felicitatis præſcij fauſtè procurrunt. Iuſta hæc audacia, cùm nihil peregrinum ambiant; nam tibi huiuſmodi obſequiis innata fuit ſemper humanitas, noſtræ opellæ, cùm omnia à tanto Principe norat, non diſſimilis gratitudinis affectus, vt quoquo modo poſſit inſinuet quid ſentiat de ſuſceptis beneficijs, cùm, quantulacunque eſt, veluti impetu quodam ad tantum euolet patrocinium. Leuis hæc erit cura, cùm vel aſpectu (quo tam diſſita mundi ſpatia non breui illius bono contemplaris, nutùque regis, & pacas) augeas, & feliciter commendes, quidquid tantæ committitur tutelæ. Attamen inter tot munificentiæ ſigna, id ſolum meritò timeret hoc opus noſtrum, quòd cùm ſit exiguum, maioribus donis aſſuetas debeat manus adire, bene ſi pergeret æquaturum ſuſcepta beneficia; nunc tamen cùm vt creſcat, repetat potentiam, vt viuat humanitatem, non peccat. Porrige ergo manum Princeps excellentiſſime, quóque cuncta aſſoles amore, has noſtras excipe lucubrationes.* VALE.

LVISIVS TVRRIANVS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana.


GO FRANCISCVS AGVADO, Societatis IESV in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro MVTIO VITELESCHI, Præpoſito Generali, facultatem facio, vt tomus ſelectarum Diſputationum Theologicarum, Authore Patre Ludouico Turriano, noſtræ Societatis, & eiuſdem Societatis grauium doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, Matriti, in noſtro Imperiali Collegio, die tertia Maij anno 1630.

FRANCISCVS AGVADO.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi.


OANNES FILLÆVS, Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis, HENRICO III. 10 Maij, 1583. HENRICO IV. 20. Decembris, 1606 & LVDOVICO XIII. nunc regnante, 14 Februarij, 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant; permittit IACOBO CARDON, Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum, cui inscriptio, *R. P. Luisij Turriani, Societatis* IESV *Theologi, Disputationes selectæ*, ad sex proximos annos imprimere, ac diuendere liberè possit. Datum Lugduni 15. Nouembris 1633.

IOANNES FILLÆVS.

ã 2

Cenſura Operis.

NOs infrà ſcripti ſacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, lectum, ac perlectum à nobis librum, qui inſcribitur, *R.P. Luiſij Turriani, Societatis* IESV *Theologi*, *Diſputationes ſelectæ*, in quo nihil fidei Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ contrarium animaduerſum. Lugduni die 15. Nouembris, 1633.

FR. CL. COCHET.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON,
Lector in Conuentu S. Bonauenturæ.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi Facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi. Liber inſcriptus, *R.P. Luiſij Turriani, Societatis* IESV *Theologi, Diſputationes ſelecta*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 16. Nouembris, 1633.

MESCHATIN LA FAYE.



INDEX

Diſputationum, & dubiorum, quæ in hoc opere continentur.

PARS PRIMA.

Topica ſacra, breuibus explicata dubiolis.

DISPVTATIO I.

De vſu ſumendi argumenta ex regulis orthodoxis.

DISPVTATIO II.

De efficacitate quarundam rationum, quibus vtuntur ſcriptores ſacri noui Teſtamenti.

DISPVTATIO III.

De ſenſibus ſacræ Scripturæ.

DISPVTATIO IV.

De attributo ſanctitatis, quæ eſt reſponſio ad amicum mirè doctum.

DISPVTATIO V.

DISPVTATIO VI.

DISPVTATIO VII.

Circa omnipotentiam.

DISPVTATIO. VIII.

De vnitate.

DISPVTATIO IX.

De passione ad aliquid, & de distinctione.

DISPVTATIO X.

De veritate, & bonitate.

DISPVTATIO XI.

De durationibus rerum.

DISPVTATIO XII.

De differentia temporis ab alijs durationibus.

DISPVTATIO XIII.

De potentia & actu vitali.

DISPVTATIO XIV.

DISPVTATIO XV.

De visione corporali, qua B. Virgo poterit videre Christum sub speciebus Eucharistiæ.

DISPVTATIO XVI.

DISPVTATIO XXX.

De qualitate propositionum.

Censuræ theologicæ, per dubiorum centurias digesta, id est, de qualitate quarundam propositionum.

CENTVRIA I.

88. An

84. An

CENTVRIA IV.

DISPVTATIO XXXI.

DISPVTATIO XXXII.

De affectu amoris & odij in Deo.

DISPVTATIO XXXIII.

Circa aliqua loca Scripturæ.

SCRIPTVM ANONYMVM.

RESPONSIO

DISPVTATIO XXXIV.

Circa illud Psalmi 44. Speciosus forma præ filius hominum.

2. De

12. An

F I N I S.



SELECTARVM DISPVTATIONVM *IN* Theologiam Scholaſticam, Poſitiuam, & Moralem,

PARS PRIMA.

Topica ſacra, breuibus explicata dubiolis.

DISPVTATIO I.

De vſu ſumendi argumenta ex regulis orthodoxis, de quibus fusè egimus 2.2. ad quæſt.1.

DE hac materia legendi ſunt interpretes S. Thom. 1. *part. ad quæſt.*1. vbi P.Valent. *diſp.*1. *quæſt.*1. *punct* 5. P. Vazquez 1.*part. diſp.*12. P. Molina, & alij à nobis infrà citandi.

DVBIVM PRIMVM.

Quid, & quotuplex ſit ſedes ex qua ſumi poteſt argumentum theologicum.

IN hac materia Doctores appellant locos theologicos ſedes quaſdam, ex quibus Theologi in diſputationibus ſumunt argumenta, ſicut Ariſtoteles *in lib. Topicorum* aſſignauit locos quoſdam & ſedes ex quibus Philoſophi poſſuot ſumere argumenta; & eodem modo Doctores Theologi habent ſua topica ſacra pro diſputationibus contra Hæreticos, & controuerſiis inter ipſos Catholicos.

Aſſignantur verò communiter, præſertim à recentioribus, varij loci, vnus eſt autoritas ſacræ Scripturæ: ſecundus autoritas Chriſti & Apoſtolorum: tertius autoritas Eccleſiæ catholicæ: quartus autoritas Conciliorum: quintus autoritas Pontificis Romani: ſextus autoritas ſanctorum Patrum: ſeptimus autoritas Doctorum Scholaſticorum Theologorum, & Iuriſperitorum: octauus ratio naturalis ex lumine naturali deſumpta: nonus autoritas Philoſophorum: decimus autoritas hiſtoriæ humanæ.

Notandum autem eſt, quod notant non pauci, ſex A priora loca propria eſſe theologica; alia verò etiam ex aliis ſcientiis eſſe ſumpta, quamuis illis etiam vtantur Theologi.

Deinde ſciendum eſt aliquos Theologos agentes de his locis ſpeciatim diſputare de aliqnibus rebus, quæ pertinent ad alias materias, v. g. agentes de modo ſumendi argumentum ex ſacra Scriptura contendunt explicare quæ ſit ſacra Scriptura, & quæ eius autoritas. Hæc tamen, & ſimiles quæſtiones ſupponendæ ſunt hoc loco, de quibus nos per otium diſputauimus 2. 2. *ad quæſt.* 1. Hoc autem loco ſolùm contendimus oſtendere, quomo- B do ex prædictis ſedibus ſint ſumenda argumenta, & quæ ſint efficacia, quæ probabilia in peculiaribus materiis.

DVBIVM II.

De vſu ſumendi argumentum ex ſacra Scriptura.

NOtandum eſt primò, nos non poſſe ſumere argumentum ex ſolo teſtimonio ſacræ Scripturæ contra Gentiles, negantes Scripturam ſacram, C vel infallibilem autoritatem illius, ac proinde ex teſtimonio talis Scripturæ argumentum deſumptum non conuincet Gentiles.

Secundò notandum eſt contra admittentes, libros ſacros poſſe nos arguere teſtimoniis Scripturæ duobus modis, altero quando teſtimonium eſt euidens ad oſtendendam aliquam veritatem; altero quando ex tali loco ſolum poteſt ſumi argumentum magis, aut minus probabile, quod poteſt colligi ex prudenti ponderatione contextus.

Tertiò notandum eſt, inter Catholicos argumentum eſſe efficax ex teſtimonio Scripturæ, quod D omnes Patres eodem modo, & ſenſu interpretantur iuxta decretum Concilij Tridentini.

Item poſſumus vti argumento Scripturæ vel ad tradendam aliquam doctrinam, vel ad iudicandum de qualitate alicuius opinionis.

Quòd ſi locus Scripturæ plures habeat explicationes ſanctorum Patrum, poſſumus arguere probabiliter non ex loco illo abſolutè, ſed quatenus expli-

eatur ab aliquibus Patribus, pendendo ea, quæ sensum Patrum confirmant.

Et iuxta hæc iudicandum est, quando ex loco Scripturæ possit probari conclusio de fide, vel solùm possit colligi conclusio theologica, & hæc conclusio theologica vel euidenter, vel probabiliter. Vlteriùs ex testimonio Scripturæ possumus arguere ad colligendam nouam conclusionem, & hoc duobus modis, altero illatione euidenti, altero probabili, & circa primum modum fieri potest, vt ad conclusionem colligendam sumamus duas præmissas de fide, vel vnam de fide, & alteram euidentem lumine naturali. Probabilis autem erit conclusio quando præmissa naturalis solùm est probabilis ad inferendam conclusionem, quæ solùm erit opinabilis, ex quo oriri solent contrariæ opiniones Theologorum.

Quomodo verò possit sumi argumentum ex sensu spirituali Scripturæ, aut ex sensu accommodatitio, constabit ex dicendis in sequentibus. legatur noster Gillus 1. *part. lib.* 1. *tract.* 7. *cap.* 5. P. Vazquez 3. *part. disp.* 16. *cap. vlt. & disp.* 14. *cap.* 7.

Dvbivm III.

De vsu sumendi argumentum ex testimonijs Christi Domini.

SVpponendum est vt certum de fide, Christum Dominum habuisse autoritatem infallibilem ad tradendam doctrinam, & verba illius vt verba Dei accipienda esse.

Deinde sciendum est, sensum verborum Christi posse esse manifestum ex communi sensu Patrum, & certa doctrina, sicut de sensu illorum verborum, *Hoc est corpus meum*, diximus in materia de Eucharistia, & constat ex Concil. Trid. & ex tali sensu potest sumi efficax argumentum ad confirmandam doctrinam fidei contra Hæreticos

Item quando Christus in Euangelio explicat aliquem locum veteris Testamenti, sensus explicatus à Christo certus est, & de fide, de quo inter Catholicos non est controuersia.

Vlteriùs, quando circa parabolam aliquam Christi sunt diuersæ explicationes sanctorum Patrum, obseruandum est quod antea diximus de diuersis explicationibus Patrum circa testimonium aliquod Scripturæ.

Specialiter autem hoc loco placet exemplum ponere in parabola operariorum *Matth.* 20. & præcipuè explicandum est, quid intelligatur nomine denarij. Sciendum autem est ex hac parabola sumi argumentum ab Hæreticis contra catholicam doctrinam de inæqualitate visionis beatificæ, vt retulit Augustinus *lib. de sancta Virginitate, c.* 16. & Hieron. *lib.* 2. *cõtra Iouinianum*. de quo fusè interpretes sancti Thom. 1. *part ad quæst.* 12. & alij Theologi in materia de visione.

Nomine ergo denarij aliqui Patres intelligunt vitam æternam. Hieron. *loco proximè citato*. Chrysost. *hom.* 6. *in Matth.* & alij *in cap.* 20. *Matth.* imò aliqui recentiores audacter pronunciant, hunc esse vnanimem sensum Patrum.

Sed non desunt qui nomine denarij intelligant gratiam. ita Irenæus *lib.* 4. *cap.* 70. vbi per denarium intelligit vocationem gratiæ, qua Deus ab initio mundi vocat electos. Cypr. *epist.* 76. *circa finem*, intelligit gratiam Dei omnibus infusam. Basil. *in regulis breuioribus, interrog.* 224. 255. & 256. intelligit gratiam huius vitæ. Gregor. *lib.* 35. *moral. cap.* 20. per denarium intelligit virtutes. Lyra *in citatum locum*

A *Matth.* intelligit omnem gratiam, *num.* 11. fauent Glossa ordin. Hugo & Stapulensis *ibidem*. Sequitur P. Vazquez 1. *part. disp.* 49. *cap.* 4. & 1. 2. *disp.* 215. *c.* 4. P. Prado *in cap.* 16. *Ezech. circa versum* 35. Iansen. *in Concordia Euang. cap.* 101. Ægid. *lib.* 12. *de Beatit. q.* 9. *art.* 1. *a num.* 55 vbi non semel citat sensum Patris Vazquez, & dicit esse satis probabilem, & *num.* 56. dicit esse sententiam aliquorum Patrum, quos citat *num.* 58. & vt veram sequitur *num.* 60. & 61. citat etiam Ægidius pro hac sententia Bedam, Anselm. & Euthym. *in cap.* 19. *vel* 20. *Matth.* & affirmat hunc sensum non displicere Origeni *tract.* 19. *in Matth.* & fauet S. Thom. *in cap.* 19. *Matth. in finem, & in c.* 20. circa illa verba, *Multi sunt vocati*, vt omittam plures B viros doctos huius ætatis. quæ omnia adduxi, vt constet sine causa recentiores aliquos dixisse, secundam expositionem, quam sequutus est P. Vazq. esse contra communem sensum Patrum; ita loquitur Salas 1. 2. *ad q.* 5 *tract.* 2. *disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 3. *in fine*. & P. Suarez *lib.* 2. *de attributis cap.* 2.

Item constat deceptos alios recentiores, dicentes expositionem P. Vazq. non esse probabilem, sed, vt dixi, & aliquotum sanctorum Patrum est, & grauissimorum aliorum Doctorum, & ideo negari non potest & probabilem esse, & ab omni censura liberam. Et si, quæ attulimus, vidissent prædicti recentiores, aliter sanè sensissent, quàm senserunt: &, vt mouere soleo, viros graues & Theologos decet de qualitate C propositionum non pronunciare sententiam, nisi præuia autorum lectione, & rationum consideratione. De sensu autem totius parabolæ dixi 1. *part. ad quæst.* 12.

Dvbivm IV.

De vsu sumendi argumenta ex dictis Apostolorum.

LOquimur, quando testimonium Apostolorum certum est omnino, & sensus illius certus ex consensu Patrum, & tunc ex illo potest sumi certum & efficax argumentum.

D Deinde sciendum est quòd cùm Apostoli citant testimonium aliquod veteris Testamẽti, concedendum esse sensum ab illis intentum esse verum, iuxta ea quæ dicemus infrà agentes de sensibus Scripturæ: vbi etiam ostendemus, in his casibus non esse admittendum sensum purè accommodatirium.

Vlteriùs sciendum est, scriptorem canonicum posse citare testimonium aliquod ex libro qui non sit canonicus: vt Iudas Apostolus citauit prophetiam Enoch, quæ non censetur liber canonicus, secundùm opinionem aliquorum; licèt alij contendant esse canonicum, de quo legi potest noster Lorinus *in epist. Iudæ*. qui de hoc tractat ex instituto.

Deinde sciẽndum est, scriptorem canonicum posE se aliquando citare testimonium ex veteri Testamento in sensu mystico, & figurato, sicut Ioan. 19. citauit illud Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*, & affirmat impletum esse in Christo; & tamen in sensu literali locus Exodi intelligitur de Aguo Paschali, secundùm communem sensum interpretum; vt bene notauit P. Vazq. 1. *part. disp* 14. *cap.* 4.

Scire verò oportet, sensum mysticum esse certum, quando illud citatur ab scriptore canonico, & tunc potest ex illo sumi efficax argumentum; secus tamen si sensus mysticus solùm sit alicuius interpretis, vel Patrum, de quorum autoritate dicemus infrà. Et iuxta hæc possunt intelligi aliqui Doctores, qui dicunt ex sensu mystico non posse sumi efficax

argumen

argumentum, & interdum affirmant poſſe ſumi. legatur S. Thom. 1. *p. quæſt.* 1. *art.* 10. Molina *ibi, diſp.* 5. Bañez *dub. vlt.* & alij interpretes.

DVBIVM V.

De vſu ſumendi argumentum ex autoritate Eccleſiæ Catholicæ.

Variis modis poſſumus ſumere argumentum ex autoritate Eccleſiæ ex variis principiis, nam in Eccleſia ſunt traditiones, de quibus diximus 2. 2. *ad quæſt.* 1. agentes de regulis orthodoxis. Et conſiderandum eſt, an ſit traditio diuina, vel humana, vt iuxta qualitatem illius iudicemus de efficacitate argumenti. legatur Gillus 1. *part. lib.* 1. *tract.* 7. *cap.* 8.

Item ex ſenſu Eccleſiæ poteſt ſumi argumentum. v. g. quando Eccleſia aliquid defendit vt pium & probabile, vel magis pium, & magis probabile, licèt ſint variæ opiniones; tamen communior ſenſus Eccleſiæ magni momenti eſt pro illa parte.

Item ex Conciliis poteſt ſumi argumentum, de quibus diximus 2. 2. *loco citato*. Et diſtinguendum eſt de Concilio Prouinciali, & Generali, & rurſus conſiderandum eſt, an Concilium Prouinciale ſit confirmatum à Summo Pontifice, vel nôn ſit confirmatum.

Et quidem ſi non ſit confirmatum, non habet infallibilem autoritatem, & ſi non erret, poteſt ex illo ſumi argumentum valde probabile ad confirmandam aliquam opinionem: ſi autem ſit confirmatum à Summo Pontifice, conſiderandum eſt, an ſumatur argumentum ex manifeſto ſenſu, & tunc argumentum poteſt ſumi efficax; ſi autem ſolùm ſumatur argumentum ex ſenſu probabili, vel probabiliori, argumentum erit probabile, ſicut ſuprà diximus de argumento deſumpto ex teſtimonio Scripturæ.

Ad cognoſcendum autem certum ſenſum definitionis Concilij multum iuuat habere exactam notitiam erroris, quem Concilium intendit damnare. in quo maximè excellit P. Vazq. dum ſermo occurrit de aliquo Concilio, vt conſtat ex his, quæ docet in materia de Gratia, explicans ſenſum Concilij Tridentini: in materia de Trinitate, dum agit de Concilio Remenſi: in materia de adoptione & ſeruitute Chriſti, explicans ſenſum Concilij Francofordienſis, in quo graues Theologi prudentes ſe gerere debent, ne in re grauiſſima minùs probabiliter loquantur.

Deinde ſi loquamur de Concilio generali, etiam eſt conſideranda autoritas Concilij ſecundùm diuerſas opiniones. Aliqui enim, vt retulimus 2. 2. *ad quæſt.* 1. ſentiunt Concilium generale ante confirmationem Pontificis non habere infallibilem autoritatem. Alij verò exiſtimant tale Concilium etiam ante confirmationem Pontificis non poſſe errare; hoc autem magni ponderis eſt vt poſſimus iudicare de qualitate argumenti deſumpti ex autoritate Concilij: circa quod etiam conſiderandum eſt, an ſumatur argumentum ex certo ſenſu Concilij, vel ſolùm ex probabili, iuxta ſuprà dicta.

DVBIVM VI.

De vſu ſumendi argumentum ex autoritate Summi Pontificis.

Supponenda eſt doctrina catholica, quòd Pontifex non poſſit errare in ſuis definitionibus, vt dicebamus 2. 2. *ad quæſt.* 1.

A Et hoc poſito, ex manifeſto ſenſu definitionis Pontificis ſumi poteſt argumentum; ſed conſiderandum eſt, an ſyllogiſmus ſit compoſitus ex duabus propoſitionibus de fide; vel ex vna de fide, & altera euidenti ad colligendam concluſionem per conſecutionem legitimam, & tunc efficax erit argumentum. Si verò in antecedenti ſumatur aliqua propoſitio ſolùm probabilis, colligitur concluſio probabilis tantùm.

Deinde ſciendum eſt, aliquando Pontificem ſolùm declarare aliquam opinionem eſſe probabilem, vel probabiliorem. Et, vt dixi in materia de fide, in hoc non poteſt Pontifex errare, & ex prædicta concluſione poſſumus deducere concluſiones alias B probabiles. Exempla facilè occurrunt in materiis theologicis.

Difficultas autem eſſe poteſt, an ex ratione qua vtitur Pontifex ad aliquid definiendum, poſſit ſumi efficax argumentum ad alias concluſiones colligendas?

Et explicandum eſt, an ratio qua vtitur Pontifex, ſemper ſit efficax. Fatentur verò Doctores in diuerſis materiis rationem Pontificis poſſe eſſe inefficacem, licèt ſit probabilis, & tunc ex illa poterit ſumi argumentum probabile.

Notat autem P. Vazq. 2. 2. in materia de legibus, agens de ſolemnitate voti, concedendum eſſe, rationem Pontificis eſſe efficacem, quando eſt vni- C cum medium ad definiendam aliquam propoſitionem, & ſine qua propoſitio definita non poſſet eſſe vera. quod etiam docuimus 2. 2. *ad quæſt.* 88. agentes de ſolemnitate voti; ſecus tamen, quando aliqua ratio non eſt vnicum medium definiendi: tunc enim poterit ratio eſſe probabilis, licèt non ſit omnino certa & euidens, & tunc argumentum ſumptum ex illa ſolùm erit probabile.

Et eodem modo poteſt ſolui ſimile dubium; nempe, an quando Pontifex vtitur aliquo teſtimonio Scripturæ ad probandam ſuam definitionem, dicendum ſit Pontificem vſum fuiſſe teſtimonio illo Scripturæ in ſenſu vero literali.

Certe in Conciliis ſæpe ad probandam aliquam D veritatem citantur teſtimonia Scripturæ, interdum in ſenſu literali certo, interdum non ita.

Circa quod notandum eſt, aliquando in Conciliis adduci teſtimonium Scripturæ ad probandam maiorem propoſitionem ſyllogiſmi, aliquando ad probandam propoſitionem minorem, quod ex inſtituto notabam agens de adoptione Chriſti circa Concilium Francofordienſe, quod magnopere conſiderandum eſt, vt iudicemus in quo ſenſu Concilium adducat teſtimonium Scripturæ. Et idem contingit in definitionibus Pontificum, qui citant teſtimonia aliqua Scripturæ.

Notandum autem eſt quòd ſi teſtimonium aliquod Scripturæ aſſumitur à Pontifice vt medium E vnicum definitionis, dicendum eſt adduci in ſenſu certo, propter rationem ſuprà factam.

Vlteriùs autem hoc loco notandum eſt, poſſe Pontificem, aut Concilium generale aliquando ex inſtituto definire ſenſum alicuius loci Scripturæ, & tunc ſenſus ille eſt certus. Exemplum ſit in Concilio Tridentino, quod, agens de Sacramento Pœnitentiæ, explicuit ſenſum illorum verborum, *Accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata,* &c. Vt verò cognoſcamus, quæ ſit mens Pontificis, maximè neceſſariũ eſt cognoſcere quid præcipuè intendat Pontifex, vel cui interrogationi interdum reſpondeat, vt ex dictis illius poſſimus ſumere argumentũ ad colligendam, vel confirmandam aliquam concluſionem.

Dubium VII.

De vsu sumendi argumentum theologicum ex testimonio sanctorum Patrum.

De materia huius dubij potest legi Canus *lib.7. de locis, cap.3.* Bañez *1.part. ad quæst.1. ad art.8. dub.5.* Gillus *1.part.lib.1.tract.7.cap.11.*

De sanctorum Patrum autoritate variis modis loqui possumus. Primò de vnius tantùm autoritate, & singulari eius opinione. Secundò de autoritate multorum. Tertiò de vnico & communi omnium sensu.

Deinde de sanctorum Patrū autoritate possumus loqui, vel quando sumitur eorum autoritas ad probandam conclusionem philosophicam; vel quando B assumitur ad probandam conclusionē theologicam.

Et si loquamur de autoritate illorum respectu opinionis philosophicæ, siue sit autoritas vnius, siue multorum, non potest esse maior efficacitas in tali argumento, quàm sit in ratione qua vtuntur, & hæc est communis doctrina Theologorum.

Secundò autoritas vnius, vel aliquorum circa doctrinam aliquam particularem pertinentem ad fidem, solùm facit argumentum probabile, non certum omnino. Prima pars facilè intelligitur ex ratione qua vtuntur: secunda probatur, quia nullus priuatus Doctor habet autoritatem infallibilem. & quod dicitur de argumēto probabili, intelligendum est quando nihil docent contra certam fidei doctri- C nam, potuerunt enim errare antiquis tēporibus circa res aliquas quæ nondum erant ab Ecclesia definitæ. Exempla occurrunt facilè in diuersis materiis.

Tertiò dicendum est, multorum Patrum autoritatem aliquibus aliis reclamantibus non facere certum argumentum; pauciores enim potuerūnt exactiùs rem tractare, & difficultatem penitiùs attingere. Hæc etiam est cōmunis doctrina Theologorum, & certum est aliquos Doctores, licèt plures sint, non habere infallibilem autoritatem, posséque errare.

Quartò dicendum est omnium Sanctorum consensum in his quę ad fidem non pertinent, probabile argumentum facere, non tamen certum. hæc etiam est doctrina communis Theologorum, quia pro ma- D teriis, quæ ad fidem non pertinent, neque ad mores, non est certa omnino istorum autoritas.

Quintò dicendum est, In expositione sacrarum literarum omnium Sanctorum consensum subministrare certum argumentum, quia non est credendum Deum permittere, vt omnes sancti Patres errent in his rebus, quæ ad fidem, vel mores pertinent. quam doctrinam fusè ex Patribus, & Conciliis probat Canus *suprà*. & ita in Concilio Trident. *sess.4.* præceptum est, vt in expositione sacræ Scripturæ omnes sequantur communem consensum Patrum.

Sextò dicendum est, quando omnes sancti Patres aliquid docent tanquam de fide, non errare, & ita ex eorum autoritate in eo casu sumitur efficax E argumentum. Hanc conclusionem amplectuntur omnes Theologi, quia non possent omnes Patres in hac materia errare, sine magno Ecclesiæ detrimento, quod Deus non patietur. An verò in Concilio generali maior pars Episcoporum possit errare, disputatum est à nobis in materia de Conciliis *2.2.ad quæst.1.*

Notandum autem est, aliud esse loqui de autoritate alicuius Sancti in ordine ad impugnandam aliquam opinionem, aliud ad defendendam aliquam sententiam, quæ sine iniuria fidei probabiliter potest defendi: in priori enim casu non est omnino efficax argumentum ad impugnandam A aliquam opinionem, quam alij sequi possunt; in posteriori autem euentu autoritas alicuius Sancti, aut Doctoris multum potest iuuare ad defendendam aliquam sententiam.

Ex dictis colligitur, posse aliquem sine vlla nota defendere contra aliquem, vel aliquos Patres, quando sunt alij pro contraria opinione. Item constat aliquem sanctum Patrem interdum errare, & errasse, de quo aliqua exempla affert Canus *lib.7. de locis, cap.3.* & ideo non est reprehendendus aliquis, si in disputationibus scholasticis concedat Patrem aliquem errasse, quamuis non sit affirmandum sine graui fundamento, & semper curandum est in bonum sensum explicare Patres.

Dubium VIII.

De vsu sumendi argumentum ex autoritate Doctorum Theologorum, vel Iurisperitorum.

Ponendum est contra Hæreticos, valde vtilem fuisse, & esse in Ecclesia scholasticam Theologiam, de quo legi potest Canus *lib.8.de locis, cap.1.2. & 3.* Bañez *1.part. ad quæst.1. in art.8. dub.6.* Gillus *1.part. lib.1.tract.7. cap.13.* Modò autem solùm volumus explicare, quomodo possit sumi argumentum ex autoritate Scholasticorum ad probandam aliquam opinionem.

Et primò dicendum est, vnius, vel plurium Scholasticorum autoritatem, si alij contrarium sentiant, non plus habere efficacitatis, quàm habeat eorum ratio, vt docuit expresse Canus *lib.8. citato, cap.3.* & probari potest, quia Scholastici Doctores errare possunt, & ita diuiduntur in contrarias opiniones.

Secundò dicendum est, posse esse temerarium impugnare communem Scholasticorum sententiam modo à nobis explicato *2.2.ad quæst.11.*

Addunt aliqui, posse esse hæresim, vel hæresi proximum impugnare sententiam omnium Theologorum circa dogma fidei, vel morum.

Hoc autem formaliter non oritur ex eo quòd quis contradicat Theologis scholasticis, sed quia impugnat quis fundamentum, quo Scholastici mouentur ad tradendam rem vt de fide, quòd si tale fundamentum non sit firmum & certum, non erit hæresis contradicere Theologis. quod etiam obseruandum est, quando plures Theologi conueniunt in censura de qualitate alicuius propositionis. Explicatur exemplo, aliqui Theologi antiquitus existimarunt de fide esse, B. Virginem conceptam fuisse cum peccato originis, & tamen Scotus, & alij posteriores docuerunt B. Virginem conceptam fuisse sine peccato originali, & hoc tempore Ecclesia censet esse opinionem probabilem; ex quo deducitur priorem illam censuram non fuisse veram, de quo aliàs.

Vlteriùs notandum est quòd etiamsi scholastici Theologi conueniant in explicatione alicuius loci Scripturæ, si tamen circa eundem sint diuersæ explicationes Patrum, poterit quis ab Scholasticis recedere, & explicationem aliquorum Patrum amplecti; præsertim quòd Scholastici pauci solent adducere testimonia Scripturæ per accommodationem. v. g. Aliqui Scholastici vt probent in Beatis dari lumen gloriæ, vtuntur illis verbis Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*; & tamen, vt ibi notauit noster Bellarminus, alius est huius loci sensus. legi etiam potest ibi Lorinus. Similia

exempla

exempla occurrunt frequenter in disputationibus scholasticis.

Item sciendum est quòd licèt aliquando Theologi conueniant in explicando aliquo textu iuris canonici, si tamen Iurisperiti alio modo explicent, diuersæque sint opiniones; poterit quis sine vlla nota impugnare Theologos scholasticos.

Ex doctrina tradita colligitur non esse piaculum impugnare vnam, vel alteram opinionem alicuius Doctoris Theologi scholastici quantumuis grauis, quando sunt alij contrarium sentientes, & materia ipsa subiecta est variis opinionibus, & contrariis rationibus probabilibus.

Deinde notandum est, in sacrorum canonum explicatione, quando ad mores pertinent; magnæ autoritatis esse Iurisperitorum communem sensum, ex quo Theologus potest sumere argumentum satis probabile ad confirmandam conclusionem in re morali, de quo Canus supra *cap. vlt.* & notarunt Doctores huius ætatis. Si verò contrariæ sint Iurisperitorum sententiæ, probabile sumetur ex vna, vel altera parte argumentum, iuxta dicta in simili.

Rursus sciendum est, posse virum doctum in quæstionibus probabilibus contradicere aliis, quando vel non habent efficax argumentum, vel solùm defendunt suam opinionem vt communiorem, & qui illos impugnat, & efficax habet argumentum, & exactiùs rem excogitauit, quod facile potest intelligi ex eius scriptis.

Ex dictis possunt intelligi quæ docuit P. Valentia 1. *part. disp*, 1. *quæst* 1. *punct.* 5. vbi docuit qui sint propriè loci theologici, de quibus hactenus egimus.

Dubium IX.

Quomodo Theologus vtatur ratione naturali.

IN hoc dubio certum esse debet, posse Theologum ad suam doctrinam confirmandam vti ratione & argumento desumpto ex solo lumine naturali, quatenus vtile est ad conclusiones colligendas, vel explicandas. & de hac materia agit Canus, & legi potest Gillus suprà *cap.* 16.

Certum deinde est, solam rationem naturalem non esse sufficientem ad inducendam conclusionem theologicam, quæ propriè pendet vel ex duabus præmissis de fide, vel saltem ex vna.

Bene autem docuit P. Vazq. 1. *part. disp.* 12. *cap.* 3. Theologum posse vti præmissa rationis naturalis, vt cum alia de fide colligat conclusionem theologicam per legitimam consecutionem. Item in disputatione illa, an Christus vt homo sit filius adoptiuus, vel naturalis, assumenda est definitio adoptionis, vt ex illa colligamus, an Christus sit, vel non sit filius adoptiuus. Et eodem modo in disputatione, an Christus vt homo sit seruus seruitute mancipij, assumenda est definitio seruitutis, & sic in similibus. Vnde, si propriè loquendum sit, ratio naturalis supponitur ad Theologiam.

Rursus notandum est posse assumi propositionem rationis naturalis solùm probabilem, & tunc non deducitur propriè conclusio theologica, sed opinionis theologicæ: si verò propositio naturalis rationis sit euidens, poterit simul cum alia præmissa de fide inferre conclusionem propriè theologicam.

Vlteriùs ad explicandum, an aliquis contractus sit simoniacus, vel vsurarius, assumenda est definitio simoniæ, vel vsuræ, vt iudicemus, an tali contractui conueniat definitio, & cum doctrina fidei colligemus prohibitum esse talem contractum; &

A in hac materia non posse errare Pontificem, diximus 2. 2 *ad quæst.* 1.

Item Theologus potest vti ratione naturali ad respondendum argumentis, quæ Gentiles obiciunt contra mysteria nostræ fidei, & ad ostendendum mysteria nostræ fidei non esse contra rationem naturalem, licèt sint supra rationem.

Dubium X.

De autoritate Philosophorum, & humana historia.

DE hac materia agit Canus *lib.* 10. *de locis*, &
B Gillus suprà *cap.* 15. Et certum est ex Philosophis Gentilibus non posse sumi argumentum efficax ad confirmandas conclusiones theologicas, quia in multis errarunt. Solùm consideranda est ratio, qua vtuntur, an sit, vel non sit efficax ad explicandam conclusionem aliquam theologicam: ad hoc enim sæpe potest iuuare philosophica doctrina.

Potest etiam aliquando autoritas vnius, vel plurium Philosophorum deseruire ad conuincendos alios Philosophos Gentiles, & eorum errores, sicut etiam ad impugnandos aliquos errores Hæreticorum: & hoc modo dicitur Philosophia vtilis ad Theologiam. Quòd si Patres antiqui reprehendunt Philosophiam, intelligendi sunt loqui contra ali-
C quos errores Gentilium, vel contra nimium abusum Philosophiæ in disputationibus sacris.

Vlteriùs quæ Philosophi docent de vitiis & virtutibus, valde sunt vtilia ad explicandas naturas virtutum Christianarum, & vitia fidelium, in quo vsu prudentia obseruanda est, ne in Philosophorum sententiis referendis nimius sit Christianus orator, cùm multa suppetant ex Scriptura, & Patribus maioris vtilitatis, & autoritatis.

Deinde cognitio historiæ potest esse valde vtilis Theologo, quod intelligo de historia, quæ agit de factis à Cóciliis, & Pontificibus circa materias fidei & morum, & circa errores Hæreticorum, quos Pontifices & Concilia intendunt dánare: cognitio enim
D huius historiæ valde est necessaria ad intelligendas definitiones Conciliorum, & Pontificum; & ex defectu huius historiæ recétiores aliqui Theologi interdum abutútur testimoniis Conciliorum, & Pontificú. De vtilitate verò historiæ fusè Canus *lib.* 11. *de locis*, & breuiter P. Vazquez *disp. citatá.* qui *cap.* 5. bene notat diuerso modo concurrere historiam, & rationem naturalem ad conclusiones theologicas; quia propositio & præmissa luminis naturalis concurrit vt pars antecedentis in syllogismo, vt suprà dicebamus; historia autem versatur circa præmissam fidei ad explicandum sensum illius, non quòd historia sit ratio assentiendi præmissæ fidei, hæc enim est testimonium primæ veritatis, vt dixi-
E mus 2. 2. *ad quæst.* 1. sed quòd ipsa historia iuuet ad intelligendum sensum propositionis fidei, sicut potest iuuare etiam perfecta cognitio linguarum.

Dubium XI.

An sacra doctrina sit argumentatiua.

EX his quæ hactenus diximus placet explicare doctrinam sancti Thom. quam tradit 1. *part, q.* 1. *art.* 8. vbi disputat, an sacra doctrina sit argumentatiua? Et prima conclusio articuli est: Theologia nostra non argumentatur ad probanda sua principia, sed ex principiis arguit.

Secunda conclusio: Sicut ad Metaphysicam pertinet arguere contra negantes aliquod principium, si alia admittant, ex quibus possit sumi argumẽtum; ita Theologia potest arguere contra Hæreticos, si admittant aliquos libros sacros. A

Tertia conclusio: Si quis neget omnem Scripturam sacram, nihil admittens testimonij supernaturalis, poterit Theologus illius argumenta soluere.

Deinde in responsione ad secundum numerat S.Thom.loca, ex quibus solet Theologus argumentari. Et docet primò argumentum ex autoritate humana esse omnium infirmissimum. Secundò docet argumentum ex autoritate diuina esse omnium efficacissimum: numerat etiam locum desumptum B à ratione naturali; & circa autoritatem Philosophorum adducit testimonium Pauli ex *cap. 17. Actuum.* & docet sumi argumentum ex his probabile, vt ex extraneis. Numerat etiam autoritatem sacræ Scripturæ, & autoritatem sacrorum Doctorum, ex quibus potest sumi argumentum probabile, iuxta ea quæ suprà diximus. Item docet fidem propriè niti reuelationi Dei factæ per Prophetas & Apostolos. De testimonio autem Doctorum dicit sufficere ad argumentum probabile, non tamen certum: & adducit testimonium Augustini *epist. 19.* vbi dicit, *solis Scriptorum libris qui Canonici appellantur didici hunc honorem tribuere, vt autorem eorum in scribendo errasse non credam; alios autem ita lego,* C *vt quantalibet sanctitate, doctrináque polleant, non ideo verum putem quod ipsi senserunt, vel scripserunt.* Hæc sanctus Thomas ex Augustino.

Et ego ex vtroque colligo, integrum esse aliquando discedere ab opinione alicuius Doctoris, licèt non sit facile, & passim hoc faciendum, sed potiùs curandum, vt sanctos Patres, & graues Scholasticos in bonum sensum, si fieri potest, interpretemur. Et ex his omnibus colligitur cum S. Thom. Theologiam esse argumentatiuam.

DVBIVM XII.

An possit Theologus euidenter soluere argumenta quæ fiunt contra mysteria nostræ fidei. D

IN hoc dubio Durandus *quæst. 1. prologi*, sentit Theologum solùm probabiliter posse soluere argumenta quæ fiunt contra mysteria nostræ fidei, & probat, quia ratio quæ solet adduci contra articulum fidei, non peccat in forma syllogistica; ergo non potest ostendi eam rationem assumere euidenter falsum.

Alij verò alio modo loquuntur, & philosophantur: docent enim argumenta quæ fiunt contra articulum fidei, posse solui negatiuè, non positiuè, id est, ita posse Theologum respondere, vt ostendat argumentum non probare quod assumit, E non tamen positiuè ostendendo euidenter veritatem mysterij. legatur P.Vazq. 1. *part. disp.* 10. vbi hanc doctrinam amplectitur ipse, & sequuntur alij.

Deinde notandum est quòd si fiat argumentum ex lumine naturali per cognitionem discursiuam, poterit Theologus respondere non vt Theologus formaliter, sed vt Philosophus, ad quem pertinet ratio ipsa sumpta ex principio naturali, de quo aliqualis controuersia est inter Philosophos: imò ex diuersis opinionibus naturalis rationis soluuntur frequenter à Theologis prædicta argumenta.

Ex his intelligitur Theologum non posse probare euidenter Deum esse trinum, & vnum; posse tamen respondere argumentis, quæ sumuntur ex ratione naturali contra hoc mysterium, de quo diximus in materia de Trinitate, & legi possunt interpretes S.Thom. 1. *part. ad quæst.* 1.

In fine huius disputationis scire oportet; recentiores aliquos disputare de vsu sumendi argumentum ex autoritate Angelica: de quo cæteri Theologi nihil dixerunt, quòd non facile occurrat hic vsus argumentandi, & sermo debet intelligi de testimonio Angeli beati per reuelationem: & maximè considerandum est, an sit certa reuelatio.

Deinde Angeli damnati non sunt digni fide, nec possumus cum illis communicare, & semper timendum est, ne malus Angelus transfiguret se in Angelum lucis, quod sæpe admonent Sancti, agentes de reuelationibus, quæ hominibus fiunt per Angelos, quæ materia non est huius loci. legatur Gillus 1. *part. lib.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10.

DISPVTATIO II.

POSITIVA.

De efficacitate quarundam rationum, quibus vtuntur Scriptores sacri noui Testamenti.

DVBIVM I.

An rationes quibus vtuntur Scriptores sacri in nouo Testamento, semper sint euidentes, vel solùm probabiles.

SVPPONVNT Doctores, Scriptorem sacrum semper dicere verum: de quo diximus in materia de fide.

In hoc dubio existimare posset aliquis, has rationes consideratâ materia, & circumstantiis semper esse euidentes, & potest probari, quia vel rationi factæ ab Scriptore sacro potest quis respondere quòd non conuincat, vel non potest respondere; si hoc secundum, ratio erit euidens: si dicatur primum, videtur contra autoritatem Scriptoris sacri.

Secundò potest probari, quia aliqua exempla quæ communiter solent adduci, rationes continent, quas aliqui contendunt esse euidentes, vt infrà referemus.

Communis tamen sententia est, non esse necessarium vt rationes quibus vtuntur Scriptores sacri, semper sint euidentes, sed satis esse si sint probabiles & prudentes. ita P. Valentia. 1. *part. disput.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 1. P. Salmeron *in* 1. *epist. ad Corinth. disp.* 2. P. Molina 1. *part. quæst.* 1. *ad art.* 10. *disp.* 5. P. Gaspar Sanchez, & P. Lorinus *in c.* 2. *Actuum.* vbi etiam Chrysostomus, & alij circa illa verba eiusdem capitis, *cum sit hora diei tertia.* &c.

Pro explicatione notandum est, rationes Scriptoris sacri tales esse, vt ad inferendam conclusionem nihil assumant falsum, hoc enim repugnat Scriptori sacro: difficultas ergo est, an illud probetur euidenter respectu eorum, ad quos ratio dirigitur. v. g. cùm aliqui Actorum 2. existimarent Apostolos loquentes variis linguis ebrios esse, Petrus dixit non esse ebrios, & assignauit rationem illis verbis, *cum sit hora diei tertia.*

Quæ ratio citatis autoribus pro secunda opinione videtur satis prudens, & probabilis, non tamen

tamen euidens lumine naturali ex cõnexione terminorum, quamuis, vt dixi, multum habeat probabilitatis & prudentiæ, considerata sanctitate Apostolorum, & tempore diei festi, & temperantia Apostolorum. quæ omnia apud bonos iudices, & homines non malè affectos magnam faciunt probabilitatis efficacitatem.

Et ex his possumus respondere ad primum contrariæ opinionis, & dicendum est nullum hominem prudentem, & bene affectum posse negare, argumentum Petri esse valde probabile, prudens, & rationi consentaneum, consideratis circumstantiis suprà assignatis: licèt absolutè non sit euidens ex sola connexione terminorum, vt constat; & ita manet solutum secundum argumentum, quia non apparet medium, ex quo ostendatur euidentia illius rationis.

DVBIVM II.

Circa rationem quandam qua vtitur Iacobus in sua Epistola cap. 2.

IAcobus *cap.* 2. agens de fide, & contendens explicare, solam fidem sine operibus non sufficere ad iustificationem, inter alia protulit illa verba, *Tu credis, quia vnus est Deus? bene facis, Dæmones credunt, & contremiscunt.*

Circa hæc verba discipuli S. Thom. 2. 2. *ad q.* 5. *in articulum* 3. explicare contendunt, quomodo intelligenda sit ratio Iacobi, & efficacitas illius, de qua ego disputaui 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 24. *dub.* 5. & hoc loco breuiter aliqua dicam. Causa difficultatis est, quia in Dæmonibus, secundùm veriorem doctrinam, solùm est fides acquisita; in viatoribus autem fidelibus est fides infusa & supernaturalis: non videtur autem argumentum efficax, si quis dicat, fides acquisita non iustificat; ergo fides infusa supernaturalis non iustificat.

In præsenti difficultate posset aliquis dicere in Dæmonibus mansisse fidem infusam, secundùm quam opinionem videretur argumentum efficax à simili. & quòd in Dæmonibus manserit fides infusa, docuit Durandus *in* 3. *dist.* 25. *quæst.* 9. & probabilem putat P. Valentia 1. 2. *disput.* 1. *quæst.* 5. *punct.* 2. vbi etiam docet sententiam Durandi non esse contra Scripturam. & P. Lorinus in citata verba Iacobi satis indicat sententiam Durandi esse probabilem.

Sed, vt dixi 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 43. *dub.* 3. sententia Durandi falsa est: item licèt aliqui dicant sententiam prædictam esse probabilem, manifestè tamen loquuntur de habitu fidei, & verò Iacobus planè loquitur de actu credendi.

Alij autem aliter philosophantur, existimant enim in viatoribus fidelibus fidem esse naturalem secundùm substantiam, & ita argumentum erit efficax; quia secundùm hanc doctrinam sumitur à fide acquisita ad fidem acquisitam.

Sed hæc doctrina admittenda non est, quia iuxta communiorem Scholasticorum doctrinam traditam à nobis in materia de fide, longè verius est fidem Christianam in homine fideli esse supernaturalem secundùm substantiam.

Alij concedunt argumentum Iacobi non esse euidens, sed probabile, quam doctrinam multi non admittunt, quia putant posse explicari argumentum Iacobi, vt sit valde efficax.

Censent enim, vt retuli *disp. citata*, argumenti efficacitatem in eo consistere quòd fides sine operibus, vt est quædam cognitio, non sufficiat ad iustificationem, siue sit cognitio acquisita, siue infusa; quam expositionem sequuntur communiter interpretes S. Thom. in citatum articulum, quorum autoritas probabilem facit hanc expositionem.

Alij recentiores alio modo contendunt explicare efficacitatem prædicti argumenti, quia censent particulam *credunt* sumi in sensu de præterito pro particula *crediderunt*, sic enim legunt aliqui codices: & sensus est, Dæmones crediderunt in via, & tamen damnati sunt. & ita putant Apostolum loqui de fide infusa Dæmonum, ex quo vult inferre Apostolus etiam fidem infusam in Christiano viatore non sufficere ad iustificationem.

Sed hæc explicatio & discedit à lectione vulgata, & à communi sensu interpretum, qui particulam *credunt* secundùm proprietatem in significatione de præsenti hactenus sumpserunt.

Ego verò in citata disputatione aliter explicabam verba citata, quæ explicatio à multis explicata est: dicebam in illis verbis non contineri rationem integram, sed secundùm leges disputantium arguens aliquid interdum concessum ab aduersario admittit, & accipit, vt vlteriùs procedat ratiocinatio, & ita Apostolus dicit, *Tu credis, quia vnus est Deus; bene facis.* quasi dicat, hoc est bonum & necessarium: *vis autem scire, ô homo, quia fides sola non sufficit sine operibus, & mortua est: Abraham pater noster ex operibus iustificatus est.* Ecce efficacitatem integræ rationis Apostoli.

Contra hanc expositionem recentiores aliqui obiectionem quandam posuerunt, quam retuli, & cui satisfeci *disput. illa* 24. *citata, dub.* 5. *in fine.* Solùm aduerto quòd licèt aliquis Pater, vel Doctor dicat expressè, in prædictis verbis Apostoli contineri, argumentum non esse contra nostram expositionem, qui solùm contendimus non contineri in illis solum integrum argumentum: item, vt dicebamus *disput. præcedenti*, vbi est diuersitas expositionum, non est absurdum discedere ab vno, vel altero Doctore.

DVBIVM III.

De quadam ratione Pauli 1. ad Corinth. 15.

IN 1. epist. ad Corinth. *cap.* 15. vt probet Paulus Resurrectionem, inter alia ait, *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Circa quam rationem multa tradidi iam olim, & variè explicant Patres Græci, & Latini, vt statim referam, & legi potest P. Suar. *tom.* 2. *in* 3 *part. disp* 50. *sect.* 1. P. Vazquez *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 157. *cap.* 3.

Prima expositio est eorum, qui dicunt, aliquando consuetum fuisse, vt viuus aliquis baptizaretur pro mortuo, vt mortuus sine baptismo iustificaretur per baptismum à viuo susceptum, & ita Paulum velle illud fore inutile, si mortui non resurgunt: & hoc sensu explicant efficacitatem eius rationis.

Hæc tamen explicatio admittenda non est, quia illo tempore nondum exorta erat illa hæresis. Item, quia Paulus loquebatur cum fidelibus. legatur P. Vazq. suprà *num.* 19. qui fusè agit de errore Tertulliani.

Secunda expositio est Sedulij, S. Thom. & quorundam aliorum, qui docent baptizari pro mortuis idem esse ac baptizari pro peccatis mortalibus, & ita sensus Pauli erit: Quid prodest baptizari pro auferendis peccatis, si mortui non resurgunt: Hæc tamen expositio communiter refutatur, quia per mortuos homines intelligunt passim interpretes Græci, & Latini, & cõtrarius inusitatus est modus loquẽdi.

Tertia expositio est Chrysostomi, & multorum A Græcorum, qui interpretantur de Baptismo Christi, per quem credentes quando baptizantur significant corporum resurrectionem. quæ explicatio non quadrat in verba Pauli, qui dixit, *vt quid baptizantur pro mortuis?* non dixit, ad significandam resurrectionem mortuorum. Item hæc explicatio, sicut & præcedens, non satis explicat efficacitatem rationis Pauli, quia posset aliquis respondere, Baptismum prodesse ad vitam æternam, quia anima est immortalis, licet non admitteretur corporum resurrectio.

Quarta expositio est Theodoreti, & Caietani, qui explicant de Baptismo Christi, in quo Christi resurrectio repræsentatur. Sed licèt verum sit, talem B esse repræsentationem, tamen hæc explicatio non satis aptè cadit in verba Pauli, qui dixit, *vt quid baptizantur pro mortuis?* non dixit, vt quid baptizantur pro mortuo ad repræsentationem resurrectionis.

Quinta explicatio est Epiphanij *heres.* 59. qui explicat de his qui baptizantur iamiam morituri, circa quam multa dicunt aliqui recentiores, & legi potest P. Vazq *loco citato*, & admittenda non est, quia hoc non est baptizari pro aliquo, sed aliquem baptizari paulo ante mortem, qui pro se baptizatur, & non pro alio. Item secundùm hunc sensum prædicta ratio minus haberet efficacitatis, quia Baptismus tunc temporis receptus prodest ad iustificationem, & hæc necessaria est ad vitam æternam, quæ locum C haberet in anima immortali, etiamsi corpus non resurgeret.

Sexta explicatio est asserentium baptizari pro mortuis idem esse ac facere opera pœnitentiæ pro mortuis; hoc enim solet significare Baptismus, vel *baptizari*, de quo fusè recentiores. Et sensus est, vt quid facimus opera pœnitentiæ pro mortuis vt liberentur à pœnis, si mortui non resurgunt? Quæ explicatio multos habet autores, & videtur cæteris probabilior: sed mihi non omnino probatur, quia non est modus vsitatus loquendi dicere baptizari pro alio, & facere opera pœnitentiæ pro illo. Item secundùm hanc expositionem ratio Pauli solùm videretur probare immortalitatem animæ, vt antea D dicebam.

Septima alia explicatio est, vt idem sit baptizari pro mortuo, & baptizari ob contactum corporis emortui. Pro cuius explicatione sciendum est *Deuter. cap* 19. præcipi vt qui tetigerit corpus mortui immundus censeatur, donec abluatur modo ibi assignato, & secundùm hunc sensum nullius religionis, aut sacri cultus videretur illa ceremonia legis, si non significaret corporis resurrectionem; & hæc est efficacitas illius rationis; argumentabatur enim Paulus cum his qui admittebant veterem legem, & hanc expositionem sequitur P. Vazq. & alij recentiores.

Omitto aliam expositionem, quam tradit Isido- E rus Pelusiota *lib.* 1. *cap* 22. quæ ad sensum moralem videtur pertinere, & valde obscura est.

Placet autem referre rationem, quam ego tradidi iam olim, & recentiores aliqui vt propriam typis mandarunt, sicut & multa alia, quæ ex meis scriptis desumpserunt. Sciendum ergo est tempore Pauli vsu receptum vt corpora defunctorum lauarentur antequam mandarentur sepulturæ, vt constat ex *cap.* 9. *Actuum.* quod etiam fuit in vsu apud aliquas gentes, & nunc in aliquibus fidelium prouinciis.

Ex hoc ergo vsu potuit Paulus sumere argumentum apud fideles, & dicere, vt quid baptizantur, id est, aqua afficiuntur, qui lauant corpora mortuorum, si mortui non resurgunt? id est, vt quid exhibetur tale obsequium corporibus defunctorum, si corpora non resurgunt? & simile argumentum posset sumi ex aliis obsequiis, quæ fideles religiose tribuunt corporibus defunctorum: & hoc sensu ratio Pauli vim habet circa resurrectionem corporum. quæ expositio à multis recepta est ante multos annos in Academia Complutensi.

Sed obiicit P. Vazq. non esse credibile homines tempore Pauli vti prædicta ceremonia ex affectu erga corpora intuitu resurrectionis. Respondetur Paulum agere cum aliis, qui cognoscebant resurrectionem, & contendit probare & confirmare resurrectionem, ostendens fore inutilem eam ceremoniam, si corpora non essent resurrectura, quod ad homines illos erat optimum argumentum.

Secundò obiicit, secundùm nostram explicationem, non dicturum Paulum, *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* sed, quid faciunt qui mortuorum corpora lauant? Sed hoc facilem habet solutionem, quia vtroque modo loquendi potest idem actus significari, & sic manet explicata efficacitas rationis Pauli. Alias verò rationes, quibus vtuntur interdum Canonici scriptores, explicare pertinet in propriis locis occurrentibus ad sacrorum Bibliorum interpretes. Quæ verò nos attulimus, exempli gratia sint satis.

DISPVTATIO III.

POSITIVA.

De sensibus sacræ Scripturæ.



D exactam cognitionem eorum, quæ suprà diximus de vsu sumendi argumentum ex Scriptura, conueniens est disputare de sensibus Scripturæ. de qua materia legi potest Bellar. *tom.* 1. *lib. de verbo Dei scripto. cap.* 3. & interpretes S. Thom. *in* 1 *part. ad quæst.* 1. *in artic.* 10. quos infrà speciatim referemus.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit sensus Scripturæ.

SEnsus sacræ Scripturæ dicitur communiter qui verbis significatur, sicut & in qualibet alia Scriptura, vt per se constat ex communi hominum iudicio.

Circa secundam partem refertur error Porphyrij, qui negabat eiusdem loci Scripturæ plures sensus. legatur P. Vazq. 1. *p. disput.* 13. *cap.* 1. Bañez 1. *p. in art.* 10. *dub.* 1. & eundem errorem videtur sequutus Erasmus citatus à recentioribus: tribuitur etiam aliis, quos de industria omitto, quia obscure loquuntur.

Sed veritas catholica est, Scripturam aliquando continere in eodem loco non solùm sensum literalem, sed etiam mysticum, de quibus infrà speciatim dicemus, & frequenter docent Patres, explicantes varia loca Scripturæ. Hieron, *in magnis Comment. epist. ad Galat. in cap.* 4. August. multis in locis. legatur *lib.* 1. *imperfecto de Genes. ad literam cap.* 1. *De vera relig. cap.* 50. *& epist.* 49. Gregor. *in præfat. moralium cap.* 3. *&* 4. Cyrill. *lib.* 1. *in Leuit. c.* 10. Ambros. *ser.* 14. S. Thom. 1. *part. quæst.* 1. *artic.* 10. & ibi interpretes.

Sed notandum est, quòd cùm dicimus eundem locum

locum Scripturæ continere sensum literalem, & A mysticum, seu spiritualem, non intelligimus de quocumque sensu spirituali, quem vnusquisque potest priuata intentione intendere; sed contendimus posse in aliquo loco Scripturæ contineri sensum spiritualem ex intentione Spiritus sancti: & ideo diximus suprà, ex sensu spirituali non sumi efficax argumentum, nisi quando talis sensus intentus est ab Spiritu sancto, vt constat ex alio loco Scripturæ; tunc enim ex tali sensu potest sumi argumentum.

Item notandum est, ita esse admittendum sensum spiritualem, vt non excludatur literalis ab eodem loco, & econtrario ita sensum literalem explicandum esse, vt non excludatur spiritualis, quando non B est contrarius literali.

Vlteriùs sciendum est, sanctos Patres frequenter in Concionibus vti testimoniis Scripturæ, non iuxta sensum literalem, nec spiritualem, sed solùm per accommodationem. De sensu autem accommodatitio dicemus infrà.

Tandem meritò Nazianz. *orat.* 41. reprehendit eos, qui solùm admittunt vel sensum literalem, vel sensum spiritualem.

Dubium II.

An omnia facta in veteri Testamento sint ex necessitate explicanda in aliquo sensu mystico & figurato.

QVæstionis ratio sumitur ex Paulo 1. ad Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis.*

Augustinus *lib.* 16. *de Ciuit. Dei cap.* 2. docet non esse necessarium id dicere de omnibus locis veteris Testamenti, & idem docuit Chrysost. *hom.* 65. & sequuntur interpretes S.Thom. 1. *p. ad quæst.* 1. *in citatum art.* 10. vbi Bañez *dub.* 2. quia non est idoneum fundamentum ad id asserendum de omnibus locis, licèt de aliquibus id dicatur propter testimonium Scripturæ, vel propter explicationem sanctorum Patrum.

Testimonium autem Apostoli citatum in principio intelligitur à Patribus in materia determinata, de qua loquebatur ibi Paulus.

Docet autem Bañez & ex factis & dictis Scripturæ aliquid eruere ad sensum moralem & ædificationem fidelium vtile esse, quod sæpe faciunt Patres. legatur S.Thom. 1.2. *quæst.* 102. *art.* 2. Hortatur autem Bañez concionatores ne nimis violenter huiusmodi sensus morales extorqueant.

Disputant verò aliqui, an in aliquo loco noui Testamenti præter sensum literalem sit sensus spiritualis & mysticus? in quo Abulens. *super cap.* 13. *Matth. quæst* 28. respondet negatiuè, & probat, quia sensus allegoricus est quando res gesta significat aliquid quod pertinet ad Ecclesiam militantem; in nouo autem Testamento nihil tale inuenitur. Secundò probat ex August. *de vtilit. credendi cap.* 3. vbi dixit vetus Testamentum significare quid sit futurum: ergo sentit hoc non conuenire nouo Testamento.

Sed contrarium docuit Bañez *loco citato dub.* 3. P.Vazq. 1. *p. disp.* 16. *cap.* 4. Probat autem Bañez ex Hieron. *in cap.* 21. *Matth.* dum loquitur de ingressu Christi in Hierusalem, quem locum præter sensum literalem historiæ exponunt Patres in sensu morali, vt constat ex Chrysost. *ibi*, & aliis interpretibus. Vnde Hieron. Remig. & Origenes ibi docent significare ingressum Christi in cœlum, & negare non possumus multa facta Christi explicari ab interpretibus in sensu morali.

Et ex his constat primam rationem Abulensis falsam continere doctrinam.

Ad secundum respondetur Augustinum ibi nihil dicere de nouo Testamento.

Dubium III.

Quis sit sensus literalis sacræ Scripturæ.

SVprà diximus, sub eadem litera sacra posse esse sensum literalem, & mysticum, seu spiritualem: modò autem intendimus explicare, quis sit dicendus sensus literalis?

Prima opinio est Lyræ *prolog.* 3. *Bibliorum*, qui dixit sensum literalem esse qui significatur per voces; figuratus verò qui significatur per res. Et probari potest ex Gregor. 14. *Moral. cap.* 1. citatur etiam Chrysostomus *homil.* 19. *in Ioan.* Origen. *lib.* 4. *Periarchon. cap.* 2. Ambros. *lib.* 5. *in Lucam.*

Secunda opinio est Abulensis *in cap.* 13. *Matth. quæst.* 28. qui dixit sensum literalem esse, quem scriptor voluit significare suis vocibus, siue proximè, siue remotè. Circa mentem verò Abulensis legatur P.Vazq. 1. *p. disp.* 15 *cap.* 5.

Tertia opinio communis est, sensum literalem, siue historicum esse, quem Spiritus sanctus per verba siue propria, siue metaphorica primariè voluit C significare.

Pro cuius explicatione notandum est discrimen inter sensum literalem & mysticum, quòd sensus literalis proximè significatur per verba: mysticus autem per res verbis significatas.

Dicitur *primariè*, quia hoc pertinet ad significationem vocum secundùm communem modum, quam particulam posuit P.Vazq. *suprà cap.* 3. & fieri potest vt eadem vox significet duas res, alteram propriè, alteram per metaphoram, cum ordine tamen; sicut cùm quis intellectum Dei appellat oculum, & tunc manifestus est significatus illius.

Altera particula est secundùm communem sensum & significationem, quæ pertinet ad explican- D dum sensum mysticum: hic enim significatur non verbis proximè, sed remotè, & proximè per res significatas. legatur P.Vazq. *loco citato.*

Tertia particula definitionis est, *quem intendit Spiritus sanctus.* quod necessarium est ad sensum literalem Scripturæ sacræ. Ex qua doctrina facilè cognoscetur sensus literalis sacræ Scripturæ.

Dubium IV.

Quis sit sensus literalis parabolarum.

SEnsus dubij est, an parabolæ sensus literalis sit historicus, qui in exemplum assumitur, vel ille, E ad quem explicandum assumitur?

Prima opinio refertur aliquorum, qui quæstionem relinquunt dubiam, quos de industria omitto, quia non satis clarè loquuntur.

Secunda opinio est eorum, qui putant sensum literalem parabolarum esse illum, qui assumitur ad aliud explicandum, eo quòd ille videtur historicus, & primarius.

Tertia opinio est aliquorum, qui docent in parabolis non esse sensum literalem, sed spiritualem, quia prior historicus non est primariè intentus, sed ad explicandum alium; posterior etiam non videtur literalis, sed potiùs spiritualis & moralis, prioris similitudine explicatus.

Pro

Pro explicatione veritatis notandum est in parabolis esse duas partes, alteram qua refertur res, quæ adducitur in similitudinem; alteram cui applicatur similitudo. Secundò notandum est primam partem parabolæ esse quasi historiam: secundam quæ est quasi explicatio sensus mystici; & ita prior pars pro sensu literali habet historiam, vel quasi historiam: secunda autem pro sensu literali habet mysticum, & spiritualem, ad quem explicandum adducitur prior pars. quæ duæ partes facilè possunt agnosci in qualibet parabola.

Tertiò notandum est, aliquando Christum Dominum proponere parabolam, & applicare expressè; aliquando autem applicationem non explicat publicè, sed Discipulis seorsim, Lucæ 7. *Simile est Regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen.* legatur P. Vazq. 1. *p. disput.* 16. *cap.* 4.

Deinde notandum est id quod notauit P. Vazq. vbi proximè, & Castro *lib.* 1. *aduersus hæres. cap.* 3. ex Augustino, nempe historiam parabolæ non ita esse accipiendam quasi re vera accideret, sed quasi facta fuisset sicut narratur; imò aliquando assumitur in parabolam res aliqua falsa & impossibilis, vt *Iudic* 9.

Ex dictis meritò P. Vazq. *disput citata cap.* 5. refutat Abulensem, qui docuit aliquando sacram Scripturam carere sensu literali: existimauit enim literalem sensum esse illum tantùm, qui proximè per voces significatur, qui tamen non est in parabolis. legantur etiam quæ docet P. Vasq. in eodem capite circa sensum metaphoricum.

Dvbivm V.

Quæ sint obseruanda ad cognoscendum sensum literalem.

De hac materia egit Cano *lib.* 7. *de locis.* P. Salmeron *tom.* 1. *à Prologom.* 9. & breuiter interpretes S. Thom. 1. *part. ad quæst.* 1. *in art.* 10. Et primò si sancti Patres vnanimi consensu aliquem sensum tradunt vt literalem, recipiendus est vt talis, iuxta decretum Concilij Tridentini *sess.* 4.

Secundò obseruandum est, quisnam sensus magis quadret in contextum sincerè sumptus.

Tertiò obseruandum est, an aliquis sensus sit definitus à summo Pontifice, vel Concilio generali, vt interdum contingere solet.

Quartò multum iuuat considerare proprietatem verborum contextus, & ad hoc pertinet exacta cognitio linguarum; & speciatim proprietas verborum linguæ originalis Hebrææ, vel Græcæ, quando non contradicunt lectioni Latinæ vulgatæ, vt notant citati Doctores, & fusè P. Salmeron. Item obseruandum est, ad cognoscendum sensum literalem quid frequentiùs sentiant Doctores. legatur noster Gillus 1. *p. lib.* 1. *tractatu* 7. *cap.* 6. P. Valentia *disput.* 1. *quæst.* 5. *punct.* 3. *ad finem.*

Dvbivm VI.

Quis sit, & quotuplex sensus spiritualis, seu mysticus.

Ivxta communem doctrinam autorum, sensus mysticus dicitur, qui nec propriè, nec metaphoricè proximè significatur per voces.

Ponimus autem conceptum mentis non solùm verbis, sed etiam rebus aliquando significari, quod est sine controuersia apud Doctores. Item commu-
A nis Catholicorum sententia est, proprium esse sacræ Scripturæ, vt sub vna litera contineat sensum historicum & mysticum, vt docuit Gregorius *lib.* 20. *moral. cap.* 1. & S. Thom. 1. *p. quæst.* 1. *art.* 10. & ibi interpretes. Quod vt ampliùs explicetur, notandum est tria esse genera signorum, vnum est verborum, secundum rerum, tertium quo vtitur Deus in Scriptura, quando per rem significatam vult aliquid aliud significare. v. g. per reuocationem filiorum Israël ab Ægypto voluit significare reuocationem Christi ex Ægypto, & similia sunt alia in Scriptura.

Rursus notandum est id quod notauit P. Vazq. *disp. citata cap.* 1. non esse necessarium, vt in quolibet loco Scripturæ inueniatur sensus mysticus intentus
B ab Spiritu sancto.

Deinde explicandum est, quotuplex assignetur sensus mysticus? Notandum autem est primò generatim, sensum Scripturæ diuidi in sensum literalem, seu historicum, & in mysticum, seu spiritualem.

Vlteriùs sciendum est, sensum mysticum, seu spiritualem, iuxta diuisionem, quam retulit Xistus Senensis *lib.* 13. *Biblioth. cap.* 3. adducit enim quandam diuisionem, quam putat desumi ex August. *lib. de vtilitate credendi cap.* 3.

Sed P. Vazq. *disp. citata cap.* 2. docuit Augustinum in eo loco solùm numerare aliquos sensus veteris Testamenti, vnum secundùm historiam, alterum
C secundùm ætiologiam, alterum secundùm analogiam, & secundùm allegoriam. Docet autem Augustinus se vti voluisse Græcis nominibus, quòd ita ab aliis accepisset. Vbi Augustinus non dixit quatuor esse sensus Scripturæ sacræ, sed Scripturam posse quatuor modis tradi, seu doceri, primò quidem secundùm sensum historicum; secundò iuxta ætiologiam, cùm ostenditur quid & qua de causa factum sit; tertiò secundùm analogiam, hoc est, secundùm conuenientiam aliquorum; tandem secundùm allegoriam. legatur Driedo *lib.* 2. *de sacra Scriptura cap.* 2.

Deinde Augustinus docet, Christum & Apostolos vsos fuisse prædictis quatuor modis. legatur
D P. Vazq. *cap.* 2. §. *hus verò.*

Item Hieronymus *epist.* 150. *quæst.* 12. tradit tres sensus Scripturæ, vnus est secundùm historiam: secundus per tropologiam: tertius iuxta intelligentiam spiritualem. Primus satis est notus; secundus est, quando id quod in antiquo populo carnaliter gestum est, ad moralem sensum traducitur; spiritualis autem per se manifestus existit.

Vlteriùs vulgata est, & communiter recepta diuisio sensus Scripturæ in historicum & moralem, qui solet dici tropologicus, & in allegoricum, quando res historiæ mysterium aliquod nostræ fidei continent. Et denique in anagogicum, qui refertur ad ea, quæ sunt æterna. Ita refert ex aliis P. Vazq.
E *supra,* & S. Thom. 1. *p. quæst.* 1. *art.* 10. & hos sensus videtur indicare Augustinus *lib.* 1. *de Genes. ad lit. c.* 1.

Rursus bene docet P. Vazq. *cap.* 3. in nouo Testamento reperiri exempla horum sensuum, & adducit exemplum ex *cap.* 4. *ad Galat.* illis verbis, *Abraham duos filios habuit.* quibus explicatur sensus literalis: illis verò, *quæ per allegoriam sunt dicta,* explicatur sensus allegoricus. Cùm autem dicitur, *sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem, &c.* significatur sensus tropologicus: tandem cùm dicitur, *ea quæ sursum est Hierusalem,* significatur anagogicus.

Item in aliis locis noui Testamenti reperiuntur aliqua, quæ ad moralem sensum pertinent; sicut illud 1. Corinth. 9. *Non alligabis os boui trituranti,*

quod

quod citat Paulus ex *Deuter.* 2a. & refert ad sensum moralem, nempe ad ministros Ecclesiæ, & ita intelligitur Apostolum illa verba citasse in sensu mystico, vt notauit P. Vazq.

Exempla etiam allegorici sensus sunt in Scriptura, & sufficit illud de serpente æneo, qui fuit figura Christi, *Matth.* 12. *& Luc.* 11. alia etiam adducit P. Vazq.

Vlteriùs sunt notanda nonnulla ad exactiorem intelligentiam doctrinæ traditæ. Vnum est aliquando sanctos Patres sensum literalem appellare sensum allegoricum, seu spiritualem, quando continetur sub aliquo typo & figura. ita luquitur August. *epist.* 48. Aliquando verò Patres sensum spiritualem appellant literalem, quando est ex intentione Spiritus sancti.

Secundò notandum est, inter hos sensus literalem esse præcipuum, ex multorum sententia, propter rationem formalem sensus relati ad verba.

Hoc loco disputant aliqui, quomodo possit sumi argumentum ex sensu mystico, de quo diximus suprà. Et sciendum est quòd si sensus mysticus sit certus, & explicatus in Scriptura, potest ex illo sumi efficax argumentum: si autem non sit ita certus, considerandum est, an tradatur à multis Patribus, & tunc philosophandum est iuxta ea, quæ diximus suprà de autoritate Patrum. legatur P. Vazq. 1. *part. disp.* 16. *cap. vlt.*

Dvbivm VII.

An sub eadem litera sacra Scripturæ contineantur aliquando plures sensus literales.

IN hac quæstione prima sententia negat: ita sensit Medina *lib. 6. de recta in Deum fide, cap.* 5. & Adamus *in Euangel Ioan. in principio.* Alensis, & Henricus citari à nostro Gillo 1. *p. lib.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. & probari solet primò, quia opposita sententia orta est ex opinione aliquorum, vt exponant & defendant aliqua testimonia veteris Testamenti. Secundò, quia inductione potest probari, loca, quæ communiter adducuntur, non continere duos sensus literales. Tertiò, quia scriptor sacer intelligebat quæ scribebat: ergo cum solum sensum intendebat explicare.

Verùm quòd idem locus Scripturæ aliquando contineat duos sensus literales, communis est sententia interpretum, S. Thom. 1. *p. quæst.* 1. *ad art.* 10. & plures citat P. Vazq. *ibi disp.* 17. *cap.* 2. & docuit August. *lib.* 12. *Confess. cap.* 30. citantur alij Patres, qui non ita clarè loquuntur. & potest probari, quia Deus vno verbo scripto potest plura explicare.

Secundò, rebus ipsis potest Deus plura significare: ergo & verbis ipsis. Tertiò, quia aliqua loca Scripturæ sunt, quæ duos sensus continent. hanc sententiam sequitur Gillus suprà.

P. Vazq. *disp. citata* hanc secundam opinionem sequitur, ita tamen vt intelligatur quando canonicus scriptor eos sensus nouit, & aptè possunt quadrare in contextum & hac ratione admittit duos sensus literales in illo loco Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* & putat posse intelligi de generatione æterna & temporali.

Et ego non dubito sub eadem litera sacra posse contineri duos sensus literales: necessarium autem est primò vt vterque sit ex intentione Dei principalis autoris sacræ Scripturæ. Secundò vt vterque aptè quadret in contextum.

An verò sit necessarium vt canonicus scriptor cognoscat vtrumque sensum, quæstionem habet. A & P. Vazq. suprà affirmat, & probat ex August. *lib.* 12. *Confess. cap.* 30. *&* 31. vbi id videtur asserere. Secundò probat, quia alias sacer scriptor solum esset quasi amanuensis, vel tanquam instrumentum emortuum, aut irrationale.

S. Thom. verò 1. *part. quæst.* 1. *art.* 10. solùm fecit mentionem autoris principalis sacræ Scripturæ, qui est Deus: & eodem modo loquuntur aliqui interpretes ibi. Neque videtur necessarium vt scriptor canonicus intelligat omnes sensus eiusdem literæ, quos Deus intendit; satis est, si aliquem agnoscat, ne sit quasi inanimatum instrumentum; & P. Vazquez ipse concedit Prophetas, qui non scripto, sed verbo prophetabant, aliquando prophetasse quæ non in- B telligebant, sicut de Caipha dicitur *Ioan.* 11. & S. Thom. 2. 2. *quæst.* 173. generatim docet de Prophetis: idem, & eodem modo loquuntur interpretes ibi, neque video pro contraria opinione rationem conuincentem. & Augustinus fortè loquutus est de eo quod frequentiùs accidit.

Dvbivm VIII.

An mereatur censuram aliquam grauem opinio asserentium nullum locum Scripturæ continere duos sensus literales.

C IN hac difficultate Bañes 1. *p. ad quæst.* 1. *in art.* 10. docet primò non esse de fide aliquem locum Scripturæ continere duos sensus literales, quia nullus locus Scripturæ hoc probat, & loca quæ pro contraria opinione adducuntur, variis modis possunt explicari.

Secundò docet Bañes temerarium esse negare, aliquem locum Scripturæ continere duos sensus literales, & probat, quia est contra communem sensum Theologorum.

Sed, vt vidimus suprà, eam sententiam docuit Michaël Medina, & alij graues Scholastici, quos citauimus *dubio præcedenti*, & eos retulit Gillus, ibidem citatus, qui putat eam sententiam non mereri censuram. & Bellarminus *tom.* 1. *lib* 3. *de verbo Dei* D *cap.* 3. 6. *ex his*, solùm dixit communem opinionem non esse improbabilem. Ex quibus constat prædictam opinionem Medinæ non esse contra communem Scholasticorum sensum; & non est efficax aliquod argumentum contra Medinam tanti ponderis, vt eius opinio possit dici temeraria.

Deinde obseruandum est, quod sæpe monere soleo, quòd interdum licèt plures Scholastici sequantur aliquam opinionem, tamen si solùm sequantur vt probabiliorem, vel probabilem, non est dicendum ex hoc solo capite contrariam esse temerariam, iuxta ea quæ suprà diximus de autoritate Scholasticorum. Notandum insuper est id quod etiam concessit Bañes, non esse multa loca Scriptu- E ræ, quæ habeant plures sensus literales.

Item sciendum est, non rectè aliquos autores affirmare, in eodem loco Scripturæ esse duos sensus literales, ex eo quòd duæ sint expositiones Patrum diuersæ: hoc enim solum arguit diuisos esse Patres circa literalem sensum eius loci, qui tamen non affirmant vtrumque sensum esse literalem, vt obseruauit P. Vazquez 1. *part. disput.* 18. *cap.* 1. Restat vt disputemus in specie de aliquibus locis Scripturæ, an contineant duos sensus literales ad exactam cognitionem doctrinæ traditæ.

***

DVBIVM IX.

An locus Psal.2. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; *habeat duos sensus literales.*

NOn pauci existimant locum istum habere duos sensus literales, & probari potest, quia talem locum explicant multi de generatione æterna, quos refert P. Vazq. *1.p. disput.18. cap.2.* & legi possunt interpretes *in Psalm.2.& in caput 1.ad Hebr.*

Alij verò de generatione Christi secundùm carnem, quos etiam citat P. Vazq. *vbi proximè.*

Alij verò de generatione Christi pro resurrectione, in quo sensu videtur loqui Paulus *Act.13.* & ideo multi affirmant illum locum habere plures sensus literales, cùm tam sit magna diuersitas explicationum.

Alij verò existimant sensum literalem *Psalm.2.* non esse de Christo, & citari à Paulo in sensu mystico, &, vt suprà diximus, bene potest idem locus habere vnum sensum literalem, & alium mysticum. Ex his ergo volunt alij colligere hunc locum habere plures sensus literales, vt redigant in concor diam Patres. Sed, vt notabam dubio præcedenti, hoc non est bonum argumentum; quia Patres non affirmant eum locum habere duos sensus, sed diuisi sunt circa sensum literalem.

P. Vazquez *loco citato* docet eum locum habere vnum sensum literalem de resurrectione Christi, & hunc explicuisse Paulum, vt exponunt Hieronymus, & alij nonnulli.

Ego sanè alia ratione concederem illum locum habere plures sensus literales, nempe quia in contextum *Psalm.2.* rectè cadunt explicationes de generatione æterna, & temporali Christi: & vlteriùs Paulus *cap. illo 13.* de resurrectione explicat, quæ nomine generationis solet intelligi in Scriptura, vt obseruauit P. Vazq. *suprà.*

Item negare non possumus Paulum *ad Hebr.1.* adducere hunc locum Psalmi ad probandam diuinam filiationem Christi, vt etiam concessit P. Vazq. & tamen respondet ex hoc non probari duos sensus literales illius loci; quia Paulus *ad Hebr.1.* adducit illum locum Psalmi *Actor 13.* ad probandam resurrectionem Christi; in alio verò loco ad probandam Christi filiationem: & ita in vno loco intelligendus est Paulus expendere particulam illam *genui*, in alio particulam *filius.*

Verùm in primis cum sensu Pauli non pugnat explicatio de generatione æterna. Deinde si Paulus vtitur loco illo ad probandam Christi diuinitatem, & expendit particulam *filius*: ergo supponit generationem æternam, quæ est origo filiationis. Et propter hoc est mihi valde probabile illum locum Pauli habere duos sensus literales.

Ex dictis colligitur ex prædicto loco non posse efficaciter probari, eundem locum Scripturæ habere plures sensus literales propter varietatem opinionum, licèt mihi probabilius sit quod dixi.

DVBIVM X.

An locus Genes.1. In principio creauit Deus cœlum, &c. *habeat duos sensus literales.*

LOcus hic variè exponitur à Patribus, vt constat ex August. *lib.12. Confess. cap.20.* & nos de hoc loco diximus in materia de Trinitate. Deinde notandum est, vt diximus suprà, ex sola varietate expo- A sitionum sanctorum Patrum non posse probari hunc locum habere plures sensus literales; hoc enim solùm arguit Patres diuersa sensisse de sensu literali illius loci.

Aliqui interpretes S.Thom. *1.p.ad q.1.in art.10.* affirmant prædictum locum continere duos sensus literales, & probant, quia ex illo loco Ecclesia colligit, & definit duas veritates, vna est mundum incepisse in tempore; altera ex mente horum habetur in Concil. Lateranen. sub Innocent. III. & refertur *cap. firmiter, de summa Trinitate.* nempe omnia simul fuisse creata, corporea & spiritualia.

Sed P. Vazq. *1.p.disp. illa 18.cap.3.* dixit hoc argumento non rectè probari, illum locum habere duos B sensus literales, quia non est definitum omnia simul fuisse creata, quia particula *simul* alium habet sensum, & solùm significat collectionem creaturarum; de quo legi potest P. Vazq. *1.p.disp.122.cap.4* & nos diximus de hoc loco in materia de Angelis, & ideo negare non possumus rem esse dubiam, & idcirco ex hoc loco non potest certò probari in Scriptura sub eadem litera contineri duos sensus literales, vt contendunt aliqui, qui eam sententiam sequuntur.

Disputant etiam aliqui, an habeat duos sensus literales locus ille Daniel.9. *& erit in templo abominatio desolationis*, & affirmant aliqui, & sentiunt posse intelligi non solùm de Antichristo, sed etiam de C destructione Hierusalem. legatur Hieron. *in cap.24. Matth.*

Sed nullus est ex Patribus, qui affirmet illos duos sensus intentos fuisse à Daniele Propheta. Et quamuis locus ille Matthæi varias habeat explicationes; tamen non cogimur dicere illum locum habere plures sensus literales, vt sæpe diximus. legatur P. Vazq. *disp. citata cap.4.*

DVBIVM XI.

An locus ille Isai 53. Languores nostros ipse tulit, &c. *habeat duos sensus literales.*

D

MVltorum sententia est hunc locum habere duos sensus literales, quia Petrus *epist.1. c.2.* explicat de morbis animæ, hoc est, de peccatis, à quibus Christus nos liberauit. Matthæus verò *cap.8.* de morbis corporalibus apertè intelligit, & locum Isaiæ de morbis spiritualibus explicant nonnulli Patres, quos refert P. Vazq. suprà *cap.5. num.11.*

Alij verò Patres *in cap.8 Matth.* manifestè interpretantur de morbis corporalibus.

Quidam recentiores in caput citatum Isaiæ putant diuersa verba Isaiæ citari à Matthæo, & diuersa à S. Petro, & secundum hanc explicationem non erunt duo sensus eiusdem loci. legatur Foreirus *in* E *citatum caput Isaiæ.*

Aliquorum sententia est, in citatis verbis duos sensus literales contineri, propter duo loca suprà citata Matthæi, & Petri. Item alij existimant in illis verbis Isaiæ contineri duos sensus, alterum literalem, & alterum mysticum; & in assignando literali & mystico etiam est diuersitas opinionum. nam quidam putant literalem esse de morbis corporalibus, mysticum, de morbis animi, hoc est, de peccatis, & vtrumque esse certum. Alij econtrario putant literalem & primarium esse de peccatis.

In hoc dubio mihi videtur, in verba Isaiæ & contextum posse cadere vtrunque sensum; quamuis magis conformis videatur sensus de peccatis. Secundò

negare

negare non possumus, probabilem esse sententiam A asserentium posse dici esse vnum sensum literalem; quia licèt à Matthæo intelligatur de morbis corporis; ordinabatur tamen illa curatio ad salutem animæ: & ideo P. Vazq. existimauit esse vnicum sensum, vt constat ex *cap.* 1. *disp. citata.* §. *deinde obseruandum est.* vbi docet apertè non esse dicendos duos sensus literales, quando omnino ad idem ordinantur. Docuit autem *cap.* 5. locum Isaiæ intelligi de curatione morborum spiritualium: citari tamen ab Euangelista, nempe à Matthæo, de curatione morborum corporalium, quia Christus semper intendebat salutem animæ, etiam quando curabat corpora. quæ ratiocinatio satis est probabilis.

Ego quidem de hoc loco Isaiæ fusè dixi 3. *part. ad quæst.* 14. Et primò existimo satis esse probabilem B sententiam asserentium locum Isaiæ continere duos sensus literales: quam sententiam plures interpretes sequuntur 1. *part. ad q.* 1. *in art.* 10. & P. Suar. *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 32. & alij *in cap.* 8. *Matth.* & nonnulli *in citatum locum Isaiæ.*

Secundò probabilis est sententia illa de sensu literali quantum ad morbos corporis, & de mystico quantum ad morbos animæ.

Tertiò existimo non posse efficaciter impugnari sententiam Foreiri suprà relatam.

Vlteriùs aduerto non esse admittendam sententiam asserentium Matthæum per solam accommodationem citasse locum Isaiæ, quia si esset sola ac- C commodatio verborum, non posset Matthæus dicere, *id factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam.* legatur P. Vazq. *disp. citata, cap.* 3. In fine huius dubij placet aduertere, propter tantam varietatem expositionum non posse ex hoc loco probari certò aliquem locũ Scripturæ continere duos sensus literales. quod dixerim, quia aliqui ex hoc loco cõtendunt impugnare opinionem, quam suprà retulimus, asserẽtium nullum locum Scripturæ continere duos sensus literales. quæ opinio licèt nobis videatur falsa: non tamen videtur digna aliqua censura.

DVBIVM XII.

Circa locum Isaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit?

DVbium potest esse, an locus iste contineat duos sensus literales? Et varij sunt sensus Patrum: aliqui enim explicant de generatione æterna. Clemens Pont. *epist.* 1. Eusebius. *de praeparat. Euang. lib.* 1. *cap.* 1. Cyril. *lib.* 2. *de Trin.* Basil. 1. *contra Eunom.* Chrysostom. *homil.* 1. *de incomprehensib. Dei natura*, habetur *tom.* 5. August. *varijs locis, & lib.* 1. *de Symb. ad Catech. cap.* 2. & alij Patres & interpretes frequenter.

Nonnulli etiam de generatione temporali Christi, Iustinus *lib. quæst. à Gentibus propositarum, quæst.* 67. Tertull. *aduersus Iudæos. cap.* 12. & alij *in citatum Isaiæ locum.*

Aliæ etiam expositiones eius loci adducuntur à recentioribus. Vna est, *generationem* sumi pro generatione filiorum: alia per *generationem* intelligi sæculum illud Christi. quæ explicationes sumuntur ex diuersis versionibus.

P. Vasq. *suprà cap. vlt.* concedit talem locum posse admittere duos sensus literales, de generatione æterna, & temporali Christi, quia vterque sensus quadrat in contextum.

Putant verò recentiores aliqui explicationes suprà relatas contineri sub verbis Isaiæ, & esse probabiles, sed non ita aptè cadunt in contextum.

DVBIVM XIII.

De loco Oseæ 11. Ex Ægypto vocaui filium meum.

ALiqui existimant hæc verba habere duos sensus literales, quia Oseas ad literam primariè loquitur de populo Israëlitico; & tamen Matthæus *cap.* 2. explicuit de Christo.

Iansenius verò in citatum locum Matthæi putat Matthæum citasse hæc verba, non quia contineant sensum literalem de Christo, sed solùm per accommodationem verborum. legatur P. Vazquez *disp.* 14. *cap.* 2.

Tertia opinio est asserentium, Oseam in sensu literali primariò loquutum de populo Israëlito; secundariò explicasse sensum mysticum, quem explicuit Matthæus de Christo.

Dicendum autem est primò nullo modo esse admittendam explicationem Iansenij de sensu accommodatitio, quia si hoc esset verum, non posset dicere Euangelista, *vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam: Ex Ægypto vocaui filium meum.* quibus verbis manifestè significat Matthæus, sensum de Christo intentum esse aliquo modo à Propheta. Meritò ergo recentiores aliqui 1. *part. ad quæst.* 1. *in art.* 10. *& super cap.* 2. *Matth. & super cap.* 11. *Oseæ*, opinionem Iansenij dignam esse graui censura.

Secundò existimo Matthæum citasse testimonium Oseæ in sensu mystico, quod bene explicat P. Vazq. *disp. illa* 14. *cap.* 4. & ex aliis fusè probat. & sequitur Valentia 1. *part. disp.* 5. *quæst.* 5. §. 3. *vers. & quidem*, & alij recentiores.

Sed obiiciunt aliqui, si sensus de Christo non est literalis in citatis verbis: ergo ex illo non posset sumi argumentum efficax, quia ex solo sensu mystico non solet. Respondetur ex sensu mystico non sumi efficax argumentum, quando non est explicatus in Scriptura; si tamen sit explicatus ab scriptore canonico, poterit sumi efficax argumentum ex illo, vt suprà diximus, sicut de loco illo, *Os non comminuetis ex eo*, multi affirmant. legatur Augustinus D *tract.* 120. *in Ioan.* & alij Interpretes circa citata verba, & P. Vazq. *suprà cap.* 2.

DVBIVM XIV.

De sensu accommodatitio.

DE materia huius dubij legatur P. Valentia 1. *part. disp.* 1. *q.* 5. §. 3. *vers. sunt autem.* P. Vazq. 1. *part. disp.* 14. P. Tannerus infrà citandus.

Certum est sanctos Patres frequenter in suis scriptis vti sensu accommodatitio, id est, accommodando verba Scripturæ alicui rei de qua instituunt sermonem: non quia Scriptura in eo sensu loquatur, E sed quia verba accommodantur. quod etiam Ecclesia facere solet in officiis Sanctorum.

Difficultas autem est, an scriptor sacer aliquando in sua canonica scriptura noui Testamenti citet verba veteris Testamenti per solam accommodationem? Et nonnulli putant vnum scriptorem sacrum vti verbis antiquioris scriptoris sacri per solam accommodationem, & explicant, quia *Apoc.* 11. de duobus præcursoribus Antichristi dicitur, *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra* quæ verba desumpta sunt ex *cap.* 4. *Zacharia*, vbi dicuntur de IESV sacerdote, & de Zerobabel; ergo in loco Apocalypsis adducuntur per accommodationem.

Item adducuntur aliqua verba ex *Amos cap* 8: quæ

quæ referuntur 1. *Machab. cap.* 1. legatur P. Vazq. *cap. citato.*

Sed hæc loca solùm probant, scriptorem sacrum posse vti verbis antiquioris scriptoris, quod facilè intelligitur; sed solùm est vsus eorundem verborum. Verùm in his locis autor Scripturæ, qui vtitur illis verbis, non affirmat in illis prophetatum esse ab antiquiore scriptore sensum, quem intendit citans scriptor: hoc enim dicimus non posse fieri, quando sensus tantùm est accommodatitius.

Notat autem P. Vazq. 1. *part. disp.* 14. *cap.* 5. §. *sic ergo*, Christum dixisse Matth. 15. *Populus hic labijs me honorat*, vti Christus adducit testimonium Isaiæ: circa quem locum ita P. Vazq. affirmat esse sensum accommodatitium, *vt aut parum, aut nihil differat à sensu literali.* Quæ verba consideranda maximè sunt, ne aliquis imponat P. Vazq. quòd senserit testimonium Isaiæ citatum à Christo in solo sensu accommodatitio, cùm ipse P. Vasq. manifestè dicat sensum illum aut parum, aut nihil differre à literali.

Et mihi placet ea verba Isaiæ in sensu literali citata fuisse à Christo Domino; quia Christus dixit bene prophetasse Isaiam, ac proinde concedendum est Isaiam voluisse significare sensum, quem adduxit Christus vt literalem, propter eosdem mores populi illius. Neque est necessarium hoc loco recurrere ad sensum mysticum, propter rationem assignatam de eisdem moribus illius gentis, & iuxta doctrinam traditam explicandus est locus Matth. 13. ex Isai. 6. *vt adimpleretur quod dictum est: Auditu audietis, & non intelligetis.*

In fine huius dubij placet aduertere Tannerum 1. *part. disp.* 1. *q.* 5. in explicatione quintæ conclusionis non satis agnouisse mentem P. Vazquez; dicit enim §. *Quo*, P. Vazquez de sensu accommodatitio sensisse cum Iansenio; in quo fine dubio fallitur Tannerus, quia, vt suprà diximus, Iansenius manifestè admisit sensum accommodatitium purum, quando Matthæus citauit illud Oseæ, *ex Ægypto vocaui filium meum.* & tamen P. Vazquez, vt vidimus, ita appellauit sensum accommodatitium circa locum Isaiæ, vt diceret parum, aut nihil differre à literali.

DVBIVM XV.

Quomodo possimus vti Scriptura per accommodationem vt vtili ad arguendum.

IN hac re obseruandum est, posse nos sumere ex Scriptura argumentum à simili, vel ab exemplo, sicut & in Philosophia, vnde & Christus *Luc.* 6. vsus est exemplo Dauidis, qui propter necessitatem comedit panes propositionis, vt excusaret Discipulos suos à calumnia Pharisæorum.

Deinde Doctores scholastici in materia de adoratione imaginum, vt probent imaginibus esse deferendum sacrum cultum, vtuntur exemplo arcæ veteris Testamenti, cui semper delata est veneratio. legatur P. Vazq. 1. *de adorat. disp.* 6.

Rursus notandum est quòd sicut verbis Scripturæ solent Patres vti per accommodationem, ita & historiis ad rem moralem explicandam, etiamsi sensus in his casibus non contineatur in Scriptura; nec sit efficax ad arguendum, sed vtilis ad exhortandum.

Restat explicandum ad exactam intelligentiam eorum, quæ suprà diximus, quomodo ex multiplici sensu sub eadem litera sacra non sequatur æquiuocatio, vel obscuritas.

Aliqui, vt suprà vidimus, negant sub eadem litera duos sensus literales, quia videbatur illis sequi

A æquiuocationem, vel obscuritatem nimiam ex pluralitate sensuum.

Nihilominus Doctores qui admittunt plures sensus literales sub eisdem verbis, contendunt explicare non sequi æquiuocationem, vel obscuritatem nimiam ex tali pluralitate sensuum. Et S. Thom. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 10. *ad* 1. docet quòd pluralitas sensuum nó facit æquiuocationem, quia voces proxime significant res, quod pertinet ad sensum literalem, & per res significatas significatur aliud, ac proinde cum ordine, & ita absque æquiuocatione vel cófusione. Loquebatur autem S. Thom. de sensu literali & mystico; ille significatur proximè per voces, iste per res significatas vocibus. Si verò loqua-

B mur de duobus sensibus literalibus, dicendum est, ita significari per contextum, vt non sit æquiuocatio, vel insignis obscuritas.

Illud est maximè aduertendum, testimonia Scripturæ, ex quibus probantur mysteria nostræ fidei, manifestè esse explicata à Patribus, vel Conciliis: & ita habent claram & firmam certitudinem.

Tandem aliqui disputant, quis sensus Scripturæ sit præstantior, literalis, vel spiritualis, quando vterque est æquè certus. sic P. Molina 1. *part. ad quæst.* 1. *in art.* 10. *in fine*, & alij recentiores. Solutio autem pendet ex notitia vtriusque sensus, & ex intentione Spiritus sancti; & ita in quolibet loco particulari res est explicanda, & expendenda.

C Ex his quæ hactenus diximus intelligitur rectam esse doctrinam S. Thom. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 10. vbi in corpore docet eandem literam sacræ Scripturæ posse continere duos sensus, alterum literalem, alterum spiritualem.

Secundò docet posse etiam contineri plures sensus literales, & de his omnibus suprà diximus. Item ad primum argumentum ostendit, ex hoc multiplici sensu Scripturæ non sequi æquiuocationem, vel confusionem, vt explicuimus. Item in eadem solutione docet, ex sensu spirituali non posse sumi efficax argumentum, quod intelligi debet iuxta suprà dicta, nempe quando spiritualis sensus non est explicatus ab ipso scriptore Canonico.

D Vlteriùs in solutione tertij bene docet sensum parabolicum sub literali contineri, & explicat per exemplum metaphoræ.

In fine huius dubij notandum est, Patres aliquando sensus spirituales comprehendere sub nomine allegoriæ, vt notauit P. Valentia 1. *part. disp.* 1. *q.* 5. §. 3. *vers. sciendum autem est*, ex August. Basil. & aliis, & notauit S. Thomas *lect.* 6. *in cap.* 4. *ad Galat.* legatur *quodlibet.* 7. *art.* 14. & 15. legatur etiam P. Tannerus 1. *part. disp.* 1. *quæst.* 5.

Epistola cuiusdam amici ad P. Luisium Turrianum missa.

E ACcepta ex his occasione, quæ nuper prædiuiti ingenij vena in opusculis de Gratia excusis, felici quidem Marte Paternitas vestra concinnauit de attributo Sanctitatis, exorta est apud nos controuersia circa propositiones aliquas, in quibus nonnulla dubia sic Studiosorum mentes malè torquent, mirè vexant, vt facilè, quid in illis sentiendum sit, non appareat. Quapropter hæc & illas ad fidelem tanti viri trutinam, huius latiaris epistolæ comites remitto: soluantur illa deprecor, de istis censeat. Vestrum namque erit vtrisque pretium dare; vt vel de Paternitatis vestræ æstimentur iudicio, vel illis de censura caueatur.

Tibi

Aurel. Symmach. lib. 1. epist. 1. ad Patrem.

Tibi igitur qui prudentia antistas ceteris, optionis huius delego prouinciam. Quid facto opus sit, ipse videris. Ego infantia, & imprudentia mea patrem conscium non imprudenter elegi. Vale.

Propositiones relatæ ab amico.

1. Non est in Deo speciale atttributum sanctitatis.
2. Probabile est quodlibet attributum posse sanctificare naturam humanam vnitam Verbo.
3. Si in Deo est speciale attributum sanctitatis, non sanctificat oaturam humanam, vt est attributum formaliter, sed vt entitas quædam diuina est.
4. Natura diuina noo magis sanctificat naturam humanam, quàm relatio Verbi diuini.
5. Natura diuina non magis sanctificat naturam humanam, quàm atttibutum sapientiæ.
6. Natuta diuioa non magis sanctificat naturam humanam, quàm attributum omnipotentiæ.
7. Relatio Verbi diuioi sanctificat naturam humanam, non diuinitas.
8. Relatio Verbi sanctificat naturam humanam, noo attributum aliquod.
9. Non est probabilis opinio asserentium naturam diuinam saoctificare naturam humanam.

DISPVTATIO IV.

SCHOLASTICA.

De attributo sanctitatis, quæ est responsio ad amicum mirè doctum.

DVBIVM I.

An in Deo sit speciale attributum sanctitatis.



IRCA primam propositionem explicandum est, an sit in Deo speciale attributum sanctitatis. de quo diximus in materia de Gratia, *opusc.* 3. *dub.* 5. de qua quæstione nihil ferè autores dixerunt. Et explicandum etiam est, quid sit attributum in Deo, vt videamus an sit in illo speciale attributum sanctitatis. Et de ratione attributi disputari solet 1. *p. ad quæst.* 3. & fusè Ægidius *tom.* 1. *de Beatit. lib.* 5. legatur P. Vazquez 1. *p. disp.* 116. *c.* 1.

Notandnm autem est, nomen *attributi* vsurpari à Theologis in hac materia ad significandam perfectionem aliquam dioinam specialem.

Secundò notandum est, communiorem opinionem Theologorum esse, attributum in Deo significare perfectionem. Item constitutum est apud Theologos, attributum esse prædicatum, quod propriè, & non translatitiè conuenit Deo. Vlteriùs sciendum est, attributum secundùm communem Theologorum opinionem, esse prædicatum, quod nostro modo intelligendi concipitur quasi additum essentiæ diuinæ; cui doctrinæ fauet Damascenus *lib.* 1. *de fide cap.* 4. Rursus attributum in Deo dicitur esse prædicatum absolutum, iuxta S. Thom. 1. *p. q.* 39. *&* 1. *sentent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 4. & legi potest P. Vazquez *loco citato, num.* 3. Deinde sciendum est, nomen *sanctitatis* varios habere significatus apud autores prophanos, vt ex multis refert noster Cornelius *in c.* 20. *Leuit. vers.* 26. in sensu morali. *& cap.* 22. *in fine. & cap.* 27. *num.* 28. & legi potest S. Thom. 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 8. *in corpore.* & interpretes frequenter in varia loca Scripturæ, præsertim *in cap.* 6. *Isaiæ.* Et, vt constat ex S. Thom. *loco citato*, etiam apud Theologos nomen *sanctitatis* habet varios significatus.

In hac verò controuersia, sanctitas sumitur pro munditia & puritate animi, sicut vsurpatur à Dionys. Areopag. *de diuinis nomin. cap.* 12. quam retuli *opusc. citato. dub. illo* 5. cuius doctrinam recipiunt communiter interpretes Dionysij in illud caput, S. Thom. Carthusianus, & alij.

Difficultas ergo est, an in Deo sit speciale attributum sanctitatis? In qua difficultate ex his, qui sua scripta typis mandarunt, vix aliquid potui colligere, quando in materia de Gratia, de hac controuersia tractaui. Modò autem, vt audio, non deest vnus, vel alter ex recentioribus, qui neget in Deo esse speciale attributum sanctitatis. Et potest probari, quia Deus per suam essentiam est Sanctus, cùm per illam sit liber ab omni inquinamento peccati, ac proinde infinitè mundissimus: ergo non eget perfectione nostro modo intelligendi superaddita essentiæ. Explicatur, quia sanctitas ipsa, quæ per se est talis, non potest esse sancta per formam superadditam, sicut neque albedo potest esse alba per aliam formam.

Secundò potest probari, quia non videtur idoneum fundamentum ad assignandum in Deo speciale aliquod attributum sanctitatis: nam quod Scriptura & Patres dicunt de sanctitate Dei, rectè possunt explicari de sanctitate essentiali.

Tertiò, quia gratia creata dicitur à Patribus & Scholasticis participatio diuinæ naturæ, & tamen si in Deo esset speciale attributum sanctitatis, potiùs gratia deberet dici participatio illius.

Quartò, quia non satis explicant autores, in quo consistat hoc sanctitatis attributum speciale: ergo videntur loqui de sanctitate essentiali.

Sed contraria sententia videtur esse Dionysij Areopag. *cap.* 12. *de diuinis nomin.* vbi de nomine *Sanctus* agit sicut de aliis, quæ nostro modo intelligendi significant prædicatum aliquod veluti superadditum diuinæ essentiæ: & eodem modo loquuntur ibi S. Thom. Carthusianus, & alij interpretes Dionysij; & S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art. vlt.* fecit mentionem sanctitatis diuinæ tanquam de perfectione speciali Dei. Et eodem modo loquuntur Patres & interpretes in varia loca Scripturæ, nempe *in cap.* 20. *&* 22. *Leuit. & in cap.* 6. *Isaiæ*, vt alia omittam; & Noster Cornelius *in cap* 20. *Leuit. vers.* 26. in sensu morali expressè docet, sanctitatem in Deo esse attributum ipsius. & postquam ego hanc doctrinam tradidi in materia de Gratia, hoc ipsum tradidere non pauci. Et quid sit hoc attributum in Deo, dicemus infrà.

Modò autem dicendum est, primam illam propositionem, de qua interrogatus sum, esse improbabilem, quia neque habet grauem autorem, neque argumentum alicuius momenti. Secundò existimo illam propositionem non carere temeritate aliqua: videtur enim contra communem sensum Doctorum, qui vel expressè tradunt, vel supponunt contrarium, præsertim, quia in hac materia magni momenti est autoritas S. Dionysij.

Et antequam ostendamus quid sit hoc attributum in Deo, oportet soluere argumenta adducta pro contraria parte.

Circa primum videndum est quo sensu Deus possit dici Sanctus per suam essentiam. Et aliqui variè philosophantur; nam qui putant attributa esse de conceptu essentiæ diuinæ, dicere possunt Deum

esse Sanctum per suam essentiam, quia Deus in sua essentia includit attributum sanctitatis. Hæc tamen doctrina de inclusione attributorum in essentia, refutata est à nobis in materia de Trinitate.

Alij verò qui putant attributa ante intellectum distingui aliquo modo ab essentia, dicere possunt Deum non esse Sanctum per suam essentiam, quia essentia non includit prædictum attributum, licèt possint concedere talem propositionem propter identitatem realem attributorum cum essentia.

Sed doctrina illa de distinctione formali ante intellectum attributorum ab essentia nobis displicuit in materia de Trinitate, & in præsenti contendimus explicare, an sit in Deo sanctitas ratione distincta ab essentia.

Et existimare posset aliquis, nomen sanctitatis non significare in Deo ipsam essentiam, sed aliquid per modum superadditi.

Pro huius autem rei explicatione notandum est in Deo esse aliqua prædicata, quæ conueniunt essentiæ secundùm se vt distinctæ ab attributis, & etiam ipsis attributis vt distinctis ab essentia. v.g. hoc prædicatum *viuens* conuenit essentiæ diuinæ, etiamsi non includat in suo conceptu formali attributa, est enim vita substantialis. Intellectio etiam, & volitio Dei, licèt non includant in suo conceptu essentiam diuinam, sunt prædicata vitæ. Alia verò sunt prædicata, quæ nostro modo intelligendi conueniunt essentiæ, quasi aliquid superadditum, vt prædicatum *Iusti*.

Existimo ergo prædicatum sanctitatis conuenire Deo sicut prædicatum vitæ, ita vt ipsa essentia diuina per se ipsam sit essentialiter sanctitas, quia per se ipsam est libera ab omni inquinamento peccati, quæ est definitio sanctitatis tradita à Dionysio suprà. Et præter hoc est sanctitas in Deo, quæ nostro modo intelligendi est quasi prædicatum superadditum ipsi essentiæ diuinæ, nempe prædicatum quod habet contrarietatem cum peccato, vt explicuimus in materia de Gratia, opusculo, & dubio citato, & dicemus infrà.

Et iuxta hæc respondendum est ad primum argumentum, nun inuoluere contradictionem, ob specialem causam concedere in Deo sanctitatem specialem, quæ est ipsa diuina essentia, etiam prout distincta secundùm rationem ab attributis, & sanctitatem superadditam essentiæ, sicut de vita dicebamus.

Ad secundum ex dictis potest intelligi magnum esse fundamentum in Patribus ad constituendum in Deo prædictum attributum sanctitatis.

Ad tertium secundùm nostram doctrinam dicendum est gratiam creatam habitualem dici participationem diuinæ naturæ, quia est participatio sanctitatis essentialis diuinæ: charitas autem creata est participatio sanctitatis, quæ in Deo est attributum, vt infrà explicabimus, licèt aliqui Scholastici senserint habitum charitatis, & gratiæ habitualis non distingui realiter. Fatemur etiam non solùm antiquos Scholasticos, sed etiam recentiores ante nos pauca de hoc attributo tradidisse. & ex his constat ad quartum.

DVBIVM II.

Quid sit in Deo attributum sanctitatis.

IN hac quæstione existimare posset aliquis, attributum sanctitatis in Deo esse perfectionem aliquam distinctam ratione ab essentia, & ab aliis attributis, quæ communiter cognoscuntur. Et facilè potest intelligi, distingui à prædicato misericordiæ & iustitiæ, propter diuersa obiecta, & similibus.

. Difficultas potest esse, an distinguatur à prædicato dilectionis, qua Deus diligit seipsum vt summum bonum. Et videtur distingui ab hoc prædicato, quia ratio sanctitatis videtur se habere per modum naturæ, & non per modum formæ vitalis, vt patet in sanctitate creata habituali. Et ita, si attributa in Deo distinguuntur ex natura rei ante intellectum ab essentia diuina, sanctitas esset quasi forma habitualis.

Secundò potest probari, quia nomen *dilectionis*, & nomen *sanctitatis* videntur diuersa significare, ex communi conceptione.

Tertiò, quia dilectio, seu amor in Deo respicit bonum amatum vt obiectum: sanctitas autem potiùs videtur respicere subiectum quod informat nostro modo intelligendi.

Nihilominus opusculo citato de Gratia docuimus, attributum sanctitatis in Deo esse amorem, quo Deus ipse se amat vt summum bonum. quam doctrinam plures recentiores postea probarunt, & potest explicari, quia sanctitas, vt sæpe diximus, est mundiries quædam opposita peccato; sed amor summi boni est ratio maximè opposita peccato: ergo per illam intelligitur Deus liber ab omni inquinamento malitiæ. Probatur minor, quia peccatum mortale dicit auersionem à summo bono, & conuersionem ad bonum finitum, vt constat ex his, quæ tradunt Doctores in materia de peccatis. Ergo conuersio ad summum bonum infinitum, e ratio opposita peccato, & malitiæ.

Et potest vlteriùs explicari ex doctrina multorum, quam retuli in materia de Gratia, asserentium actum charitatis creatæ supernaturalis habere vim sanctificandi, propter prædicata opposita prædicatis peccati. Ergo faciliùs hoc intelligetur de infinito amore Dei, quo seipsum diligit Deus vt summum bonum.

Et quidem autores qui negant, actum charitatis creatæ supernaturalem non esse in nobis sanctitatem formalem, mouentur, quia putant talem actum non habere infinitatem æqualem infinitati malitiæ peccati, vt retuli in materia de Gratia, *opuscul. de forma sanctificante*. Sed actus quo Deus seipsum diligit, maiorem habet infinitatem, quàm sit malitia peccati in suo genere: ergo ex prædicto capite negare non possumus, amorem quo seipsum diligit Deus, esse formalem sanctitatem.

Ea verò quæ in contrarium obiiciuntur facilem habent solutionem.

Ad primum respondeo, qui in Deo, nostro modo intelligendi, concipitur per modum actionis vitalis, posse etiam concipi vt formam contrariam peccato, modo à nobis suprà explicato.

Ad secundum respondetur, nomen *sanctitatis* absolutè sumptum latius patere, quàm nomen amoris; sed hoc non impedit, quòd dilectio qua seipsum diligit Deus, possit esse specialis sanctitas, iuxta doctrinam traditam: sicut de charitate creata multi philosuphantur, vt diximus.

Tandem notandum est, attributum in Deo posse dici quòd concipitur per modum actus vitalis, vt expressè tradidit Ægidius citatus dubio præcedenti.

DVBIVM

DVBIVM III.

An sit probabile quodlibet attributum Dei posse sanctificare naturam humanam vnitam Verbo diuino.

RElatiooe didici esse hoc tempore recentiores aliquos, asserentes naturam humanam vnitam Verbo diuino sanctificari per qnodlibet attributum diuinum; ita vt si per lmpossibile posset vniri vnl attrihuto, & non alteri; ab illn posset sanctificari. quæ doctrina vehementer displicet multis viris doctissimis huius ætatis.

Vt aotem rem explicemus, notandum est duobus modis posse intelligi prædictam opinionem; altero, si quis dieat, specialem rationem cuiuslibet attrihuti posse sanctificare naturam humanam, v. g. attrihutum *sapientia*, secundùm formalem rationem sapieotiæ: altero modo, si solùm velit quis, quodlibet attrihutum posse sanctificare ratione naturæ diuinæ, cum qua identificatur. Et quidem si hoc posteriori modo iotelligatur prædicta sententia, adhuc potest duohus mndis explicari: nam dici potest hoc habere attributum solum, quia est idem realiter cum diuinitate, & est verus sensus, licèt non sit formalis, & ldeo noo admittendus: vel quia dicitur essentia diuina includi ln quolihet attributo, de qno statim dieam.

Quod autem referebamus de ratione speciali sapientiæ, v.g. mlhi est omnino improbahile, quia formalis ratlo sapientiæ noo est ratio sanctitatis, quia ratio sapientiæ in quantum talis etiam infiuitæ, solùm dicit cognitionem infinitorum: ergo etiam in quantum infinita non sanctificat, qnia formaliter vt sapientia non opponitur peccato, sed ignorantiæ. Vlteriùs quod dicitur de inclusione vnius attributl in ratione formali alterins, mihi nòn probatur, & illud refutaui in materia de Trinit. Et si admitteretur talis opinio, ooo esset dicendum quodlibet attributum sanctificare, sed attributum sanctitatis inclusum in aliis. Et pro sententia in prlncipio relata non video probahile aliquod fundameotum vel autoritatis, vel rationls.

Sed posset aliquis dicere perfectionem infinltam cuiuslibet attributi dinini requirere inclusionem aliorum. Verùm, vt dixi, etiamsi hæc doctrina admitteretur, nnn esset dicendum quodlibet attributum sanctificare formaliter secundùm suam rationem, sed attrihutum sanctitatls inclusum. Et addendum est prædictam doctrinam de inclusione esse falsam: oam, vt ostendebam in materia de Trinit. iofinitas attrihuti, formaliter loquendo, solùm signlficat infinitam perfectionem intra proprium & peculiare genns; rectè autem potest intelligi absque infinitate alterlus attributi, v. g. rectè potest apprehendi infinitas saplentiæ absque vlla perfectione misericordiæ.

DVBIVM IV.

An attributum sanctitatis diuinæ sanctificet naturam humanam vnitam Verbo vt est formaliter attributum sanctitatis, vel solùm quatenus est idem realiter cum natura diuina.

IN hac difficultate refertor opinio asserentium speciale attrihutum sanctitatis vt tale est formaliter ooo sanctificare oaturam humanam, sed solùm vt ldem realiter cum natura diuina. Et potest probari, quia alia attrihuta non præbent effectum

A formalem specialis rationis; ergo neqne attributum sanctitatis. Aotecedeos probatut, quia sapientia Dei, v.g. non facit formaliter sapientem humanitatem Christi, neque voluntas Dei voleotem humanitatem, neque intellectus intelligentem humaoltatem formaliter.

Hæc tamen doctrina mihi vehementer displicet, & à multis reprohata est hoe tempore, & refutari potest, quia si natura diuina vnita humanitati potest illam sanctificate, vt concedunt autores opinionis relatæ; ergo attrihutum sanctitatis poterit etiam sanctificare voitum humanitati. Probatur consecutio, quia hoc attrihutum habet vim sanctificandi, & est vnitum humanitati, sicut natura diui-

B na: ergo eadem videtur ratio.

Secundò explicatur, quia gratia habitualls physicè vnita animæ sanctificat animam: ergo attributum sanctitatls physicè vnitum animæ poterit illam sanctificare, licèt non inhæreat illi tanquam accidens; sieut & natura dluina dicitur sanctificare humanitatem, licèt noo inhæreat illi sicut accidens; quod videtur manifestum, præsertim secundùm opinionem assetentium naturam diuinam habere vim sanctificandi naturam bumanam sibi vnitam, quæ oleo diuinitatis vncta euadit infinitè sancta, iuxta doctrinam Patrum, qoi habent sensum Christi, vt retuli in materia de Incarnat. & in materia de Gratia, *opusc. de forma sanctificante.* Ratio er-

C go contra priorem opinionem in eo coosistit quòd attrihutum sanctitatis vnitum est naturæ humanæ physicè, & secnndùm rem, neque est aliquid, quod impediat effectum formalem. quâ ratione vtuntur frequenter Theologi ad prohandum oaturam diuinam sanctificare naturam humanam Christi.

Ea verò, quæ pro contraria parte obiiciuntur, parum hahent efficacitatis, & soluenda sunt ah his, qui admittuor oaturam diuinam sanctificare oaturam humanam. Et coosiderandum est, an attributum sit aliquid ita peculiare, vt non pnssit tribuere effectum formæ vitalis, quia natura humana non intelligit nisi per formam à suo intellectu proceden-

D tem; secos autem est de effectu formali sanctitatis per modum formæ, & ideo natura diuina dicitur sanctificare naturam humanam, non per modum formæ vitalis, sed per modum formæ extrinsecæ, vnitæ tamen secundùm rem humanitati. Quod maximè considerandum est, iuxta doctrinam interpretum S.Thom. 3. *p. ad quæst.* 15. agentes de sanctificatione naturæ diuinæ sanctificantis naturam humanam; & *ad quæst.* 13. respondentes prædicto argumento, quo discipuli Scoti contendoot naturam dluioam noo sanctificare naturam humanam: & ita iam olim docui attributum sanctitatis posse sanctificate naturam humanam per modum formæ extriosecæ.

E

DVBIVM V.

An natura diuina magis sanctificet naturam humanam sibi vnitam, quàm relatio Verbi diuini.

ALiqul existimarunt, naroram dioinam non sanctificare natoram homanam Christi, sed sanctificationem ipsius formaliter oriri à relatione Verbi dioini: quam opinionem retuli agens de sanctificatione humanitatis Christi, in materia de Incarnat. & in materia de Gratiæ, *opusc. de forma sanctificante.*

Alij verò sentiunt humanitatem Christi oriri ab ipsa diuinitate, & à relatione Verbi diuini. Et probari potest, quia non solùm natura diuina, sed ipsa relatio Verbi est sanctitas formaliter.

Hæc autem doctrina dupliciter explicari potest; vno modo, si quis dicat relationem diuinam sanctificare, quia est idem secundùm rem cum diuinitate: altero, si quis arbitretur diuinitatem ipsam esse de conceptu formali relationis diuinæ, iusta opiniones, quas retuli in materia de Trinitate.

Dicendum tamen est prædictam sententiam priori modo intellectam posse habere verum sensum, si auctores illius solùm velint relationem, quæ est, idem realiter cum diuinitate sanctificare secundùm rem, quamuis non includat formaliter diuinitatem. & hoc nihil est aliud, quàm dicere, rem quæ est relatio, sanctificare.

In secundo autem sensu continetur falsa doctrina, quia, vt diximus in materia de Trinit. probabilius est relationem diuinam non includere in suo conceptu formali diuinam essentiam. Quòd si admittatur illa opinio de inclusione formali, & dicatur ratione diuinæ essentiæ relationem sanctificare, illa locutio non esset satis propria: *Relatio sanctificat sicut diuina essentia*; vel, *diuina essentia non magis sanctificat, quàm relatio.* Et, vt probauimus locis citatis, Patres sanctificationem humanitatis tribuunt diuinitatis oleo & vnguento. Fateor tamen prædictam opinionem recentiorum non mereri censuram aliquam, si non negetur diuinitatem sanctificare.

Ex dictis facilè est ferre iudicium de quinta propositione ab amico relata, quæ talis est: *Natura diuina non magis sanctificat humanitatem Christi, quam relatio.* Et iuxta doctrinam traditam circa propositionem quartam philosophandum est de quinta & sexta.

DVBIVM VI.

An sola relatio Verbi diuini sanctificet naturam humanam.

HOc dubium proponitur circa propositionem septimam suprà relatam; & intendimus explicare, an sola relatio sanctificet. nam de diuinitate, an sanctificet, vel non sanctificet naturam humanam, fusè diximus locis allegatis.

Solùm ergo contendimus explicare, an mereatur censuram asserere diuinitatem non sanctificare, & relationem Verbi sanctificare. Circa primam partem non desunt, qui existiment opinionem asserentium diuinitatem non sanctificare formaliter, nullam mereri censuram: eam enim doctrinam tradiderunt Scotus & eius discipuli, vt retuli locis suprà allegatis.

Aliqui tamen Doctores existimant sanctos Patres ita apertè docuisse, diuinitatem instar formæ sanctificare humanitatem Christi, vt absque temeritate aliqua negari non possit. Et quidquid sit de cēsura ista, ego existimo eam opinionem non solùm esse falsam, sed Patribus parum consentaneam, si attentè legantur, & sincerè considerentur quæ attulimus in materia de Incarnat. & opusculo citato.

Circa alteram verò partem de sanctificatione naturæ humanæ multi viri docti censent relationem Verbi instar formæ sanctificare, de quo diximus locis allegatis. Mihi tamen ea doctrina parum videtur probabilis, iuxta dicta.

Deinde propositio illa, qua dicitur relatio Verbi A sanctificare, non tamen aliquod aliud attributorum, mihi est omnino falsa, & improbabilis quoad secundam partem, propter doctrinam allatam. De priori autem parte iam diximus; & si solùm sit sermo de relatione ratione identitatis cum essentia, idem posset dici de quolibet attributo. Si verò sit sermo de relatione secundùm propriam rationem formalem, non est admittenda hæc doctrina, quia iam ostendimus secundùm talem rationem non esse sanctitatem.

Sed dicet aliquis vnionem hypostaticam naturæ humanæ immediatè factam esse cum relatione Verbi, & ratione relationis cum natura; & ita nostro modo intelligendi immediatiùs secundùm rationem B sanctificari naturam humanam relatione. Respondetur verum esse quod dicitur in antecedenti; nos tamen contendimus relationem formaliter non habere vim sanctificandi, neque ad hoc referre immediatam illam vnionem. Vbi aduerto mihi non esse probabilem ratiocinationem aliquorum recentiorum, qui putant relationem vt ratione distinctam ab essentia sanctificare, & naturam diuinam nullo modo.

Nona propositio suprà relata est hæc, *Non est probabilis opinio asserentium naturam diuinam sanctificare naturam humanam.* Et amicus quærit, an hæc propositio mereatur aliquam censuram.

Sciendum autem est quod sæpe admonere soleo, C censuram alicuius propositionis posse aliquando esse dignam censura. v.g. si quis dicat propositionem catholicam esse hæreticam, manifestum est, censuram esse hæresim: & eodem modo si propositionem aliquam probabilem habentem grauem rationem & Doctores, quis diceret esse improbabilem, planè ipsa censura esset improbabilis, & posset esse temeraria, seu scandalosa. Vnde, vt notabam opusculo contra errores Michaëlis Baij, Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt aliquas propositiones illius Doctoris propter censuras, quas tribuebat aliquibus propositionibus, vt in eo opusculo notabam.

Et iuxta hanc doctrinam, nonam illam propositionem relatam existimo non posse excusari à cen- D sura temeritatis; est enim contra multos Doctores scholasticos huius temporis absque vlla efficaci ratione; præsertim, quia illa opinio de sanctificatione naturæ humanæ per diuinam est maximè consentanea Patribus. legatur P. Vazquez 3. *p. tom* 1. *ad quæst.* 7. vbi grauissimè disputat de sanctificatione humanitatis Christi, de qua etiam nos diximus locis allegatis.

His mihi satisfecisse videor, Vir omnium eruditissime, pro mei ingenij munere, tuis de attributo sanctitatis disquisitionibus: breuiter hac in re meam aperui mentem, & quod ingenuè censeo in præsenti disceptatione sentiendum. Vtinam pro votis respondisse videar; ea tamen qualia qualia extiterint E lubens libénsque tuæ & doctissimorum hominum trutinæ expendenda submitto.

S. Thomas 1. parte, quæst. 25. de potentia Dei.

ARTIC. I. *Vtrùm in Deo sit potentia.*

Conclusio est affirmans.

ARTIC. II. *Vtrùm in potentia Dei sit infinita.*

Conclusio est affirmans.

DISPV

DISPVTATIO V. circa hos articulos, SCHOLASTICA.

DVBIVM I.

An potentia in Deo differat à ſcientia, & voluntate.

PONENDVM eſt in Deo non eſſe potentiam patientem, vt colligitur ex ſimplicitate, & immutabilitate Dei, de quibus ſuprà, *quæſt.* 3. *&* 9. Item ponendum eſt, quæſtionem eſſe de potentia ad producendum creaturam. Rurſus certum eſt, eſſe hanc potentiam in Deo, quia eſt principium producendi creaturas.

Vlteriùs cùm dicimus eſſe hanc potentiam in Deo verè, ſecundùm noſtram ſententiam, intelligendum eſt ita, vt neque ab eſſentia, neque ab aliis attributis diſtinguatur ex natura rei, ante operationem intellectus, iuxta doctrinam traditam infrà in materia de Trinitate: quærimus autem, quid ſit in Deo iſta potentia.

Aliquorum ſententia eſt, ſecundùm rationem eſſe aliquid diſtinctum ab actu intellectus, & voluntatis diuinæ: ita Durandus *in* 1. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. & ita Caietanus *in articulum* 1. videtur exiſtimare eſſe probabile, etiamſi oppoſitum iudicet probabilius, & magis conſentaneum doctrinæ ſancti Thomæ: & pro hac prima opinione citantur multi alij ex antiquis Scholaſticis à recentioribus, & vt veram ſequitur P. Suarez in Metaphyſicis *diſp.* 30. *ſect. vlt. num.* 47. *&* 1. *part. lib.* 3. *de attributis poſitiuis cap.* 9. *num.* 2. vbi docet contrariam non eſſe probabilem.

Et probari poteſt, primò ex ſancto Thoma hîc *art.* 1. *ad* 4. vbi potentiam videtur diſtinguere à ſcientia, & voluntate. Ratione probat Durandus, quia voluntas, & intellectus, non ſunt principium proximum rerum, bene tamen potentia. Probat primam partem, quia voluntas, & intellectus ſecundùm propriam rationem reſpicit non ſolùm obiectum creatum, ſed increatum; ergo ex propria ratione non eſt principium agendi.

Secundò, quia in Deo omnia attributa ſunt vnum aliquid ſecundùm rem, & ea diſtinguimus inſtar eorum, quæ in creaturis reperiuntur, in his autem potentia differt ab intellectu, & cognitione.

Communis ſententia eſt, in Deo præter ſcientiam, & voluntatem non eſſe potentiam aliam ratione diſtinctam: ita expreſsè ſenſit Scotus *in* 1. *diſt.* 37. *quæſt.* 1. Baſolis *in* 2. *diſt.* 8 *quæſt* 1. Ferrara 2. *contra gentes cap.* 10. Caietanus in hanc primam partem *ad quæſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 4. P. Vazquez hîc *diſp.* 102. *cap.* 3. P. Becanus 1. *parte tract.* 1. *cap.* 17. *quæſt.* 2. P. Molina *in articulum* 1. *diſp.* 2. P. Valentia in hac parte *punct.* 1. Explicat verò hanc ſententiam P. Vazquez, & alij ita, vt potentia includat ſcientiam, & voluntatem, & addit reſpectum principij, id eſt, dicit voluntatem vt efficacem.

Deinde P. Vazquez notat, duo eſſe oſtendenda ad explicandam hanc quæſtionem, vnum eſt, ſine idoneo fundamento aſſignari in Deo potentiam diſtinctam à voluntate, & ſcientia: alterum eſt, quomodo ſcientia & voluntas ſint potentia.

Primum illud probatur, quia in Angelis non videtur illam cognoſcere autores, ex Ariſtotele 3. *de anima cap.* 10. qui in anima non videtur agnoſcere potentiam motiuam ipſi inhærentem, præter intellectum, & voluntatem, quod fuſiùs perſequitur P. Vazquez *cap. illo* 3.

Secundò ſpeciatim probatur de Deo, quia hoc requirit perfectio illius voluntatis diuinæ, aliàs per ſe non eſſet efficax, ſi egeret potentia alia executrice: de voluntate autem Dei philoſophandum eſt perfectiori modo quo poſſimus; magis ergo conſentaneum eſt rationi, agnoſcere, voluntatem Dei per ſe ipſam eſſe executricem potentiam creaturarum producendarum.

Alterum eſt, an intellectus, & voluntas, pro potentia, vel earum operatio, ſit potentia executrix in Deo? Quæſtionis cauſa eſt ex vna parte. nam potentia Dei ex vna parte debet eſſe neceſſaria, ita vt Deo non poſſit contingenter conuenire, & tamen ſcientia, & volitio non eſt neceſſaria. quod patet in volitione efficaci rerum, quæ non poſſet non eſſe in Deo vt talis eſt volitio. Ex altera parte, potentia eſt proximum principium agendi, & hoc eſt in Deo volitio actualis.

P. Molina *in articulum* 1. *diſp.* 2. docet primò, intellectum, aut voluntatem Dei, ſub ratione potentiæ intellectiuæ, aut appetitiuæ, non eſſe potentiam exequentem in Deo, quia non eſt talis potentia principium immediatum rerum ad extra. Secundò docet volitionem ipſam actualem eſſe potentiam Dei; & probat primò ex variis locis Scripturæ, ex quibus ſolùm colligitur Deum liberè, & voluntariè operari ad extra.

Deinde ratione, quia non aſſignatur in Deo aliud, quod maiorem habeat rationem principij immediati; ſecundò, quia dato actu efficaci voluntatis, & per impoſſibile, ſecluſa qualibet alia virtute, ſequeretur effectus creatus, quia eſſet efficax cauſa illa.

P. Vazquez *diſp. citata cap.* 4. aliter philoſophatur, docet enim potentiam in Deo includere ſcientiam actualem, & facultatem volitionis, non voluntatem actualem. Primam partem explicat de ſcientia in actu ſecundo, & intelligit de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, nam ſcientia viſionis eſt poſterior rebus futuris, iuxta dicta *ad quæſtionem* 14. Addit voluntatem ſine iſta ſcientia non intelligi ſufficientem potentiam, quia non intelligitur in actu primo ſufficiens ſine directione intellectus.

Secundam partem declarat, quia potentia ita debet aſſignari, quantum fieri poſſit, vt ex natura rei inſit operanti; & quia hæc potentia debet conſtitui in Deo, etiamſi nihil vellet producere; ita verò philoſophatur P. Vazquez, vt obſeruet duo, nempe vt aſſignet principium quod propinquiùs poteſt operari, & vt potentia conſtituatur in Deo. Addit P. Vazquez, huic potentiæ addendam eſſe actionem immanentem, per quam proximè operetur omnia creata, quod eſt decretum efficax.

Sed obiicit Baſilius Legionenſis 1. *variarum quæſt.* 8. *cap.* 6. Solus eſt contra P. Vazquez, quòd actus intellectus non eſt de ratione omnipotentiæ, quia licèt voluntas ſine illo non poſſit operari; ex hoc tamen non colligitur pertinere ad rationem potentiæ, ſed ſolùm quòd ſupponatur, ſicut actus cognitionis ſupponitur neceſſariò ad actum appetitus.

Sed hæc obiectio facilem habet ſolutionem, ſi intelligatur mens P. Vazquez, nam ſuprà *diſput.* 81. *cap.* 2. expreſsè docet voluntatem eſſe propinquiorem cauſam rerum, quàm intellectum, & intellectum eſſe remotam; & in fine capitis docet, quòd

cùm in Deo detur facultas exequeodi distincta ab intellectu,& voluntate,voluntas est causa proxima; cùm ergo in hac disputatiooe docet omnipotentiam includere scientiam, & voluntatem , ita est intelligendus,vt non concurrat vtrunqne principium eodem modo,sed intellectus vt remotum, & voluntas vt proximum,& cùm docet scientiam poni ad constituendam potentiam, non intelligit tanquam formam , per quam proximè operetur voluntas, aliàs non diceret voluntatem esse propinquius principium operandi:negari autem noo potest , actionem intellectus dirigeotis esse principium remotum actionis externæ Dei , & ita licèt actio illa intellectus supponatur ad voluntatem ; tamen respectu effectus censetur principium efficiens, vt dirigens, & hoc volunt qui dicunt omoipotentiam esse voluntatem supposita cognitione.

Secuodò obiicit , hoc attributum esse diuersum ab aliis. Respondeo verum esse : intelligendum tamen iuxta dicta.

Tertiò obiicitur, qnia distingunotur attributa ex commutatione creaturæ obiecti , seu effectus; ergo omnipotentia est diuersum attributum. Respondeo , concedendam esse consequutionem in sensu dicto , nam intellectus respicit obiectum vt verum , voluntas vt bonum , omnipotentia vt non implicans contradictionem.

Item obiicitur,voluntatem esse principium actionis immanentis; verùm licèt in nobis ita sit,tamen in Deo confundimus , propter suam perfectionem esse efficacem , etiam actionis externæ , transeuntis medio actu immanenti.

Sed potest aliquis quærere causam , ob quam ipsa actio voluntatis diuinæ non dicatur potentia cum scientia actuali , siquidem actio illa vt necessaria semper est in Deo,& aliàs propinquius attigit effectum , quàm facultas ipsa voluntatis. Respondeo: certè ex parte necessitatis noo impediret quominus intellectus diceretur potentia , licèt vt liber commutaret respectum ad obiectum futurum ; ex alia verò parte videtur obstare , quia Deus non est potens quia vult , sed quia est , vt docuit sanctus Thomas *art.5.ad 7.in fine.*

Addendum est , affectum simplicem , qno Deus diligit creaturas possibiles , non posse pertinere ad potentiam Dei , qnia ille non terminatur ad res iam existentes formaliter , sed respicit res etiam nunquam futuras : item quia talis affectus simplex in Deo non est principium affectus efficiens in ipso Deo , sicut potest esse in nobis , vt notat P. Vazquez *suprà.*

Ad argumenta Durandi respondendum est ; ad testimonium sancti Thomæ respondetur , nobis potiùs fauere , vt legenti constabit. Ad primam rationem respondetur,illam solùm probare, intellectum, & voluntatem Dei , secundùm suas rationes latiùs patere , & plura complecti , quàm sub ratione potentiæ exequutricis. Ad secundum concedendum est , ex creaturis philosophandum esse à simili in Deo , seclusa perfectione quæ debetur naturæ diuinæ.

Deinde potest obiici ; nam potentia est quoddam speciale attributum : ergo distinctum secundùm rationem ab intellectu , & voluntate , sine assensu & volitione. Respondet P. Vazquez *cap.4. in fine* , mirum non esse , si hoc attributum includat intellectum , & voluntatem diuerso modo , vt explicatum est , cùm non possit ad extra operari , nisi in quantum vult.

Item potest obiici hoc modo , Deus non est po-A tens , quia scit ; ergo scientia non pertinet ad potentiam,sed potiùs scit omnia, quia est omnipotens, & cognoscendo suam omnipotentiam , cognoscit omnia. Sed P. Vazquez *cap.5 in fine*, respondet, Deum non esse scientem , quia est omnipotens. nam suprà *ad quæstionem* 14. probat , Deum non intueri omnia in sua omnipotentia , sed in ipsa vt expressa specie: & addit , potiùs esse è contrario dicendum , omnipotentem esse , quia scit omnia : & ex dictis facilè est soluere quod P. Suarez obiicit pro sua sententia in metaphysica distinctione citata.

Circa hoc verò de ordine omnipotentiæ , cum scientia,& voluntate, P. Vazquez rectè philosophatur iuxta sua principia , de attributo potentiæ ; se-B cundùm opinionem verò eorum , qui assignant potentiam distinctam secundùm rationem ab intellectu, & voluntate, dicendum est essentiæ Dei immediatè sequi potentiam intellectiuam , & statim voluntatem;tertiò tandem intellectum, vt dicit P. Vazquez *disp.* 81. *cap.* 2. & iuxta hæc possunt explicari varia Doctorum placita, qui secundùm diuersas opiniones philosophantur.

Hic posset disputari , an essentia Dei habeat aliquem concursum ad extra vt obiectum, respectu visionis beatificæ distinctum à concursu omnipotentiæ ; sed de hoc suprà *quæstione* 12. vbi etiam est explicandum, an relationes personales habeant peculiarem concursum obiecti.

C Deinde P. Vazquez *cap. vlt.* obseruat nonnulla; vnum est , actiones immanentes intellectus , & voluntatis diuinæ , non esse actiones, quibus producitur creatura, sed potiùs se habere vt principium externæ operationis. Item obseruat ex S. Thoma *art.1. ad 4.* scientiam , & voluntatem esse potentiam Dei, quatenus sunt principia rerum ; alia etiam notat facilia.

Dubium II.

An potentia Dei sit infinita.

ERrant hac ætate Bostrei Caluinistæ, existimantes potentiam Dei non esse infinitam ; probant, D quia non extenditur ad impossibilia. hunc errorem refert P. Becanus 1. *parte cap.* 5. *num.* 8. & *cap.* 17. *quæst.*3.

Sed res est de fide , & certa apud Catholicos , licèt non omnes eodem modo explicent illam;& circa rationem qua probatur , Dei potentiam esse infinitam, magna est dissensio. Et primò S. Thomas infrà *q.* 45. *art.* 5. *ad* 3. probat ex creatione hoc modo, vt agens educat effectum ex aliqua potentia subiecti, requiritur aliqua virtus ; ergo facere sine subiecto erit necessariò infinita. hunc sequuntur discipuli S. Thomæ *ad eam quæstionem* 45. & fusè circa eam disputant.

Eam verò impugnat Scotus , & Durandus infrà E citandi , quia inter nihil , & ens non est distinctio infinita , quia nihil solùm exceditur ab ente , ratione entitatis, quæ tamen est finita. legatur P. Vazquez *disp.* 277. *cap.* 1. & res est ex instituto examinata in materia de creatione.

Secundò probant alij ex Aristotele 8. *Physicorum, text.* 10. & 12. *Metaphysicorum cap.* 7. vbi probat infinitatem primi motoris ex infinito tempore quo mouet; sed, vt docuit Scotus & alij, hæc infinitas solùm est secundùm durationem ; nos verò agimus de alia infinitate: contendit tamen Scotus probare infinitatem virtutis, ex eo quòd primus motor moueat à se , hic enim modus est proprius Dei ; verùm ad hoc impertinens est mouere infinito tempore, quia etiam si

etiamsi finito tempore moueret, idem esset; sed hoc A genus infinitatis potius pertinet ad essentiam Dei, quàm ad eius potentiam, essentia enim dicitur infinita, quia non pendet ab alio, vt suprà *disp.* 25. explicat P. Vazquez; hic verò disputamus de infinitate propria potentiæ vt potentia est.

Tertia ratio est Durandi *in* 1. *dist.* 43. *quæst.* 1. qui probat potentiam Dei esse infinitam, quæ vel producit infinitum simul, vel potest successiuè producere. Sed hæc ratio calumniam patitur, quia si Sol fuisset ab æterno, posset successiuè vnum post aliud producere, & multi putant generare infinita numero saltim diuersa. legatur Gregorius *in* 1. *dist.* 43. *quæst.* 3. *art.* 1. qui pluribus modis contendit explicare huius potentiæ infinitatem. Recentiores etiam B nonnulli plures rationes afferunt, & contendunt non esse efficaces.

P. Vazquez *disp.* 103. vt rem explicet, *cap.* 2. contendit explicare prius, quænam sit infinitas de qua agimus hîc. Et primò quidam putant in Deo esse infinitatem potentiæ, vel alterius attributi, quòd quodlibet includatur in aliis, & alia includat; sed hoc falsum esse probauimus in materia de Trinitate; mitto alios modos explicandi infinitatem, & dicendum est nos quærere infinitatem ex obiecto, hæc est enim proprium potentis vt potentia est, sicut intellectus dicitur infinitus in genere intellectionis, quia cognoscit quidquid cognoscibile est, & eo modo quo est cognoscibile. C

Dicendum est ergo esse in Deo potentiam infinitam, quia est essentia infinita, & eius potentia debet esse infinita, iuxta exigentiam essentiæ nostro modo intelligendi, qua ratione vtitur S. Thomas.

Alij probant ex eo quòd species rerum sunt infinitæ, & Deus potest aliam, & aliam perfectiorem producere sine termino, quod non posset facere si esset finita; & mihi placet hæc ratio, quam etiam amplectitur P. Vazquez *disp. citata, cap. vlt. in fine*, licèt dubitent aliqui, an sint possibiles infinitæ species rerum, essentialiter differentium.

Probat item P. Vazquez, & alij, ex eo quòd motus potest crescere in velocitate magis ac magis, & Deus D potest velociùs, & velociùs illud mouere, quod non posset si potentia esset finita. Infinitas hæc alio modo potest declarari, quia, vt infrà dicemus, habet pro obiecto quidquid possibile est, seu quod non implicat contradictionem; ergo in genere potentiæ infinitatem habet, qualis est in obiecto.

Sed est quædam obiectio, quia si esset in Deo potentia infinita ad mouendum, non solùm posset mouere per medium velociùs atque velociùs, sed velocissimè, atque in instanti, sicut Aristoteles 8. *Physicorum, cap* 10. probat, in corpore non posse reperiri virtutem infinitam ad motum localem, quia sequeretur posse moueri in instanti, quod est impossibile; hæc ergo ratio videtur probare non posse esse in E Deo talem virtutem.

Variè solet hoc argumentum solui, de quo legi potest P. Vazquez *disp. citata, cap. vlt.* Breuiter dicendum est cum S. Thoma *art.* 2. *ad* 3. P. Suarez & aliis, eam rationem habere vim in corpore, quia esset agens naturale, & naturaliter produceret omnem effectum; Deus tamen liberè operaretur, & vt sit potentia infinita, satis est si possit velociùs, & velociùs moueri sine termino.

Restabat explicandum, an possit Deus mouere corpus in instanti? & potest quæstio esse de motu continuo & discreto, & rés pertinet ad Philosophiam, & disputari solet ab Scholasticis in materia de beatitudine corporis gloriosi. legatur P. Soarez *tom.* 2. *in* 3. *partem disp.* 48. Salas *tom.* 1. *ad* 1. 2. *quæst.* 5. *art.* 5. *tract.* 2. *disp.* 14. *sect.* 18. & Ægidius *tom.* 3. *de beatitudine lib.* 5. *quæst.* 5. *art.* 4. & 5.

Ex dictis potest facilè solui argumentum Bostrei Caluinistæ relatum in principio, quia ad infinitatem potentiæ, in genere potentiæ, solùm requiritur vt habeat obiectum infinitum; repugnat verò potentiam factiuam posse attingere impossibile, quod fieri nequit; vnde delirat stultus hæreticus.

ARTIC. III. *Vtrùm Deus sit omnipotens.*

Conclusio est affirmans.

ARTIC. IV. *Vtrùm Deus possit facere quòd præterita non fuerunt.*

Conclusio est negans.

ARTIC. V. *Vtrùm Deus possit facere quæ non facit.*

Conclusio est affirmans.

ARTIC. VI. *Vtrùm Deus possit facere meliora ea quæ facit.*

C PRima conclusio est, Deus non potest facere rem meliorem secundùm essentiam. Secunda conclusio, Deus potest facere rem meliorem secundùm accidentia. Tertia conclusio, Deus potest facere rem meliorem secundùm essentiam qualibet re producta in infinitum.

DISPVTATIO VI. circa hos articulos, SCHOLASTICA.

DVBIVM I.

An Deus sit omnipotens.

D



CERTVM est de fide, Deum esse omnipotentem, quæ colligitur ex Scriptura, & Patribus frequenter dicentibus hanc veritatem, & habetur in Symbolo, *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem.* Genesis 17. *Ego sum Deus omnipotens.* Matthæi 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quomodo verò Abaylardus, & VVicleph errarint circa omnipotentiam, dicemus infrà, & refert P. Vazquez *disp.* 106. *cap.* 3.

Difficultas verò solet esse, an ratione naturali possit demonstrari, Deum esse omnipotentem, de E quo in Metaphysica solet disputari, & aliquid docet P. Vazquez *disp.* 104. *cap.* 1.

Nobis verò explicandum est, qua ratione Deus dicatur, & sit omnipotens? Gabriel *in* 1. *dist.* 43. *quæst.* 1. docet, potentiam Dei vocari omnipotentiam, quia potest omnia possibilia; vocat verò possibilia, non quia ex se antequam referantur ad ipsam omnipotentiam sint possibilia, sed quatenus cum ea operantur; censet verò, non esse absurdum, potentiam per possibile, & possibile per potentiam, definiri.

Sed hunc modum explicandi omnipotentiam refutat S. Thomas *artic.* 3. & meritò, quia hoc modo committitur circulus inutilis in definitione omnipotentiæ; idem enim est dicere, potentiam esse quæ potest

potest facere possibile, & possibile est, quod potest fieri à potentia, vnde natura potentiæ manet incognita, cùm definitio debeat ad explicandam rei naturam, de qua fusè dixi in Logica, *cap. de specie, & cap. de relatione, & lib. de anima*, vbi ex instituto probaui, nunquam in definitione esse admittendum circulum, & vitium hoc repetitionis eiusdem, ex qua manet definitum incognitum; & probatur ex Aristotele 5. *Metaphysicorum cap.* 15. vbi explicatis, quo pacto aliqua dicantur referri ad alia, quia alia ad ipsa, ait, mensurabile, scibile & intelligibile, eo quòd aliud ad aliud dicatur, & subiicit rationem, nam intelligibile significat quod eius est intellectus; non est autem intellectus ad aliud, cuius intellectus est, idem enim profectò bis dictum esset, B id est, non refertur intellectus ad intelligibile vt sic, quia committeretur repetitio, & negatio, & ita dicunt visus non ad visibile, sed ad colorem, vel quidpiam rale, quod fusiùs persequitur P. Vazquez, & ego fusè dixi *locis citatis*, impugnauíque solutionem aliorum, & docui, vnum relatum non terminari ad aliud vt relatum formaliter, in nullaque definitione esse admittendum circulum, secundùm veram doctrinam topicam.

Iuxta hanc ergo doctrinam dicendum est, potentiam non definiri per possibile, ob dictam rationem; quomodo verò sit explicanda, dicemus infrà.

Deinde Scotus *in* 1. *dist.* 43. *quæst. vnica*, docet, po- C tentiam Dei duobus modis posse considerari, vno vt est in se absoluta, & hoc modo non est omnipotentia per respectum ad creaturas possibiles: altero modo, quando creaturæ dicuntur possibiles respectu omnipotentiæ, & hoc modo ipsa dicitur talia per respectum ad creaturas ipsas, & iuxta hanc doctrinam non incidit Scotus in circulum suprà dictum, quia censet creaturas quas omnipotentia dicit per respectum esse possibiles, non per ordinem ad ipsam omnipotentiam, sed ad intellectum diuinum cognoscentem illas.

Notat autem P. Vazquez *cap.* 1. plures existimasse, hanc opinionem dignam esse censura graui, quatenus ponit per intellectum diuinum creaturas acqui- D rere aliquod esse diminutum, quem tamen explicat, & à censura excusat *ibi, & disp.* 70.

Nihilominus sententia Scoti quantum ad præsentem disputationem attinet probanda non est, quia sicut res non sunt futuræ, quia cognoscuntur scientia visionis, sed potiùs cognoscuntur quia sunt futuræ, de quo suprà *ad quæstionem* 14. ita res non sunt possibiles, quia cognoscuntur, imò ideo cognoscuntur possibiles, quia re vera non implicant contradictionem, potentia enim cognoscitiua supponit suum obiectum.

Dicendum ergo est cum sancto Thoma *art.* 3. res quæ sunt obiectum omnipotentiæ, non esse possibiles quatenus referuntur ad ipsam omnipoten- E tiam, vel ad intellectum, sed quatenus ex se, & ex natura sua, non implicant contradictionem, & ita omnipotentia non dicitur omnipotentia, quia possit facere omnia possibilia, sed quia potest facere, quidquid non implicat contradictionem.

Et explicari potest tum ex refutatione aliarum opinionum, tum à simili de aliis obiectis, color enim ex se talis est vt possit visus versari circa illum. quam doctrinam tradit Henricus *quodlibeto* 6. *quæst.* 3. & P. Vazquez fusè explicat *cap. illo* 4. Nonnulla alia dicemus dubio sequenti, quæ conducunt ad exactam notionem naturæ omnipotentiæ.

Aliqui disputant, an ad rationem omnipotentiæ requiratur, vt Deus se solo possit facere, quidquid potest cum causis secundis; & certè in multis materiis sentiunt viri docti, Deum non posse facere se solo effectum quem potest cum creatura, quod de aliquibus effectibus vitalibus multi putant, de quo modò non disputo, pertinet enim ad plures materias. Solùm affirmo ad rationem omnipotentiæ satis esse si Deus possit facere quidquid non implicat contradictionem; speciatim verò in qualibet materia explicatum est, an hoc, vel illud implicet contradictionem; item solet obiici, ad probandum Deum non esse omnipotentem, quòd non possit peccare, aut mentiri.

DVBIVM II.

Quomodo omnipotentia referatur ad creaturas.

Explicare oportet, quomodo non ens pertineat ad obiectum omnipotentiæ; & sanctus Thomas variè videtur loquutus. nam *art.* 3. solùm videtur excludere ab obiecto omnipotentiæ id, quod implicat contradictionem, id est, simul esse, & non esse; & 1. *contra gentes, cap.* 22. ratione secunda dixit omnipotentiam referri ad omnia quæ rationi entis non repugnant: & tamen *in* 2. *dist.* 42. *quæst.* 2. *art.* 2. *& quæst.* 1. *de potentia, art.* 3. docuit illud quod potest habere rationem entis, vel non entis, esse obiectum omnipotentiæ, & id solum esse extra illum, quod implicat contradictionem.

Caietanus *in articulum* 3. docuit omnipotentiam Dei referri ad ens, & ad non ens, diuerso tamen modo, circa ens producendo illud, circa non ens non producendo illud; sed licèt hoc sit verum, adhuc doctrina sancti Thomæ eget explicatione.

Et ideo P. Vazquez *cap.* 5. obseruat, non ens duobus modis posse dici, alterum vt dicit id, quod nullam habet essentiam, sed implicat contradictionem, & circa hoc non versatur omnipotentia; altero, vt solùm dicit non ens, sumpta denominatione à negatione existentiæ, & circa hoc versatur omnipotentia, non per actionem, sed per negationem actionis, & iuxta hanc doctrinam explicanda sunt loca dicta sancti Thomæ.

Notat vlteriùs P. Vazquez posse dici omnipotentiam versari circa non ens, quod implicat contradictionem, eo sensu, quo visus dicitur versari circa tenebras, quia non potest illas attingere; ita omnipotentia circa id quod implicat contradictionem, non per creationem, neque per annihilationem, quia est in omnipotentia negatio circa tale non ens.

Vlteriùs obseruanda sunt nonnulla, vnum est ex doctrina tradita, posse definiri omnipotentiam sine circulo, per ordinem ad id quod non implicat contradictionem. Item ex doctrina tradita potest explicari Anselmus *lib. de casu diaboli, cap* 11. vbi docet, ideo aliquid esse possibile, quia ab alio fieri potest, quod debet intelligi de possibili absolutè sumpto, pro eo quod non implicat contradictionem. Rursus nomine *entis* in hac materia intelligi quod non implicat contradictionem ens creatum, non tamen essentiam diuinam, aut personalitates eius, loquimur enim de omnipotentia quæ est attributum Dei, & in qualibet persona reperitur.

Præterea notandum est cum Henrico *quodlibet.* 6. *quæst.* 3. impossibile absolutum, & in se esse prius, quàm referatur ad diuinam omnipotentiam, quia ex

ex se est tale, & ideo fieri nequit ab omnipotentia diuina; sicut de possibili absolutè suprà diximus, ex se esse tale absolutè antequam referatur ad omnipotentiam.

Restat explicandum, an omnipotentia dicat realem ordinem ad creaturas. Ponendum est ex dictis *circa quæstionem* 13. in Deo nullam esse posse relationem realem ex tempore ad creaturas; item nulla est relatio realis in ipso, quæ possit adesse, & abesse, iuxta dicta *ad quæstionem* 19. Difficultas ergo esse potest de relatione necessaria quam dicit Deus ad aliqua obiecta, v.g. scientia simplicis intelligentiæ ad res possibiles, vel relatio omnipotentiæ.

Est ergo aliquorum recentiorum opinio asserentium, esse in omnipotentia Dei relationem realem ad creaturas possibiles, & loquuntur de relatione transcendentali, vt distinguitor à prædicamentali, de qua distinctione dixi ad caput de relatione; & probant, quia omnipotentia vt talis, non potest intelligi sine tali ordine; ergo est de essentia illius, & tamen non est ordo prædicamentalis, quia hæc requirit terminum existentem. Item quia aliàs creaturæ in Deo non viderentur ex vi visionis; rursus, quia Verbum non procederet ex cognitione creaturarum possibilium, quod est contra sanctum Thomam.

Hanc verò sententiam refutat P. Vaxquez *disp. citata cap.6*. Primò, quia ex antiquis Schoiasticis nullus ita sensit. nam quod aliqui nominales docent Deum referri ab æterno ad creaturas, non de relatione reali in ipso existenti intelligunt, sed de relatione rationis, aut denominatione extrinseca, & nullam esse in Deo realem relationem, docet S. Thomas suprà *quæst.13.art.7. & 2. contra Gentes, cap.12.* & in hæc loca Thomistæ, Scotus *in 1.dist.30.* Capreolus *quæst.1.art.11.* Deza *ibi art.1.* P. Suarez *1.part.libr.3.de attributis Dei positiuis, cap.9.num.12.* P.Vazqoez *disp.citata,cap.6.* Basilius Legionensis in variis *1.part.quæst.8 scholastica,cap.8.* & alij communiter: expectandum autem est hos autores vel expressè negare omnem relationem etiam transcendentalem, vel ita loqui, vt in Deo non agnoscant relationem realem ad creaturam, sed sentiunt Deum referri ad illam, quia creatura refertur ad Deum.

Deinde hanc veritatem probant aliqui ex eo quòd sit imperfectio in Deo, potentiam suam ordinari, & quasi specificari ab obiecto, quod mihi videtur verum. Sed P. Vazquez hoc probat efficaciter ratione quam indicat Scotus; quia ordo qui per suam essentiam respicit terminum, ex natura sua respicit illud, & ab eo ita pendet, vt vtraque sit æqualis necessitas, aliàs non esset suum esse ad terminum; & tamen essentia & potentia Dei maioris necessitatis est, quàm esse creaturarum; ergo nullum habet ordinem realem ad illas.

Et quòd sit magis necessarium Deum esse, probat P. Vazquez, quia creationes nõ essent possibiles nisi Deus esset primum ens, & propter vnumquodque tale, & illud magis tale. Item probari potest, qnia magis falsum videtur dicere Deum non esse, quàm creaturam non esse possibilem, iuxta doctrinam sancti Thomæ *quæst.2.art.3.* Item, quia per locum intrinsecum non videtur sequi, si non esset possibilis equus, non esset possibilis Deus.

Item hanc maiorem necessitatem soleo ego explicare ex eo quòd Deus est ens necessariũ actuale, & tamen creatura solùm est necessariò possibilis; vnde non est admittendum, quod docuit P. Suarez suprà *num.13. & lib.9. de Trinitate cap.6.* creaturam possibilem esse ita necessariam sicut Verbum diuinum, quod per se videtur absurdissimum: neque video quomodo P. Suarez, & quidam alij possint negare transcendentalem ordinem omnipotentiæ ad creaturas, nisi concedatur, vt re vera concedunt, omnipotentiam talem habere connexionem cum creatura possibili, vt si illa non esset possibilis per locum intrinsecum, sequeretur Deum non esse.

Et quòd Deus sit ens magis necessarium, colligitur ex eo quòd Scholastici ob hanc rationem negant Dei ad creaturas relationem realem. ita Henricus *quodl.8. quæst.3.* Sotus *in 1.dist.43. quæst.vnica.* Licherus *in 1.dist.30.quæst.vnica.* Gerardus Senensis ex familia Augustiniana *in 1. dist.30. quæst.1. art.1. in fine.* Basilius Legionensis *1.tomo variarum, relectione 5.* vbi vehementer laudat, explicat, & probat doctrinam P. Vaxquez.

Sed aliqui existimantes, in omnipotentia esse realem relationem transcendentalem ad creaturam, respondent, si equus nõ esset possibilis, sequi Deum non esse, neque alias creaturas esse possibiles, neque hoc esse aliquod absurdum: quod tamen refutat P. Vaxquez *loco citato.* quia vt Deus sit omnipotens, non postulat hanc, vel illam creaturam esse possibilem, sed solùm requiritur quòd possit facere, quidquid non implicat contradictionem, vt constat ex dictis, vnde cùm supponimus aliquid implicare contradictionem, nihil supponimus contra Dei omnipotentiam.

Explicat etiam à posteriori, quia magis falsum est asserere, Deus non est, quàm dicere, homo non est possibilis. nam, vt docuit Aristoteles *4. Metaphysicorum, textu* 18. inter ea, quæ implicant contradictionem, vnum est magis falsum, quàm aliud; & hanc doctrinam videtur manifestè sequi ex communi sensu Scholasticorum agnoscentium maiorem necessitatem in Deo, quàm in creaturis, quod infrà ampliùs explicabitur.

Ad primum contrariæ sententiæ respondetur, omnipotentiam in se esse absolutam, licet à nobis non concipiatur sine ordine, quod sæpe contingit, propter nostrum modum imperfectum cognoscendi. Secundum pertinet ad quæstionem 12. Tertium pertinet ad materiam de Trinitate, in qua docuimus, Verbum non procedere ex cognitione creaturarum possibilium in quarto modo dicendi per se.

In fine huius dubij placet notare nonnulla circa doctrinam aliquorum recentiorum, qui nostram, & communem sententiam sequuntur, docentes in omnipotentia non esse realem aliquem ordinem ad creaturas; & probant, quia in creatis non est relatio aliqua realis, vel prædicamentalis, vel transcendentalis; sed hoc in Philosophia refutatum est. Aliis etiam rationibus vtuntur, quæ falsam, vel difficilem continent Philosophiam.

Item probant, quia si talis relatio esset in omnipotentia, non posset probari, non esse in Deo relationem prædicamentalem ad creaturas futuras; sed hæc ratio quæstionem innoluit dubiam, de qua agendum est infrà ad quæstionem 13. Item probat, quia si tales relationes essẽt in Deo, quis videret Deũ respicere necessariò illas, quod non potest dici. Sequela probatur, quia videretur Deus sub omni respectu ad creaturas omnes. Hoc argumentum difficultatem inuoluit, de qua Doctores in materia do visione suprà ad quæstionem 12. & contra aliquoa Doctores secundùm communem doctrinam potest habere multum efficacitatis; ab aliis verò non improbabiliter soluitur. Mihi sanè semper visum est difficile, velle inferre cognitionem Intuitiuam termini,

mini, ex cognitione intuitiua relationis, siue sit A transcendentalis, siue prædicamentalis.

Dubium III.

An si creaturæ non essent possibiles, maneret in Deo intrinseca perfectio omnipotentia.

Hoc dubium proponitur ad explicandam independentiam potentiæ Dei respectu creaturarum. Aliqui Theologi in materia de Trinitate, vt defendant Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium, concedunt duo, alterum est creaturas possibiles esse æqualis necessitatis cum omnipotentia Dei; alterum quòd si per impossibile B creaturæ non essent, Deus non haberet perfectionem, quæ modò dicitur omnipotentia.

Explicari potest hæc sententia argumentis, quibus probari solet sententia asserentium Verbum procedere ex cognitione possibilium in quarto modo dicendi per se, de quibus diximus in materia de Trinitate.

Deinde probari potest argumentis, quibus probatur opinio asserentium creaturas posse cognosci à Verbo ex vi huius omnipotentiæ, de quibus Doctores suprà ad quæstionem 12.

Quartò item probari potest, quia si non est obiectum, non potest poni potentia, vt patet in rebus creatis.

C Quintò explicatur, quia si nibil esset producibile; ergo Deus non esset producturus, quia vnum sine alio vix potest intelligi, nedum esse.

Sextò probatur, quia facta suppositione, totum quod remanet extra Deum tale est, vt implicet contradictionem; ergo nihil est respectu cuius dicatur Deus potens.

Septimò, quia in eo euentu Deus non esset producibilis creaturarum, quod est prædicatum reale in Deo; ergo aliquid illi deficeret.

Octauò probari potest, quia Spiritus sanctus esset impossibilis in Trinitate, si à filio non procederet; ergo à simili.

Sed P. Vazquez, vt vidimus suprà, planè sentit in D Deo manere perfectionem, quæ est omnipotentia, etiamsi creaturæ non essent possibiles, & ita sentit Basilius Legionensis *1. parte variarum, relectione 5.* & videtur sequi ex mente eorum, qui docent, Deum nullo modo pendere à creaturis, & magis esse necessarium Deum, quam creaturas possibiles, quia si non sunt æqualis necessitatis, neque habent connexionem, non est causa, ob quam dicant deficiente vno, aliud deficere.

Hæc sententia probari potest, primò argumentis, quibus in materia de Trinitate probatur, Verbum non procedere ex cognitione creaturarum possibilium per se: secundò potest probari argumentis, quibus probatur Beatos non videre creaturas in E Verbo ex vi visionis formaliter, de quibus suprà *ad quæstionem* 12. & probant aliqui ex doctrina P. Vazquez, quia vt Deus sit in se ita perfectus, non requiritur vt sit obiectum producibile, sed satis est vt sit ex se talis naturæ, vt si sit obiectum producibile, possit producere illud; non posse autem producere quod implicat contradictionem, nibil aufert potentiæ, & perfectionis.

Secundò probant ex eodem P. Vazquez, quia etiamsi hoc modo implicaret contradictionem, maneret perfectio omnipotentiæ in Deo, quæ talis naturæ est, vt si sit aliquid quod non implicet contradictionem, poterit illas efficere.

Tertiò probant, & explicant prædictam rationem, quia, vt diximus, omnipotentia non pendet à creaturis possibilibus, aliàs vel pendet & eget alicuius extrinseci consortij, vel non: si non pendet, neque indiget; ergo sine illo potest esse, & permanere; si verò primum dicatur, videtur absurdum, quia Deus ita est perfectus, vt sibi soli sufficiat, & oppositum est contra communem modum sentiendi.

Quartò explicant, quia modò non deest aliquid potentiæ ex eo quòd non possit facere chimæram, vel aliud quod implicat; ergo idem esset, etiamsi omnia implicarent extra Deum, & nisi omnino independens à creaturis possibilibus intelligatur, non esset Deus id quo melius excogitari non possit, cùm meliùs posset excogitari primum ens sine dependentia alicuius obiecti.

Tandem explicant exemplo scientiæ visionis, cuius realis perfectio manet in Deo, etiamsi Deus ab æterno decreuisset nihil facere, quæ omnia iuuant ad explicandam prædictam doctrinam P. Vazquez, quæ mihi placet.

Et primò præcipuum fundamentum debet esse illud, quòd Deus est ens magis necessarium, quàm sint creaturæ possibiles, quod mihi videtur valde certum, & aliàs non satis consectariè videntur philosophari aliqui existimantes non esse æqualis necessitatis, & tamen Deum habere necessariam connexionem cum creaturis. Item non videntur consentaneè philosophari qui docent esse æqualis necessitatis, & non habere ordinem realem transcendentalem, connexio enim inter duo extrema distincta, & disiuncta sine ordine non potest intelligi.

Secundò existimo, illam perfectionem in eo euentu non vocandam omnipotentiam actu, quia nullum haberet actu obiectum.

Tertiò existimo realitatem ipsius manere, etiamsi per impossibile nulla creatura esset possibilis.

Et hanc perfectionem realem manere explico secundùm nostram sententiam, quia potentiam banc diximus inuoluere cognitionem & volitionem, & vtraque maneret, nam maneret cognitio Dei ita infinita, vt si esset obiectum cognoscibile, illud repræsentaret sine motione, ad quod iuuat exemplum de scientia visionis suprà allatum: deinde potentia voluntatis maneret etiam talis naturæ infinitæ, vt si esset obiectum amabile, posset illud velle; ergo maneret realis perfectio omnipotentiæ, quod non ita facile explicari potest ab iis, qui putant omnipotentiam esse attributum omnino distinctum ab intellectu, & voluntate diuina.

Neq; est difficile soluere argumenta contrariæ opinionis; & argumenta, quæ adducuntur ad probandum, Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium, soluenda sunt in materia de Trinitate infrà. Deinde argumenta, quibus solet probari creaturas videri ex vi visionis formaliter, soluenda sunt in materia de visione suprà *ad quæst.* 12.

Ad aliud respondeo, vbi non est obiectum, non esse potentiam, quando potentia pendet ab obiecto eo, secus si non pendeat, vt patet in scientia visionis; & ita est de omni philosophandum, quæ est omnino absoluta. Eodem modo ad quartum, & quintum; posset verò continere perfectionem realem, etiamsi absolutè non denominaretur productiuus, sed quantum est ex se. Ad sextum, licet nihil esset tunc quod non implicaret contradictionem, tamen perfectio potentiæ manet. Ad septimum, neganda est assumptio quantum ad realitatem perfectionis.

Ad

Ad octauum respondetur esse diuersam rationem, quia persona Spiritus sancti est aliquid reale in Trinitate, & dicit relationem distinctam realiter à relatione spiratoris, quæ modò est in filio, & ideo vel ponitur defectus relationis spirati in Deo, & sic auferretur aliquid reale; vel ponitur defectus Spiritus sancti distincti à filio solùm, & tunc filius esset spiratus, vt dixi in materia de Trinitate, ac proinde idem esset cum relatione spirati, cùm tamen modò sit idem cum relatione spiratoris, de quo in materia de Trinitate.

DVBIVM IV.

Quid sit prius secundùm nostram rationem, creaturas non implicare contradictionem, vel Deum posse illas producere, & quomodo de impossibili sit philosophandum.

HOc dubium proponitur, ad explicanda aliqua, quæ suprà diximus ex mente P. Vazquez hîc *disp.* 104. *cap.* 4. in hac controuersia, de qua inter recentiores ipse disputat hoc tempore primus, licèt post illum alij de ea disputauerint, & ex antiquis alij disputant.

Prima opinio est Gabrielis *in* 1. *dist.* 43. *quæst.* 2. putat vtrumque esse simul, quia sunt relata: & reuera videtur loqui de ipsis entitatibus, & non solùm de denominationibus; verùm neque omni potentia est relata, neque relata terminantur ad relatiuum formaliter, vt dixi ad caput de relatione.

Scotus *distinctione citata* docet, omnipotentiam posse sumi dupliciter, vno modo vt est absoluta, & hoc modo sumptam, esse priorem creaturis, & in hoc Aureolus sequitur Scotum *in* 1. *dist.* 41. *art.* 3. & alij Scotistæ. Addit Scotus creaturas non habere primam rationem ab omnipotentia, sed ab intellectu, de quo suprà dixi quid sentiendum sit: & prior pars vera est, vt ex dictis constare potest, & constabit ex dicendis.

Deinde Henricus *quodlib.* 6. *quæst.* 3. docet potentiam Dei posse considerari vt quid absolutum, & etiam cum respectu, & similiter potentiam passiuam creaturæ: & primò dicit intelligi absolutè potentiam Dei, secundò potentiam absolutam creaturarum, tertiò respectum creaturarum ad Deum, & quartò respectum, & denominationem potentis ad creaturas: & placet hic modus philosophandi aliquibus recentioribus quantum ad omnipotentiam.

P. Vazquez *disp.* 104. *cap.* 4. putat, primò intelligi potentiam absolutam Dei, secundò creaturas non implicare contradictionem, quod est absolutum; tertiò denominationem in Deo; quartò denominationem in creaturis, & ita est philosophandum iuxta ipsum Henricum *quodlib.* 8. *quæst.* 3. & reuera denominatio possibilis a potentia sumenda est, sicut denominatio visibilis, aut intelligibilis, & ita prius est potentiam referri ad obiectum, quàm obiectum ad potentiam.

Notandum verò est, P. Vazquez *cap.* 4. *num.* 12. expresè docere potentiam actiuam Dei esse prius, quàm creaturas, non implicare contradictionem; quod aduerto, quia recentiores aliqui illi tribuunt, quòd dixerit, potentiam vt est absolutum esse post creaturam absolutam possibilem, hoc est, non implicare contradictionem, vnde non est necesse respondere argumentis illorum, quia reuera non sunt contra P. Vazquez.

Sed obiiciunt aliqui pro Henrico contra P. Vazquez, quòd Deus non aliter referatur ad creaturas,

A nisi quia creaturæ referuntur ad ipsum; ergo prior est respectus creaturæ ad Deum, quàm Dei ad creaturas.

Sed hæc obiectio soluenda est ex doctrina P. Vazquez *cap.* 4. *citato*, *num.* 4 qui notat esse discrimen, quòd color dicitur visibilis, ex eo quòd visus natura sua referatur ad colorem: at creatura dicitur possibilis, non quia potentia Dei natura sua ad ipsam referatur, solùm enim refertur extrinseca denominatione, sicut ipsa creatura ad omnipotentiam, sed inter denominationem potentiæ ad creaturam, & creaturæ ad potentiam, seruamus eum ordinem, quem experimur inter potentiam creatam, & obiecta.

B Circa secundam partem de impossibili, recentiores docent, primò intelligi omnipotentiam Dei absolutè sumptam; secundò id quod non implicat contradictionem; tertiò id quod implicat contradictionem; quartò impotentiam referri ad id, quod implicat, itaque duo dicunt de impossibilitate, alterum est, priorem esse omnipotentiam, alterum est impossibilitatem non referri ad negationem potentiæ, vt dicunt alij, sed ad omnipotentiam, & fusè probant primum, de quo infrà.

Secundum probant, quia nunquam negatio relationis dicitur per ordinē ad terminum negatiuum, sed ad terminum qui remanet affirmatus, quia nullus dicitur non pater respectu non filij, sed dicitur C aliquis non pater, quia non habet filium; ergo in proposito non dicitur aliquis non potens respectu impossibilium; ergo in Deo non est impotentia respectu impossibilium. Secundò explicatur, quia impossibile non refertur ad impotentiam, sed ad potentiam.

Henricus *quodl.* 6. *quæst.* 3. docet impossibile absolutum & in se prius esse quàm sit in Deo negatio potentiæ actiuæ absolutæ, & in se, censet enim, ex eo quòd in se non est possibilis, oriri vt dicatur potentiam Dei illud facere non posse, ex qua negatione potentiæ in Deo res impossibilis denominatur impossibilis, neque oppositū docuit Henricus *quodl.* 8. *quæst.* 3. & hanc sententiam esse veram docuit P. Vaz- D quez *disp.* 104. *cap.* 5. *num.* 19. vnde nescio qua ratione recentiores alio modo intellexerint P. Vazquez, & mihi hæc doctrina probatur.

Et primò verum est potentiam Dei esse priorem implicatione creaturarum, loquor de potentia absolute sumpta, quia hæc referuntur ad obiecta quæ non implicant, & repugnantia extremorum supponit obiecta possibilia, igitur & potentiam Dei.

Deinde dicendum est omnipotentiam Dei versari circa impossibile, sicut visus versatur circa tenebras, non quia versatur circa illud per priuationem eius, vel per destructionem, sed quia in ipsa est negatio actus respectu illius, sicut in proprio subiecto, ita expresè docuit P. Vazquez *disp.* 104. *cap.* 4.

E Tertiò mihi placet prius esse in se non implicare contradictionem, quàm negatio potentiæ absolutæ in Deo, vt suprà docuit P. Gabriel Vazquez.

Cum his tamen stat impossibile referri ad omnipotentiam non secundùm se, sed modo suprà explicato à P. Vazquez ratione negationis potentiæ absolutæ, ita vt non referatur ad negationem potentiæ vtcumque, sed vt intelligatur quasi consequens omnipotentiam, sicut tenebræ referuntur ad visum, vnde absolutè falsum docebant recentiores, impossibile non referri ad omnipotentiam; quia verum est dicere, impossibile est cuius est impotentia, vel cuius non est potentia, quod est omnino idem: & eodem modo dicitur aliquis non pater, quia non

habet filium, seu à negatione filij, quod idem est, sed diuersis nominibus significatum, sicut de potentia, & impotentia antea dicebam; idem enim est non habere potentiam, & habere impotentiá, & iuxta hæc possunt explicari rationes illæ recentiorum.

Sed potest obiici, absurdum esse concedere in Deo esse negationem potentiæ, quia non potest facere quod non potest fieri; rectè tamen diceretur impotentia, si non posset facere aliquid possibile. Sed respondendum est sub distinctione, nam impotentia duobus modis sumi potest, vel priuatiuè, vel negatiuè simpliciter; impotens quidem priuatiuè dicitur agens, respectu effectus possibilis, quando caret respectu illius virtute efficaci, negatiuè verò quando comparatur cum eo quod implicat contradictionem.

Deinde obiicitur testimonium Anselmi *lib.* 2. *cur Deus homo, cap.* 17. Quædam, inquit, possunt fieri non sua, sed aliena potentia; non ergo ex negatione potentiæ quæ in Deo concipitur, oriri potest rei impossibilitas, sed potiùs e contra. Item adducunt testimonium Anselmi *in prosologio cap.* 7. vbi cùm dixisset, Deo non conuenire mendacium, ait, an hæc posse potentia non est, sed impotentia, quod infrà iterum repetit.

Sed ex his testimoniis nihil colligitur contra nostram doctrinam. nam dum contendit Anselmus posse mentiri esse impotentiam, solùm vult in Deo non esse potentiam ad talem actum, quæ si esset, esset imperfecta potentia.

Tandem sciendum est, Scotum *loco citato*, sentire, impossibilitatem obiecti alicuius originem ducere ex intellectu diuino. nam possibilitas contingit inter essentias possibiles, quæ non possunt eidem rei conuenire, & quia essentiæ habent originem ex intellectu diuino, secundùm opinionem Scoti, ideo impossibilitatem dici originem aliquo modo ducere ex intellectu diuino; sed suprà ostendimus falsam esse sententiam Scoti asserentis, possibilitatem rerum habere originem ex intellectu diuino.

DVBIVM V.

An possibilitas rerum pendeat à voluntate diuina.

HOc placuit disputare propter quosdam recentiores, quorum sententiam infrà referam. Communis autem sensus Scholasticorum hactenus videtur fuisse, rerum possibilitatem non pendere ab actu diuinæ voluntatis, sub ratione possibilis, & non implicantis contradictionem; ita sensit Scotus 1. *distinct.* 43. Gabriel *distinct.* 43. *quæst.* 2. Basolis, Lichetus, Rubion, & communiter schola Scoti; Aureolus *distinct.* 42. *in* 2. *part. artic.* 3. & idem docent omnes qui sentiunt, creaturas ex seipsis non implicare contradictionem, quod sæpe repetit P. Vazquez *circa quæst.* 25. præsertim *disput.* 104. & alij Doctores in hanc quæstionem, agentes de omnipotentiæ obiecto, & aliqui dicunt à se ipsis habere possibilitatem creaturas; alij verò ex seipsis non implicare contradictionem, videtúrque S. Thomæ, & interpretum *art.* 3. & huius sententiæ rationem infrà assignabimus.

Nonnulli verò recentiores interpretes S. Thomæ 1. 2. *ad quæstionem* 71. *disput.* 10. de peccatis cùm retulissent hanc opinionem, docent non esse veram, neque ab inconuenientibus, & absurditate liberam: & docent non esse licitum concedere, creaturam habere à se aliquod esse siue essentiæ, siue existentiæ, siue actuale, siue possibile. Probant primò, quia inter esse à se, & esse ab alio nullum est medium: solus autem Deus est à se. Secundò, quia omne esse est creatum, vel increatum: de fide autem est solum Deum habere esse increatum. Tertiò, quia esse essentiæ, sicut est primum & perfectum, ita Deo præcipuè tribuendum est, quod si Deo tribuitur, certè mediis sapientiæ, & voluntatis actibus. Quartò, quia omnino falsum est res à se ipsa habere possibilitatem, quia cùm a se nihil sint, non possunt à se possibilitatem habere. Quintò, quia possibilitas supponere videtur aliquod esse; absurdum verò est asserere creaturas à se habere aliquod esse, & possibilitatem. Sextò, esse possibile, est esse in virtute causæ; sed creaturæ non habent à se, quòd sint in virtute causæ: ergo non sunt ex se possibiles.

Verùm prima sententia communis videtur sancti Thomæ & discipulorum eius *art.* 3. dicunt enim, obiectum omnipotentiæ esse, quidquid non implicat contradictionem; & contraria sententia mihi nullo modo probatur: & vt rem explicemus, notandum est, iuxta supradicta, posse considerari in obiecto quod dicitur possibile, id quod est absolutè possibile, id est, quod non implicat contradictionem, & id quod est denominatum absolutè, id est, quod potest fieri ab alio. Primum illud habet res ex se, id est, non ab alio, & hoc non pendet à voluntate diuina. Probatur primò, quia potentia supponit suum obiectum: secundò, quia non implicare contradictionem, non pendet à voluntate diuina, vt omnes fatentur; ergo neque quod non implicat contradictionem, eadem enim est vtriusque ratio.

Deinde, vel Doctores contrariæ sententiæ volunt non implicare contradictionem pendere à voluntate diuina per actum liberum, vel per actum necessarium: si per liberum; ergo in potestate Dei est, quòd aliquid implicet, vel non implicet contradictionem, quod est falsum, quia hominem esse æquum non pendet à libertate Dei, vt constat, & etiam quia sequeretur potuisse Deum non habere illum actum, & ita non esse ab æterno obiectum quod denominatur possibile. Item Doctores in materia de visione, & agentes in materia de Trinitate de distinctione Verbi, docent creaturas possibiles sub ratione possibilis esse necessarias, licèt sit dissensio in eo, an sint ita necessariæ, sicut ipsum esse Dei.

Si per actum necessarium dicatur pendere in ratione possibilis, etiam videtur falsum. Primò, quia efficientia non est circa possibile in solo statu possibili; & non implicantis contradictionem, actio enim ex communi sensu omnium terminatur ad esse rerum actuale.

Item ad hominem arguo, quia prædicti recentiores putát Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium; ergo prius fuit voluntas Dei terminata ad extra per actum necessarium ad esse possibile, quàm terminaretur productio verbi ad verbum, & secundùm certam Philosophiam, prius ponenda est in Deo productio ad intra, quàm actio ad extra; quòd si Doctores secundæ sententiæ possibilitatem intelligant vt dicit denominationem à potentia pendere à Deo, vt ab efficienti, non vt sit in statu possibilis, sed vt producitur extra causas, verissimum est quod docent, respectu esse actualis; sed non rectè impugnant communem opinionem Doctorum asserentium res possibiles sub eo statu non implicantiæ contradictionem.

Addendum est, rem dici ex se non implicare contradi

contradictionem,non quia ex se habeat aliqund esse per dependentiam à se ipsa, sed potentia, vt dicunt, logica,vt notat P. Vazq. *disp.*104.*c.*4.*n.*11. potentia verò physica possibilis est creatura à Deo,vt ab efficienti,quia pntest habere actum liberum quo illam producat.

Item addendum est, recentiores, qui docent,esse possibile creaturæ esse à Deo,per intellectũ, vel voluntatem,si velit,sub ratione possibilis,& non futuri,pendere à Deo,manifestè falli, quia ipsi fatentur nihil esse actuale vt possibile,& ita nnn pédet;si verò dicant esse possibile à Deo, quia non potest fieri nisi Deo concurrente ad productionem,verissimum est quod docent, sed non impognant prædictam communem opinionem.

Ex dictis verò facilè soluuntur argumenta secundæ opinionis. Ad primum respondetur,omne esse,esse à se,vel ab alio relatiuè ad existentiam, & ita esse possibile dicit quod potest fieri ab alio potentia physica;eum hoe tamen stat non repugnantiam, seu non implicare contradictionem, non pendere à voluntate Dei,vt explicatum est.

Ad secundum respondendum est eodemmodo, ens omne præter Deum esse creatum,id est,quod ab alio fieri potest,vt existat,à se tamẽ ipso non existit.

Ad tertium eodẽmodo respondetur esse essentiæ vt possit existere in volũtate quòd sit à Deo;sed hoc non probat non repugnantiã conditionis esse à Deo.

Ad quartum sub eadem distinctione respondetur, rem non habere à se possibilitatem,hoc sensu vt à se possit produci absque extrinseco efficienti, neque hoc negant Doctores primę opinionis,sed solùm dicunt ex se non repugnare,& hoe sensu subiici omnipotentiæ,vt ab ea possint produci.

Ad quintum respnndetur, possibilitatẽ non supponere esse,nisi modo explicato, quia possibilitas à potentia diuina supponit non repugnãtiam, seu potentiam logicam, quæ consistit in cnnnexione prædicatorum.

Ad sextum respondendum est iuxta doctrinam traditam.

Dvbivm VI.

An obiectum omnipotentiæ sit aliquid reale, vel purum nihil, aut ens rationis.

IN hac cõtrouersia potest referri error VViclephi, qnem refert VValdensis *tom.*1.*lib.*1.*art.*1.*à c.*1. *vsque ad* 9. error verò cõrinebarut illis duabus propositionibus 217.& 219.inter alias vna est,*Omnis creatura est Deus*;altera,*quodlibet est Deus*,& referuntur in Concilio Constantiensi *sess.*15.inter errores Ioannis Hus discipuli VViclephi, &, vt refert VValdensis, VViclephus dicebat simpliciter concedi posse, licèt aliqui nollent eas concedere, nisi cũ additamẽto,secundùm esse intelligibile, quod creaturæ habent in Deo,& probabant ratione omnino conficta,nempe, quia creatura, quãdo ponitur ex parte subiecti,supponitur pro esse suo intelligibili; & ita est vera, inquit,hæc propositio,*creatura est Deus*.

Hunc errorem videtur docuisse Manichæus, vt indicat Fulgentius *libro responsionum ad Ferrandum Diaconum quæst.*3.*longè post medium*. & suprà refutat VValdensis. Sed meritò dncuit P. Vazquez suprà *disp.*70. *c.*2. primò illas propositiones absolutè prolatas esse falsas, propter communem significatum extremorum. Secundò docet intellectas fuisse ab VViclepho de esse intelligibili, quod creatura habet in Deo. Tertiò docet etiamsi addatur expresè illud, *secundùm esse intelligibile*, qnod res habet in

A Deo, posse propositiones esse veras aliquo modo, & aliquo modo falsas.

Pro cuius explicatione notat esse creaturarum in Deo posse sumi vel pro conceptu formali, vt aiunt, vel pro conceptu obiectino. Conceptus formalis creaturarum in Deo dicitur ipsamet essentia diuina, quatenus creaturas repræsentat, & hoc modo creatura secundum esse intelligibile est Deus; conceptus verò obiectiuus,id est,obiectum repræsentatum est aliquid extra essentiam repræsentantem, & non est Deus: sicut homo distinguitur ab specie expressa in nobis repræsentante ipsum hominem,& secundùm hoc falsum esset dicere, creaturam secundùm esse intelligibile, esse Deum, quod suprà fusè B explicat P.Vazquez.

Sed in quo erraverit VViclephus non explicat VValdensis; explicat tamen P. Vazquez errare in modo loquendi,quia in priori sensu eas propositiones concedebat sine additamento,quam explicationem transcripsit Basilius Legionensis 1. *variar q.* 9. *scholastica,c.*8. P.Suar.*in Metaphysica,disp.*31.*in principio*, colligit ex VValdensi quòd VViclephus posuerit aliquod esse creaturarum ab æterno distinctum ab esse Dei,quod tamen VValdensis non dixit, nec retulit.

His præmissis aliqui senserunt, illud esse obiectiunm creaturarum esse nihil,ita senserũt aliqui suprà *ad quæst.*14.Henricus *quodl.*11.*q.*1.Soncinas 9 *Meta-* C *physicorum q* 4. Capreolus *in* 2. *dist.*1. *q.*2. *art.*3.*ad* 4. Aureolus *in* 1.*dist* 42.*art.*3.Rabanus *in* 1.*dist.*43.*q.*2. Gabriel *quæst.*2.*in fin.* citatur P.Suarez *in Metaphysica disp.*31.*sect.*2.sed solùm vult nnn esse aliquid reale actuale: & aliqui putant sententiam oppositam esse censura dignam.Et probari solet hæc sententia, quia nihil est quòd habeat esse necessarinm ex se sine Deo,extra Deum. Item certum est, Denm non fecisse essentias rerum ab æterno liberè,aut necessariò, quia ad extra in tempore cœpit operari; ergo non est aliquod esse possibile ab æterno.

Secundò, quia si illud esse possibile esset factum ab æterno,iam ab æterno existeret.

Tertiò, quia aliàs non posset Deus rem aliquam D in nihilum redigere,quia semper maneret illud esse possihile.

Quartò, quia creatura posset gloriari in se, quòd à se haberet illud esse possibile.

Quintò, quia sine illa efficientia primæ causæ nihil omnino manet in effectu,ex communi sententia.Plura alia contra oppositam sententiam adducit latissimè,& soluit Mayron infrà citandus, & oriuntur ex prauo intellectu oppositæ opinionis.

Alij verò Doctores aliter loquuntur, & docent esse possihile, esse aliquid reale possibile, ita sensit Henricus *in summa,artic.*1.*quæst.*23.*&* 25. *& quodl.*8. *quæst.*1.*&* 9. *& quodl.* 11.*quæst.*3. Scotus *in* 1.*dist.*36. *quæst.*1.vbi hoc appellat esse diminutum,& sæpe aliis E locis. Basolis *in* 1.*dist.*42.*quæst.*1.*art.*2. Lichetus *ibidem*,Mayron *in* 1.*dist* 42. *quæst.*1.2. *&* 3. VValdensis *tom.*1.*lib.*1.*cap.*2.*&* 3 & P.Vazquez *disp* 70.*cap.*2.vbi interpretatur Scotum de solo esse obiectiuo, & docet illum non putasse habere aliquam existentiam, & sequuntur multi recentiores sic intelligentes Scotum; & ideo sine causa aliqui putarunt sententiam Scoti esse dignam censura, tribuentes Scoto qnod ille nunqnam sensit; & P. Suarez *suprà*, & explicat Scotum in vero, & bono sensu, & P. Molina *suprà ad quæstionem* 14. *in artic.*6. §. *Caietanus hoc loco*.

Putant verò Doctores huius sententiæ primò esse possibile,esse obiectũ ab æterno respectu intellectus

diuini;secundò putant hoc esse reale possibile; quia Petrus possibilis est, Petrus ipse qui erit, vel posset in aliqua distantia temporis, quia omne quod est actu productum, fuit possibile. Tertiò docent istud esse possibile esse obiectum à Deo diuersum, quod per sese est manifestum;& explicari potest exemplo cognitionis humanæ,& obiecti illius. Quartò meritò dicit istud esse possibile esse ab æterno, quia possibilitas rei non incipit in tempore. nam vel sumitur pro eo quod est nõ implicare contradictionẽ,& hoc ab æterno non est; vel pro eo quod potest fieri à Deo, & potẽtia Dei semper fuit, sic explicata mihi placet.

Et facile est soluere argumenta, quæ contra illam fiunt. Ad primum concedimus, nullum ens esse quod non pendeat à Deo, sed esse possibile; sicut est possi- B bile est possibile à Deo per dependentiá possibilem, & hoc sensu nullũ est ens à se. Ad secundum respondetur, illud esse non esse factum ab æterno, sed fuisse possibile à Deo, quia potest illud facere etiamsi nunquam faceret. Ad tertium neganda est sequela, qoia annihilare est rem omnino destruere per subtractionem cõcursus, quo cõseruabatur esse actuale existẽs. Ad quartum non posse gloriari, quia ex actualitate, & perfectione Dei, oritur possibilitas creaturarum, & ab illo pendet existentia per actualem actionem. Ad quintum constat ex dictis, & reuera omnia orta sunt ex prauo intellectu sententiæ Scoti.

Constat etiam ex dictis valde fuisse deceptos aliquos, qui putarunt Scotum errasse cum VViclepho, C qui videntur neque errorem VViclephi habuisse satis notum, neque sensum Scoti penetrasse.

Item ex dictis constare potest, in hac controuersia vix posse esse quæstionem de re inter Scholasticos, & Doctores quidem primæ sententiæ solùm videntur velle illud esse possibile nihil esse actu extra causas, quod est omnino certum; Doctores verò secundæ opinionis appellant illud esse reale possibile, quia potest per veram efficientiam constitui in rerum natura, & extra causas, in quo distinguitur ab ente rationis.

Deinde ex dictis in præcedentibus dubiis possumus nonnulla colligere; vnum est, hanc propositionem esse verã, quia in Deo est perfectio omnipoten- D tiæ, creaturæ sunt possibiles; & aliàs si nõ esset Deus, implicaret hominem esse possibilem, vt docet P. Vazquez *disp.* 104. *cap.* 4. *num.* 12.

Addunt aliqui recentiores, quòd si omnipotentia sumatur pro respectu rationis, verũ esset dicere, quia creaturæ referuntur ad Deum, in Deo est respectus omnipotentiæ; sed hoc suprà à nobis refutatum est.

DISPVTATIO VII.

Circa quædam alia de omnipotentia.

DVBIVM I.

An possit Deus non facere vt præterita non fuerint.



IN hac controuersia tres retulit opiniones Corduba 1. *quæst. quæst.* 55. *dubio vltimo.* P. Vazquez hic *disp.* 105. in proposito solùm vult esse duas, & nomine potius, quàm re diuersas.

Prima affirmantium est, esse nunc in Deo potentiam vt præterita non fuerint, ita sensit Antisiodoren. *lib.* 1 *summæ cap* 1. *quæst.* 6. Alensis 1. *part. quæst.* 21. *in summa art.* 4. Gilbertus super Boëtium *lib.* 1 *de Tri-*
A *nitate, ad cap.* 9. quæ ex dictis in vero sensu explicatur; sed melius Vega *q.* 5. *de iustificatione*, ad confirmationem argumenti, volt ita in Deo esse potẽtiam ad præterita, vt possit facere quòd sua promissio non fuerit, vt retulit P. Vazq. 1. 2. *disp.* 205. *cap.* 5. *num.* 18.

Secunda opinio est S. Thomæ *art.* 4. & discipulorum eius, sequitur P. Vazquez *loco citato*, qui docent, non esse in Deo potentiam, vt facere possit præteritum non fuisse, & vt rem explicet P. Vazquez, & opiniones redigat in concordiam, notat potentiam Dei esse æternam, & totam simul, ita vt nihil illius transierit; secundò notat, quatenus relatè dicitur potentia, respicit tempus nostrum, secundùm differentiam præteriti, præsentis, & futuri, ideo de illa affirma- B mus posse facere, aut non facere quatenus ad tempus nostrum refertur, & hoc sensu facilè intelligitur, Deum non posse facere, vt res præterita non fuerit præterita, neque contrarium docent autores primæ opinionis, sed solùm docent potentiam Dei relatam ad rem secundùm se posse facere vt non fuerit præterita, quia potuit Deus illam non facere, & licèt potentia Dei eadem maneat, tamen in sensu composito quòd res fuerit præterita, non potest fieri quòd non fuerit præterita, & hoc est quod volunt Doctores secundæ opinionis.

Sic est intelligendum quod dixit Aristoteles 6. *Ethicorum cap.* 1. quòd Deus non potest facere, quòd factum non fuerit factum; & idem docet Au- C gustinus *lib.* 26. *contra Faustum*, *cap.* 5. Anselmus *in prosologio cap.* 7. *& de concordia liberi arbitrij cum prædestinatione, cap.* 4. & hoc sensu Hieronym. *in epistola ad Eustochium*, quæ est 22. Firmiter credo Virginem post ruinam à Deo reparari non posse, id est, impossibile esse, vt non amiserit virginitatem; & iuxta doctrinam traditam possunt varia dicta Scholasticorum in concordiam redigi, quarum aliqua adducit suprà P. Vazquez, & easdem sententias eodem modo in concordiam redigit P. Valentia *hic punct.* 3.

Eandem veritatem probat P. Molina *in art.* 4. & Becanus 1. *p. tract.* 1. *cap.* 17. *q.* 5. ex Paulo *ad Hebræos* 6. vbi ait Deum non posse mentiri, ex quo infert euenturum quod promisit, & tamen si posset facere quòd D promissio non esset facta, non valeret consequentia, quia tunc non esset materia; & P. Vazquez 1. 2. *disp.* 215. *cap.* 3. *num.* 18 refutans Andream de Vega, qui refert Vegam *quæst.* 5. *de iust.* dixisse posse Deum facere vt sua promissio non fuerit facta.

Sed obiici potest, quia Deus tam potens est modò, sicut tempore præterito; ergo sicut antequam res esset, potuit facere vt non esset, etiam modò id poterit. Respondet bene Becanus, negandam esse consecutionem, quia licèt potentia Dei sit omnino eadem, tamen ex parte obiecti facta est modò, quia quod antea erat possibile, iam est impossibile, iuxta doctrinam S. Thomæ *art.* 4. *ad* 2. Alia facilia solent obiici, quæ ex dictis possunt solui. legatur P. Molina E *in articulum* 4.

DVBIVM II.

An possit Deus præterea quæ fecit, & facturus est, facere alia.

ERror fuit Abaylardi, vt refert VValdensis *tom.* 1. *lib.* 1. *art.* 1. *c.* 10. asserentis Deũ nihil posse facere præter ea quæ fecit, aut facturus est, quem errorem postea sequutus est VVicleph: vult autẽ VValdensis colligere hunc errorẽ ex Bernardo *epist.* 190. vbi tamen Bernardus solùm docet Abaylardũ Patri omnipotentiã, filio semipotẽtiam, Spiritui sancto nullam potentiam

potentiam tribuere. Prioris verò erroris suppresso A nomine autoris, mentionem fecit Hugo de sancto Victore *lib. 1. de Sacramentis part. 2. cap. vltim.* & Magister *in 1. dist. 43.* quem errorem refutat VValdensis *cap. citato, & sequentibus*, & legi potest Augustinus *lib. de spiritu ad literam, cap. 1. & lib. 9. de Genesi ad literam, cap. 16. & cap. 4.* & refutatur ex *cap. 26. Matthæi, & Marci 14. Pater omnia tibi possibilia*, & damnati sunt omnes errores Abaylardi in Concilio Senensi, vbi dicitur retractasse hos errores, & conuersus ad veritatem Ratione etiam potest probari Deum posse facere multa alia quæ non fecit, quia non implicat contradictionem.

Notat autem P. Vazquez *disp. 106. cap. 3.* hunc errorem in VVicleph o ex alio errore originem duxisse; sensit enim, Deum necessitate absoluta absque B libertate operari, vt *disp. 68.* retulit P. Vazquez: ex hoc autem sequebatur, solùm posse facere quæ in aliqua differentia temporis facturus erat.

Inter Catholicos auté certum est, Deum posse infinita saltē syncathegorematicè, vt aiunt, producere plura, & plura sine termino. Difficultas tamen est, an non solùm possit plura, & plura indiuidua sine fine producere, sed etiam plures, & plures species.

Et refertur opinio asserentium Deum non posse producere infinitas species sine termino; ita Durand. *in 1. dist. 44. q. 2.* & referuntur aliqui, quia aliàs aliqua essent infinitæ perfectionis.

Sed contrariam sententiam docet S. Thom. *art. 5.* C & alij eius discipuli. P. Vazquez *disp. 106. cap. 4.* P. Valentia hic *punct. 5. § sequitur quarto*, & est cōmnis hoc tempore, pro qua sententia plures rationes possunt afferri, & aliquas adducit suprà Durandus, & soluit eas.

Et multis placet hæc ratio, creatura est participatio diuinæ essentiæ, vt omnes fatentur: sed nulla potest participare diuiná essentiá ita perfectè, quin possit alia perfectiùs, & perfectiùs; ergo quia nulla potest ad æqualitatem participare, semper restat aliqua creatura facienda. Sed hanc rationē soluunt aliqui, dicētes ex illa non probari infinitatē specierum, sed indiuiduorum, quia nō probatur hac sola ratione posse creaturam secundùm diuersas specificas D rationes ampliùs, & ampliùs sine fine participare Deum, quamuis probabile sit inueniri participationem secundùm diuersitatem specificam sine termino, quia etiamsi admittamus posse diuinitatem hoc modo participari, nunquam erit creatura aliqua quæ omnino perfectè participet diuinam naturam.

Secundò alij probant, quia aliàs non esset infinita potentia Dei in genere potentiæ, si non essent infinitæ species; sed licèt hæc doctrina nobis probetur, tamen, vt suprà dixi, ex alio capite potest probari infinitas potentiæ Dei in genere potentiæ, & proinde hæc ratio non est simpliciter necessaria. Facilior ratio est in hac materia, quia non assignatur implica- E tio vlla contradictionis; ergo non est causa ob quam negemus esse possibiles species rerum sine termino.

Dices, implicare contradictionem, quia sequeretur aliquam speciem esse infinitæ perfectionis. Respondetur negandam esse sequelam, quia non est augmentum per intensionem intra eādem speciem, sed per diuersitatem alicuius gradus essentialis, & ita non est necessarium vt aliqua species habeat infinitos gradus perfectionis; sed vnum aliquem perfectiorem aliis inferioribus. Item non est concedenda vna aliqua vltima species, quæ sub se habeat infinitas, sed possibilem esse aliam & aliam perfectiorem sine termino.

Sciendum verò est, aliquos recentiores existimasse, nostram sententiam esse ita certam, vt contraria digna sit graui censura, & probant, quia aliàs Deus non esset omnipotens: meritò tamen P. Vazquez suprà *cap. vltimo num. 8. in fine*, docuit, non esse itam certam nostram sententiam, & rationem factam nihil concludere, quia Deus est omnipotens ex eo quòd potest facere quidquid non implicat contradictionem, ac proinde licèt non essent possibiles tot species, maneret Deus omnipotens.

DVBIVM III.

Quid sit intelligendum per potentiam absolutam, & potentiam ordinatam in hac materia.

DOctores disputantes, an Deus possit facere hoc, vel illud, solent sæpe distinguere de potentia absoluta, & de ordinata, quomodo Dei potentia suæ iustitiæ sit alligata, rectè explicat S. Thomas *artic. 5. ad 2.* Alensis *1. parte, quæst. 21. num. 2. § primo ad secundum.* Durandus *in 1. dist. 43. quæst. 1.* Gabriel *quæst. 1. artic. 4.* qui distinguunt duplicem necessitatem iustitiæ in operando, alteram quæ vocari solet quantum ad specificationem, altera quæ dicitur quantum ad exercitium. Prima necessitas in eo consistit, vt Deus nihil possit facere, quod non sit iustum; & adhuc duobus modis possumus loqui de iustitia, primò vt dicit debitum, & hoc modo non semper operatur ex iustitia, hoc est, ex obligatione, nisi quando se obligat verbo suo: altero modo vt solùm dicit decentiam, & conuenientiam ratione honitatis diuinæ, & hoc pacto Deus quantum ad specificationem semper operatur iustitiam; necessitate verò quātum ad exercitium nihil operatur Deus, quia ad extra nihil ex necessitate producit Deus, absolutè loquendo; secus ex promissione facta, & ex suppositione, vt aiunt.

Deinde S. Thom. *art. 5. ad 1. & 3. contra Gentes c. 98.* vocat potentiam Dei ordinatam quæ exequitur iustæ voluntatis imperium, & eo determinatur: absolutam auté vocant, quæ conuenit Deo secundùm se, & dicitur absoluta, quia non determinatur imperio voluntatis. Scotus *in 1. dist. 44. quæst. 1.* & alij hanc distinctionem potentiæ aliter explicant, vt ordinata dicatur, quæ per legem determinata est, absoluta quæ non sequitur legem aliquam.

P. Vazquez *disput. citata, cap. 2.* admittit doctrinam Scoti in his rebus, circa quas Deus promulgaret legem aliquam; in his verò circa quas non promulgauit legem, ordinatam appellat, quæ decreto voluntatis Dei determinata est: absolutam quæ ex se absoluta est à decreto vllo; item dici solet operari secundùm potentiam ordinatam, quando operatur iuxta exigentiam naturæ rerum, secus quando non operatur iuxta illam.

DVBIVM IV.

An possit à Deo fieri vniuersum perfectius.

HAnc comparationem intelligunt Doctores communiter de ipsis rebus creatis, ita vt nomine vniuersi non comprehendatur Deus; vnde sine causa Durandus *in 1. distinct. 44.* voluit includi posse ipsum Deum, in quo meritò reprehenditur à P. Vazquez *1. parte, disputat. 107. cap. 1.*

Deinde ponendū est vt certum, Deū posse facere

C 3 aliud

aliud vniuersum numero distinctum, vt docent Bonauentura *in 1. distinct. 44. quæst. 1.* S. Thomas *ibidem quæst. 1. articul. 2.* Durandus *quæst. 3.* Maior *quæst. 1.* P. Vasquez *loco allegato*: vnde deceptus est Aristoteles *1. de cælo cap. 9.* cuius ratio nullius est momenti, talis enim est, si duo essent, vniuersa terra vnius moueretur ad centrum alterius; quare & sursum, & deorsum moueretur, deberet enim in suo vniuerso ascendere, vt penetrato cœlo vtriusque descenderet ad aliud centrum. Gentilis Philosophi, & infidelis ratiu; falsum enim est, elementa vnius vniuersi appetere centrum alterius, centrum enim vniuscuiusque elementi est intra suum vniuersum: sicut si Deus destrueret hoc vniuersum, & aliud faceret in alio sphærio in gremio, elementa illius intra illud, quiescerent naturaliter in centro eius, ita nunc; sed Aristoteles neque nouit potentiam absolutam Dei, neque eius voluntatem.

Est verò inter Catholicos controuersia, an possit Deus facere perfectius vniuersum, id est, cum perfectioribus creaturis; & videtur certum posse illud facere cum perfectioribus creaturis numero diuersis: sed an possit efficere vniuersum perfectius, additis speciebus perfectioribus, dubitat Durandus suprà; cùm enim existimet, non posse produci creaturas specie distinctas in infinitum, dubitat etiam an sint omnes possibiles productæ. Est etiam controuersia inter Catholicos, an possit Deus producere vniuersum distinctum specie ab isto secundùm omnes partes, de quo etiam dubitat Durandus, quia dubitat, an sint productæ omnes species.

Item licèt essent possibiles plures species, putat tamen non posse produci vniuersum distinctum specie, quia omnes illæ, quæ producuntur, habent ordinem ad species huius vniuersi.

Alij verò absolutè docent produci posse aliud vniuersum specie distinctum, ita docuit S. Thomas, Bonauentura & alij, quos citat P. Vazquez suprà *cap. 1. & 2.* quia non videtur vlla implicatio contradictionis.

Alij verò dubitant quantum ad composita cœlestia & elementa, quia licèt admittant esse possibiles rerum species in infinitum, tamen incertum est an sint possibiles species elementorum, & corporum cœlestium distinctæ essentialiter ab his elementis, & corporibus cœlestibus; ita sensit P. Vazquez suprà *cap. 2. in fine.*

Restat difficultas, an hoc vniuersum possit perfici quantum ad partes permanentes? Et S. Thomas *artic. 6. ad 3.* docet non posse fieri melius, permanentibus partibus quas habet, quia bonitas eius consistit in proportione, & ordine partium, & si mutaretur aliqua pars, solueretur iste ordo. Secundò probat ex Augustino *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 5.* vbi ait, quidquid sibi vera ratione occurrat melius, sciens sic fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.

Sed Durandus suprà *quæst. 3. citata*, putat hoc vniuersum posse fieri, partibus aliquibus eius in melius mutatis; & explicari potest, primò, quia ordo, & proportio in ordine ad effectus vniuersi, non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem: secundò, quia si res constituerentur sicut in statu innocentiæ, & bruta subijcerentur hominibus, nec alia illi nocerent, perfectior videretur iste ordo, & hanc sententiam non carere probabilitate, docet P. Vazq. *cap. 3.* qui docet partes huius vniuersi solùm posse perfici quantum ad transcendentia: & fortè hoc modo posset intelligi S. Thom. *art. 6. ad 3.* concedit enim posse fieri melius hoc vniuersum additis aliquibus rebus.

Addit, Augustinum non negasse, potuisse Deum meliorem mundum in hoc modo efficere, eùm verè fateatur de homine si non peccaret, quamuis consentaneum valde fuerit rationi, vt relinqueretur in manu consilij sui: verbis autem suprà citatis vult Augustinus, nobis non licere temerè indicare de operibus Dei, dicentes hoc, vel illud meliori modo fieri potuisse. Item docent autores, hoc vniuersum non posse fieri perfectius ex fine, id est, non posse ordinari in meliorem finem.

Deinde notanda est doctrina S. Thom. *art. 6. ad 4.* vbi docet humanitatem Christi ex eo quòd sit vnita Verbo, & beatitudinem creatam, ex hoc quòd est fruitio Dei, & B. Virginē ex hoc quòd est mater Dei, habere quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, nempe ex Deo; circa quod notandum est, humanitatem Christi habere dignitatem simpliciter infinitam sanctitatis, ratione naturæ diuinæ cui vnita est, de qua diximus *3. part. ad quæst. 1. in artic. 2. & ad quæst. 7. & 15.* agentes de operibus Christi, & sanctificatione humanitatis; & *ad quæst. 22. & 23.* agentes de sacerdorio, & filiatione naturali Christi.

Beatitudo autem creata dicitur infinitam habere dignitatem, nempe ex obiecto, quia est assecutio boni infiniti, & ex hac parte non potest fieri melior, licèt secundùm intensionem possit circa idem bonum crescere, de quo in materia de visione, & de beatitudine. De dignitate verò maternitatis in B. Virgine diximus in materia de Incarnatione.

Notandum item est, humanitatem sanctificari per diuinitatem, vt diximus *3. part. locis citatis*: vnde ab ea dignitate non potest sanctitas separari, vt diximus *3. part. ad quæstionem 15.* deinde secundùm probabiliorem opinionem etiam beatitudo creata necessariò affert suam sanctitatem, ita vt ab illa non sit separabilis effectus sanctitatis formalis; dignitas verò matris Dei licèt sit coniuncta eximiæ sanctitati, tamen ex natura rerum de potentia absoluta posset ab ea separari.

DISPVTATIO VIII.

METAPHYSICA, partim & THEOLOGICA.

De vnitate.



INCIPIMVS ab vnitate, quia communiter ponitur prima passio entis; ex multis verò quæ circa vnitatem explicanda sunt, prima occurrit ratio formalis vnitatis.

DVBIVM I.

An vnum addat aliquid supra Ens.

IN hac quæstione explicandum est, an vnitas præter ipsam entitatem dicat aliquam rationem positiuam, eo modo quo modus per se, v. g. dicitur addere aliquid supra ens, hoc interiecto discrimine, quòd per se determinat ens ad speciale prædicamentum; vnitas verò adhuc perseueret determinabilis per modos omnium prædicamentorum.

Prima sententia est Scoti asserentis, vnum addere supra ens aliquam rationem formalem omnino distinctam ante intellectum à ratione formali entis, sic sensit *4. Metaphys. quæst. 2. & in 2. dist. 3. quæst. 2. & in 1. dist. 3. quæst. 5.* Antonius Andreas *4. Metaphysic. quæst. 2.* & est communis Scotistarum, quam etiam descendit

defendit Mirandulanus in conclusionibus philosophicis, *concl.*64. & quod attinet ad distinctionem formalem horum prædicatorum probandam, vtitur Scotus generalibus suis principiis; quòd verò hæc ratio vnitatis sit positiua, & realis, probatur fundamentis infrà adducendis.

Secunda sententia est aliqnorum Thomistarum existimantium, ens dicere aliquem modum positiuum, non tamen distinctum ab ente ante intellectum, qui volunt hunc modum sicuti ens esse communem omnibus prædicamentis; sic videtur sentire Soncinas 4. *Metaph. quæst.* 23. & Iauelus *quæst.* 3. *&* 5. *& tract. de transcendentibus*; & nouissimè Bañes 1. *p. quæst.* 11. *art.* 1. dicit enim vnum addere supra ens aliquid positiuum, scilicet modum quemdam intrinsecum significatum nomine indiuisionis, & videtur hoc modo velle conciliare Scoti sententiam, cum sententia S. Thomæ, vt legenti constabit, & *quæst.* 16. *art.* 5. existimat, quòd licèt vnum importet negationem, tamen ipsa vnitas, inquit, non est negatio, sed entitas realis, quæ per negationem diuisionis explicatur, sicut immortalitas, vel incorruptibilitas, & sic sentiunt multi ex Iunioribus, quorum rationes infrà addncam.

Tertia sententia est asserentium, vnum solum addere enti negationem, videtur expressa S. Thomæ 1. *part. quæst.* 11. *art.* 1. *de veritate quæst.* 1. *art.* 1. *quæst.* 21. *art.* 1. & sæpe aliis locis, & sequitur Fonseca *lib.* 4. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 5. *sect.* 5. & est multorum hac ætate, vnus est Zumel, qui 1. *part. quæst.* 15. *art.* 1. secundam & tertiam sententiam defendit vt probabiles.

Vt totam rem hanc quàm maximè difficilem explicemus, aduertendum est, quòd sensus quæstionis potest intelligi, ita vt in realitate physica quæramus aliquid ante intellectum distinctum, à quo habeat res esse vnam, vel ita vt licèt ante intellectum vna sit realitas albedinis, v.g. tamen per intellectum distinguamus, in hac realitate physica, vnum aliquod prædicatum, à quo res dicatur vna, quòd prædicatum ita sit transcendens, sicut prædicatum ens.

Dico primò, vnum non addit supra ens aliquod prædicatum ante intellectum distiuctum ab ente. hæc est autnrum secundæ etiam sententiæ, & probatur efficaciter ex dictis disputatione præcedenti, quia nihil est teale, quod non includat essentialiter ens, prout distinguitur contra nihil, vnde quantum ad hæc prædicata, falsissima est illa distinctio formalis Scoti, vt etiam ptnbaui disputationibus de vniuersalibus, & conclusionem hanc probat ratio sancti Thomæ 1. *part. quæst.* 11. *art.* 1. quia si vnum est aliquid distinctum ab ente ante intellectum, necesse est sit aliquid, vt distinguatur contra nihil; ergo de eodem prædicato verificatur, quòd sit vnum, & ens; ergo idem potoit dici de primo prædicato.

Sed dicet aliquis: Terminus fit actione, & actio se ipsa; ergo eodem modo potest intelligi, quòd ens sit vnum vnitate positiua distincta ante intellectum ab ipso ente, & quòd vnitas seipsa sit vna. Sed contra hoc est, quòd, vt suprà dixi, prædicatum entis non potest esse extra rationem alicuius prædicati inferioris, vnde necesse est, vt de eadem realitate verificetur quòd sit ens, & vna; vnde malè Scotistæ soluunt rationem D. Thnmæ, quam ille facit in transcendentibns per similitudinem prædicatorum, aut realitatum non transcendentium; neque enim est necessarium realitatem distinctam termini esse intra essentiam realitatis ipsius actionis, & idem est de aliis quibusdam similitudinibus. legatur Caietan. 1. *p. loco cit.* Iauelus 4. *Metaphysic. quæst.* 3. Difficiliùs posset obiici ad hominem contra D. Thomam ex dictis illius *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 1. de quo dicam infrà.

Vlteriùs arguo contra Scotum, quia si prædicatum quod dicit vnum, distinguitur ante intellectum, à prædicato entis; ergo componit cum ente; sed in compositione quodlibet prædicatum est extra alterum: ergo prædicatum entis pront condistinctum à prædicato vnius, habet aliquam vnitatem. Probatur consequentia, tum, quia inintelligibile est, aliquid non vnum concurrere ad compositionem, vt constare potest in omnibus compositionibus, siue physicis, siue metaphysicis; tum vlteriùs, quia impossibile est aliquid esse distinctum ab alio, quod non sit vnum in se, etenim distinctio in diuersis fundatur vnitatibus, quæ ratio mihi demonstrat falsitatem opinionis Scoti.

Dico secundò, nullo modo posse dari vnam rationem vnitatis entis inclusi in inferioribus. Probatur efficaciter ex dictis, quia nulla datur ratio entis in inferioribus inclusa; ergo nulla potest dari ratio vnitatis, quæ sequatur illam essentiam, & ideo hoc sensu nulla potest dari vnitas transcendentalis.

Alio ergo modo potest intelligi, quòd vnitas transcendentalis dicatur aliquid positiuum, ita vt quodlibet prædicatum, vel quælibet realitas physica, eo modo intelligatur vna, quo est ens, & respectu talis prædicati intelligamus modum quemdam vnificantem (vt ita dicam) prædicatum illud, & hoc saltem per rationem; de quo

Dico tertiò, nullum prædicatum potest esse vnum, per aliquam rationem sibi superadditam. Videtur mihi hæc mens D. Thomæ dum 1. *p. quæst.* 11. *art.* 1. affirmat, quamlibet rem esse vnam per suam essentiam. Et probatur efficaciter, quia, vel ille modus superadditus ponitur per rationem omnino extra essentiam prædicati, quod vnificat, ita vt faciat compositionem cum illo; & hoc primò verum esse non potest in prædicato entis, quia illud extra rationem nullius esse potest.

Secundò, in allis prædicatis hoc dici non potest; quia non potest intelligi, in vnitate specifica, v.g. aliquod prædicatum constitnens talem vnitatem. Probatur efficaciter, quia hoc ipso quòd intelligimus prædicatum generis, & differentiæ, sufficienter intelligitur constitura species, & indiuisa specificè, ratione specificæ differentiæ, indiuisa verò, in quantum indiuisa sunt vnum, clamat Arist. infrà cit. imò communiter affirmant autores, agentes de vnitate formali.

Sed & secundam rationem factam contra Scotum formo cuntra hanc sententiam, quia si ille modus est omnino extra rationem illius extremi, necesse est vt in illo extremo intelligatur aliqua vnitas, vt intelligatur illud extremum concurrere ad compositionem cum altero, & esse fundamentum distinctionis.

Sed in proposito, postquam intelligimus prædicatum differentiæ coniunctum generico, non potest in hoc extremo intelligi vnitas alia nisi specifica; ergo ad hanc non requiritur superadditum prædicatum. Antecedens huius vltimæ consequentiæ probatur, quia in illo extremo non potest intelligi vnitas generica, quia genericum prædicatum determinatum est per differentiam specificam. Nec potest intelligi vnitas numerica, quia hæc includit necessariò differentiam numericam, quæ superaddita non est. Vel intelligitur ratio illa formalis vnius, includens prius extremum, & neque hoc potest esse verum. Primò respectu prædicati entis, quia quicquid

includit ens, determinat per identitatem ens ad vnicam rationem, ita vt ens inclusum in aliqua ratione prorsus ab illa non distinguatur. Vnde nihil ibi ponitur formaliter distinctum, & in aliis prædicatis non potest intelligi hæc inclusio, nisi vel per modum compositionis, qui iam rectus, vel per inclusionem transcendentis, & tunc ratio vnitatis non potest distingui formaliter à toto illo incluso, vel à differentia, v. g. specifica, & ideo verum est quod dixi edoctus à D. Thoma, nullum prædicatum esse vnum, per aliquid quod sit extra essentiam illius positiuum.

Ex his fit, vnitatem realem numeralem substantiæ, vel qualitatis, quæ sæpe vocatur ab autoribus vnitas transcendentalis, nullum importare reale prædicatum distinctum à differentia indiuiduali, causam verò, ob quam ex multis vnitatibus substantiæ, vel qualitatis, non fiat aliquis numerus, vel de prædicamento quantitatis, vel qui fit vnum per se in proprio genere vnitatũ, dixi capite de quãtitate.

Ex his secundò reiicitur modus asserentium indiuisionem esse speciale prædicatum, per quod res est vna, distinctum ab ipsa essentia rei, & probatur specialiter, quia qui dicunt, vnitatem dicere modum positiuum, & rationem aliquam formalem distinctam saltem per rationem à prædicato entis, volunt nomine huius diuisionis significari integritatem rei, quæ in his quæ sunt vnum per compositionem, facilè intelligitur, & in rebus simplicibus etiam debemus intelligere rei integritatem, licèt non cõpositam ex partibus, sed omnino simplicem.

Hic tamen modus impugnatur, quia hæc integritas, vel totalitas, non potest esse aliquid distinctum positiuum reale ab essentia, quæ dicitur vna; quia illud prædicatum, etiam prout condistinctum ab isto, intelligitur habere suam integritatem, sicut intelligitur habere suam essentiam, & quantum ad hoc, idem est proportione seruata de aliquo prædicato, per rationem concepto vt vno, & de realitate physicè vna, quæ omnia ex dictis fusiùs possunt declarari.

Dico quartò, vnum præter essentiam rei tantùm dici negationem diuisionis. hæc est S. Thomæ *locis citatis*, quam docet Aristot. *5. Metaphys. cap. 6. & 10. Metaphys. cap. 1. & 5.* Iidem etiam docent, indiuisa, in quantum indiuisa, habere vnitatem, & Caietan. & alij suprà citati, quam bene explicat Flandria *4. Metaphysic. quæst. 5. art. 8.* & nonnulli ex Scholasticis *1. dist. 24* quæ negatio immediatè sequitur ipsam entitatem, neque aliud requirit fundamentum.

Et declaratur vno exemplo, quia vt aliqua res dicatur vna numericè, solùm sufficit intelligere realitatem cum differentia indiuiduali, statim enim consequitur negatio diuisionis per differentias indiuiduales, & hoc communiter intelligimus nomine vnius, quod est, scilicet, indiuisum. Et quantum ad hoc conueniunt communiter autores secundùm conceptionem communem, qua concipitur vnum indiuisum, licèt differant in explicando significato indiuisionis. Et nos hactenus probauimus, per hanc vocem non posse importari aliquod prædicatum distinctum ab eo quod dicitur vnum.

Et declarari potest à simili, quia sicut multitudo intelligitur semper cum diuisione, ita vnum cum indiuisione. Constat etiam facilè, vnum vt sic non addere supra ens relationem rationis. Vnde ex tribus modis, quibus potest intelligi fieri additio alicui, solùm vnus conuenit enti; triplicem verò istum modum additionis tradidit D. Thomas *quæst. 21. de veritate, art. 1.*

A

DVBIVM II.

An vnitas sit prior natura sua cognitione.

D. Thomas *quæst. 11. citata art. 2. ad 4.* & discipuli eius communiter affirmant vnitatem esse priorem multitudine, non diuisione; quod fuse persequitur Iauellus 10. *Metaphys. quæst. 6.* & quidem, quòd vnitas sit prior multitudine, probari potest, quia vnitas ex natura sua est pars multitudinis; ergo ex natura sua secundum distinctam cognitionem prior est; quòd verò non sit prior diuisione, probant Thomistæ, quia vnitas est negatio diuisionis; ergo necesse est vt vnitas intelligatur expressè concepta

B ratione negationis diuidentis, vult enim D. Thomas primo loco intelligi ens, secundo loco intelligi hoc ens non esse illud: vel, vt alij Thomistæ cum Iauello existimant, secundo loco intelligitur contradictorium entis, ita vt primo loco intelligatur ens; secundò verò intelligatur ens non esse non ens; tertiò intelligatur constituta vnitas, & præconcepta illa diuisione secundo loco facta: quarto loco (inquit D. Thomas) intelligitur multitudo ex vnitatibus conflata.

Verùm non placet id quod dicitur, quia re vera videtur implicare contradictionem, vt secundo loco intelligatur diuisio non intellecta multitudi-

C ne, quia diuisio hæc, quam ponit D. Thomas, essentialiter respicit plura extrema, dicit enim negationem vnius ab alio. Nec potest intellectus concipere hoc non esse illud, non intellecto hoc, & illo; ergo si vnitas est posterior diuisione, non potest esse prior multitudine, vel econtrario.

Res ergo ita se habet, in vnitate possumus distinguere, vel positiuum ipsum, vel negationem immediatè sequutam ex hoc positiuo; si positiuum consideres, aliquid absolutum est prius cognitione multitudine, vt probat ratio facta, & prius cognitione diuisione, de qua specialiter probari potest, quia hoc non esse illud secundùm negationem diuidentem quam importat, supponit esse hoc, & esse illud, & hoc consequitur necessariò negatio diuidens.

D Quod potest declarari per quamdam causalem rationis; quia si aliquis quærat causam huius negationis, quare Petrus non est Paulus, vere respondebitur illi, quia Petrus est hoc ens, & Paulus est hoc ens. Ex quo intelligitur hoc positiuum vnitatis non pendere secundùm naturam suam in ordine ad cognitionem à multitudine; negatio tamen multitudinis, & pluralitatis re vera pendet à multitudine in ordine ad cognitionem, sicut vniuersaliter omnis negatio cognoscitur semper per positiuum.

Ex quo soluitur argumentum, quo nonnulli ex Thomistis contendunt probare, vnitatem non dicere negationem multitudinis, sed diuisionis, quia si vnitas (inquiunt) dicit negationem pluralitatis,

E & multitudinis, sequitur inutilis circulus; multitudo enim cognoscitur cognita vnitate, & vnitas per multitudinem cognosci debet. Primum probatum est, hoc vltimum probatur, quia negatio, vt dixi, per habitum cognoscitur.

Sed hæc ratiocinatio in nostra sententia difficultatem non habet; quia, vt declaratum est, ratio positiua vnitatis potest cognosci absque multitudine, ac perinde absque diuisione, & ab hac pendet in sua cognitione multitudo; negatio verò quæ sequitur vnitatem, posterior est ipsa multitudine, à qua pendet in sua cognitione.

Ex his facilè intelligitur, qua ratione vnitas componat multitudinem transcendentalem; & primò

non ita vnitas componit multitudinem quasi partialitet concurrat ad rationem vnam per se realem, vt suprà dixi. Secundò quod attinet ad aggregationem istam realem resultantem ex vnitatibus, dicendum est concurrere vnitatem secundùm entitatem positiuam, quod absolutè affirmat D.Thomas *q.11. citata, art. 2 ad 1.*

Sed obiicit Caietanus, vnitas componit multitudinem, secundùm quod vnitas, vt per se constat, & fusiùs dixi *cap. de quantitate.* Sed vnitas secundùm quod vnitas importat negationem; ergo non componit numerum, seu multitudinem, vt vult D.Thomas, solùm secundùm vnitatem. Respondet Caiet. quòd indiuisio, quæ est negatio quædam, potest considerari duobus modis. Altero secundùm quòd ipsa negatio habet rationem cuiusdam entitatis, & sic componit multitudinem. Altero, vt exercet actum priuationis, & sic non componit multitudinem.

Sed tota hæc doctrina Caietani protsus est inintelligibilis, quia negatio nullo modo potest considerari vt habens entitatem realem, neque hæc est realis ratio distincta à negationis ratione, prout exercentis actum priuationis; quòd si aliquis velit pro Caietano per negationem habentem entitatis rationem, intelligere rationem positiuam vnitatis, sine fundamento omnino loquitur, & impropriè explicat doctrinam Caietani, & re vera contra mentem illius, qui de eodem subiecto videtur distinguere illa duo, & quòd habeat rationem entitatis, & quòd exerceat actum priuationis, & si talis esset mens Caietani, impropria esset, nec formalis tam subtilium formalitatum distinctio; verissimè ergo docuit D.Thomas, vnitatem componere multitudinem secundùm positiuum, loquitur enim de multitudine reali, quæ re vera componitur ex ipsis vnitatibus realibus. v.g. multitudo trium Angelorum ex illis componitur secundùm quod tales sunt, per indiuiduales differentias; si verò quis vellet loqui de aggregato negationum, quæ insequuntur ipsas vnitates, dicere debet componi ex ipsis negationibus, sicut vniuersaliter quodlibet aggregatum ex suis vnitatibus.

Quæreте posset aliquis, quomodo se habeant vnum, & multa in ordine ad ens? id est, an ex æquo diuidant ens? Et ex dictis constat, non posse esse membra immediatè diuidentia ens, secundùm hoc enim, vnum non sequeretur ens. legatur D.Thom. *quæst. 11. art. 1 ad* 2. qui benè docet ex Dionysio, nihil contineri sub ente, nisi quatenus continetur sub vno. Solet ergo dici, quòd vnum, & multa diuidunt ens, quatenus vnum dicit vnitatem simpliciter, multitudo autem vnitatem resultantem ex multis vnitatibus, quæ duo extrema sub vnitate absolutè continentur. legatur Iauellus 4. *Metaph. quæst.* 3.

DVBIVM III.

Quomodo distinguatur vnitas transcendentalis à prædicamentali.

Dixi de hoc in prædicamento quantitatis. Primus autem modus dicendi (quem ibi retuli) est asserentium, has vnitates nullo modo distingui; existimant enim nonnulli ex vnitate cuiuslibet prædicamenti posse componi numerum propriè de prædicamento quantitatis, quod fundamentum ibi reiectum est.

Capreolus 1. *dist.* 24. *quæst. vnica*, Iauellus 4. *Metaphys. quæst.* 3. existimant hanc vnitatem transcenden-

A talem distingui ab vnitate prædicamentali, quia vnitas transcendentalis inuenitur in alijs prædicamentis distinctis à prædicamento quantitatis; prædicamentalis verò in solo prædicamento quantitatis dicit accidens quoddam superadditum quantitati; & probant, quia ex hac ratione positiua debet componi numerus prædicamentalis, & per hanc distinguitur à transcendentali.

Fonseca 5. *Metaphys. cap.* 13. *quæst.* 3. existimat, etiam vnitatem prædicamentalem esse solam vnitatem prædicamenti quantitatis, quam dicit consistere formaliter in negatione. Et probat ex Aristotele 5. *Metaphys. cap.* 6. & 10. *Metaphys. cap.* 1. dicente, ea quæ non habent diuisionem in quantum, non B habent esse vna. Ergo hoc etiam in vnitate quantitatis est verum. probat etiam ex simili loquutione D.Thomæ 4. *Metaphys. lectione* 2.

Durand. 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. existimat vnitatem prædicamentalem nihil aliud esse, quàm vnitatem transcendentalem contractam ad determinatum prædicamentum: quod duobus modis potest intelligi. Primus est, vt prædicamentalis vnitas sit vnitas rei in determinato prædicamento, siue ex illa fiat numerus prædicamentalis, siue non. Secundus modus est ita vt vnitas cuiuslibet determinati prædicamenti dicatur prædicamentalis, quatenus potest componere multitudinem prædicamentalem, de prædicamento scilicet quantitatis.

C Dico primò, vnitas de prædicamento quantitatis nihil reale addit distinctum à quantitate continua prout continua. Probatur primò, quia sine causa ad vnitatem corporis fingitur tale superadditum accidens; imò, & omnino contra rationem, quia per solam continuationem intelligitur corpus vnum; ergo non est cur fingatur superaddita entitas, ad hoc vt corpus sit vnum. Antecedens probatur primò, ex recepta doctrina Aristotelis in Physicis, dicentis, continuum esse vnum. Et ratione probatur, quia impossibile est aliquid esse vnitum, sed per continuitatem corpus est vnitum, vt constat: ergo vnum; igitur ad hoc non eget superaddito accidenti, præsertim, quia, vt suprà dicebam in simili, si corD pus distinguitur realiter ab illo accidenti, necesse est habeat aliquam vnitatem distinctam ab vnitate actionis intellectus superadditi, quæ ratiocinatio fusiùs est explicanda.

Sed dicet aliquis, corpus per continuitatem esse vnum, sed non vnitate requisita ad compositionem numeri prædicamentalis, & ideo necessarium esse superadditum accidens. Contra hoc tamen est, quia, vt dixi *cap. de quantitate*, vnitas necessaria ad compositionem numeri prædicamentalis, est vnitas rei ex natura sua existentis extra aliam, ita vt multitudo constet partibus, quarum quælibet sit extra aliam, vt ibi fusiùs dixi: sed totum hoc habet corpus per vnitatem continuationis, vt per se constat; ergo E ad huic effectum frustrà fingitur aliud accidens. legatur Sotus *cap. de quantitate quæst.* 2. *art.* 2. qui hanc sententiam impugnat. Vnde, D. Thomas 1. *part. quæst.* 11. *citata*, expressè docet, vnitatem, quæ est principium numeri, addere aliquid supra ens ad genus quantitatis pertinens, nunquam tamen dixit addere aliquid supra quantitatem.

Ex his dico secundò, vnitatem prædicamentalem dicere aliquid positiuum, hæc est communis autorum com D.Thom. *loco citato.* legi potest Soncinas 10. *Metaph. q.* 3. & , vt ex dictis præcedenti conclusione constat, verum est hoc positiuum sequi negationem, de qua philosophandum est sicut in simili de vnitate transcendentali.

Quibus

Quibus positis nos ita distinguimus vnitatem prædicamentalem à transcendentali, quòd vnitas prædicamentalis est illa, ex qua potest componi numerus de prædicamento quantitatis; quis verò sit hic numerus, diximus in eo prædicamento: vnitas verò transcendentalis est illa quæ solùm potest componere aggregatam quandam multitudinem. Illud etiam verum est, vnitatem rei, quæ ponitur in prædicamento substantiæ, secundùm positiuum in solo illo prædicamento reperiri. Et hoc sensu posset quidem appellari prædicamentalis, quia cùm non distinguatur ratione ab entitate substantiali rei, necesse est ponatur in solo prædicamento substantiæ; loquẽdum tamen est cum communi schola D. Thomæ, quæ solùm appellat vnitatem prædicamentalem quam dixi. legatur Fonseca *loco citato sect.* 2. impugnans Ægidium, & alios, & ex his constat sine fructu laborare nonnullos, dum conantur in vnitate quantitatis distinguere prædicamentalem à transcendentali, quia suppositis his quæ diximus, hæc distinctio locum non habet in ea vnitate. Aristot. verò, & D. Thomas *locis citatis* à Fonseca, solùm contendunt prædicatum vnum afferre suam negationem diuisionis; cursim verò aduertendum est apud Arist. non distingui negationem diuisionis à negatione multitudinis, sicut distinguunt Thomistæ, quos suprà refutaui.

Sed quæret aliquis quæ sit mens S. Thomæ 1. *p. quæst.* 11. *art.* 1. *ad* 1. dicentis, vnum quod est principium numeri addere aliquid supra ens, pertinens ad genus quantitatis, quod aliis locis agens de vnitate docet D. Thomas, Fonseca 5. *Metaphys. cap.* 13. *quæst.* 5. *sect.* 3. *quæst.* 3. explicat D. Thomas vt velit vnitatem prædicamentalem addere aliquid supra substantias singulares, & ideo D. Thomas aliquando affirmat, vnitatem istam addere aliquid supra substantiam entis, & 4. *Metaphys. lect.* 3. affirmat addere rationem mensuræ supra substantiam. Et iuxta hanc doctrinam Fonsecæ nonnulli Thomistæ distinguunt vnitatem prædicamentalem à transcendentali, vt hæc sit quam res habet à sua essentia; prædicamentalis verò, quam habet ratione quantitatis superadditæ, quia vel existimant nullum esse accidens vnum per continuationem, vel saltem nullum esse quod tribuat continuitatem subiecto præter quantitatem; & iuxta dicta potest habere locum hæc doctrina, & bonum sensum. Et potest ampliùs declarari explicatio Fonsecæ, quia D. Thomas in ea solutione negauit vnitatem transcendentalem addere aliquid supra ens; quod si solùm intelligatur de additione per determinationem ad aliquod prædicamentum, non posset absolutè negari, quia sicut hoc modo vnitas quantitatis addit supra ens, ita vnitas substantiæ, imò & quælibet vnitas determinati prædicamenti. Tum etiam, quia in eo loco docuerat D. Thomas, vnum transcendentale non addere supra ens, sicut album addit supra essentiam hominis; ergo dum affirmat, vnitatem prædicamentalem addere aliquid supra ens, eodem sensu debet intelligi, vt addatur aliquid reale, & quia hoc non potest intelligi de ente secundùm totam latitudinem entis, quia extra illam nihil est reale, debet intelligi de essentiis rerum, quæ dicuntur vnæ ratione quantitatis. Est quidem probabilis hæc sententia, sed potest alio modo explicari D. Thomas, vt velit, solam vnitatem de prædicamento quantitatis, addere aliquid enti per modum determinationis, ratione cuius possit talis vnitas esse principium numeri. quæ additio in aliis prædicamentis non reperitur; imò vnitas primi gradus entis omnino non determinat ens ad aliquod prædicamentum, dicente D. Thoma quamlibet rem esse vnam per suam essentiam; essentia verò illius primi gradus vt sic, in nullo est prædicamento.

Et probari potest hic sensus, quia de eodem ente, de quo dixerat D. Thomas, nullam additionem recipere ab vnitate transcendentali; de eodem affirmat quòd recipiat aliquam additionem ab vnitate prædicamentali, vt per se fert plane contextus literæ. Scio aliquos Thomistas aliter interpretari hunc locum, vt enim omittam improbabilem prorsus sententiam asserentium D. Thomam loqui de superaddito illo accidenti quantitati; nonnulli alij volunt D. Thomam velle assignare discrimen inter vnitatem prædicamentalem, & transcendentalem, vt ratio formalis transcendentalis omnino sit negatio; ratio verò vnitatis prædicamentalis sit aliquid positiuum. Sed hæc doctrina suprà refutata est, & iuxta nostram explicationem possunt explicari similia loca D. Thomæ; quomodo verò se habeat vnitas prædicamentalis respectu multitudinis prædicamentalis, ex dictis capite de quantitate constat.

Solùm de oppositione posset quærere aliquis; quia D. Thomas *q.* 11. *citata, art.* 2. dicit opponi sicut mensuram mensurato, quia iuxta doctrinam Aristotelis 10. *Metaph textu* 2. & interpretum ibi, numerus dicitur multitudo mensurata per vnum; nec tamen negat D. Thomas oppositiones alias quæ in hac vnitate, & multitudine, sicut in vnitate, & multitudine transcendentali possunt considerari.

Dubium IV.

Quod sit principium vnitatis numeralis in substantiis materialibus completis.

Ad completam disputationem de vnitate, disputant hîc aliqui de vnitate formali, de qua nos diximus *disp. de vniuersalibus*; & ideo hic solùm restat agendum de vnitate numerali, quam materiam tractant aliqui 1. *physic. lib.* 1. *de generatione*, sub titulo de principio indiuiduationis, quam rem fusè, & doctè tractat Fonseca 5. *Metaphys. cap* 6. *quæst.* 4.

Supponendum verò est, esse in rebus non solùm realitatem, in qua inuenit intellectus gradum specificum, sed etiam in qua cum fundamento distinguit gradum numericum; sicut enim vere homo distinguitur ab equo in latitudine animalis, ita vere Petrus distinguitur à Paulo in latitudine hominis.

Secundò supponendum est, istum gradum indiuidualem pertinere ad prædicamentum ipsius indiuidui, ita vt si species sit substantia gradus ille numeralis, sit etiam substantialis, ita vt Petrus, & Paulus, secluso quolibet accidenti, distinguantur in substantiæ prædicamento, vt indiuidua eiusdem speciei, quod præ cæteris clarè docuit Bañes c 5. quæstione de prædicamento indiuiduationis; & facilè probari potest, quia secluso quolibet accidenti Petrus, & Paulus distinguuntur, & non essentialiter: ergo per solum gradum numeralem, substantialem tamen, quæ omnia per se videntur satis clara, nec multum curandum est de mente Capreoli *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. *ad* 4. Scoti contra secundam conclusionem, quem Bañes suprà refutat.

Tertiò supponendum est gradum istum non distingui ante intellectum à gradu specifico, vt vniuersaliter de omni gradu probaui disputatione de vniuersalibus. His positis,

Prima opinio est Henrici *quodlib.* 8. *q* 8. *&* 15. qui videtur affirmare, indiuiduum constitui in esse talis

per

per duas negstiones; ſed ſi velit excludere omnem gradum poſitiuum, in quo fundentur huiuſmodi negationes, quibus indiuidnum ſit, non aliud: ſententia eſt omnino falſa, quia, vt dixi, ſicut vnitas ſpecifica dicit gradum ſpecificum; ita vnitas numeralis dicit gradum numeralem. legstur Soncinas 7. *Metaphyſic. quæſt.* 32.

Secunda ſententia eſt aſſerentium, res fieri indiuiduas per ſuam exiſtentiam. Fundamentum eſt, quia actus eſt qui diſtinguit; ergo vltimus actus qui eſt exiſtentia, vltimò diſtinguit. Hanc ſententiam referunt, & tefutant Scotus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 1. & Soncinas *loco citato*, aliique iuniores multis tationibns, quas de induſtria prætereo. Et ſi hæc ſententia diſtinguat exiſtentiam ab eſſentia, non poteſt eſſe vera, quia ipſamet eſſentia prout diſtincta ab exiſtentia eſt vna; &, vt conſtat ex his quæ in ſuperioribus dixi contra Scotum, nihil ante intellectũ poteſt eſſe vnum per aliquid realiter diſtinctũ ante intellectũ.

Tertia ſententia eſt Durandi *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 1. qui exiſtimat ſubſtantiam materialem completam intrinſecè indiuiduari à materia, & forma, extrinſecè verò ab agente & fine. Fundamentum Durandi eſt, quia vnitas ſequitur entitatem; ergo à quibns res habet entitatem, ab illis habet vnitatem. Sed ab his quatuot canſis res babet entitatem; ergo & vnitatem: & pars illa de indiuiduatione à materia, & forma bonum ſenſum habere poteſt, vt dicam infrà. Alteram partem de efficienti, & fine impugnant communiter Thomiſtæ, quia idem agens eſt indifferens ad plures effectus; ergo vnitas buius effectus non poteſt ſumi ab vnitate buius agentis. Veruntamen alia eſt mens Durandi; ipſe enim non vult ex vnitate agentis colligere vnitatem vnius effectus, ſed vult effectum habere vnitatem ab agente cauſatam, ſicut entitatem, quod veriſſimum eſt. nam, vt benè Durandus, ſicut actus eſt ſingularium ex parte principij, ita & ex parte termini; id eſt, ſicut principium actionis eſt ſingulare, ita & terminus illins.

Quarta ſententia eſt Scoti 2. *diſt.* 3. *q.* 6. quam ſequitur eius ſchola, & fusè explicat Baſolis 2. *diſt.* 15. aſſerentis ecceitates eſſe principium indiuiduationis, quo nomine vtitur Scotus, vt docuit Fonſeca *q.* 5. *ſect.* 1. eo quòd additione illius entitatis natura fiat hæc: loquitur autem Scotus vniuerſaliter de omni re; volt verò ecceitatam iſtam diſtingui ex natura rei à prædicatn ſpecifico ante intellectum, quem acriter impugnant Bañes ſuprà *art.* 2. Caietan. *de ente & eſſentia cap.* 2. *quæſt.* 4.

Quinta ſententia eſt ſancti Thomæ, qui loquens de principio indiuiduationis rerum materialium completarum, sffirmat eſſe materiam ſignatam quantitate. legatur 1. *p. q.* 75. *art.* 4. & *q. citata art.* 1. & 1 *p. q.* 77. *art.* 1. & 1. *contra Gentes c.* 21. 2. *contra Gentes cap.* 92. & 93. multiſque aliis locis, quos iuniores Thomiſtæ citant. Rationes aliquæ huius ſententiæ eò tendunt, vt impognent alias opiniones; aliæ verò vt poſitiuè probent hanc concluſionem, quas infrà commodiùs adducemus.

Adducuntur etiam loca Ariſtot. Primus eſt, ex 2. *Metaphyſicorum cap.* 6. in quo dicit eſſe vnum numero, quorum materia eſt vna. Alins adducitur ex *lib.* 7. *cap.* 10. vbi dicit ſingulare eſſe; ex vltima materia, & nomine vltimæ materiæ videtur intelligere materiam vltimò diſpoſitam; & *lib.* 12. *cap.* 8. dicit, ea quæ ſunt plura numero debere differre materia ſub eadem ſpecie; & 1. *cæli cap.* 9. dicit nnn poſſe eſſe plures mundos, quia bic continet totsm materiam.

Neque omnes Thomiſtæ eodem modo explicant hanc ſententiam; quidam enim nomine materiæ, ſignata quantitate intelligunt materiam ſimul cum quantitate. Ferrara 1. *contra Gent. cap.* 21. Capreol. 2. *diſt.* 3. *concl.* 2. Soncinas ſuprà *q.* 34. fauet D. Thom. *locus citatus*. quæ ſenteotia poteſt duobus modis intelligi; altero vt requiratur quantitas ad indiuiduationem, vt pars principij intrinſeci indiuiduantis; altero vt requiratur ſolum vt conditio; & vtroque modo eſt falſa. Primum reiicitur, quia indiuiduatio eſt de eſſentia rei indiuiduæ vt ſic; vt per ſe conſtat, ſed quantitas non eſt de eſſentia indioidui ſubſtantialis, cùm ſit accidens; ergo primo illo modo non eſt principium indiniduariunis. Secundus etiam modus eſt falſus, quia, vt conſtat ex Phyſicis, materia & forma poſſunt vniri ſine quantitste; ergo quantitas non eſt conditio eſſentialiter requiſita ad indiuiduationem. Quod vlteriùs declaratur, quis vel hæc ſententia ponit quantitatem incorruptibilem, vel corruptibilem cum forma: ſi quantitas eſt incorruptibilis, non magis poteſt indiuiduare quantitas quàm materia, quia in hac ſententia vtraque eſt communis multis; ſi verò quantitas corrumpitur ad corruptionem totius, vt reuera ſentiunt citati autores, prius natura vnitur materia formæ, quam quantitati, & tamen nec materia vnitur formæ in communi, ſed determinatæ formæ in indiuiduo, neque forma vnltur materiæ in commuoi, ſed determinatæ materiæ, & ſingulari; ergo ante omnem quantitatem compoſitum ex materia & forma eſt vnum. Antecedens probatur, quia, vt ſuprà dixi, non poteſt fieri compoſitio phyſica, & realis ex extremis non habentibus vnitatem phyſicam. Vnde ſecundùm præfatam ſententiam, quantitas ſupponit totum ſubſtantiale iam vnitum, quod reſpicit vt prius in genere cauſæ materialis; ergo non poteſt hoc compoſitum pendere à quantitate in ſua vnitate, quia, vt conſtat ex dictis 2. *phyſic.* ex natura rei, ptius non poteſt pendere à poſteriori, vt curſim docnit Alexand. Clemens 8. *ſtromat. in fine*. diſputans de cauſis. legantur Fonſeca, & Bañes *ſuprà*, qui meritò refutant hanc ſententiam.

Alij Thomiſtæ nomine materiæ quantitate ſignatæ intelligunt, non materiam ſignatam quantitate, ſed materiam capacem huius quantitatis, non alterius. ita Caietan. *cap.* 2. *de ente, & eſſentia, quæſt.* 4. Iauellus 5. *Metaphyſ. q.* 15. Ægidius *quodlib.* 1. *q.* 5. *art.* 1. quæ ſententia meritò diſplicet Ferraræ, Fonſecæ, Bañes, imò ipſi Caietano *loco infrà citando*, & ſupponit falſum fundamentum, quia ſecundùm doctrinam de quantitate incorruptibili ſemper materia babet eandem quantitatem; ſecundùm doctrinam verò Thomiſtarum, materia habet diuerſam quantitatem, pro diuerſitate totius: ergo quantum eſt ex ſe, non magis eſt capax huius quantitatis, quàm illius. Quòd ſi aliquis fingat ad hanc quantitatem determinari ex aliquo ſuperaddito, de illo eſſet eadem difficultas. Et vniuerſaliter contra omnem modum eſt, quia antequam materia recipiat aliqnid ſuperadditum, debet habere aliquam vnitatem; tum quia receptio ſupponit principium ſingulare ſicut actio; tum, quia materia illa cum re ſuperaddita debet componere aliquid accidentale, vel ſubſtantiale: ergo ſupponit iam ſuam vnitatem, ex dictis; quòd ſi aliquis fateatur ſupponi ex parte materiæ vnitatem illius, quæ tamen eadem eſt in omnibus compoſitis, requiri tamen quantitatem, vel aliquid aliod accidentale, qnod pertineat ad vnitatem vnitatis huius totius; contra hoc eſt qnod dixi in impugnatione huius modi.

Aduertendum verò eſt hoc loco, quòd autores citati impugnant iſtum modum dicẽdi hac ratione; quia

quia ſequeretur potentiam receptiuam quantitatis ponendam eſſe in prædicamento quantitatis; quia actus,& potentia ſunt, inquiunt, in eodem genere, de qua doctrina dicam ſuo loco.

Caietanns 1.*p.q.*29.*art.*1.vult, nomine quantitatis materiæ ſignatæ intelligi materiam ipſam vt radicem quantitatis,prout in illo priori,antequam recipiat quantitatem, intelligitur quaſi præhabens quantitatem, quam ſententiam Bañes etiam putat probabiliſſimam. Verum re vera falſa eſt, quia materia in illo priori quantum eſt ex ſe, non magis eſt capax huius quantitatis,quàm alterius.Vnde neque materialiter potius præhabet in genere cauſæ materialis hanc quantitatem,quàm aliam,quia non eſt magis potens recipere hanc quantitatem, quàm aliam. Neque eſt Intelligibile alio modo materiam præhabere quantitatem, niſi in genere cauſæ materialis. Addo etiam,quòd ſecundum iſtos, prius materia reſpicit hanc formam ſubſtantialem, quàm ipſam quantitatem,quia priùs illi vnitur;ergo prius intelligitur totum compoſitum ſubſtantiale, quàm intelligatur quantitas.

Ex his reiicitur opinio aſſerentium, per materiam ſignatam quantitate, intelligi materiam vltimò diſpoſitam; quia vel intelligunt nomine materiæ diſpoſitæ materiam ſimul cum aliquo accidenti, & tunc habent locum rationes ſupra factæ; vel intelligunt materiam ipſam ſecundùm ſe, & ſic non magis reſpicit hoc indiuiduum, quàm aliud.

Sexta ſententia eſt aſſerentium,formam eſſe principium indiuiduationis; citatur Cimarra *theoremate* 97. quæ ſententia inſufficiens eſt, vt conſtabit ex dicendis.

Vt rem iſtam explicem,aduertendum eſt, eſſe duplicem compoſitionem, phyſicam vnam,metaphyſicam alteram. Phyſica eſt, quæ conſtat partibus phyſicis; metaphyſica verò, quæ conſtat gradibus metaphyſicis, & metaphyſica compoſitio ſemper fundatur in entitate phyſica. Hæc autem metaphyſica compoſitio non ſolùm conſtat gradu generico, & differentia eſſentiali, ſed etiam gradu differentiæ indiuidualis, quia, vt ſuprà dixi ex communi ſententia, talis differentia admittẽda eſt in realitate phyſica. Punctus ergo præſentis difficultatis conſiſtit in aſſignanda realitate phyſica, à qua ſumatur huiuſmodi gradus metaphyſicus differentiæ indiuidualis. Vnde minus conſideratè reſpondent,qui affirmant in præſenti quæſtione, principium indiuiduationis eſſe differentiam indiuidualem, quia nomine principij indiuiduationis intelligitur entitas phyſica,à qua ſumitur differentia indiuidualis.

Dico primò: Indiuiduum ſubſtantiæ materialis completæ conſtituitur in eſſe indiuidui per differentiam indiuidualem. hæc eſt communis autorum; & probata eſt in principio quæſtionis. legantur Fonſeca & Bañes *ſupra*, & Molina 1.*p.q.*50.*art.*4.& hanc differentiam indiuidualem Scotiſtæ vocant ecceitatem. ſed in quo diſpliceat Scotus iam iam explico.

Dico ſecundò: Differentia indiuidualis non diſtinguitur ante intellectum à natura ſpecifica. Hanc concluſionem probo contra Scotum, primò ex refutatione vniuerſali, contra doctrinam hanc, de diſtinctione prædicatorum ex natura rei ante intellectum, quam fingit Scotus, de qua dixi diſputatione de vniuerſalibus.

Secundò ſpecialiter,& efficaciter in hac materia, quia ex natura ſpecifica, & indiuiduali ſecundùm Scotum fuit compoſitum ante intellectum, tamquam ex partibus diſtinctis; ergo ante intellectum quælibet pars eſt vna,vt conſtat in qualibet compo-

A ſitione phyſicà. Et probari poteſt, quia quodlibet iſtorum extremorum diſtinguitur à quolibet alio; ergo ſecundùm ſe eſt vnum, quia non diſtinguitur vt multa à multis, ſed vt ens vnum à multis.

Sed dicet aliquis pro Scoto, naturam illam eſſe vnam, ſed non vnam numericè,ſed vnam formaliter, & à gradu ſuperaddito habet quòd ſit vna numerò, ſicut in compoſitione metaphyſica intelligitur homo vnus formaliter per gradum ſpecificum, & vnus numero per gradum indiuidualem. Sed contra hoc eſt, quod licet hoc verum ſit in compoſitione metaphyſica,tamen in compoſitione, quæ eſt ante intellectum, nullo modo poteſt eſſe vera,quia, vt probaui diſputatione de vniuerſalibus, nihil po-
B teſt eſſe ante intellectum quod nõ ſit realiter vnum numericè. Et probatur efficaciter contra Scotum, quia natura hominis,v.g.quæ eſt in Paulo, & natura hominis,quæ eſt in Petro,ſecluſis differentiis indiuidualibus; ex mente Scoti, ſunt omnino diſtinctæ realiter,& non diſtinguuntur eſſentialiter;ergo numericè. Quòd diſtinguantur realiter,fatetur Scotus,vt docui *diſp. citata*,nec negare poteſt, aliàs ante intellectum vna natura eſſet coniuncta duabus differentiis indiuidualibus, imò in omnibus indiuiduis naturæ humanę eſſet realiter vna natura. Quòd verò non diſtinguantur eſſentialiter, facile probatur, quia nullum eſt in his prædicatum eſſentialiter diuerſum; ergo neceſſe eſt,vt diſtinguantur realiter
C numericè; ergo ad hanc diſtinctionem indiuidualem non eſt neceſſariò ſuperadditus gradus. legantur quæ dixi *diſput. citata*,& quantum ad hoc,diſplicet mihi ecceitas Scoti.

Dico tertiò, in his ſubſtantiis iſte gradus metaphyſicus, qui eſt differentia indiuidualis, ſumitur à tota entitate, ſic docet Fonſeca *ſuprà*, & Bañes *art.*7. *concl.*2.qui etiam affirmat eſſe ſententiam ſapientiſſimorum Thomiſtarum: & probatur, quia, indiuiduatio,& vnitas phyſica componitur, & integratur ex omnibus partibus, quia ipſa entitas totalis componitur ex his: proportionantur autem ſemper entitas,& vnitas:ex quo vlteriùs colligo gradum indiuiduationis ſumi à tota entitate phyſica; quod pro-
D batur,quia ſicut gradus ſpecificus,v.g.ſumitur à tota entitate phyſica, quia phyſica eſſentia dicit totam entitatem illam, ita indiuiduatio metaphyſica, ſeu differentia indiuidualis ſumitur à tota entitate, quia phyſica vnitas dicit totam entitatem; & ratio eſt, quia gradus metaphyſici fundati in entitate phyſica eiuſdem eſſentiæ, non diſtinguunt diuerſas realitates in entitate phyſica, ſed in eadem prorſus phyſica entitate intellectus diſtinguit gradus,& rationes formales, quam ratiocinationem facilè eſt fuſius perſequi, ſed breuitatis cauſa ſufficiat efficacitatem eius indicaſſe.

Quòd ſi aliquis velit iſtum gradum indiuidualem ecceitatem appellare, non contendo.

E Ex his verò conſtat,in entitate ſubſtantiali Petri, v.g. neque materiam, neque formam tantùm, nec alios modos ſubſtantiales tantùm, ſed totam ſubſtantialem entitatem, vt comprehendit partes, & modos, eſſe phyſicum principium indiuiduationis; & in hoc ſenſu mihi placet ſententia Durandi aſſerentis, rem indiuiduari intrinſecè per materiam,& formam, & ex his etiam fit, inter ipſas partes formam eſſe principaliùs principium partiale indiuiduationis, quod videtur docuiſſe Ariſt. 2. *de anima, in principio*, dicens ſubſtantiam aliam eſſe materiam ex qua, aliã eſſe hoc aliquid, vel ex qua hoc aliquid, vbi per ſubſtantiam ex qua hoc aliquid, Themiſtius, Sunplicins, & alij intelligunt formam à qua, vt à

principa

principaliori principio partiale, totum substantiale habet vnitatem, & declarari potest, quia hæc pars non solùm principalior est, sed & eius vnitas physica magis determinata est, & magis propria huius totius; vnitas verò materiæ physicæ, talis est, vt possit cum diuersis formis non solùm numero, sed essentialiter differentibus concurrere ad compositionem totius substantialis. quam doctrinam etiam suprà *sect.* 3. admittit Fonseca, & probat ex S.Thoma *2. contra gentes cap.* 40. *ratione vltima*. Verùm D. Thomas ibi loquitur de vnitate specifica, vt legenti constabit; ex his etiam, quæ dixi, refutantur efficaciter opiniones Thomistarum de materia signata quantitate.

Restat vt quæ in oppositũ solent obiici soluamus. Obiicitur primò autoritas D.Thomæ *locis citatis*. Fonseca suprà *sect.* 4. sic interpretatur D. Thomam, vt solùm voluerit principium indiuiduationis à posteriori colligi à nobis per materiam signatam. & eodem modo explicat mentem D. Thomæ Bañes *art.* 7. imò dicit, plures Thomistas hoc modo interpretari optimè S. Thomam. & Fonseca probat ex *opusculo* 32. *cap.* 3. & re vera hoc videtur de mente autoris illius opusculi, est tamen incertus autur. Et contra hanc expositionem est, quia D.Thomas sic vult indiuidua vnius speciei distingui per materiam signatam, vt sine illa non intelligatur in eadem specie multiplicatio indiuiduorum; & hac ratione ipse, vt infradicam, existimat in eadem specie Angelorum tantùm esse vnicum indiuiduum *1. parte, quæst.* 50. *artic.* 4. imò addit, quòd etiamsi Angeli haberent materiam, id est, receptiuum spirituale suo modo, tamen non distinguerentur numero, & reddit rationem, quia illa materia non esset capax quantitatis, de qua ratiocinatione dicam in sequentibus.

Et ex ea modò infero, aliquid amplius voluisse D.Thomam, quàm citati autores docent. Et re vera principia D. Thomæ in hac materia ego nescio defendere, si enim ipse, vt isti dicunt, affirmaret principium indiuiduationis esse totam entitatem integram, neque aliquid speciale vellet tribuere materiæ, non posset colligere ex defectu materiæ capacis quantitatis deficere in Angelis pluralitatem numericam, præsertim si verum est quod insinuat D.Thomas, vt infrà videbimus, impossibilem esse in Angelis talem pluralitatem.

Secundò solet obiici Aristotel. *locis citatis*, quem Fonseca, & nonnulli alij explicant sicut D. Thomam, & ego dicam in sequentibus, quæ videtur mens Aristotelis.

Tertiò obiicitur, quia indiuiduum debet esse indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio; sed hoc non potest habere à materia sola: ergo ab illa cum quantitate. Maior est nota, & probatur minor, quia materia quantum est ex se est indifferens, & distinctio solet sumi ab actu; ergo ab ipsa quantitate, quæ videtur distinguere indiuidua materialia. Respondetur argumentum hoc nihil probare contra nostram sententiam, quia nos non concedimus totale principium indiuiduationis esse materiam, sed totam entitatem substantialem; neque ad hoc requiritur aliquo modo quantitas, vt constat ex dictis. Dum verò dicitur in argumento, distinctionem semper fieri ab actu, intelligendum est ita, vt non excludatur à totali principio distinctionis, materia ipsa, quæ licèt non sit actus formalis, vt dictum est in physicis; est tamen actus entitatiuus, qui, vt ex dicendis constabit, in se habet principium sufficiens distinctionis propriæ.

A

B

C

D

E

Quartò obiici potest ex Caietano *cap.* 2. de ente & essentia, Actus singularis supponit materiam singularem, ex Arist. 2. *physicorum cap.* 3. sed differentia indiuidualis est actus singularis; ergo supponit materiam singularem. Hoc argumẽtum opponit Caietanus contra ecceitatem Scoti. Nec desunt qui existiment eandem habere efficacitatem contra nostram sententiam; sed falluntur re vera, quia vel militat contra communem opinionem, vel omnino contra nostram non militat, quia omnis ferè sententia saltem ratione distinguit differentiam indiuidualem à differentia speciei.

Mihi verò videtur, hoc argumentum re vera tantùm esse contra sententiam Scoti ponentis differentiam indiuidualem ante intellectum distinctam à prædicamento specifico. Et explicanda est hæc ratio, iuxta supradicta, contra distinctionem, quam ponit Scotus, inter ecceitatem, & naturam specificam, & doctrinam hanc confirmat re vera locus Aristotelis, secundùm communem sensum interpretum 2. *physic. loco citato*. In compositione verò metaphysica prædicatorum distinctorum ratione, non est verum, gradum singularem supponere alterum gradum determinabilem singularem, quia nunquam intelligitur constituta species, v. g. ante actum specificum, neque indiuiduum ante differentiam indiuidualem, quod ex natura metaphysicæ compositionis pendet, & hoc siue in quolibet gradu concedantur indiuidua illius gradus, siue secus; de quo dixi in prædicabilibus.

Quintò obiici potest ex doctrina Caietani suprà: Quidquid conuenit vni, & repugnat alteri eiusdem speciei, supponit illa duo constituta, vt constare potest exemplis physicis; sed differentia indiuidualis conuenit vni, & repugnat alteri eiusdem speciei: ergo supponit duo illa iam constituta. Hoc etiam argumentum facit Caiet. contra Scotum distinguentem ante intellectum ecceitatem à natura specifica, & quamuis inefficax videatur aliquibus, tamen re vera efficax est, propter ea quæ dixi contra Scotum. contra nostram verò sententiam efficacitatẽ non habet, quia de differẽtia, v.g. specifica idem concedendum est, videlicet quòd conueniat vni, & repugnet alteri, & in differentia indiuiduali, illud aduertendum est, quòd etiam reperitur indifferẽtia specifica.

Quòd si cõcederes prædicatum quod immediatè determinat vnũ tantùm esse, licèt alia vnitate distincta ab ea, quam habet per determinationẽ graduum, refutatum manet ex dictis, nonulla alia facilia solent obiici contra nostram sententiam, quæ quia nihil habent efficacitatis, de industria prætermitto.

DVBIVM V.

Quod sit principium indiuiduationis rerum materialium incompletarum.

Diximus de substantiis materialibus totalibus, consequens est, vt explicemus principium indiuiduationis rerum incompletarum materialium; resoluenda verò est hæc quæstio per aliquot dubia.

Primum dubium est de principio indiuiduationis formæ substantialis materialis; cõmunis est Thomistarum sententia asserentium has formas intrinsecè indiuiduari à tota substantia, seu entitate; ita tamen vt metaphysicos gradus indiuidualis essentialiter dicat transcendentalem ordinem, ad determinatam materiam. legatur Bañex suprà *artic.* 9. Ferrara 2. *contra gentes, cap.* 81. & 75. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia si forma

ſubſtantialis ſecundùm gradum ſpecificum reſpicit A determinatam materiam, ita ſecundùm gradum numericum reſpicit hanc numero materiam, ſaltem cum his diſputationibus determinatam.

Alia eſt ſententia Scoti, & aliorum aſſerentium ſicut in præcedenti quæſtione, formas habere indiuiduationem à propriis ecceitatibus; ſed hæc ſententia ſi diſtinguat ecceitatem à prædicato ſpecifico, refutata eſt.

Tertia ſententia eſſe poteſt aſſerentium, gradum differentiæ indiuidualis ſumi à tota entitate, ita tamen, vt gradus ille ſolùm diſtinguatur ratione à gradu ſpecifico, & ſic omnino abſolutus, ſecundùm opinionem exiſtimantium, non dari relationẽ tranſcendentalem, quæ ſit de eſſentia formæ ſubſtantia- B lis. Fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt, quia gradus, vt probatum eſt, non diſtinguuntur ante intellectum, & poſterioris partis fundamentum eſt, vniuerſalis doctrina negans tranſcendentalem ordinem de eſſentia alicuius abſoluti.

Supponendum eſt primò, has formas habere in latitudine ſuæ ſpeciei gradus ſuos indiuiduales, ſi ſuo modo habent res completæ.

Secundò etiam ſupponendum eſt, hos gradus indiuiduales non diſtingui à gradu ſpecifico harum formarum.

Tertiò ſupponendum eſt, has formas reddi formaliter indiuiduas à gradibus indiuidualibus.

Quartò ſupponendum eſt, hunc gradum ſumi à C tota entitate phyſica formæ, quæ omnia probanda, & declaranda ſunt ex dictis quæſtione præcedenti. Solùm ergo eſt difficultas, quid importet formaliter ille gradus, pro qua explicanda, & enodanda,

Dico primò, hunc gradum non importare tranſcendentalem ordinem ad determinatam hanc numero materiam. Hæc concluſio à nonnullis probatur, quia vniuerſaliter exiſtimant, non eſſe huiuſmodi tranſcendentalem ordinem; ſed hæc doctrina ſic in communi ſumpta falſa eſt. Alia ergo ratione probatur concluſio, primò à ſimili, quia licèt potentia, v.g. dicat tranſcendentalem ordinem ad determinatum effectum ſecundùm ſpeciem; tamen hæc numero potẽtia non reſpicit hunc tantùm determinatum D effectum, nam cum vnitate potentiæ ſtat pluralitas effectus; ergo ſi ſubiectum, vel materia ſolùm conſideretur quodammodo, vt effectus formæ, ex vnitate formæ nõ poteſt inferri determinatus ordo ad hanc numero materiam. Quod ampliùs poteſt declarari, etiã à ſimili de anima rationali, quæ ſucceſſiuè poteſt informare plures partiales materias, & contingens eſt eſſe has, vel illas; & idem argumẽtum fieri poteſt in formis animaliũ perfectorum ſecundùm ſententiam aſſerentium, has formas eſſe indiuiſibiles, & informare diuerſas partes materiæ, nec poteſt dici formam etiam dependentem à materia, extenſam, & diuiſibilem, ex prædicato indiuiduali reſpicere hanc materiam numero, quia non reſpicit materiam niſi E media cauſalitate, & poteſt ex prædicato indiuiduali habere plures cauſalitates, v.g. plures informationes numero diſtinctas, quæ æqualiter connaturali modo pendeant à prædicato indiuiduali huius formæ. Vnde etiamſi Deus poneret eandem formam ſubſtantialem in duabus materiis, tamen quælibet cauſalitas, & informatio formam reſpiceret ſecundùm prædicatum indiuiduale, ſicuti de cauſalitate agentis dictum eſt in phyſicis, & idem eſſet de diuerſis cauſalitatibus materiarum reſpectu eiuſdem formæ, quia vtraque cauſalitas eodem modo reſpiceret differentiam indiuidualem termini.

Et poteſt exemplo quantitatis confirmari, quia quantitas Euchariſtiæ non dicitur minus connaturaliter in ſubſtantia in qua vnitur, poſtquam corruptis qualitatibus panis Chriſtus deſerit præſentiam quam habebat ſub illis, non minus, inquam, connaturaliter eſt in hac ſubſtantia quantitas, quàm fuiſſet priùs in ſubſtantia panis. Nec valet ratio oppoſitæ ſententiæ, quia, vt dixi, in potentia actiua concedendum eſt eſſe ordinem determinatum ad effectum ſecundùm eſſentiam, & tamen hæc numero potentia non eſt determinata ad vnum numero effectum, quia certum eſt hunc numero calorem poſſe efficere plures calores numero diſtinctos. Et Thomiſtæ quidem minus conſequenter loquuntur, quia, vt ſuprà vidimus, ipſi refutant Durandum dicentem vnitatem termini pendere ab vnitate agentis, & eo nomine refutat, quia cum vnitate agentis ſtat pluralitas effectus.

Quæ ratio eandem vim habet contra Thomiſtas aſſerentes, formam indiuiduari ab hac numero materia, quia cum vnitate huius materiæ poteſt ſtare multiplicitas formæ. Quòd ſi dicas, hanc formam reſpicere materiam prout diſpoſitam his diſpoſitionibus, faciam idem argumentum de qualibet diſpoſitione immediatè recepta in materia, præſertim in opinione Thomiſtarum aſſerentium, diuerſas ſolo numero quantitates eſſe ſucceſſiue in eodem ſubiecto: certiſſimum ergo arbitror, nullam formam ſubſtantialem per ſuam differentiam indiuidualem reſpicere vnicam tantùm materiam, quod in formis etiam ſpiritualibus exiſtimo verum, de quibus ſpecialiter loqui poteſt Toletus 3. *de anima, quæſt.* 18.

Dubium ergo eſſe poteſt, an quælibet forma ſubſtantialis per differentiam indiuidualem reſpiciat relatione tranſcendentali, omnes materias ſibi proportionatas, mediis propriis informationibus pendentibus à prædicato indiuiduali huius formæ, v.g. vel an hic gradus indiuidualis in ſua eſſentia omnino abſoluatur ab huiuſmodi ordine.

Scotus quidem *in* 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 6. Durand. *quæſt.* 2. & alij, qui negant relationes tranſcendentales, affirmant, hunc gradum eſſe omnino abſolutum. E contrario Thomiſtæ, vt vidimus, determinant iſtum ordinem ad determinatam materiam vnam numero. Nec deſunt, qui etiamſi in aliquibus prædicatis admittant ordinem tranſcendentalem, tamen in quibuſdam gradibus nolunt illum admittere; quæ reſpondet ex longiſſima diſputatione de relatione tranſcendentali, quam alibi tradidi, & modò coactus temporis anguſtiis non poſſum repetere; vnuſquiſque verò iuxta propriam opinionem de relatione tranſcendentali poteſt philoſophari.

Secundum dubium eſt de differentia indiuiduali materiæ primæ. Primus modus dicendi eſt, aſſerentium, hanc numero materiam indiuiduari per determinatum ordinem ad hanc numero quãtitatem; ſed hæc ſententia abſolutè videtur falſa, quia eadem numero poteſt diuerſis cauſalitatibus recipere diuerſas numero quantitates, vt ſuprà in ſimili arguebam. Secundus modus poteſt eſſe aſſerentium, materiam indiuiduari per determinatum ordinem ad vnam numero formam; ſed hic modus, ſicut & præcedens, facilè refutatur, quia eadem realiter materia, etiam ex natura rei ſucceſſiuè diuerſas formas recipit.

Supponenda ſunt in hoc dubio quæ ſuppoſita ſunt in præcedenti, & iuxta dicta certum debet eſſe, materiam primam à gradu indifferentiæ indiuidualis eſſe indiuidualem. Secundò etiam certum eſt, ex impugnatione aliarum ſententiarum, materiam ſecundùm iſtum gradum non reſpicere vnã aliquam

determina

determinatam numero formam. An verò in illo gradu habeat ordinem transcendentalem ad formas quas potest recipere mediis propriis materializationibus, dubium est simile ei, quod tetigimus de gradu iodiuiduali formæ.

Sed potest obiici primò, ex doctrina D. Thomæ 2. *contra gentes cap.* 75. *&* 81. qui dicit animas indiuiduari per ordinem, & commensurationem ad corpos. legatur etiam 1. *part. quæst.* 76. *art.* 2. Secundò etiam circa id quod diximus de materia, potest obiici ex eodem D. Thoma 1. *part. quæst.* 50. *art.* 4. Videtur enim in corpore apertè supponere materiam distingui numero ex ordine ad quantitates, & ita vbi hic ordo non reperitur, negat multiplicitatem indiuiduorum.

Primus locus supponitur à iunioribus Thomistis, vt suprà indicaui, vt scilicet velit D. Thomas tantùm à posteriori ex materia signata quantitate cognosci diuersitatem formæ; veruntamen, vt dixi, hæc expositio non potest stare cum aliis principiis D. Thomæ, & multo minus hæc expositio potest cóuenire loco secundo citato ex prima parte, in quo, vt suprà dixi, vult D. Thom. ex materia capaci quantitatis oriri multiplicationem numericam. quæ doctrina, vt infrà videbimus, inefficaciter probatur, & ego eam existimo absolutè falsam.

Tertium dubiom restat, de modis substantialibus, in quo, iuxta supradicta, dicendum est, esse in quolibet istorum modorum suum gradum indiuidualem, indistinctum à prædicato specifico. Secundò in his esse determinatum ordinem ad extrema, quorum sunt modi, constat enim ex dictis in physicis, materializationem pendere determinatè ab hac numero materia, & respicere determinatè hanc numero formam; & idem est de informatione. Constat etiam ex dictis in physicis subsistentiam determinatè respicere hanc numero rem, quam terminat.

Difficultas tamen esse potest, an isti modi distinguantur per solum gradum dicentem ordinem ad hæc extrema, vel requiratur aliquis alius gradus, omnino ab hoc ordine absolutus, quod dubium pendet, sicut præcedentia, ex vniuscuiusque opinione, de relatione transcendentali, & infrà indicabo in simili, quam habeat pro vtraque parte difficultatem.

DVBIVM VI.

Quod sit principium indiuiduationis in accidentibus materialibus.

SVpponendum est in hac quæstione, quodlibet accidens habere suum gradum indiuidualem indistinctum ante intellectum à prædicato specifico, quod probandum est in simili ex dictis de substantia; vnde præcipua difficultas est inter Metaphysicos, an hic gradus differentiæ indiuidualis accidentis ita determinatè respiciat hoc subiectum, vt per hunc ordinem indiuiduetur. Et affirmant multi, qui existimant duo accidentia solo numero differentia, non posse esse simul in eodem numero subiecto, quæ videtur sententia S. Thomæ 5. *Metaphys. lect.* 12. *&* 3. *part. quæst.* 35. *art.* 5. tenet Capreolus 1. *dist.* 7. *quæst.* 2. Caietan. & alij Thomistæ 3. *part. loco citato*, & sæpe aliis locis, Soncin. 7. *Metaph. quæst.* 4. Henric. *quodlib.* 15. *quæst.* 6. Bañes 1. *de generat. quæst. citat. art.* 9 *concl.* 3. qui licèt videantur vniuersaliter loqui, tamen in solutione argumentorum aliquo modo videntur limitare hanc doctrinam: vt enim vidimus in libris de anima, multi sunt, qui concedunt, duas species solo numero differentes in eodem subiecto.

Duobus præsertim argumentis probatur hæc sententia. Primum est à subiecto, quia à quo res habet entitatem, habet vnitatem. Secundum est, quia sicut accidens in communi respicit subiectum in communi, ita hoc accidens determinatum hoc subiectum determinatum respiciet, eadem enim videtur vtriusque proportio.

Alia sententia est asserentium, accidentia ita indiuiduari ab hoc gradu indiuiduali, vt ex hac parte non implicet duo accidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto. tenent omnes ferè citati autores quæstionibus præcedentibus pro nostra sententia; & Scotus existimat hanc differentiam indiuidualem actus esse omnino absolutam, iuxta vniuersalem suam doctrinam de relatione transcendentali. Vt explicem rem hanc,

Dico primò, accidens non ita respicere hoc determinátum subiectum, vt non possit respicere aliud. Sermo est de his accidentibus, quæ dicuntur res, prout condistincta à modis rerum. Probari potest primò, exemplo quantitatis Eucharistiæ, quod suprà explicui. Secundò, quia istud accidens potest habere plures causalitates numero diuersas, circa diuersa numero subiecta, quæ eodem modo pendeant à differentia indiuiduali huius actionis, vt patet, si Deus ponat eádem albedinem successiuè in pluribus qualitatibus; neque enim potest fingi physica distinctio inter has duas informationes albedinis, in modo quo pendet à differétia indiuiduali huius albedinis, sunt enim eiusdem speciei, & postulant pendere ab hac numero albedine, sicuti duæ actiones eiusdem agentis, ab eodem agente. Et idem argumentum fieri potest de materializationibus terminatis ad eandem albedinem, eodem enim modo illam respicerent. quæ omnia ex supradictis possunt declarari. Ex his

Dico secundò, non ita respicere hoc numero accidens, hoc determinatum subiectum, vt nullum aliud accidens numero distinctum possit simul respicere idem subiectum. Hoc in primis probatur etiam ad hominem, contra aliquos Thomistas, quia, vt vidimus in libris de anima, nonnulli etiam ex Thomistis concedunt duas species solo numero differentes in eodem subiecto.

Et ratione probatur, quia etiam ex communi opinione Thomistarum, possunt, saltem successiuè, esse duo accidentia eiusdem speciei in eodẽ subiecto; ergo in ordine ad idem subiectum habent hæc duo accidentia diuersas differentias indiuiduales, ad quas omnino extrinsecè se habet tempus: ergo etiãsi hæc duo accidentia simul essent, perseuerarent distinctæ illæ differentiæ indiuiduales, quia quæ semel distinguuntur realiter, nullo modo possunt identificari.

Et declaratur magis, quia quòd duo aliqua accidentia non possint esse in eodem subiecto, non prouenit ex hoc quòd quæconque accidentia solo numero differentia in eodem subiecto fiant vnum numero per identitatem, vel componant tertium aliquod, hoc enim falsum est, vt probaui 2. *de anima disp.* 5. *quæst.* 3. & de facto concedunt Thomistæ, calidum vt quatuor applicatum æquali calido, non producere in illo similem calorem, quem tamen produceret, si passum esset denudatum à simili calore, & ratio à priori est, quia quilibet calor, v.g. habet suum gradum indiuidualem; quòd verò esse simul non possint, prouenit ex eo quòd eodem modo informent subiectum, vt probaui *loco citato*, vbi hanc rationem fusè prosequutus sum; & ideo existimo ex parte indiuiduationis absolutè non implicare

duo accidentia solo numero differentia esse posse in eodem subiecto.

Sed quæret aliquis, quænam possit esse regula ad cognoscendum, quæ accidentia solo numero differentia, & permanentia possint simul esse in eodem subiecto.

Dubium præcipuè est de rebus, non de modis.

Scotistæ affirmant, accidentia intentionalia posse esse simul, in quibus numerant lumen. Antonius Andreas 5. *Metaphys. quæst.* 8. Hæc tamen regula non potest esse vniuersaliter vera, quia, vt probaui *loco citato*, duæ species intentionales omnino eiusdem obiecti, & secundùm eandem rationem, non possunt esse in eodem subiecto, & quod specialiter dicitur de lumine, etiam ex illis principiis refutatum est.

Alij existimant, accidentia quæ respiciunt aliquid extrinsecum, vt obiectum, vel terminum, solo numero differentia, posse esse in eodem subiecto. Hanc tamen regulam ratio facta refutat, discedit re vera à veritate, quia duæ species, vt dixi, etiamsi respiciant aliquid extrinsecum, si sint eiusdem obiecti secundùm idem, non possunt esse simul.

Tertiam tamen regulam tradit Iandunus 5. *Metaph. quæst.* 36. dicens accidentia propria non posse multiplicari secundùm numerum in eodem subiecto, secus tamen accidentia omnia; sed hoc etiam non potest esse vniuersaliter verum, vt probat exemplum præfatum de duabus speciebus.

Quartò non desunt ex Thomistis, quos citaui *quæst. citata*, qui affirment, accidentia solo numero differentia in esse quodam imperfecto, posse esse in eodem subiecto non alio modo, & hac ratione concedunt duas species solo numero differentes in eadem potentia visiua, & tamen nolunt concedere duos actus in eadem potentia; sed & hanc doctrinam etiam refutaui *loco citato*. Alij verò affirmant, non posse omnino tradi certam regulam, sed considerandam esse naturam cuiusque accidentis. Sed quæ sit obseruanda regula, dixi *quæst. illa* 3. *citata*; quam etiam ibi probaui.

Dubium tamen esse potest, an gradus differentiæ Indiuidualis accidentis, dicat essentialiter ordinem ad subiecta, quæ potest informare mediis propriis informationibus; vel an ille gradus omnino sit absolutus? quod dubium, vt alia suprà indicata, pendet ex diuersa opinione de transcendentali ordine.

Ad argumenta oppositæ sententiæ facilè respondetur ex dictis.

Ad primum dico, illud habere eandem vim in speciebus sensibilibus, quas tamen solo numero differentes, etiam ipsi admittunt in eodem subiecto. Secundò respondeo, verum esse accidens habere vnitatem à subiecto, sicuti & entitatem, quia sicut esse actionis causatur à subiecto, ita & quidquid reale dicit vnitas actionis; sed non eo sensu intelligendum est accidens habere vnitatem à subiecto, vt gradus indiuidualis accidentis ita respiciat hoc subiectum, vt aliud non respiciat, vel ita vt non compatiatur secum alium gradum indiuidualem in ordine ad idem subiectum; quantum ad hoc enim, formaliter loquendo, eodem modo vnitas accidentis pendet ab vnitate agentis, vt bene docuit Durandus, sicuti ab vnitate materiæ, vel subiecti. Secundum argumentum eandem habet difficultatem in duabus speciebus sensibilibus, vt dixi, & ex supradictis solutum est.

De modis accidentalibus dubium esse potest, à quo sumant suam indiuiduationem. In quo dubio supponenda sunt ea, quæ de gradu Indiuiduali cuiuslibet rei dixi, & quia multi sunt modi accidentales, A primò de materiali ratione, & informatione philosophandum est, sicuti de materiali ratione, & informatione substantiali, de quibus suprà *quæst.* 5.

Secundum dubium esse potest de præsentiis, quæ sunt veluti modi quidam rerum, vt constat ex physicis, & in his etiam verum est gradum indiuidualem respicere determinatum subiectum; & spacium, ita vt hæc numero præsentia, v.g. neque in alio subiecto, neque in alio spacio esse possit.

An verò hæc accidentia possint secundùm numerum multiplicari simul tempore virtute Dei, ex physicis deducendum est, & eodem modo proportionaliter loquendum est de relationibus eiusdem fundamenti ad eundem terminum, & idem etiam de B actione est seruata proportione dicendum, de qua specialiter dictum est in physicis cum communi doctrina, secundum gradum indiuidualem respicere hunc numero terminum, hoc passum, & hoc agens; à passo enim & agente pendet per essentiam, termino verò vnitur seipsa, & determinatè est factiua huius termini, & ideo quolibet horum deficiente, necesse est deficiat actio.

Dubium tamen esse potest, an hic gradus indiuidualis actionis sit omnino essentialiter absolutus, vel dicat aliquam habitudinem essentialem. Scotus, & alij negantes relationem transcendentalem de essentia alicuius absoluti, consequenti ratiocinatione dicent, hunc gradum esse omnino absolutum; alij C verò ex opposito fundamento tenentur dicere hunc gradum essentialiter dicere ordinem transcendentalem ad hunc terminum, ad hoc agens, & hoc passum. Sed hæc sententia videtur hîc habere specialem difficultatem, quia, vt constat ex physicis, ad eundem terminum, ab eodem agente, & in eodem passo possunt esse distinctæ actiones secundùm numerum; ergo per ordinem ad hæc tria non possunt istæ actiones inter se distingui, quia in respectu ad hæc tria videntur conuenire.

Propter difficultatem hanc existimant nonnulli, quòd licèt distinctio numerica actionis petenda sit ab his tribus, ita vt differentia indiuidualis dicat ordinem ad hæc tria, necessarium tamen esse super- D additum gradum omnino absolutum, quo actiones istæ possint inter se numero adæquatè distingui: qui modus dicendi nullum videtur pro se habere autorem; quia, vt dixi, explicans definitionem animæ, omnes autores absolutè diuisi sunt in duas sententias. nam vel omnino existimant, res absolutas secundùm nullum gradum importare transcendentalem ordinem, vel si admittant rem, secundùm superius prædicatum dicere ordinem; idem dicunt de prædicato inferiori, vt etiam docui in prædicamentis, & in præsenti hæc doctrina nullo modo videtur vera, quia vel gradus ille omnino absolutus includit ordinem, per quem dicitur hæc actio distingui numero, licèt inadæquatè, & tunc ordo inclusus in ra- E tione absoluta, vel non posset perseuerare in ratione ordinis, quia prædicatum transcendens inclusum in inferiori, non distinguitur ab inferiori, vt suprà dixi de ratione entis inclusa in substantia. Quòd si quis velit aliquo modo fingere hunc ordinem etiam inclusum in ratione absoluta habere rationem ordinis, videtur omnino falsum, vt dixi, & manifestè sequitur esse vnum quoddam prædicatum in his actionibus, distinctum à prædicato specifico, in quo specifico actiones etiam alterius agentis, cum actionibus huius agentis conueniunt.

Ex quo fieret, calefactiones, v.g. procedentes ab eodem agente in eundem terminum, & in eodem passo, habere conuenientiam aliquam in prædicato

vno

vno aliquo, quam non haberent calefactiones alterius agentis. Vnde, vel ista conuenientia ponitur in prædicato essentiali, & sic fieret, huiusmodi calefactiones distingui essentialiter ab aliis; vel ponitur conuenientia in prædicato indiuiduali, & hoc videtur importare implicationem in ipsis verbis, differentia enim indiuidualis non potest esse communis multis, & sequetetur etiam vnum aliquod prædicabile distinctum à quinque, quia hæc est vna ratio in multis differentiis indiuidualibus, & non specifica.

Vel ponitur iste ordo omnino extra gradum absolutum superadditum, & tunc cùm iste gradus sit communis multis, & adhuc determinabilis per differentias indiuiduales omnino absolutus, haberent B istæ calefactiones aliquod prædicatum commune, quo caterent aliæ calefactiones, vnde videntur essentialiter distinctæ.

Quòd si aliquis velit istum gradum pertinere ad differentiam indiuidualem, redit difficultas tacta, quia ponitur gradus indiuidualis communis multis, quod videtur pugnare cum gradu indiuiduali. quòd si dicat aliquis, illum ordinem non esse communem, sed omnino singularem, sufficientet per illum potest hæc actio distingui ab omnibus aliis, quia nihil aliud habet indiuidualis, & vltima differentia, & sequeretur etiam inconueniens suprà tactum, de nouo prædicabili.

Sed absolutè probatur, nullum esse gradum om- C nino absolutum in actione; quia præcipuum fundamentum ad ponendos transcendentales ordines, desumitur ex conceptione; quia, vt dixi capite de relatione, multa sunt, quorum essentia sine ordine cognosci non potest; sed nullum est prædicatum in actione, quod possit concipi sine ordine ad agens: ergo nullum est prædicatum omnino absolutum. Consequentia est euidens, maior constat ex dictis, & probatur minor Nullum prædicatum est in actione, quod non debeat concipi vt ens, vt per se constat, tunc vlteriùs vel concipitur vt ens à se, vel ab alio: non à se, quia est finitum quid per essentiam; ergo ab alio. Consequentia constat ex supradictis. Deinde si concipitur vt pendens ab alio; er- D go vel per dependentiam superadditam, vel per seipsum, his tantùm enim duobus modis potest vnum ab alio pendere, vt constat ex physicis; sed prædicatum actionis vel secundùm speciem, vel secundùm indiuiduum, non concipitur vt dependens ab alio, per superadditam dependentiam, quia, vt constat ex physicis, actio in sua essentia habet pendere seipsa: ergo prædicatum differentiæ indiuidualis actionis, concipitur vt dependens ab alio seipso: sed non potest hæc calefactio concipi vt pendens ab alio secundùm rationem communem, vt per se constat; ergo vt dependens ab hoc; ergo ipsa differentia indiuidualis non potest intelligi sine ordine ad hoc agens; ergo de primo ad vltimum E nullum est in hac actione prædicatum omnino absolutum, & ideo absolutè videtur dicendum, vel omnem gradum esse absolutum, vt dixit Scotus: quod tamen, vt sæpe dixi, non videtur verum, & contra communem sententiam negatur transcendentalis ordo, quam probaui in prædicamentis; vel dicendum est, nullum gradum esse in actione, qui non habeat hunc ordinem.

Et ita ad rationem dubitandi dicendum est, actiones has respicere idem agens, eundem terminum, & in eodem passo, ita vt ex talitate ordinis distinguantur inter se istæ differentiæ indiuiduales harum actionum, quæ totis seipsis differunt, Neque A possunt concipi cum aliquo vno in inclusione, sicut neque alij gradus indiuiduales; & simili modo loquendum est in aliis causalitatibus & modis.

Habet hæc res difficultates alias, sed communes contra vniuersalem doctrinam de ordine transcendentali, quæ partim in prædicamentis, capite de relatione, partim in autoribus legi possunt, & ideo illas consultò prætermittendas iudicaui.

DVBIVM VII.

Quod sit principium indiuiduationis in substantys spiritualibus completis.

NOnnulli existimant, in substantiis spiritualibus completis non distingui gradum indiuidualem à gradu specifico, aut saltem gradum indiuidualem talem esse vt non possit in eadem specie multiplicari. Et videtur sententia S.Thomæ *1.part. quæst.50.art.4.* & sæpe aliis locis, in quibus existimat, non posse in eadem specie Angeli, esse plura indiuidua. Fundamentum præcipuum est, quia non potest esse distinctio numeralis, vbi non est materia capax quantitatis. quæ etiam videtur sententia Aristotelis *locis suprà citatis quæst.4* & sequuntur multi ex Thomistis *1.p.loco cit.* & Capteol.*2.dist.3.quæst.1.* Abulens.*paradox.4.cap.34.*

Alia est sententia asserentium posse in eadem specie Angeli esse plura indiuidua, qui manifeste supponit gradum indiuidualem posse sumi in Angelis à propria entitate, etiamsi nulla sit materia, & posse hunc gradum multiplicari in eadem specie, docuit Scotus, & sequitur ex principiis illius, *locis citatis*, legi potest *2.dist.3.q.3.& 7.* Bonauent. *2.part. dist.*.. Durand.*quæst.3.* Alensis *2.part.quæst.20.membro 6. art.1.* & de potentia absoluta concedit hoc Capreolus *suprà ad 2.* Ferrara *2.contra gentes cap.39.* & absolutè hanc sententiam sequitur Molina *1.part.loco citato.*

Iuxta supradicta absolutè existimo, possibiles plures Angelos in eadem specie. Ratio sumenda est ex dictis, quia in qualibet entitate gradus indiuidualis sumitur à tota entitate, & ita potest etiam sumi in entitate spirituali, vnde ruit oppositum fundamentum, quia absolutè independens est gradus indiuidualis, & multiplicatio illius à materia, signata quantitate. Vnde etiam existimo posse reperiri in Angelis multiplicationem numericam in eadem specie, si haberent materiam, etiamsi illa non esset capax quantitatis, cuius oppositum ex opposito fundamento docuit S.Thomas *loco citato*; de isto verò gradu indiuiduali, in nostra sententia loquendum est sicut de aliis; neque enim est admittenda distinctio Scoti, quam ponit ante intellectum, inter istum gradum, & gradum specificum.

Ex dictis verò existimo, esse contra mentem D.Thomæ affirmare, posse de potentia absoluta esse plures Angelos in eadem specie, quia si hoc esset possibile, non potest esse vniuersaliter verum fundamentum D.Thomæ, quo ille concedit multiplicationem numericam non reperiri, vbi non reperitur materia capax quantitatis, & ideo Capreol. & Ferrar. & alij iuniores Thomistæ discedunt te vera à mente S.Thomæ. Et ampliùs potest probari, quia ipse S.Thomas *1.part.quæst.41.art.6.* eodem fundamento probat, non posse esse in diuinis plures filios, quo in loco non potest explicari D.Thomas, vt loquatur solùm de potentia ordinaria, vt constat, & ideo absolutè concedendum est, nostram sententiam esse contra mentem S.Thomæ, quæ intellexerunt sic Caietan. & alij Thomistæ *1.part.*Capteolus *suprà.*

Scutus 2. *dist. citata.* Durand. *eadem distinctione*, & Molina *loco citato* sic arbitratur intelligendum esse D.Thomam.

His suppositis dico secundò, quamuis dubium sit, an de facto sint plura iodiuidua in qualibet specie Angeli, tamen satis probabile est illa esse. Prima pars ptubatur, ex eo quòd neque ex Scriptura, neque ex Patrihus putest aliquid de facto certò probari, imò hanc partem videtur docuisse Augustin. *in Enchirid. cap.58. & lib. 12. de Genesi ad liter. cap.28. lib. contra Priscill. ad Orosium. cap.11.* & clarius Damascen. 2. *fidei cap.3.* Secundam partem affimant Alensis, Bonauentura, Scotus, Durand. & Molina *suprà*, aliique huius ætatis Theologi, indicat Nazianzen. *oratione in laudem virginitatis.* Athanasius *quæstionibus ad Antiochenos quæst.8.* Basilius 3. *contra Eunomium.* Anselmus 2. *cur Deus homo, cap.21.* autur elementarij *lib.1. cap.7.* habetur ioter opera Damasceni: indicat etiam Palladius *in vita Machary Ægypty.* Et supposita possibilitate satis est ratiooi congruum esse in qualibet specie Angelorum plura indiuidua, ad manifestatiunem potentiæ Dei, gratiámque Angelorum societatem, & omnes ferè, qui hoc negant de facto, sic sentiunt, quia existimant esse impossibilem talem multiplicitatem.

De mente Aristotelis est dubium propter loca citata *quæst.4.* Scotus 2. *dist.3. quæst.6.* Antunius Andreas 5. *Metaphysicorum, quæst.5. art.3.* Vasolis 2. *dist.12. quæst.4.* & alij discipuli Scoti vulunt, Aristotelem nomine materiæ intelligere gradum indiuidualem, distinctum ante intellectum ab specificu. Sed & hæc ductrina est falsa, & Aristuteles re vera, numine materiæ videtur intelligere materiam, quæ est receptiua furmæ secundùm upiniouem commuoem autorum *locis citatis.* Vnde & 12. *Metaph. textu 49.* probat oon esse plures numero motores primos, quia quæ differunt oumero, habent materiam; primus verò motor materia caret.

Ex quo constat, quòd Aristot. ex carentia materiæ vult probare non esse possibiles plures gradus indiuiduales iu eadem specie. & ita Molina *supra* fatetur Aristotelem in hoc principiu fuisse deceptum, & idem docet Funseca 5. *Metaphys. cap.6. quæst.5. sect.4.* &, vt verum fatear, sic mihi videtur. De accidentibus verò spiritualibus, siue sint res, siue modi, philusophandum est sicut in simili de accidentibus materialibus.

Nunnulli hoc loco quærunt, quæ sit causa propter quam hîc & nunc producatur hic oumero effectus, & non alius à causa secuoda, de quu dixi 2. *physicorum.* Et ratio dubij esse putest, quia hic calur, v.g. indifferens est ad producendos plures numero calores, & passum etiam est indifferens: nihil ergo videtur esse quod physicè determinet agens. Primus modus dicendi est, huc pendere ex libertate primæ causæ, vt hoc etiam sensu iotelligatur trita illa apud antiquus propositio, Opus natnræ est, opus intelligentiæ, sic sensit Toletus 8. *physic. quæst.3.* & tenet Fonseca 1. *Metaphys. cap.2. quæst.3. sect.8.* Alij verò voluot huc reducere ad exigentiam talium dispusitionum; verumtamen de his etiam prucedit dubium præsens.

Alius modus dicendi est asserentium huic agenti pro hoc tempore debeti determinatum huoc concursum circa hoc passum; ita vt determinatio proueniat à Deo ex circunstantia temputis, sic Sotus 4. *dist.43. quæst.*.. legatur P.Suarez 3. *part. tom.2. disp.44. sect.7.* & probati potest, quia hoc modo iotelligitur, & causas naturales agere secundùm exigentiam naturæ, & resurrectiunem non pusse esse oaturalem, vt ducent Patres & Theologi, vt videre est apud P.Suarez *sect. citata,* hac enim ratione uptimè intelligitur repetitum concursum ad eundem effectum ex natura rei nuo esse debitum, & ita reunio eiusdem animæ cum materia nun erit naturaliter possibilis, quia neque est naturaliter possibilis repetita introductiu earundem dispusitionum, qui modus dicendi est probabilissimus, & ferè in re nun differt à priori, omnes enim tenentur concedere, repetitam actiunem ad eundem effectum, non esse debitam causæ naturali, destructo effectu, siue effectus sit substantia, siue accidens, siue sit forma naturalis, siue artificialis, de quibus sine causa variè loquuntur nonnulli, vt dixi 2. *physicorum.* Plura de hoc vltimu dicere nuo est huius loci.

DISPVTATIO IX.

METAPHYSICA.

De passione ad aliquid, & de distinctione.



LIQVIO significat vnum, vt distinctum ab aliu, vt ducuit D.Thomas *quæst.1. de veritate.* legatur Iauellus *cap.3. de transcendentibus*, & Suncinas 4. *Metaph. quæst.27.* vult enim D.Thomas ex communi vsu, vnum significare ipsam rem, vt indiuisam io se, & veloti à seipsa indistinctam; aliquid verò significare rem vt diuisam, & distinctam ab aliis, vel, vt alij loquuntur, vt negatam ab identitate cum aliis: occasione ergu huius passionis, quæ ferè nihil habet difficultatis, de distinctiunibus in genere est nobis disputandum hoc locu, est enim res hæc, si quæ alia, metaphysici negotij, & quæ in omnibus ferè materiis uccurrit sæpe.

DVBIVM I.

Quid requiratur, vt duo aliqua distinguantur ante intellectus operationem.

SVpponendum est, distinctionem semper esse inter duu extrema, & talis erit distinctiu, qualia extrema ipsa fueriot, pruportiune seruata; ratio est, quia distinctio est relatiu, & habitudu essentialiter, vt per sese constat. Ex quu fit necessariò, vt distinctiu, quæ est ante intellectus uperatiunem, requirat necessariò extrema, etiam ante iotellectus operatiunem. Quærimus ergo. quid requiratur in his extremis, vt habeant hanc distinctiooem, ex quo etiam ous possimus illam colligere.

Nonnulli existimant, ad haoc distioctionem sufficere, & esse necessarium extrema habere diuersam existentiam. quæ upiniu non placet Funseeæ 5. *Metaphys. c.6. quæst.6. sectione* 1. Primò, quia hæc non sufficit. nam figura (inquit) & quantitas, relatio, & fundamentum habent diuersas existentias, & non distinguuntur realiter. Prubat primum, quia aliquando corrumpitur relatiu, & manet fundamentum. Secundum verò non prubat Fonseca. Veruntamen, si aliqua duo habeant diuersas existentias ante intellectum, sine dubiu distinguentur realiter, quia, vt dicemus agentes de existentia, non distinguitur essentia ab existentia ante intellectum, & ideo vbicunque fueriot diuersæ existentiæ, erunt etiam diuersæ essentiæ, & quamuis existentia distingueretur vt modus ab ipsa essentia, quælibet essentia deberet habere suam propriam existentiam,

vt

vt ex dicendis de existentia constabit. Addit Fonseca, prædictam conditionem non esse necessariam, vt aliqua distinguantur tealiter, quia personæ diuinæ (inquit) distingunnrur realitet, & tamen solùm babent vnam existentiam. Sed hæc ratio falsam supponit doctrinam, vt dicam agens de existentia.

Secunda opinio est asserentinm, ad distioctiouem tealem sufficere, extrema diuersa generatiooe generari, & diuersa cotruptione corrumpi, sic docuit Anronius Trombeta *tractatu de formalitatibus cap.2.* Sed hæc conditio non placet Fonsecæ, quia telatio (inquit,) & fundamentum non distinguuntur tealiter, & tamen diuersa generatione generantur, & diuersa corruptione corrumpuntur. Sed hæc doctrina Fonsecæ impugnanda est sicut præcedens; quia, vt constabir ex dicendis, vera est hæc secunda sententia. Addit Fonseca, potentias naturales distingui tealiter ab essentia, & tamen eadem generatione generari. Sed hæc doctrina impugnata est in physicis, & *2. de anima, disp. de potentijs animæ.*

Tertia opinlo est asserentinm, distinctionem tealem reqoirere mutuam separationem extremorum, quæ sententia si velit noo distingui ea quæ non possunt mutua separatione separari, falsissima est, vt dicemus. Si verò velit ex mutua separatione bene inferri distioctionem extremorum, quæ separantur, vera est, vt constabit.

Fonsoca *loco citato* tres adducit conditiones, vel signa, ex quibus colligi potest distinctio realis, qui nomine distinctionis tealis non videtur intelligere omnem distinctionem existentem ante operationem intellectus, sed eam, quam nos vocamus distioctionem rei à re: huius ergo primum signum est, si alterum extremum sit producens aliud productum, quia es natura rei non potest eadem tes producere seipsam, aut esse principium sui ipsius. Secundum signum est valde simile priori, quando vnum est causa, alind effectus, quia ex natura rei oihil potest causare seipsnm etiam actione conseruatiua; an verò possit aliquid efficienter conseruare seipsum de potentia absoluta, non est huius loci. Tertium signum est distinctio suppositorum, qua ratione distioguuntur duo homines, quæ conditiones verissimæ sunt.

Verùm vt rem explicem, dicendum est, mutuam separationem vnius ab altero bene inferre distinctionem tealem, hæc est communis, & à fortiori constabit es dicendis, & probari potest, quia sicut res non potest non esse quod est, ita noo potest esse sine seipsa, aliàs ipsa non esset: ergo si ante intellectnm, vnum est sine alio, & è contrario, vtrunqne est ab altero distinctum. Conseqnentia est euidens, & antecedens lnmine naturali notum, & à posteriori probari potest, quia aliàs vix posset efficaciter probari distinctio aliqua duarum rerum ante intellectum.

Sed aduertendum est, Bañes 1. *de generatione c.4. quæst.5. ad 3. Scoti*, sensisse, aliqua posse mutuò separari, quæ tamen sint idem realiter; existimat enim relationem similitudinis, & dissimilitudinis in eodem fundamento, identificari cum fundamento, & tameo inter se distingui, & ideo illam propositionem, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, vult esse intelligendam de his, quæ simnl existunt cum tertio, & inter se; veruntamen hanc explicationem illius propositionis nullus hactenus Scholasticorum docuit, vt potest vnusquisqne videre in materia de Trinitate, vbi variæ adducuntur explicationes illius propositionis. Et explicatio falsa est, quia si res aliqua in creatis est idem tealiter cum A alia, impossibile est esse sine illa, sicut impossibile est esse sine seipsa, vt per sese pater; ergo si relatio quæ hodie existit in fundamento, est idem realiter cum fuodamento: ergo tealitas fundamenti oon potest existere sine realirate huius relationis. Probatur, quia non potest existere sine seipsa; ergo si crastina die esistit alia relario in hoc fundamento, quæ est idem realiter cum illo, verè istæ doæ relationes existunt simul, & tamen ex concessione idenrificantur cum tertio: ergo sunr idem inter se, quæ tota ratiocinatio ad hominem videtur euidens.

Vlteriùs, si quæ successiuè existunt in eodem fundamento, realiter distingunntur inter se; ergo quantumuis simul existerent, non identificarentur realiter. B nam sicut impossibile est rem aliqnam non esse, quod est per negationem identitatis, ita impossibile est rem aliquam esse per identitatem, quod non est, vel fuit, vt per se se constat. Et ab inconuenienti potest etiam declarari, quia aliàs vix posset in creatis probari distinctio duorum à tertio, etiam probata distinctione duorum inter se, si semel demns duo aliqoa inter se distincta identificari posse cum tertio in creatis, vt constat. Et ideo propter mutuam separationem relationum inter se probaui capite de relatione, relationes distingui realiter à fundamento, &, vt infià videbimus, locus est topicus ad probandam distinctiooem duorum.

Secundò aduertendum est, nos non negare in C præsenti posse aliqoa distingui tealiter, etiamsi mutua separatione non possint separari, fieri enim potest, vt licèt vnum extremum possit existere sine altero, quia omnino independens est ab illo; tamen alterum à priori non possit separari, propter specialem connexionem, vel essentialem dependentiam, vt constat in creatura respectu creatoris: quamuis enim creator possit esse sine creatura, tamen certissimum est, creaturam non posse existere sine creatore. Ex his constat qua ratione tres primæ sententiæ possint habere verum sensum circa extrema, quæ distinguontur vt res: quomodo autem verum habere possint, etiam in his quæ distinguuntur vt modus, & res, infrà constabit.

D

Dvbivm II.

An sufficiat separatio non mutua ante intellectum vt duo dicantur realiter distingui.

PRima sententia est asserentium hanc separationem sufficere vt duo aliqua distinguantur ante intellectum absolutè, sic docet Scotus 2. *dist.* 1. *quæst.5. & in 3. dist.8. quæst.*1. Durand. 1. *dist.* 30. *quæst.*2. *num.*14. Trombeta 7. *Metaphys. quæst.*3. *art.*1. Venetus 3. *sua Metaph. cap.*2. Ferrara 1. *physic. quæst.*10. Fonseca 1. *Metaph quæst.6. cap.6. sect.*1. & argumento de separatione E non mutua vtitur Medina 3. *part. quæst.*4. *art.*2. ad probandum subsistentiam distingui à natura, & eodem argumento Venetus 3. *physicorum super textum* 19. ad probandum motum distingui à termino. Et videtur meo iudicio mens Aristot. 7. *topic. loco* 16. circa quem legatur Aphrodisæus & Niphius; & quamuis Louanienses videantur explicate hunc locum, & multi alij iuniores, de sepatatione mutua, tamen re vera sioe causa, & fundamento, sic explicatur, imò contra rationem, vt infrà videbimus. Et, vt dixi 3. *physicorum*, agens de distinctione motus à termino, hoc argumento vsus est Augustinus *tomo 6 de Trinitate cap.*6. vt probet, figuram distingui à quantitate; ex iunioribus verò sæpe sup-

A ponit hanc doctrinam P. Suarez 3. *part.* legi poteſt *tomo* 1. *diſp.*8. *sect.*2.

Secunda ſententia eſt aſſerentium eſſe etiam hanc diſtinctionem ſeparationis non mutuæ inter duo aliqua, quæ vel ſola ratione, vel, vt alij loquuntur, formaliter diſtinguuntur, etiamſi ſint idem realiter.

Caietanus 1.*part.quæſt.*28.*art.*2.exiſtimat, ſeparationem non mutuam non probare efficaciter diſtinctionem realem, eſtque multorum ſententia, quos retuli *cap.de relatione*, tractans de diſtinctione relationis à fundamento, & 3.*phyſic.* tractans de diſtinctione motus à termino, & aliorum huius ætatis.

Scotus tamen 1.*diſt.*2.*quæſt.*7.*&* *diſt.*8. *quæſt.*4.affirmat eſſe diſtinctionem formalem, quæ reperiri B poteſt inter extrema realiter identificata. Probat Scotus, quia ſæpe res identificatæ habent diuerſas definitiones; ergo ex natura rei diſtinguuntur, quia definitio eſt de natura rei; nec tamen deſunt qui velint hac ætate Scotum ſic interpretari, vt nomine diſtinctionis formalis, ſolùm intelligat diſtinctionem rationis ratiocinatæ, vt loquuntur Thomiſtæ, vel, vt alij loquuntur, diſtinctionem rationis habentis fundamentum in re, ſicque ſenſerunt nonnulli, quos refert Gregorius 1. *diſt.*8. *quæſt.*1. *art.*1. quóſque meritò refutat Gregorius, aliò enim tendunt argumenta Scoti, vt conſtat ex his, quæ dixi *diſp. de vniuerſalibus*, & ex his, quæ Scotus docet agens de attributis, & relationibus Dei.

C Veruntamen doctrinam hanc Scoti refutaui *diſp. citata*, & ſuprà agens de vnitate, & hoc loco poteſt ſpecialiter refutari, quia ſi extrema diſtinctionis ſunt ante intellectum, & diſtinctio non pendet ab intellectu, conſequens neceſſarium eſt diſtinctionem eſſe ante intellectum, vnde non eſt poſſibilis identitas inter talia extrema, vt ex dictis conſtare poteſt, & conſtabit ex dicendis.

Dico in hac quæſtione, quoties duo aliqua ſeparatione non mutua ſeparantur, ante intellectum diſtinctione reali diſtinguuntur; hæc eſt mens autorum primæ ſententiæ, etſi de nomine ſit diſputatio, hoc nomine vſus eſt Durandus 1. *diſt.* 1. *quæſt.*2. D Ocham *quæſt.*3.Herueus *quodlibeto* 3.*quæſt.*3.Ioannes à Gandauo 6.*Metaphyſ. quæſt.*10. aliique huius ætatis, & res ipſa probatur efficaciter, quia impoſſibile eſt rem eſſe ſine ſeipſa, ſicuti impoſſibile eſt non eſſe quod eſt, vt per ſe ſe conſtat; ergo impoſſibile eſt rem, v.g. poſſe eſſe ſine hoc, vel illo modo, & non habere realitatem diſtinctam à realitate modi: ergo ſi poteſt res hæc exiſtere ſine alio, habet realitatem diſtinctam alterius realitate, quodcunque illud ſit, & antiquiores interpretes Ariſtotelis hoc ſenſu intellexerunt locum topicum ſuprà citatum, ad probandam diſtinctionem, & Auguſtinus *loco citato* hoc ſenſu abſolutè intulit diſtinctionem inter figuram, & quantitatem, &, vt ſuprà dixi, vix poſſet probari notiſſimà multarum rerum diſtinctio, ſi E argumentum de ſeparatione non mutua vim non haberet, quæ ratio etiam probat efficaciter contra Scotum, maiorem eſſe diſtinctionem inter relationem, v.g. & fundamentum, quàm inter duo prædicata eſſentialia & ſubordinata eiuſdem rei, quæ, vt probaui diſputatione de vniuerſalibus, ſola ratione diſtinguuntur.

Ad argumentum Scoti facilè reſpondetur, ea quæ differunt definitione, non ſemper differunt realiter, definitio enim, vt ex Logica conſtat, inuoluit modum cognoſcendi definientis, & ita, qui perciperet rem indiſtinctam, ſicuti eſt in ſeipſa vnica definitione, totam illam realitatem definiret, quam tamen nos pro imperfecto noſtro modo concipiendi variis modis explicamus.

Ex dictis refutata eſt Caietani ſententia, & aliorum, & etiam Fonſecæ *sect.* 1. *quæſt.* 7. qui exiſtimat, non omnem diſtinctionem exiſtentem ante intellectum eſſe appellandam realem. Et rationes quibus vtitur ſolutæ ſunt, & dum concedantur quæ dixi, non multum contenderem de nomine, nam diſtinctionem relationis à fundamento, & ſimilem aliam, ex natura rei vocant nonnulli, alij verò diſtinctionem modi à re cuius eſt modus, & ideo generaliter loquendo, diſtinctio ante intellectum poteſt diuidi ex parte eorum quæ diſtinguuntur, in diſtinctionem rerum, & diſtinctionem rei & modi, quæ facile poſſunt vlteriùs diuidi materialiter ex diuerſitate extremorum.

Addendum verò eſt, nonnulla re ipſa diſtingui ante intellectum, quæ tamen non inuoluunt ex parte vtriuſque relationem ſuperadditam realem, vt conſtat ex dictis *cap.de relatione*; Deus enim non habet relationem ſuperadditam diſtinctionis reſpectu creaturæ, vt *loco citato* probatum eſt; & idem exiſtimant multi de diſtinctione vnius relationis ab altera: in his ergo ſignificat diſtinctio, extrema ipſa ſecundùm ſe diſtincta, ſicuti alia quæ re ipſa habent ſuperadditam relationem diſtinctionis. Et ideo valde diuerſum eſt aliquod extremum concipi cum relatione rationis reſpectu alterius, & aliud ſola ratione diſtingui ab illo. Ex doctrina verò huius quæſtionis, ſimul & præcedentis, facilè vnuſquiſque poterit iudicare, quænam diſtinguantur realiter ante intellectum, hoc, vel illo modo.

DVBIVM III.

De diſtinctione rationis.

PRimum dubium eſt, an ſit poſſibilis diſtinctio rationis? Gabriel 1.*diſt.*2.*quæſt.*3.*art.*2. exiſtimat nihil reale poſſe diſtingui ab alio reali ſola ratione; & ratio illius eſt, quia nihil poteſt diſtingui ab alio per aliquid ſibi omnino extrinſecum. nam per propriam entitatem, & vnitatem vnumquodque diſtinguitur ab altero; idem docuit, & propter eandem rationem Gregorius 1.*diſt.*8.*quæſt.*2. *art.*1. *&* 2. Maior *quæſt.*1.

Communis tamen aliorum oppoſita ſententia eſt ſancti Thomæ multis in locis. legatur 1.*diſt.*2 *de potentia quæſt.*7.*art.*6.*de veritate quæſt.*21.*art.*4. Scholaſtici in materia de Trinitate agentes de diſtinctione attributorum, & relationis ab eſſentia. legatur Ferrara 3.*phyſic.quæſt.*5. Fonſeca ſuprà *sect.*3. Caietan. & iuniores Thomiſtæ 1.*part.quæſt.*28. Niphius 12.*Metaphyſicorum.cap.*13. Auerroes *textu* 39. & explicatione ipſa facilè probatur. Pro qua aduertendum eſt, quòd, cùm autores dicunt duo aliqua ratione diſtingui, nomine rationis non intelligunt ratiocinationem, ſed conceptum obiectiuum, vt bene notauit Canarienſis 1.*part.quæſt.*28. *art.*2. *diſp.*1. quod ex multis locis D. Thomæ confirmat Capreolus 1. *diſt.*8.*quæſt.*4.*art.*1. Dum ergo dicimus, duo aliqua ſola ratione diſtingui, intendimus eandem rem concipi ſub duobus conceptibus obiectiuis, quos in eadem re intelligit intellectus, vt experientia ipſa clariſſimè confirmat, neque contra hoc aliquid probat ratio Gabrielis, vt per ſe ſe conſtat. Diſtinctio enim realis, ſumpta formaliter pro relatione ſuperaddita, re vera ſupponit entitatem, quæ per ſe ipſam diſtinguitur ab alia negatiuè, vt nonnulli loquuntur, quia hæc entitas non eſt alia, vel paſſiuè

funda

fundamentaliter, vt alij dicunt, quia habitudo illa A superaddita supponit reuera duo extrema; in præfata verò distinctione rationis, quam intellectus format in prædicatis eiusdem realitatis, non supponit ipsa extrema realiter distincta, sed ipse intellectus concipit illa, ac si essent distincta.

Secundum dubium est, quotuplex sit distinctio rationis. Si distinctio sumatur pro relatione superaddita, potest relatio rationis formari ab intellectu inter extrema realia, quæ licèt, vt suprà dixi, positiuè, & fundamentaliter sint distinctæ, tamen non habent superadditam habitudinem realis distinctionis; in quibus tamen dum absolutè loquitur non est dicendum esse solam distinctionem rationis, quamuis bene possit dici referri sola relatione rationis, B vt constat ex dictis. Alia est distinctio rationis, quæ solet dici sufficiens ad falsificandam propositionem, & ea est quæ reperitur inter prædicata, quæ nullam inter se habent subordinationem, talis est distinctio, quam intellectus concipit inter actionem, & passionem, & ita in sensu formali, hæc propositio est falsa, actio est passio, quamuis identicè sit vera. Alia est distinctio rationis, quam intellectus format, inter prædicata subordinata; talis est distinctio inter prædicatum hominis, & animalis, & hæc solet appellari quæ non falsificat propositionem, quia, vt constat ex dictis in Logica, vera est hæc propositio, Homo est animal, & similes, quæ fiunt inter prædicata subordinata. Alia solet dici distinctio rationis C quæ inuenitur inter ipsa entia rationis.

Rursus solet diuidi distinctio rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ, vel, vt alij loquuntur, in distinctionem rationis habentis fundamentum in re, & in distinctionem rationis non habentis fundamentum. Ea dicitur distinctio rationis, non habens fundamentum in re, quam intellectus sine vlla necessitate, vel fundamento ex parte obiecti efformat, v.g. dum idem concipit, veluti à seipso distinctum. Alia dicitur distinctio rationis habentis fundamentum in re, cuius reipsa ex se aliquo modo est causa, sic sentiunt communiter Thomistæ, vt constat in Canarien. *loco citato disp. 3. 2. parte disputationis*, & aliis ibi. D

Pro explicatione aduertendum est ex D. Thoma 1. *dist. 2. quæst. 1. art. 3. & distinct. 22. quæst. 1. art. 3. & dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 3. & quæst. 7. de potentia, art. 6.* aliqua distingui ratione, duobus modis contingere posse, vno ex parte ipsius ratiocinantis, id est, ex parte intellectus, alio modo ex parte rei; pro cuius intelligentia aduertit D. Thomas, conceptionem intellectus tripliciter se habere ad rem quæ est extra animam, aliquando enim concipit intellectus, quod reuera est in re, & sua conceptio est illi similis, sicut cùm concipit significatum huius nominis, homo, & talis conceptio habet fundamentum in re; aliquando verò id quod concipitur de re, non existit extra animam, sed consequitur rem ex E modo concipiendi, seu intelligendi, & hæc conceptio dicitur remotè habere fundamentum in re, vt dum concipitur animal sub denominatione generis.

Tandem aliquando concipitur aliquid sine fundamento, vt dum intellectus concipit chimæram, & secundùm hanc doctrinam vult D. Thomas *locis citatis* attributa Dei distingui ratione, non solùm ex parte intellectus ratiocinantis, sed etiam ex parte rei, quatenus conceptio intellectus habet fundamentum in re, ita vt velit D. Thomas obiectum conceptionis esse in re, atque adeò & fundamentum illius; non tamen vult D. Thomas, fundamentum distinctionis esse in re, sed tantùm obiecta intellectus distinguentis; neque illud potest colligi ex doctrina D. Thomæ *locis citatis*, quidquid sit de re ipsa secundùm sese.

Secundò aduertendum est, duobus modis posse intelligi fundamentum distinctionis esse in re. Primò, ita vt res ipsa respectu cuiuslibet intellectus, pro quolibet statu, ex se sit sufficiens, vt causet in intellectu obiectiuè talem distinctionem, ita vt, v.g. dum intellectus concipit actionem, & passionem, etiamsi eius intuitu feratur in rem sicuti est, vt fertur intuitus Angeli, vel Beati, possit percipere illa vt duo obiecta, & hac ratione omnino existimo falsam esse distinctionem rationis habentem fundamentum in re circa eandem relationem, suppono enim falsam esse doctrinam Scoti de distinctione formali prædicatorum in eadem realitate ante intellectum. Et probatur quod dixi, quia res, vt suppono, secundùm se est vna, & ante intellectum indistincta omnino; ergo intellectus cognoscens rem sicuti est, non potest ex vi huius cognitionis distinguere, & si distingueret, distinctio tamen non haberet fundamentum in re, res enim, vt dixi, vnicum est obiectum, prorsus indistinctum ante intellectum; ergo si intellectus illi conformatur in sua cognitione, non distinguit; quòd si distinguat, non potest distinctio habere fundamentum in re.

Alio modo posset intelligi habere fundamentum in re huiusmodi distinctionem, non respectu intellectus cognoscentis rem imperfecto quodam modo, & per alienas species, nam respectu huius intellectus ita se habet obiectum, veluti vt cogat intellectum ad distinguendum, & ita quasi virtute præhabet distinctionem. Vnde & distinctionem hanc nonnulli huius ætatis quasi virtualem appellarunt, quia licèt in re non sit actu in ipso obiecto ante intellectum distinctio, est tamen quasi in virtute obiecti respectu intellectus imperfectè, vt dixi, cognoscentis ex suo statu, & totum hoc volunt nonnulli reducere in imperfectum modum cognoscendi intellectus, & nullo modo esse fundamentum in re; hoc tamen ferè de nomine est, modò aliquis non ponat fundamentum distinctionis in re priori illo modo explicato, videlicet vt res habeat illud respectu cuiuslibet intellectus, in quolibet statu. Et iuxta ea quæ diximus, D Thomas *quæst. 7. de potentia art. 6.* dixit, Beatum videntem Deum sicuti est, omnino concipere illum sine distinctione aliqua inter essentiam, & attributa, cuius ratio est ea quam assignauimus. Et addit pro hoc statu, ex imperfectione nostri intellectus oriri, vt cognoscat distincta, quæ sunt reipsa vnum, quia concipit res alienis imaginibus, qui locus pro intelligentia mentis S. Thomæ aduertendus est, & quòd aliquo modo possit dici huiusmodi distinctio rationis respectu intellectus imperfectè cognoscentis habere fundamentum in re, maximè intelligitur in cognitione, quam habemus de Deo, quia obiectum illud sua perfectione quasi cogit intellectum nostrum, vt non possit infinitam illam essentiam sub vna ratione concipere.

Est etiam speciale exemplum de cognitione relationis diuinæ, respectu ipsius essentiæ; nam intellectus noster concipit essentiam vnam in tribus personis, & tamen relationem Patris, v.g. solùm concipit in Patre, & re vera in illo solùm est; ergo etiamsi relatio Patris identificatur cum essentia illius, sufficiens tamen fundamentum est, vt intellectus distinguat ratione, essentiam à relatione, & hoc est quod intendunt multi huius ætatis, dicentes, esse

aliquam

aliquam distinctionem rationis, habentem fundamentum in re.

Ex his colligo, non benè explicari à Canariensi suprà, huiusmodi diuisionem distinctionis rationis, in eam quæ habet fundamentum in re, & quæ non habet, vult enim Canarien. distinctionem rationis quæ habet fundamentum in re, esse illam, quæ resultat ex diuersis notitiis de ipsa re, quæ ita se habet in essendo, sicut notitia in repræsentando. Hoc (inquam) falsum est, quia dum intellectus distinguit prædicatum genericum ab specifico, non ita se habet res in essendo, sicut notitia in repræsentando, res enim in seipsa sine distinctione est vna, cùm tamen notitiæ repræsentent duo obiecta vt distincta, nisi velit Canariensis ponere ante intellectum distinctionem formalem Scoti, quam refutat. Falsus etiam est Canarien. dum affirmat, concretum, & abstractum, v.g. homo, & humanitas solùm differre distinctione rationis ratiocinatæ, quia, vt constat ex Logica, concretum aliquid reale dicit distinctum ab abstracto; & ferè eodem modo possunt impugnari nonnullæ aliæ explicationes asserentium, distinctionem rationis ratiocinatæ habere fundamentum in re.

De essentia verò distinctionis rationis, dicetur disputatione de ente rationis, vbi etiam intelligetur, diuersam esse relationem rationis distinctionis specificæ, vel numericæ, & similium. Solum est aduertendum hoc loco, aliquando affirmare Aristotelem, & Philosophos duo aliqua distingui ratione, quia distinguuntur quidditate & essentia, non quia sola intellectus operatione distinguantur, vt obseruauit Fonseca suprà *quæst.7.sect.3.*

Dubium IV.

An aliquitas addat aliquid supra ens.

IN hoc dubio possunt esse varij modi dicendi, sicuti in simili de vnitate. In nostra tamen sententia eodem modo loquendum est, nihil enim etiam ratione distinctum debet esse id à quo vel prædicatum, vel res completa dicitur aliquid. v.g. nihil est præter essentiam speciei, etiam sola ratione distinctum, à quo species dicatur aliqua species; quod probandum est, & declarandum, sicut similis doctrina de vnitate.

Posset tamen quærere aliquis, an ex parte eius quod aliquitas addit supra prædicatum reale, distinguatur ab eo quod addit vnitas; aliqui enim cursim rem tractantes indicant vix posse distingui hæc duo. Quare vnitas non solùm dicit rem indistinctam in se, sed distinctam à qualibet alia. Connotat ergo vnitas negationem identitatis, quæ solet tribui aliquitati, & res quidem parui momenti est. Existimo tamen posse vnitatem & aliquitatem ex parte negationis superadditæ aliquo modo distingui; quare vnitas addit supra ens negationem multitudinis, vt suprà diximus, aliquitas verò formaliter solùm addit negationem alterius: sicut ergo formaliter multitudo, & aliud non sunt idem, ita negatio multitudinis, & negatio alterius, non sunt eadem negatio, quod in nostra sententia facilè intelligitur. In opinione verò asserentium, vnum addere supra ens modum aliquem positiuum, possent esse varij modi dicendi circa aliquitatem, quos tamen omitto; quare supponunt falsam doctrinam de vnitate.

Secundò posset quærere aliquis, cuiúsnam dicat negationem primum prædicatum entis, nihil enim videtur habere æqualem, cuius in suo ordine dicat negationem. Respondetur facilè, quòd sicut illud prædicatum est vnum, vnitate distincta ab vnitatibus inferiorum prædicatorum, ita est aliud, & aliquid alietate distincta ab alietatibus inferiorum; neque requiritur vt habeat in eodem ordine aliquid sibi æquale; & hæc de hac disputatione dicta sufficiant.

DISPVTATIO X.

Metaphysica, partim & Theologica.

De veritate, & bonitate.

Ad quæstionem 5. & 16. 1. partis.



IN hac disputatione agemus de his duabus passionibus entis, quæ solent poni vltimo loco ab autoribus, quarum prior dicitur esse vnitas; & quidem de veritate formali, quæ reperitur in intellectu, dixi in libris de interpretatione, & solet disputari vel in libris de posteriori resolutione, vel in libris de anima *lib.3.* de veritate verò, vel falsitate sensus, dixi in libris de anima: solùm ergo est hoc loco explicanda veritas transcendentalis.

Dubium I.

Quid addat verum supra ens.

EX dictis de vnitate intelligitur titulus quæstionis; circa quam prior modus dicendi fuit asserentium, verum solum addere supra ens denominationem extrinsecam, desumptam à prima veritate, cuius res creatæ sunt effectus & signa.

Secunda sententia esse potest asserentium, veritatem dicere aliquod prædicatum, ex natura rei ante intellectum, distinctum à prædicato entis, sicut de vnitate philosophatur Scotus, vt vidimus, & simile potest esse fundamentum.

Tertia sententia est asserentium, verum addere supra ens modum quendam positiuum, ratione distinctum à prædicato entis, includentem totum, & modificantem ens, & multi senserunt de vnitate, vt vidimus, sic sentit expressè Bañes 1.*part. quæst.*16. *art* 3. & alij etiam huius ætatis, & fundamenta possunt esse similia iis, quæ de vnitate retuli.

Alia est sententia asserentium, veritatem nihil reale addere supra ens, etiam ratione distinctum: sic sensit expressè Fonseca 4. *Metaphys. cap.* 2. *quæst.*6. Molina 1. *part. quæst.*16. *disp.*2. & est plurium Thomistarum, qui, vt vidimus, agentes de vnitate, existimant vniuersaliter nullam passionem entis addere aliquid reale supra ens; quæ est mens D. Thomæ *quæst.*1. *&* 21. *de veritate art.*1. & aliis etiam locis, quæ sententia infrà declarabitur.

Pro explicatione ergo aduertendum est, secundùm communem omnium conceptionem, primò, & formaliter veritatem reperiri in iudicio intellectus, à quo propositio vocalis dicitur vera tanquam signum, & res potest dici vera tanquam causa saltim respectu humani intellectus, & verum hoc modo sumptum analogicè dicetur de his, sicut sanum dicitur de animali, de medicina, & vrina; omnes ergo ferè autores conueniunt res dici veras, per ordinem ad intellectum: sed nonnulli volunt hunc ordinem esse respectu intellectus diuini, & esse relationem superadditam, realem, vel rationis; alij volunt esse modum absolutum, relatiuum

relatiuum tamen secundum dici, & nonnulli volunt, hunc modum esse respectu intellectus diuini; alij verò respectu cuiuslibet intellectus, & dicunt hunc modum esse aptitudinem, vt res intelligatur.

Sed dico primò, verum non addit supra ens modum aliquem positiuum distinctum ex natura rei ante intellectum à prædicato entis. hæc conclusio probanda est ex his, quæ de vnitate dixi, & maximè illa ratione, qua probatum est, quodcunque prædicatum debere essentialiter includere ens, atque adeò de eodem prædicato ante intellectum cedendum esse quòd sit ens, & verum, sicuti & quòd sit eus, & vnum.

Dico secundò, non datur vna ratio veritatis, inclusa in inferioribus. Probatur, quia non datur vna ratio entis inclusa in inferioribus, vt probatum est *disput.* 1. ergo neque vna ratio veritatis. Probatur consequentia, tum quia eadem est ratio de entitate, & veritate; tum, quia si non datur vna aliqua essentia, non potest dari vna ratio veritatis, quæ vt passio illius ponatur.

Dico tertiò verum non addere supra ens modum aliquem, etiam secundum rationem distinctum à prædicato entis, v.g. Probatur, quia talis modus non potest componere cum prædicato entis, vt probaui, agens de vnitate; quòd si includit ens per identitatem, determinat illud, ita vt non perseueret ratio entis vt sic, & tamen sicuti entitas realis habet realiter veritatem transcendentalem, ita quodlibet prædicatum, sicuti potest concipi sub aliqua ratione entis, ita potest concipi cum aliqua veritate, aliàs veritas non sequeretur ens, vt sic; ergo prædicatum entis non est verum ab aliquo modo superaddito, vel distincto, etiam secundùm rationem, & idem est proportionaliter de aliis prædicatis; quæ ratio vniuersalis est, contra omnem opinionem ponentem, veritatem dicere aliquem modum positiuum, aliqua ratione distinctum ab ente, & ita in realitate physica non est fundamentum vt intellectus distinguat prædicatum veritatis à prædicato quod dicitur verum.

Et specialiter arguo contra asserentes, aptitudinem, vt res intelligatur, esse modum aliqua ratione distinctum ab ente, & intelligi nomine veritatis; hoc (inquam) impugnatur, quia prædicatum entis, v. g. prout distinctum ab illa aptitudine, quam isti ponunt, est intelligibile; ergo aptitudo, vt prædicatum intelligatur, non distinguitur ab ipso prædicato entis. Consequentia est euidens, & probatur antecedens, quia isti distinguunt prædicatum entis ab illa aptitudine: iudicant ergo de illo prædicato entis, & de illa aptitudine, ergo cognoscunt vtrunque; ergo prædicatum entis, etiam prout distinctum ab illa aptitudine, intelligitur; ergo per seipsum est aptum vt intelligatur, & hoc ad hominem; absolutè tamen probatur, quia, vt experientia patet, vnusquisque potest intelligere prædicatum entis vt sic; ergo per istam rationem formaliter est aptum vt intelligatur, aliàs non posset terminare actum intellectus formaliter, quæ ratio facile posset explicari, exemplis petitis ab obiectis aliarum potentiarum, quæ tamen, quia facilia sunt, de industria prætermitto.

Quòd si aliquis dicat, prædicatum entis, v.g. dici verum per aliquem modum positiuum, respectu intellectus diuini; contra hoc est primò præfata ratiocinatio, quæ omnem modum positiuum excludit. Secundò, si per istum modum intelligatur id quod multi intelligunt, ordo scilicet effectus ad intellectum Dei, habentem in se præconceptionem A illius rei; contra hoc est, quòd hæc ratio non potest esse passio entis vt sic, quia ens increatum non potest habere huiusmodi ordinem, siue transcendentalem, siue de prædicamento relationis; & probatur, quia non potest habere rationem effectus; & vlteriùs res ipsa prout distincta ab illo modo potest esse immediatum fundamentum relationis conformitatis; ergo saltem non est necessarius modus aliquis absolutus etiam in creatis. Vlteriùs absolute probatur, veritatem non esse modum aliquem distinctum ratione à prædicato, quod dicitur verum, ex doctrina multorum Theologorum, asserentium in diuinis personis omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, id est, nihil esse in vna persona, B quod non sit in alia, nisi relationem oppositam relationi alterius, quæ est doctrina Boërij asserentis, relationem multiplicare Trinitatem. Et ex illo principio, quod solet tribui Anselmo, in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio; quo vtuntur Patres Concilij Florentini contra Græcos, de qua doctrina legatur S.Thomas, & eius discipuli, 1. *part. quæst.* 36. Ex qua doctrina colligo nullum prædicatum absolutum esse in persona Patris, v.g. quòd non sit in filio; ergo relatio paternitatis formaliter prout talis, non est vera ab aliquo modo absoluto, quia formaliter prout condistincta à qualibet alia relatione, debet habere propriam veritatem, quia veritas sequitur quodlibet ens; sed C illa ratio non potest esse fundamentum alterius relationis realis, vt suppono, tum ex capite de relatione, tum ex doctrina Theologorum in materia de Trinitate; ergo illa relatio Patris propria, v. g. in quantum talis, non est vera veritate transcendentali, per aliquid positiuum reale, etiam ratione distinctum. quæ ratio etiam includit modum illum dicendi, veritatem dicere aptitudinem, vt res intelligatur, esséque modum secundùm rationem distinctum ab ipsa re. quæ ratio etiam obseruanda est pro iis, quæ de vnitate diximus.

Aduertendum tamen est, aliquando ipsam essentiam rei dici veram, vnde Augustinus *in soliloquiis, lib.* 1. *cap.* 5. dicit verum esse id quod est, & Ansel- D mus *lib. de veritate cap.* 14. affirmat rem esse veram, seu dici veram secundùm quod est, & Auicenna 2. *sua Metaphysica*, ait veritatem esse proprietatem vniuscuiusque rei sui esse, id est, esse proprium esse cuiuslibet rei, & quòd veritas includat, & dicat ipsam entitatem, affirmat expresè D. Thomas *de veritate quæst.* 1. *art.* 8. & *art.* 1. *ad* 6. & fauet modus loquendi, quo solemus dicere aurum, v.g. esse verum, quod habet, & assequitur (vt inquit D.Thomas 1. *part. quæst.* 16. *art.* 1.) veram naturam auri, & hoc modo verum significat essentiam rei.

Dico tamen quartò, verum præter ipsam entitatem rei dici ordinem ad intellectum. hæc est communis ferè omnium autorum, ex communi con- E ceptione; verum enim, vt suprà dixi, primariò significat veritatem intellectus formalem, & inde translatum est ad significandam veritatem rerum. Certum etiam videtur apud omnes autores esse, verum supra ens aliquid addere positiuum, quod facilè probatur ex communi conceptione, neque enim verum intelligitur quasi negatiuum, vel priuatiuum, ex parte eius quod dicit præter ens, & sic nullus affirmat verum importare negationem, vel priuationem.

Restat ergo explicemus, quid sit illud quod addit verum supra ens; & quòd non sit aliquid absolutum, etiam ratione distinctum ab ente, probatum est. Nonnulli existimant esse relationem creaturæ respectu

respectu intellectus diuini cui conformatur. sic Zumel 1. *parte quæst.* 16. *art.* 3. & alij Thomistæ clariùs, & Fonseca 4. *Metaphysic. cap.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 10. & nonnulli volunt hanc relationem esse realem; veruntamen quamuis creaturæ habeant huiusmodi relationem, quæ non potest esse, nisi vel effectus respectu suæ causæ, vel, vt alij loquuntur, mensurati respectu mensuræ suæ: hæc tamen relatio non potest esse passio entis, quia non potest esse talis relatio communis tribus personis Trinitatis, tum quia non possunt habere relationem effectus, vt constat, tum quia respectu alicuius extrinseci nullam habent relationem realem; & vlteriùs, quia nihil reale determinans ens ad aliquod prædicamentum, potest esse passio entis, quia non potest esse extra omnem gradum entis, & ita non potest sequi omnem gradum entis, quia non potest esse passio entis relatiui: & ideo bene Molina 1. *p. quæst.* 16. *disp.* 4. docuit hanc relationem ad summum esse passionem entis creati. Quod adhuc eget limitatione. nam nec potest esse passio cuiuslibet entis creati, quia ens creatum etiam comprehendit relationes creatas.

Alij volunt hanc relationem esse rationis, sic Fonseca *loco citato*. & probat, quia res possibiles sunt veræ, & tamen non habent relationem realem, quia relatio realis requirit extrema existentia; ergo veritas non dicit relationem realem. Veruntamen negari non potest, quin dicta relatio effectus, vel mensurati creaturæ respectu Dei sit realis, quando extrema actualiter existunt, vt constat ex dictis *cap. de relatione*, quia est relatio effectus, vel mensurati inter extrema realiter existentia; quando verò res sunt possibiles tantùm, relatio etiam hæc est possibilis, & hoc tantùm probat ratio Fonsecæ.

Dicendum ergo est, verum addere supra ens relationem rationis, quod probatum est ex dictis. Hanc verò relationem intelligo esse relationem intelligibilitatis, quam alij appellant relationem conformitatis, vel conformabilis cum actu veri intellectus, quod totum ex refutatione aliarum sententiarum manet declaratum, & quòd debeat verum addere aliquid enti, probandum est ex communi conceptione, omnes enim intelligunt verum vt diuersum aliquo modo ab ente.

Sed obiicies ex D. Thoma *quæst.* 16. *citata*, *art.* 1. qui veritatem rerum videtur constituere in conformitate illa cum intellectu diuino. Respondeo, D. Thomam in illo articulo non assignasse passionem entis, vt sic, sed tantùm adducere modum quemdam, quo res creatæ dicuntur veræ, tanquam veri effectus primi artificis; cùm verò *art.* 3. docuit, verum conuerti cum ente, solùm dixit verum dicere ordinem ad intellectum, sicut bonum ad appetitum. Et cùm in argumento secundo obiecisset sibi, verum non conuerti cum ente, quia conuenit cum ente, quia non ens potest intelligi; respondet ad secundum, quòd non ens non habet in se vnde cognoscatur, sed cognoscitur in quantum intellectus facit illud cognoscibile, vnde verum fundatur in ente, in quantum non ens est quoddam ens rationis; ergo nomine veri solùm vult Intelligere D. Thomas ordinem cognoscibilitatis ad intellectum, quod etiam constat ex solutione ad tertium, & *art.* 4 probat verum esse prius quàm bonum, quia verum dicit ordinem ad intellectum, bonum ad voluntatem; & *art.* 5. expressè fatetur D. Thomas veritatem vt dicit conformitatem cum suo principio, non propriè reperiri in Deo.

Sed obiicies secundò, quia Deus est verus ab æterno, & non habet hanc relationem rationis; ergo. Respondeo, quidquid sit, an habeat Deus in sua cognitione relationem rationis, esse verum secundùm suam essentiam, habet enim verè essentiam Dei, & hoc solùm sensu dicitur Deus verus, etiam seclusa qualibet relatione rationis, etiamsi hoc nomen connotet illam.

Tertiò, denominatio intelligibilitatis supponit obiectum aptum intelligi in entibus realibus; ergo aliquid reale est aptitudo ad hoc vt res intelligatur; ergo hæc potest significari nomine veritatis. Respondeo, si quis velit hanc aptitudinem distingui ab ente, suprà refutatum est, & eodem modo existimo falsum, aptitudinem coloris vt videatur ratione distingui ab essentia coloris; si verò tantùm velit, aptitudinem eandem secundùm essentiam cum ente, posse denominari veritatem: hoc verissimum est, quamuis, vt dixi ex communi conceptione, verum importet etiam ordinem ad intellectum.

Ex quibus refutata sunt multa quæ docet nouus interpres Logicæ, 1. *de interpretatione*, *quæst.* 2 *art.* 1. & forsan qui dicunt veritatem addere denominationem extrinsecam, in re à nobis non dissentiunt, quo modo loquitur Caietanus 1. *part quæst.* 16. *citata art* 4.

Quæres primò, vtrùm tantùm sit vna veritas. Ratio dubij sumi potest ex D. Thoma 1. *p. quæst.* 16. *art.* 6. Veruntamen negari non potest, quamlibet rem habere suam veritatem, sicuti & suam entitatem, & hoc quidquid sit veritas, secundùm diuersam opinionem, & secundùm nostram, constat ex dictis, & D. Thomas expresse *art.* 3 docuit, verum & ens conuerti; mens verò D. Thomæ constat ex 1. *sententiarum*, *dist.* 19. *quæst.* 5. *art.* 2. in quo proponit hanc dubitationem, & respondet, sicut est vnum esse diuinum, quo omnia sunt sicut à principio, & nihilominus in rebus diuersis est diuersum esse, quo formaliter res est; ita est vna veritas diuina, quo omnia sunt vera sicut principio effectiuo, & nihilominus sunt plures veritates in rebus creatis, quibus dicuntur veræ formaliter; & eodem modo loquitur de bonitate 1 *part. quæst.* 6. *art* 4 *in corpore*. De Deo quærit specialiter D. Thomas, an sit veritas, de quo ex dictis constat.

Quæres secundò de falsitate, an sit in rebus aliqua falsitas opposita veritati transcendentali? Duobus modis posset intelligi in rebus aliqua falsitas. Primò in opinione asserentium, res dici veras per ordinem ad intellectum primi artificis; & hac ratione certum est, non posse esse aliquam falsitatem in rebus, quia omnis res assequitur veram essentiam, secundùm præconceptionem intellectus diuini, de quo latiùs in materia de Ideis; alio modo posset intelligi falsitas in rebus ipsis, si intelligeremus rem aliquam de se natam ad causandam in intellectu falsam sui cognitionem, ita vt ex se esset fundamentum relationis difformitatis, & hac ratione nulla res potest dici falsa, falsitate opposita veritati transcendentali, quia omnis res, vt suprà dixi, nata est ex se posse causare veram sui cognitionem. Ex quo fit in rebus nullam esse falsitatem oppositam veritati transcendentali, vnde bene Augustinus *lib.* 2. *soliloquiorum cap.* 6. dixit, Eas res falsas nominamus, quas verisimiles apprehendimus; istæ enim res propter similitudinem possunt causare talem cognitionem in sensu, ex qua occasionaliter erret intellectus, vt constat ex dictis *in lib. de anima*, & sic intelligo Aristotelem 5. *Metaphysicorum*, *textu* 34. dicentem, falsa esse, quæcunque apta sunt apparere, aut qualia non sunt, aut quæ non sunt. quam doctrinam

amplectitur

amplectitur D.Thomas 1. *parte, quæst.* 17. *artic.* 1. & eo loco Thomistæ. Hic solet disputari vnde oriatur difficultas in cognoscenda veritate, quod Aristoteles attigit 2. *Metaphysicorum*, sed de hoc dictum est in principio primi libri physicorum.

DVBIVM II.

Quid addat bonum supra ens.

Restat dicamus de bonitate transcendentali, & titulus ex dictis constat. Prima opinio est asserentium, bonitatem esse relationem realem, & illam addere bonum supra entia aliorum prædicamentorum. ita Durandus 2. *distinct.* 34. *quæst.* 1. Duo ergo vult Durandus, primum bonitatem dicere aliquid reale distinctum à re quæ dicitur bona; secundum est, esse relationem. Quòd sit aliquid reale, probat ex Aristot. 6. *Metaphysicorum, in fine,* vbi docet, bonum, & malum esse in rebus. Secundum probat, primò, quia eadem res potest esse bona vni, & mala alteri; ergo bonitas est relatio. Antecedens probatur, quia calor, v. g. est conueniens igni, atque adeò & malus illi. Consequentia probatur, quia vna res non potest esse bona vni, & mala alteri sine relatione. Secundò, quia malitia physica est priuatio bonitatis physicæ, vt per se constat; sed non est priuatio alicuius absoluti: ergo relationis. Probatur minor, quia tota entitas absoluta caloris, quæ est bona igni, est mala aquæ.

Secunda sententia est Herueí *quodlibet.* 2. *quæst.* 2. existimantis, bonum non dicere relationem, sed absolutam perfectionem; quam sententiam Scoti sectatoribus tribuit Capreolus 2. *distinct.* 39 *quæst.* 1. & tacito nomine autoris refert Durand. *suprà.* Primam partem probat Herueus, quia nulla relatio dicit perfectionem. Probant multi Theologi in materia de Trinitate, quod non est huius loci; quòd verò bonitas importet aliquam perfectionem, est per se notum. Secundò probat, quia relatio semper est ad alterum, & tamen bonum aliquando absolutè dicitur, vt dum dicitur de ente substantiali; ergo transcendentalis bonitas non potest esse relatio. Tertiò, quia bonum in Deo non significat relationem: ergo neque in creatura. Antecedens probatur, quia Deus non dicit relationem realem ad creaturas, vt constat ex dictis, neque relationem rationis, quia ab æterno sine relatione rationis est bonus. Vult tamē Herueus, & nonnulli alij, hanc rationem perfectionis aliquo modo secundùm rationem distingui ab ente, vt nonnulli alij dixerunt de vnitate, & veritate.

Tertia sententia potest esse asserentium, bonitatem dicere aliquod prædicatum absolutum distinctum ante intellectum, ex natura rei à re quæ dicitur bona, sicut de vnitate sensit Scotus, & propter similia fundamenta.

Quarta sententia est, asserentium, bonitatem dicere aptitudinem quandam ad mouendum appetitum ratione solùm distinctam ab ente, sicut alij dicunt de vnitate. sic sentiunt nonnulli ex Thomistis, & probant primò à simili, quia sicut aptitudo respectu intellectus constituit passionem entis, quæ dicitur veritas transcendentalis: ita aptitudo respectu voluntatis potest constituere bonitatem. Alij existimant, bonum solum addere supra ens relationem rationis ad appetitum, quam sententiam infrà explicabo.

Pro explicatione aduertendum est bonitatem aliquando significare relationem absolutam perfe-

A ctam in suo genere, simpliciter, vel secundùm quid. Vnde & Dionys. 4. *de diuinis nomin.* dicit essentiam Dei esse summam bonitatem, & eodem capite affirmat, bonum esse ex integra causa; quo in loco eodem modo loquuntur interpretes, & similes loquutiones passim reperies in Patribus, & D. Thomas 1. *part. q.* 5. *art.* 1. *ad* 1. affirmat, bonum dicere rationem perfecti, & *quæst.* 48. *art.* 5. docet bonum principaliter consistere in perfectione: & similia verba habet aliis in locis; & hoc modo bene intelliguntur multa, quæ de bonitate Dei, & creaturarum affirmant Patres.

Vt explicemus rem, dico primò, non dari vnam rationem bonitatis inclusam in inferioribus. Hæc

B est probanda, & declaranda, sicut similes de vnitate, & veritate.

Dico secundò, bonum non dici aliquod prædicatum ante intellectum ex natura rei distinctum ab ente. Hæc est probāda, sicut similis conclusio de veritate, & specialiter probatur; quia nihil quod determinat ens ad speciale genus entis, potest esse passio illius. nam ens comprehendit omnia genera, omnes gradus, & modos entis, & ita nihil essentialiter includit, ens illud potest dici passio totius latitudinis entis, quamuis possit dici passio aliquorum entium determinatorum; quam rationem etiam feci quæstione præcedenti *concl.* 4. & specialiter eam pono contra Durandum, asserentem bonitatem transcen-

C dentalem, esse relationem realem. contra quam facit etiam illud argumentum Heruei, quòd Deus est, & dicitur bonus, & non per relationem realem communē tribus personis. Et Aristot. quidem 1. *Ethic. c.* 6. & 2. *magnorum moralium, cap.* 7. affirmat, bonum sicut ens diuidi in decem genera. & D.Thom. 1. *part. q.* 5. *art.* 3. *ad* 1. docuit bonum non determinare ens ad aliquod prædicamentum. Et ex his etiam reiicitur opinio asserentium, bonitatem esse quandam qualitatem superadditam. legatur Soncinas 4. *Metaphys. quæst.* 19.

Dico tertiò, bonum non dicere modum absolutum etiam sola ratione distinctum ab ente, quod dicitur bonum. Hæc probatur primò à simili de vni-

D tate, & veritate, & etiam, quia ille modus non potest concipi extra rationem entis; ergo nō potest distingui à ratione entis quam includit, & cum qua, vt suprà dixi, non potest componere; & hic etiam habet locum argumentum de relatione diuina, v. g. paternitate, quæ non esset bona bonitate transcendentali propria; quia ex communiori sententia Theologorum (vt dixi) nihil est absolutum in vna persona, quod non sit in aliis. Et ideo existimo, totum reale, quod dicit bonum, non distingui ab ente, sicuti neque reale quod dicit perfectum distinguitur ab ipsa essentia, vel prædicato. Et ideo bene Augustinus 1. *de doctr. Christ.* dixit, Inquantum sumus, boni sumus loquebatur autem de bonitate transcen-

E dentali; &, vt suprà dixi, Dionysius diuinam essentiam appellat summam bonitatem.

Dico quartò, bonum addere enti ordinem ad appetitum. hæc est S.Thomæ *locus citatus.* & Aristotelis *in principio,* & hic definit bonum, quod omnia appetunt. Et primum quòd bonum ex communi conceptione addat aliquid enti, cōstat, omnes enim existimant ista nomina non esse synonyma, & vtcunque explicetur, omnes existimant bonum esse passionem entis; ergo supponunt aliquo modo distingui ab illo. Quòd verò id quod addit sit ordo ad appetitum, declarari potest ex præfata definitione Aristot. & à posteriori, quia bonum est obiectum appetitus. Vnde bonum solemus appellare amabile, & summam

bonitatem summè amabilem. Et declaratur vlteriùs, A quia calorem esse bonum aquæ, est entitatem caloris esse congruam inclinationi, & appetitui aquæ; ergo absolutè rem esse bonam, est esse congruum obiectum appetitus. Et à simili de vnitate, quia sicut ens dicitur verum per ordinem ad intellectum, ita bonum per ordinem ad appetitum. Quòd verò hic ordo non sit aliquid reale, etiam secundùm rationem distinctum ab ipsa entitate rei, probatum est, & declaratur ampliùs; quia aptitudo hæc nõ distinguitur à perfecta essentia rei; nã illa essentia perfecta hoc ipso quòd in se intelligitur perfecta, potest per se terminare actum appetitus; ergo sicut aptitudo vt res intelligatur non est aliquid etiã secundùm rationẽ distinctũ ab essentia rei; ita neque aptitudo vt ap- B petatur distinguitur ab essẽtia Dei. Vnde de sanitatę loquẽs Fonseca, bene docuit, posse appeti sine aliqua ratione superaddita. Nec posset esse aliqua relatio realis, vt dixi, & ideo restat tantùm esse relationem rationis, cuius fundamentum remotum est in re.

Addendum verò est, quòd bonum significatum nomine entis perfecti potest addere etiam negationem defectus in suo genere, solet enim dici perfectum, cui nihil deest.

Ad primum Durandi, quod attinet ad authoritatem Aristot. primò ex illa non probatur, bonitatem quæ est in rebus, distingui ab ente; sicut neque distinguitur perfectio transcendentalis ab ente, de qua verè dicitur quòd sit in rebus. locus tamen C Aristot. ex se est difficilis; dicit enim, bonitatem esse in rebus, veritatem in intellectu. Fonseca sic explicat Aristotelem, vt velit, bonum dicere relationem quamdam rationis existentem ante intellectum: verum autem dicere relationem rationis, quæ sequitur operationem intellectus. Hæc tamen doctrina refutabitur disputatione de ente rationis; nam ante intellectum nulla est relatio rationis. Omissis verò aliis explicationibus existimo, secundùm mentem Aristot. & aliorum interpretum, Aristotelem loqui de veritate formali, de qua bene affirmat esse in intellectu, & cõparare illã bonitatem transcendentali, quæ re vera est in rebus modo explicato. Quòd si aliquis quærat causam, propter D quam Aristot. non comparauerit verum transcẽdentale buno transcendentali, vel veritatem formalem bonitati formali. Respondeo primò, sermonem Aristot. ibi esse de veritate formali, quæ est in intellectu, quam voluit non esse in rebus, sicut est bonitas transcendentalis. Secundò addo, posse intelligi comparationem veritatis formalis, cum bonitate aliqua formali, id est, cum bonitate & perfectione alicuius rei determinatæ, vt sensus Aristotelis sit, veritatem non esse aliquam perfectionem formalem, quæ reperiatur in rebus ante operationem intellectus. quæ explicatio re vera conueniens est textui, vt cuilibet eam legenti constabit.

Ad primam verò, & secundam rationem Du- E randi dicendum est, illas probare, eamdem entitatem posse esse conuenientem, & disconuenientem respectu diuersorum, & in his conuenientia, aut disconuenientia est relatio; hoc tamen non habet locum in bonitate transcendẽtali, quæ præter ipsam entitatem dicit ordinem ad appetitum, vt dixi, & respectu cuiusuis hunc habet ex se; sicuti & ens respectu cuiusuis intellectus habet aptitudinem vt intelligatur intellectione vera.

Duo priora argumenta Heruei nihil faciunt contra nos. Ad tertium verò constat, quomodo Deus sit, & dicatur bonus. Tertia, quartáque sententia, refutatæ sunt cum suis fundamentis.

Sed obiiciet aliquis ex D.Thom. 1.*part.q.6.art.3.ad* 1. videtur enim docere, quamlibet rem esse vnam per suam essentiam, non tamen esse bonam per suam essentiam; & tamen secundum nostram doctrinam, eodem modo videtur loquendum. Et augetur difficultas, quia in solutione 3. eiusdem articuli vult D.Thomas, bonitatem rei creatæ non esse ipsam eius essentiam, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse, vel aliquam superadditam perfectionem; & in solutione secundi ait, essentiam creatam, per se ipsam nonesse bonam, quia non est suum esse.

Fateor totũ hunc discursum esse difficilem, eodẽ enim modo se habet ad ens vnitas, & bonitas (si de prædicato reali quod dicunt, sit sermo) & ita si vera esset opinio S. Thomistarum asserentium, existentiam distingui ante intellectum ab essentia; sicut essentia, etiam prout distincta ab existẽtia, esset aliquo modo vna, esset enim vna natura, & essentia, ita esset aliquo modo bona, sicut & aliquo modo vera, etiam prout distincta ab existentia, vt constare potest ex his, quæ diximus de his passionibus, & doctè docuit Molina 1.*p. q.6. disp.*2. quòd verò res creatæ non dicuntur bonæ per suam essentiam, eo sensu accipiendum est, vt non habeãt bonitatẽ à seipsis, sed dependenter ab alio, sicut entitatem per participationem. Vnde illud Christi, *Unus est bonus Deus*, Marci 10. & Lucæ 18. *Nemo bonus nisi solus Deus*, de bonitate per essentiam intelligẽdum est, vt exponit Anselmus, & Hieronymus *ad Ephesios* 3. Cælestinus *epist.* 1. *ad Episcopos Galliæ, c.* 5. & alij interpretes; & hoc sensu, multa de bonitate egregiè docuit Dionysius 4. *de diuinis nominibus*. Forte vult D.Thomas completã bonitatem rei includere existentiam: & licèt completa rei vnitas illam includat, etiã illud videtur speciale in bonitate, quòd res appetuntur, & desiderantur cum ordine ad existentiam, secundùm quam sunt actualiter cõuenientes: & ipse in re vera *q.*1. *&* 21. de veritate, & de omni passione docet, nihil reale addere supra ens; & sæpe agens de bonitate docet, bonitatem conuerti cum ente; ita vt eo modo dicatur aliquid bonum, quo dicitur ens.

Ex dictis facile solui potest dubium quod nõnulli tractant, scilicet, an ratio boni, & ratio appetibilis distinguantur. Caietanus 1 *part.q.5.art.*1. existimat, rationem appetibilis supponere rationem boni: idem Fonseca 4. *Metaphys.cap.*2 *q.7.sect.*5. & probari potest; quia res videtur appetibilis, quia bona; ergo prior est ratio boni.

Alij existimant, has duas rationes non distingui, indicat D. Thomas 1. *part. quæst. citata. &* 1. *contra Gentes, cap.*4. & alij, qui absolutè docent, bonum tantùm addere supra ens rationem appetibilis. Et declarari potest, quia si de prędicato reali sit sermo, idẽ est prædicatum importato nomine boni, & nomine appetibilis, & illud prædicatum immediatè sequitur relatio, & ordo ad appetitũ; & ideo si ratio boni sumatur pro entitatiua perfectione, prior est relatione appetibilis, sicut fundamentum est prius relatione; & ideo quantũ ad hoc vix potest esse de re cõtrouersia cum his, qui admittunt, bonum nullam rationẽ realem addere enti. Verum est Fonsec. & alios contendere, bonum nõ addere enti relationem appetibilis, sed relationem conuenientis, ita vt velint rem dici bonam, quia est conueniens. Et si ab illis quæras, quænam sit ista relatio conuenientiæ. Respondent, in creaturis esse istam relationem conuenientiæ, qua creaturæ dicuntur conuenientes Deo, quatenus conuenientes sunt ad explicandam aliquo modo naturam diuinam, & perfectiones illius: Deus autem dicitur bonus (inquiunt isti)

quia

quia conueniens est sibi ipsi, séque ipso dignissimus. Sed certè tota hæc doctrina minus conueniens est communi conceptioni, & differt à modo loquendi Aristotelis dicentis, bonum esse quod omnia appetūnt, (quo modo luquendi vtuntur Philosophi,) & à doctrina D. Thomæ, qui, vt suprà vidimus, dixit, rationē boni cōsistere in perfectione; & bonum addere enti rationē appetibilis, & quidquid sit de conuenientia illa creaturarum, negari non potest, quin in Deo impropriè explicetur quomodo ipse sibi ipsi conueniat, & licèt hoc possit vtcunque intelligi, tamen secundùm communem conceptionem nomine boni non importatur huiusmodi relatio conuenientiæ, sed tantùm ordo ad appetitum.

Ad fundamentum verò sententiæ prioris, variis modis solet respondeti. Nonnulli respondent, sæpe per propositiones causales significari eandem formam diuerso modo; vt cùm dicimus parietem esse album, quia habet albedinem, & ita in præsenti, licèt nomen bonum, & nomen appetibile sint diuersa, tamen eandem formam significant, & ita cùm dicimus rem esse appetibilem, quia bona, sensus est, rem esse appetibilem propter bonitatem, & in nostra sententia facilè potest responderi, per hanc causalem posse significari fundamentum relationis; ita vt cùm dicimus, rem esse appetihilem quia bona, significemus bonum dicere ordinem ad appetitum, propter entitatiuam perfectionem, quod verun esse constat ex dictis.

DVBIVM III.

An omne ens sit bonum.

HÆc quæstio per aliquot dubia resoluenda.

Primum dubium est de materia prima, an sit bona? D. Thom. 1. *part. q.* 5. *art.* 3. *ad* 3. *& quæst.* 21. *de verit. art.* 2. *ad* 3. dicit, materiam primam esse ens in potentia, & ita bonam in potentia. 3. *contra Gent. cap.* 20. expresse ait, quòd licèt materia prima sit ens solùm in potentia, tamen non est bona solùm in potentia: legantur his locis Thomistæ. Res ita se habet; materia prima est ens actuale actualitate entitatiua, habétque suam propriam existentiam, (vt constat ex physicis,) & ita est bona transcendentali bonitate, habet enim perfectionem in latitudine suæ essentiæ, & sicut est aliquo modo perfecta, ita & bona, vt constat ex dictis; legatur Fonseca suprà *quæst.* 6.

Obiici potest Dionysius 4. *de diuinis nomin.* indicat enim bonum esse vniuersalius ente, atque adeò ens non conuerti cum bono. Respondet S. Thom. 3. *contra Gent. cap.* 20. ibi comparari bonum ad ens quod includit actum formalem, & secundùm hoc confirmatur quod diximus; quia bonum extenditur etiam ad materiam primam. Alio modo explicat D. Thom. hunc locum Dionysij *quæst.* 1. *de verit. art.* 2. *ad* 2. non ibi sumi ens pro actuali tantùm, bonum verò extendi etiam ad possibile.

Secundum dubium est de entibus non existentibus, quidam enim existimant ens actu existens, esse quid conuertibile cum ente. Iauellus 4. *Metaphysic. quæst.* 4. & videtur indicare D. Thom. 1. *part. quæst.* 5. *art* 1. *& quæst.* 6. *art.* 2. *ad* 3. *&* 1. *contra Gentes, cap.* 38. quo in loco Ferrara explicat D. Thomam, vt velit nullam rem sine suo esse siue actuali, siue possibili, esse bonum: verumtamen si essentia distinguitur ab existentia secundùm se, habebit suam bonitatem, sicut suam vnitatem, & veritatem, vt suprà docui. Vnde quando res tantùm est possibilis, bonitas A tantùm erit possibilis; sicut de aliis passionibus dicendum est, & ita semper proportionantur ens, & bonum. Ex quo facile etiam intelligitur aliud dubium, quod de entibus mathematicis tetigit D. Thomas 1. *part. quæst.* 5. *art.* 3. *ad* 4. de quibus Arist. 3. *meteororum textu* 4. docuit, in mathematicis non esse bonum, sed re vera negari non potest quin entia realia physica, quæ considerantur à Mathematico, sint bona. D. Thomas verò explicat dictum Arist. vt velit Mathematicum non considerare rationem boni, id est, causæ finalis, sicuti neque considerat materiam. legantur interpretes Aristot. *loco cit.*

Tertium dubium esse potest de relationibus, an sint bonæ bonitate transcendentali: de relationibus B diuinis non est huius loci disputare, de quibus fusè Theologi in materia de Trinitate, tractantes, an diuinæ relationes dicant perfectionem.

De relationibus ergo creatis nonnulli existimant, non dicere perfectionem, nec bonitatem. Præcipuum fundamentum est petitum à simili de relationibus diuinis, de quibus multi Theologi, propter difficultates theologicas affirmant nullam dicere perfectionem, aut bonitatem, secundùm propriam rationem distinctam à ratione formali essentiæ diuinæ. Alij tamen existimant relationem creatam dicere bonitatem transcendentalē: sic nonnulli ex Theologis, qui idem existimant de relationibus diuinis. Aureolus 1. *dist.* 19. *quæst.* 2. Ochamus, C & Gabriel *ibi quæst.* 1. aliíque iuniores huius ætatis. Fonseca 4. *Metaph. cap.* 2. *quæst* 7. *sect.* 7. imò & nonnulli alij, qui existimant relationes diuinas non dicere talem bonitatem, sic Duran. *q* 9. *in* 3. *dist* 1. Scot. *in fin. quodl.* 5. Molina 1. *part. quæst.* 42. *art.* 6. *disp* 2

Quid nomine bonitatis intelligendum sit constat ex dictis.

Dico primò, relatio creata distincta realiter à fundamento, est bona bonitate distincta à bonitate fundamenti. Probatur primò à simili, quia talis relatio habet vnitatem, & veritatem distinctam ab vnitate, & veritate fundamenti: ergo & bonitatem. Antecedens concedunt omnes, & probatur ex dictis suprà de vnitate, & veritate: nam illa D relatio, & habet suam differentiam indiuidualem, atque adeò suam entitatem physicam, distinctam ab entitate fundamenti, & potest etiam esse obiectum intellectionis, etiam prout distincta à fundamento. Secundò, quia omne absolutum eo modo quo est ens, est etiam bonum, vt per se constat, & nullus hactenus negauit; ergo idem de relatione argumentum est à simili. Tertiò, quia illa relatio est ens; ergo habet passiones entis. Antecedens est notum, consequentia potest probari à simili de aliis essentiis, quas sequuntur propriæ passiones; & ratio etiam in omnibus est, quia cuilibet essentiæ ex natura rei coniungitur propria passio: præsertim cùm passiones entis nihil addant reale enti. Quar- E tò, quia perfectio propriæ integritatis, à qua res dicitur perfecta, & bona bonitate transcendentali, necessariò conuenit cuilibet actuali entitati: ergo actualis relatio est actu bona. Consequentia videtur efficax, & probatur antecedens; quia res nequit existere sine his, quæ necessaria sunt ad sui constitutionem, & integritatem. Tandem confirmari potest ex doctrina Aristotelis, qui, vt suprà vidimus, docuit, bonum, sicuti & ens esse in omnibus prædicamētis.

Dico secundò, si relatio identificatur cum suo fundamento, prout distincta ab illo secundùm rationem dicit perfectionem, & bonitatem transcendentalem etiam ratione distinctam. Probatur, quia etiam prout distincta à fundamento sola

ratione, habet vnitatem, & veritatem distinctam A ratione ab vnitate, & veritate fundamenti, vt constat ex dictis; ergo à simili etiam habet bonitatem. Secundò, omnis ratio absoluta, etiam prout distincta ab alia ratione absoluta, habet suam voluntatem, vt omnes fatentur; ergo à simili ratio etiam relatiua. Tertiò, quia etiam prout distincta ratione est ens; ergo etiam prout distincta ratione habet passiones entis. Antecedens est notum; consequentia probatur, quia eo modo quo aliquid habet essentiam, habet passiones illius, vt constat ex connexione essentiæ cum suis passionibus. Quartò, quia etiam prout ratione distinctam, habet integritatem suæ essentiæ, vt constat; ergo habet bonitatem, & perfectionem transcendentalem, quæ dicit huiusmodi inte- B gritatem, vt vidimus. Quintò declaratur, quia bonitas sequitur relationem physicam, vt constat; ergo bonitas non est passio solius vnius rationis, quæ est in illa realitate, sed totius realitatis; ergo si relatio, & fundamentum sunt vna realitas, bonitas debet adæquari toti realitati; & dum in illa distinguimus rationes, debemus etiam distinguere in bonitate. Argumentum verò petitum à simili de relationibus diuinis nullum est, quia etiam ego existimo relationes diuinas dicere perfectionem, & bonitatem transcendentalem; difficultates tamen theologicæ non possunt hoc loco explicari.

DVBIVM IV.

An sint plures, vel pauciores passiones entis, quàm ea qua communiter numerantur.

Ratio dubij est, ex vna parte; quia præsentia, & duratio videntur sequi omne ens, secundùm doctrinam traditam in physicis: ergo erunt passiones entis. Vlteriùs hoc nomen *res*, numeratur communiter inter transcendentia; ergo aliquid significat distinctum ab ente vno, vero, & bono. Ex alia parte videntur quòd sint pauciores passiones entis, primò, quia omnes illæ videntur comprehendi sub ente rationis, & vt minimum, veritas, & bonitas possunt comprehendi sub ordine ad potentiam spi- D ritualem vitalem.

Circa primũ, vt à facilioribus incipiamus, sciendum est, hoc nomen *res*, ex communiori antiquorum vsu significare quidditatem ipsam, ens verò existentiam, vt docuit D.Thomas *quæst. 1. de verit. art. 1.* ex Auicenna *2. sua Metaphysica.* sed hæc duo nomina vsitatiori iam, & tritiori Philosophorum vsu, idem omnino significant, quia & res sumitur pro quidditate, & existentia, & ens existentiam, & quidditatem significat. An verò essentia distinguatur ab existentia ante intellectum, dicetur disp. sequenti.

De duratione verò, & præsentia locali, nonnulli ex iunioribus affirmant durationem, & præsentiam esse passiones saltim entis actualis, non tamen abso- E lutè, vt comprehendit etiam possibile. Verumtamen si omne ens actuale habet connexionem cum duratione actuali; ergo omne ens possibile habet connexionem cum duratione possibili; sicut si essentia actualis habet cõnexionem cum subsistentia, vel inexistentia actuali, essentia possibilis habebit connexionem cum subsistentia, vel inexistentia possibili: & ratio vtriusque est, quia connexio quæ est inter duo extrema actu existentia actualis, est inter eadem extrema possibilia possibilis; vt constare potest in proprietatibus alicuius essentiæ, & ideo aliquis posset absolutè sentire durationem, & præsentiam esse passionem cuiuslibet entis, propter rationem factam, quia hoc ipso quòd aliquid est ens, necessariò debet habere præsentiam, & durationem, si fuerit ens possibile possibilem, si actuale actualem.

Hæc dubitatio solùm apud sentientes, quamlibet rem habere propriam durationem, & præsentiam, & de duratione quidem, vt ex physicis constat, communior est autorum sensus, & de præsentia etiam id existimo rerum. Quo posito existimo, omnem rem distinctã a duratione, vel præsentia habere durationem, & præsentiam sibi propriã, hoc ipso quòd habes entitatem, & ideo respectu illius rei posset dici duratio, & præsentia passio: & hoc fortè intendunt, qui ponunt duratione, & præsentiam passionẽ entis. Si tamen ens sumatur in tota sua latitudine, vt comprehendit gradus entis cuiuslibet prædicamenti, duratio & præsentia non possunt esse passiones illius, quia ipsa duratio, v g.nõ potest esse passio sui ipsius, & est quoddam prædicamentum entis, vt essentialiter ens, sicut alia prædicamenta; ergo respectu entis, secundum totam suam latitudinem, non potest esse passio, & declarari potest ex his, quæ supra dixi; dixi enim relationem realem creaturæ, non posse esse passionem entis creati secundum totam suam latitudinem, quia ens creatum in tota sua latitudine, comprehendit etiam relationem ipsam. Vnde & autores communiter hactenus, non docuerunt, præsentiam, vel durationem esse passionem entis.

C Circa alteram partem dicendum est breuiter hîc poni passiones entis, quarum quælibet, vt talis sequitur omne ens; neque ad hoc aliquid refert si illæ possint sub aliquo vniuersaliori conceptu concipi.

Sed posset quærere aliquis, quomodo entia rationis dicatur passiones entis realis; videtur enim sequi non esse passiones entis realis solius, quia etiam suo modo possunt conuenire enti rationis, est enim ens rationis vnum, v. g. &c. de hoc dicam disputatione de entitate rationis.

Rursus posset quærere aliquis de perfectione harum passionum, quænam sit altera perfectior. Quod dubium præcipuè habet locum in opinione asserentium, has passiones addere enti rationis quasdã formalitates distinctas saltem secundùm rationẽ, quam sententiam nos refutauimus. Et ideo in nostra sententia istæ passiones ex parte relationis quam dicunt non differunt; ex parte verò entis rationis quod addunt, nihil dicunt perfectionis realis, sicque cessant nonnulla alia facilia quæ autores tangunt in hac materia, & ego de industria prætermitto.

DISPVTATIO XI.

PHILOSOPHICA, partim & THEOLOGICA.

De durationibus rerum.

Ad quæst. 10. 1. part. S. Thomæ.



ARISTOTELES disputat de tempore *4. physic. tex. 10. vsque ad fin.* tria autem maximè videnda sunt, primum, an sit aliquid reale: secundum, quid sit: tertium, quomodo se habeat ad motum.

DVBIVM I.

An tempus sit aliquid reale.

Hoc loco ponendum est falsam, & improbabilem esse sententiam Zenonis, asserentem continuum componi ex indiuisibilibus.

Secundò

Secundò existimo hoc tempore valde esse temerarium, in re philosophica defendere sententiam Zenonis, contra Aristotelem, & discipulos; contra sanctum Thomam, Scotum, Nominales, & istorum omnium discipulos.

Primò autem videtur quòd tempus non sit aliquid reale, quia Aristoteles *c.* 14. dicit, si non esset intellectus, non esset tempus; & D. August. *c.* 11. *confessionum*, videtur asserere tempus esse in animo. Secundò ratione probatur, quia nullas habet partes, nun præsentes, vt constat; ergo nec præteritas, quia quod non fuit præsens, præteritum non est; neque futuras, quia nihil est futurum, quod aliquando non erit præsens. Propter hæc argumenta videntur sentire, quòd tempus, quantum ad materiale sit ens reale, quia habet fundamentum in re, scilicet motum; tamen quantum ad formale est aliquid rationis, quia formale illius consistit in ratione prioris, & posterioris, quæ duo nunquam sunt simul. ita videtur sentire Soto *quæst.* 9. *art.* 2. Ferrara 1. *contra Gentes c.* 15. Iauellus *quæst.* 14. Astudillo *quæst.* 6. Capreol. 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. *conclus.* 4.

Sed D. Thomas *opusc.* 44. *de tempore cap.* 1. reiicit opinionem quam sequitur Soto, & sentit tempus simpliciter, & absolutè esse aliquid reale. ita Simplic. *textu* 131. Albertus *tract.* 6. *cap.* 16. Pereyra *lib.* 12. *c.* 1. Toletus *quæst.* 16. Gregorius 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. & est hæc sententia Augustini *lib. de Genesi ad literam, cap.* 5. qui passim repetit diem factum esse, & *c.* 14. 11. *libri confessionum*, cuius nonnulla verba refert hìc Soto *quæst.* 4. *art.* 1. & 2. refert quendam articulum Parisiensem dicentem, quòd non esse temporis à parte rei sit error.

Et probari potest, quia cùm tempus sit in motu, & motus sit ante intellectum, illius etiam duratio est ante intellectum. Item probat D. Thomas, quia quantitas continua est aliquid extra animam; ergo cùm tempus. Docet etiam D. Thomas, quòd esse motus, vel temporis, non est esse simul, sed successiuè esse in rerum natura.

Pro quo notandum est, quòd in motu duo possunt considerari, & acquisitio termini, & duratio illa, quæ in continua acquisitione reperitur, quia impossibile est, esse talem acquisitionem sine duratione.

Secundò notandum est ex D. Thoma *loco citato*, duplicem esse actum, alium permanentem, qui est totus simol; alium successiuum, qui non est totus simul, id est, omnes suæ partes non simul existunt, quamuis respectu alterius simul existant, id est, illi coëxistunt, vnde non est petenda in omnibus æqualis simultas in existendo.

Tertiò notandum est, (de quo latiùs *in* 6. *libro*) tempus esse durationem continuam. Probatur, motus est continuus; ergo & tempus, quia est duratio illius. Antecedens probatur, quia in quocunque instanti dato, verum est dicere mobile esse in determinato loco; tunc sic, vel post hoc instans sequitur tempus, & sic intentum, vel aliud instans; ergo verum erit dicere, mobile erit in alio loco determinato: sed hoc est apertè falsum. Probo, quia mobile non potuit transire ad vltimam, v.g. partem spatij, quin pertranseat priorem: sed in spatio nulla est pars prior, quin sit altera prior in infinitum, quia est quantitas continua; ergo & in motu non est pars prior, quin sit altera prior in infinitum; ergo est quantitas continua, sicut spatium; ergo & duratio. Confirmatur, quia si mobile pertransit continuum spatium; ergo motu continuo, aliàs moueretur motu discreto, quod de facto non fit. Ex quibus omnibus

A constat, totam rationem temporis esse extra animam, & aliud fingere philosophicum non est.

Vnde ad autoritatem Aristotelis, quòd re vera posito motu ponitur tempus, & tamen verum est quod si sit impossibilis numerus numerans, erit impossibilis numerus numerabilis, vt numerabile est formaliter, sicut si impossibilis esset visus, impossibilis esset color, vt visibilis formaliter, non secundùm entitatem, sed prout dicit denominationem extrinsecam; quia ergo tempus habet suas partes successiuè, vt dixi, ad hoc vt numerentur, apprehenditur ab intellectu, & prout pendet tempus ab anima, & in hoc videtur inclinari Augustinus.

Ad rationem dico, si quid probat, probat etiam
B non dari motum successiuum, quod iam suprà ostendi esse falsum, & negari non potest: dicendum ergo est tempus habere suas partes præsentes per realem existentiam, successiuam tamen: vnde quando dicis, præteritum omne aliquando fuit præsens; respondeo distinguendo maiorem: fuit præsens permanenter falsum est, fuit tamen præsens secundùm partes quæ fluant, & succedant; sicut, vt mobile dicatur præterisse spatium, non requiritur, vt sit præsens determinatè omnibus partibus spatij, quia cùm nulla sit determinatè prior, nulla est determinatè præsens, sed sufficit, vt successerit per omnes partes spatij, vt motus continuitas, & realitas saluetur; sic de tempore dicendum est: & quando dicis, post in-
C stans quid sequitur; respondeo tempus, sed indeterminatè, quia non erit pars ita prior, quin præcesserit alia prior, sicut suprà dicebam de mobili, quod post hoc instans erit in alio loco, sed indeterminato; nulla enim parte attingit ita primò, vt priùs non attigerit aliam.

Sed obiicies, ex dictis sequitur, quòd tempus respondeat alicui indiuisibili, quia quando est præsens, respondet nunc præsenti. Respondeo, quòd tempus futurum, vt fiat præteritum, commensuratur aliquo nunc præsenti: sed illud non est nunc temporis, sed nunc ipsius mobilis, res enim quæ mouetur quatenus sua substantia eadem perseuerat duratione indiuisibili mensurata, quia vt sic durat, & non
D variatur; ergo duratione indiuisibili durat. huic ergo durationi mobilis tempus coëxistit, sicut si per punctum corporis sphærici immotum facias transire corpus planum, tunc quantitas indiuisibilis plani in ipso motu coëxistit puncto, quæ omnia ex eo nascuntur, quia motui sequitur tempus, motus verò spatium, in quo non est pars ita prima, quin sit prior alia in infinitum.

DVBIVM II.

Quid sit tempus.

PRimò dubitatur, quomodo tempus dicatur numerus? circa quod videatur Pereyra *lib.* 12. *cap.* 2.
E 3. & 4. Toletus *quæst.* 13. & notandum est cum interpretibus Aristotelis *textu* 102. quòd alius est numerus numerans, quo res numeramus, & hic est duplex; alius numerans formaliter, vt binarius; alius actiuè, quia mediu vno numero numeramus alium, sicut media vlna numeramus aliam; alius est numeratus, id est, res quæ numeratur: numerus ergo in definitione temporis, vt patet ex *textu citato.* & *textu* 110. & ex expositoribus ibi, sumitur pro numerato, qui ideo ponitur in definitione temporis, vt explicet partes successiuas illas, quæ numerari possint, & ideo tantùm materialiter sumitur; & quamuis, vt vult Toletus, ratio mensuræ actiuæ possit tempori primi mobilis conuenire, vt mensurat actiones nostras,

tamen ratio mensuræ, id est, nomera nomeratæ, est quæ per se conuenit tempori, vt docuit Pereyra sequutus Themistoclem, Alexandrum, & Simplicium; per motum verò in definitione temporis, omne motum intelligitur, quia, vt infrà dicam, in omni motu successiuo reperitur hæc duratio, quæ est realis essentia temporis.

Secundò dubitatur, quomodo sumatur particula illa *prioris*, & *posterioris*. Respondeo (omissis quibusdam aliis, quæ docet Toletus *ad* 4.) cum D. Thoma *textu* 101. quem Toletus sequitur, quòd prius & posterius sumuntur pro partibus ipsius motus; pro quo notandum est, quòd duplex est extẽsio in motu, quædã sumitur ex parte subiecti, quia quando homo mouetur, quodlibet membrum mouetur motu sibi inhærente; hæc tameo non est extẽsio temporis. Alia est extensio partium motus secundùm quandam successionem, quę rectè intelligitur per ordinem ad spatium: hæc autem extensio dicitur duratio, & tempus; aduertit verò bene Pereyra *cap*. 4. quòd prius, & posterius non sumitur pro ipso ordine, sed pro partibus habentibus ordinem. Vnde definitio temporis habet hunc sensum, tempus est mensura mensurabilis, qua partes motus mensurabiles sunt: sicut si diceremos, profunditas est mensura, qua substãtia est mensurabilis, secundùm trinam dimensionem: ex quo intelligitur sine fundamento, secundùm translationem Theophrasti dici definitionẽ Aristotelis reprehendendam esse, vt ex Simplicio refert Toletus *q*. 12.

Ex quo sequitur, motum esse quantum per accidens, sicut albedo est quanta per accidens, quia sicut quantitas permanens extendit rem permanentem, ita quantitas successiua rem successiuam: tempus autem nullam aliam rem extendit successiuã nisi motum; & ideo meritò Aristot. 5. *Metaphys. cap. de quanto*, dixit, esse motum quantum per accidens.

Sed dices, etiam numerauit tempus quòd sit quantum per accidens. Respondeo, hoc solum fuit, quia est quantum ratione spatij, non tamen quia non habeat propriam extensionem successiuam: at motus neque hanc habet à se, sed à tempore, vnde omnimodo motus est quantum per accidens, tempus aliquo modo est quantum per se, & ideo in prædicamento quantitatis numerauit illud inter quanta per se, vnde dictum illud, scilicet motus, per distributionem accommodam est intelligendum, & hæc de hoc, quod pertinet ad prædicamentum quantitatis.

Hìc disputant nonnulli, an tempus pertineat ad prædicamentum quantitatis; quod non est huius loci, sed ad prædicamentum quantitatis spectat, vbi & explicandum est, quomodo tempus pertineat ad prædicamentum quando.

Dubium III.

Quomodo tempus distinguatur à motu.

VEnetus 4. *physicor. comment*. 96. & Capreolus 2. *dist*. 2. *q*. 2. *conclus*. 1. videntur sentire quòd tempus & motus distinguantur realiter; sed non loquuntur clarè; clariùs hoc docere videntur Herueus 2. *dist*. 2. *quæst*. 1. Henric. *quodl*. 3. *quæst*. 11: & expresè id de æuo asserit, *quodl*. 9. *quæst* 7 eámque vt probabilem defendit Iauellus 4. *lib. physic. quæst*. 20. sensitque eam esse D. Thomæ, eámque sequitur Burleus *hic*, & de æuo id etiam docuit Richardus 2. *dist*. 3. *art*. 1. *quæst*. 1.

Oppositam sententiam tenet Scotus 4. *dist*. 48. *q*. 2. Durand. 1. *dist* 2-. *&* 2 *dist*. 1. *quæst*. 4. Gregor. 2. *dist* 2. *quæst*. 1. *art*. 1. Pereyra *lib*... *physic. cap*. 1 Soto *hic quæst*. 4. Ægidius 4. *physic. lect*. 28. *in princip*. & omissis aliis rationibus, quibus id probatur, à nonnullis probatur

A hac vnica ratione; quia sine causa multiplicantur entitates, nam eo ipso quòd res intelligitur cum entitate actuali, intelligitur durare; ergo duratio non distinguitur ab illa, sicut neque entitas actualis ab essentia. quæ ratio vniuersaliter probat de omni duratione: duratio ergo rei successiuæ, scilicet motus à motu, non distinguitur, vnde bene Soncinas 12. *Metaphys. q*. 56. dixit sola ratione durationem distingui ab existentia, si tamen nomine existentiæ entitatem actualem, quæ est idem cum essentia, intelligant.

Sed obiiciunt, quòd tempus est passio motus: ergo distinguitur realiter. Respondeo, non esse doctrinam vniuersaliter veram, quòd quælibet passio distinguatur realiter ab essentia, vnde falsum est, quod
B quidam dixerunt quòd motus habet relationem realem ad tempus.

Sed secundò obiiciunt, quòd motus solùm est in eo quod mutatur: at tempus vbique, ex Aristotele *textu* 96. Sed dicendum est, quòd ibi Aristoteles loquitur de tempore primi mobilis, quod vt mensura dicitur esse vbique, id est, omnia mensurare, quod motui non conuenit, quia non est quantitas, sed semper sunt in eodem subiecto motus & duratio.

Dubium IV.

An in quolibet motu reperiatur tempus.

C ET primò videtur quòd non, quia tempus vnum tantùm est, qua res omnes mensurantur, aliàs, vt Aristoteles intulit, essent duo tempora æqualia. *cap*. 10. *&* *textu* 133. docet, in motu primæ sphæræ tempus esse, reliquos motus tempore mensurari: secundò, quia tempore mensuramus actiones nostras, sed mensura vna debet esse, & regularissima communis omnibus: tertiò, *Apocalypsis* 10. iurauit Angelus, quòd tempus non erit ampliùs idque, vt ibi exponunt Doctores, quia post diem iudicij cessare debent motus cœli, & illud solum est tempus, aliàs post diem iudicij tempus esset, quia erunt aliæ durationes successiuæ, & huic sententiæ videtur fauere Auerroës 4. *physic. conclus*. 132. Auicenna *lib* 2. *sua Philosophia, cap. vltimo*. Albertus 4. *physicorum cap*. 17.
D & Richard. 2. *dist*. 3. *art*. 1. *quæst*. 2.

Sed dicendum est, in quolibet motu inueniri tempus intrinsecum, tenet Capreol. 1. *dist*. 2. *quæst*. 2. *art*. 3. Herueus, & Gregorius *quæst*. 1. Bonauent. *q*. 5. Durand. *quæst*. 5. Ocham 2 *quæst*. 12. Gabriel. 2. *dist*. 2. *q*. 1. *notabili* 3. Aureolus apud Capreolum 1. *dist*. 9 *q*. 1. *art*. 2. quamuis non omnes clare loquantur. Iauellus *quæst*. 23. Ferrara *quæst*. 7. Soncinas r. 2. *q*. 56. Henric. *quodl*. 11 *q*. 11. & Toletus *quæst*. 16. & indicat D. Thomas 2. *dist*. 12. *q*. 1. *art*. 5. *ad* 3. *&* 1. *part. q*. 66. *art*. 4. *ad* 3. & clarè in additionibus *quæst*. 84. *art*. 3. *ad* 5. sic, Ad quintum dicendum, quòd quamuis post resurrectionem non erit tempus, quod est numerus motus cœli, tamen erit tempus consurgens ex nu-
E mero prioris & posterioris in quocunque motu. quibus verbis rationem huius euidentem includit D. Thomas, quia si prius & posterius in motu successiuo cœli, esset tempus; ergo prius & posterius in quolibet alio motu alterius corporis, ille enim est aliquid successiuum: ergo duratio eius; iam enim probaui, tempus non distingui re à motu, & vniuersaliter dicendum est de omni duratione, quòd non distinguatur à re cuius est duratio, semper seruata proportione. nam cùm res est successiua, duratio est successiua; cùm verò fuerit permanens, duratio erit permanens.

Secundò tamen dicendum est, tempus quo omnes vtimur, vt mensura est vnum, scilicet primi mobilis,

bilis, & hoc intendit Aristoteles *hoc lib.* 4. D. Thomas & alij *hic*, & iuxta hoc soluendæ sunt rationes in contrarium positæ.

Sed dubitabis, quomodo hæc tempora inter se distinguantur? Respondeo, quòd tempora successiua materialia solo numero distinguuntur, sicut relationes similitudinis, quamuis sint infinita extrema diuersæ speciei, sicut relatio similitudinis inter duo nigra, & relatio similitudinis inter duo alba, non distinguuntur specie, licèt identificentur cum rebus diuersis specie; sic licèt motus materiales distinguantur specie, tempus tamen vtriusque non video quomodo distinguatur specie. nam sequitur motum solum vt motum, non vt est alterationis, vel augmentationis, sed solùm secundùm quod est aliquid durans, sicut quantitas permanens quæ sequitur corpus vt corpus, non distinguitur specie in equo, & in homine.

De duratione verò successiua permanenti, & materiali dicendum videtur quòd distinguantur specie; quando vna non est continuatiua alterius. nam de continuatiuis dicendum est distingui sicut punctum à linea, modus à re, &c. De distinctione verò durationis spiritualis à materiali dicendum est infrà; de permanentibus verò durationibus materialibus inter se, sicut de successiuis philosophandum est.

Sed obiicies, sequitur ex dictis, quòd duo accidentia solo numero differentia, possint esse in eodem subiecto. Respondeo, verum esse, quòd identificentur cum rebus specie distinctis, vt patet in exemplo de relationibus. nam relatio quam habet corpus odorabilis ad odorabile, & colorati ad coloratum, solo numero distinguuntur; sufficit tamen quòd possint identificari cum rebus specie distinctis, vel sequi illas immediatè, vt sint in eodem subiecto, quia hoc ipso continuari non possunt.

DVBIVM V.

An sit vnum nunc solum in tempore.

De hac quæstione legatur Toletus *quæst.* 13. Pereyra *lib.* 12. *cap.* 4. Valles. 4. *physic. cap.* 11. & alij, qui censent, ex eo dici vnum instans, quia quamuis in tempore sint plura instantia, tamen vnum subiecto. Sed hac ratione eodem modo posset dicere vnam tantùm esse partem temporis, quia omnes partes sunt idem subiecto.

Alij verò sentiunt, esse vnum nunc secundùm rem, plura verò secundùm rationem, ex eo, quia putant tempus identificari cum mobili, cum motu, & cum termino; sed hoc longè est improbabilius, quia, vt suprà probaui, motus distinguitur à termino, & quamuis identificaretur cum termino, distingueretur à mobili, & subiecto; quia subiectum per illam realitatem aliter se habet quàm antea, & potest esse sine illa, quæ arguit realem distinctionem necessariò; & eadem ratione posset dicere Aristoteles secundùm hanc sententiam, vnam tantùm esse partem determinatam temporis, quia omnes identificari debent cum mobili. Pereyra vult, instans vnum imaginarium esse in toto tempore, quia, vt Aristoteles docuit, totum tempus imaginarium est ac si esset vnum nunc fluens.

Vt tamen ex mente Aristotelis hanc quæstionem explicemus, notandum est ex Aristotele *textu* 90. posuisse hanc quæstionem his verbis, insuper ipsum nunc, quod præteritum futurúmque distinguere videtur, vtrùm vnum idémque semper maneat, an aliud atque aliud semper, non facilè discerni potest,

A & quidem quòd non sit aliud, & aliud, probat hac ratione 3. *Metaphysic. textu* 17. *in fine*; quia si sunt plura; ergo vel omnia manent simul, & hoc est absurdum, plura instantia esse simul; vel corrumpitur, & hoc non, quia neque in seipso, quia implicat, neque in alio, quia non sunt instantia immediata: si in alio, tunc cùm nullum sit immediatum, quin intermedia sint infinita, cum illis simul erit; tamen ratio hæc soluitur *lib.* 6. *dubio* 4. *principali in fine. & textu* 91. probat non esse tantùm vnum, quia nullius diuisibilis finiti finis est vnus, id est, nullum quantum habet vnum terminum solùm si finitum sit; ergo in tempore finito, quod potest quis assignare non est tantùm vnus terminus. Et aliam ponit rationem *text.* 92.
B quia, si vnum tantùm esset, sequeretur, quòd præterita possent dici simul esse cum his quæ modò sunt, quia in eodem instanti habent esse.

Soluit verò hanc difficultatem Aristoteles *textu* 104. & 105. cuius sententia, quantum ego intelligo, hæc est, quòd ipsum nunc, quod est duratio indiuisibilis mobilis, est eadem re, sicut & res ipsa in omni motu, licèt diuersa ratione, quia sub alio, & alio tempore, eadem res perseuerat, sicut patet exemplo quod Aristoteles ponit de homine, qui est idem in diuersis locis, licèt diuersus ratione locorum. Loquitur ergo Aristoteles de duratione indiuisibili mobilis, cùm dicit esse vnum nunc per totum tempus, quia illa reuera, sicut ipsa res durat per totum motum, ipsa per-
C seuerat per totum illum; hanc verò esse mentem Aristotelis, probatur ex ipso, qui dicit *textu* 104 ipsum autem nunc, est quidem vt idem, est verò vt non idem; explicat verò quomodo sit idem, & quomodo non sit idem, his verbis, *quatenus enim in alio. & in alio, est diuersum, quatenus verò est id quod est ipsum nūc, idem est*; ex quibus probo apertè quod dixi, Aristoteles dixit hoc nunc, vt est in alio, & in alio, esse diuersum; ergo non potest loqui in instanti continuatiuo ipsius temporis, quia hoc non est in alio, & in alio. loquitur ergo de duratione indiuisibili mobilis, quæ est in alio, & in alio instanti temporis, quatenus mobile ipsum est in alio, quod infrà explicat Aristoteles exemplo de corpore, quod dicitur diuersum, in di-
D uersis locis: vbi notandum est, etiam, quòd cùm Aristoteles docet esse aliud ratione in diuersis locis, non vult loca, aut vbicationes sola ratione differre, quia, vt suo loco probabo, realiter distinguuntur, sed quòd differant formaliter ante intellectum quia sunt diuersæ formæ: vnde malè ex hoc textu colligunt multi, instantia sola ratione differre; & confirmatur quod dixi, ex his quæ infrà docet Aristoteles in eodem *textu* 104. cuius verba hæc sunt secundùm translationem Argyropoli. *Est igitur tum idem quod nunc dicitur. semper, tum non idem quippe cùm & id quod fertur tales subeat modos.* quasi diceret, ex eo hoc nunc est idem, quia mobile est idem, & est diuersum, vt respondet diuersis instantibus temporis, sicut &
E ipsum mobile est diuersum sub diuersis indiuisibilibus motus, vnde D. Thomas *opusculo* 36. *cap.* 3. in illum textum optimè dixit, quòd sicut mobile in toto motu est idem, sic oportet ita esse in nunc, quod de sola indiuisibili duratione mobilis verum est: & infrà docet quòd ipsum nunc, in quantum respondet mobili aliter se habenti, & aliter, discernit prius, & posterius in tempore; sed nullum nunc respondet mobili se habenti aliter, & aliter, nisi indiuisibilis duratio mobilis: ergo & secundùm hunc sensum explicanda est mens D. Thomæ 1. *p. quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 2 & quoties de hoc loquitur. Albert. *lib. de quatuor coæuis q.* 3. *art.* 12. & sic explicat D. Thomam Capreolus 2. *dist.* 2. *q.* 2. quem refert Toletus; quam

tamen futili ratione reiicit Toletus. nam præsentia mobilis, inquit, quamuis eadem secundùm durationem, toto tempore non est vnum nunc; respondeo, est vnum nunc, id est, aliqua indiuisibilis duratio.

Alia quæ obiiciunt contra hanc sententiam, non sunt ad rem, vt videbitis legentes illum. Soto etiam *quæst. 4. dub. 3. principali*, refert sententiam Capreoli, sed leuiter, vnde non est cur hæc explicatio Aristotelis nouitatis arguatur, cùm tam sit textui conformis, & veritati, & sic Capreolus explicauerit mentem D. Thomæ de sensu Aristotelis; argumenta verò quæ Aristoteles proposuit *textu* 90. *& sequentib.* contra hoc non probant; & quid dicendum sit de corruptione instantium, *lib.* 6. dicetur, cùm sermo sit de inceptione, & decisione.

Sed obiicies, quia Aristot. *textu* 105. videtur loqui de nunc ipsius temporis, quia, inquit, quòd si tempus non sit, illud non erit, & nunc non est, tempus non erit. Sed respondeo quòd licèt in eo textu loquatur de nunc temporis, vt patet ex verbis, non impedit, quin præcedenti texto loquatur de nunc mobilis, neque est æquiuocatio, cùm ipse apertè se explicet quòd loquatur iam de alio nunc temporis.

Verùm subtiliùs rem contemplando, dicere quis potest, quòd loquatur de nunc mobilis, quia illud non esset, si tempus non esset, non quia illa duratio absolutè non esset sine tempore, sed quia non esset diuersa secundùm rem prout in alio est, & alio instanti temporis, & tempus absolutè non esset, si illud nunc non esset, quia si illud nunc non esset, mobile non esset, & si mobile non esset, motus non esset, nec tempus. Sed quæres ampliùs: Quomodo verum est, quòd per illud nunc continuatur tempus quod ibi dicit Aristot. Respondeo, quòd per ipsum mobile, vt continuè mouetur, tempus continuatur, non quòd duratio sit continuatiua ipsius temporis formaliter, & iuxta hunc modum totus ille textus posset explicari, elige tamen quam malueris solutionem.

DISPVTATIO XII.

PHILOSOPHICA, METAPHYSICA, & THEOLOGICA.

De differentia temporis ab aliis durationibus.



HÆc disputatio petit aliqualem cognitionem aliarum durationum, & ideo de illis aliquid dicendum est, tum, quia res ipsa difficilis, & necessaria sit, tum quia hunc locum sibi postulare videtur. Contendam autem in hac disputatione colligere quidquid variis in locis dictum est ab Scholasticis, qui legi poterunt cum Magistro 2. *dist.* 9. sanctus Thomas *ibi quæst.* 1. Scotus *a quæst.* 1. Durand. *à quæst.* 3. Bonauentura, & Richardus *à quæst.* 1. Gabriel *quæst. vnica.* Ferrara cum sancto Thoma 1. *contra Gentes c.* 15. *& lib.* 3. *cap* 61. Capreol. *in* 1. *dist.* 9 *quæst.* 1. *art.* 2. Alensis 1 *part. quæst.* 12. Albertus *in summa de quatuor coæuis quæst.* 3. Abulensis *super caput* 11. *Exodi quæst.* 24. Henric. *quodlib.* 9. *quæst.* 7. *quodlib.* 5. *quæst.* 13. *& quodlib.* 11. *quæst.* 11. Soncin. 12. *Metaphys. quæst.* 53. & ex parte expositores Aristot. *hoc libro*, dum disputant, an omnes sint in tempore; ex Patribus, Gregor. 16. *moral. cap.* 21. Damascen. 2. *fidei cap.* 1. Augustinus 11. *confessio. c.* 11. *&* 12. *& serm.* 2. *in Psal.* 101. *quæst.* 31. *super Genesim, &* 41 *super Exodum*. *& libro contra Priscillianum, c.* 6. Boëtius 6. *lib. de consolat.* Dionysius *lib.* A *de diuinis nominib. c.* 10. Anselm. *in monologio. c.* 21. *&* 22. discipuli D. Thomæ 1. *p. q.* 10. Ceteri *a lib.* 12. *physic.*

DVBIVM I.

In quo consistat ratio formalis durationis.

SVppono autem de omni duratione, quod suprà probaui de tempore, quòd è re durante non distinguantur realiter, sicut nec tempus à motu, & ratio vniuersalis est, quia sola re, cum sua existentia, intelligitur sufficienter durare, vnde ad hoc non requiritur aliquid reale distinctum à re actualiter existente; quod est contra Caietanum 1. *part. quæst.* 45. *art.* 3. Ferraram, & alios, qui existimant omne accid- B dens distingui realiter à substantia. nam duratio, vt dicam infrà, pertinet ad prædicamentum quando, nisi velint id quod durationem dicunt, identificari cum substantia, quòd ponatur in substantia; sed hoc est apertè falsum, quod tamen ex professo impugnare non est huius loci.

Prima igitur opinio potest esse dicentium durationem esse fundamentale ante intellectum, licèt habeat formalitatem ab illo, vt nonnulli de tempore suprà dixerunt; sed hoc iam impugnatum est, & ratio est vniuersalis, quia per solam entitatem actualem intelligitur res durare, in quo non pendet ab intellectu, quia sicut res realiter existit per existentiam actualem, ita realiter durat per durationem (no- C mine existentiæ entitatem actualem intelligo.) ex quo etiam patet quòd duratio debet esse aliquid reale, & quòd cuilibet rei sit duratio intrinseca, sicut & entitas actualis; habemus ergo, &c.

Sed nonnulli videntur insinuare, durationem esse ad causam conseruantem; quod tamen est falsum, quia sicut res per suam entitatem actualem existit, ita per illam durat: vnde falsa est opinio, quam Scotus refert suprà *quæst.* 2. quam refutat Soncinas 12. *Methaphysic quæst.* 53.

Alij verò existimant, omnem durationem, quamuis dicant esse rem absolutam, habere tamen successionem, Gabriel 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. *notabili* 3. Ocham *ibi quæst.* 10. Aureolus apud Capreolum 1. *dist.* 9. *quæst.* 1. D *art.* 2. *versic. in* 4. *loco arguit*; & probari potest primò, quia quæcunque duratio potest comparari cum altera, & cognosci de illa an sit maior, vel minor: ergo habet extensionem, aliàs quomodo diceretur maior, vel minor. Secundò, quia sanctus Thomas 1. *parte quæst.* 10. *art.* 6. docet, ponendum esse vnum per quod aliæ durationes Angelicæ mensurentur; ergo per illam mensurari, potest cognosci quantum aliæ durent; ergo habet aliquam extensionem. Tertiò, quia supposito, quòd non esset tempus, potest vnus Angelus durare plus quàm alius, & hoc posset Angelus cognoscere; ergo cognoscit existentiam.

Sed absolutè dicendum est, durationem vt sic abstrahere à successiua & permanenti; & ratio est, quia E duratio, vt suprà probaui, est ipsum esse, vel saltem debet illi proportionari, vnde sicut quando res est successiua, habet durationem successiuam, ita quando est omnino permanens vt sic, debet habere necessariò durationem permanentem; habemus ergo ex dictis quòd duratio sit entitas realis absoluta, quæ facit rem durantem, scilicet coëxistentem durationi imaginariæ; sicut enim vbi facit corpus præsens loco, siue vero, siue imaginario: ita duratio facit rem durantem, id est, coëxistentem durationi veræ, siue imaginariæ; & hæc est ratio formalis prædicamenti quando; quod verò tangitur in argumentis de maiori duratione vnius rei, quàm alterius, infrà explicabitur.

Sed

Sed quætes, an ratio mensuræ actiuæ conueniat durationi vt sic. nam dutationes vocari solent communitec mensuræ quædam. Hoc dubium attigit Durandus 2. *dist.* 2. *quæst.* 5. Scotus 2. *&* 3. Caietan. 1. *part. quæst.* 10. *art.* 6. in qua re primò notandum est ex Aristot. 10. *Metaphysicor.* quòd ratio mensuræ propriè connenit quantirati, sed iam per extensionem quandam extenditur ad durationem, & ad meusuram perfectionis. Secundò notandum est, quòd duratio potest comparari, vel ad subiectum in quo est, vel ad alias durationes eiusdem tationis. Tertiò notandum quòd mensura potest sumi vel actiuè, in quantum mensurat aliam rem, vel passiuè, & formaliter, in quantum facit rem mensurabilem. His positis Durandus, & Scotus sentiunt, non esse de ratione durationis, quòd sit mensura actiua respectu eius cuius est duratio, & omissis illorum rationibus, ratio quæ me mouet est, quia pet durationem cognoscit res durans tanquam per formam; sed hæc non est propriè ratio mensuræ: vnde sententia Caietani, quæ est huic contraria, non placet; D. Thomas autem explicari potest de mensura passiua, dum *art.* 6. docet tempus comparari ad subiectum, vt mensura ad mensuratum; in mensura verò successiua illud est speciale, quòd secundùm vnam partem potest alias partes eiusdem temporis mensurare, quod in indiuisibili duratione non reperitur, sed in successiuis, posse alias res mensurare, non est de essentia, sed quid cósequens ad essentiam.

Dvbivm II.

Quænam sint, quæ materiali tempore mensurantur? aut quæ materiali tempore durant.

IN hac re primò certum est, quòd, quæ consistunt in successione quadam, tempore mensurantur: difficultas tamen est de tebus materialihus permanentibus, quæ in se ipsis possunt, vel aliquantulum inuatiata perseuerate: & de his etiam est certum ex dictis, quòd durent duratione aliqua reali, & positiua; sed an sit permanens, vel successiua, dubium est.

Caietanus *art.* 5. *versic. contra quartam conclusionem*, Fettara 1. *contra Gentes*, *cap.* 18. Albertus *quæst.* 3. *de quatuor coæuis*, *art.* 7. éstque communior inter Thomistas, quòd mensurentur tempore, videtúrque expressa sententia sancti Thomæ 1. *part. quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 3. *&* 1. *dist.* 19. *quæst* 2. *art.* 1. *ad* 4. *de potentia*, *quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 2. *& art.* 4. *ad* 1. quæ videtur etiam sententia Aristótelis 4. *physicorum*, *textu* 118. & probari potest, quia istæ sunt res mntabiles: ergo mensurantur tempore quæ est mensura motus.

Pto solutione notandum est, quòd istæ res possunt dnpliciter considerari, aut in fieri, aut in facto esse: & quidem loquendo de ipso fieri, aliud est successiuum, aliud instantaneum, & sic istæ actiones mensurabuntur tempore, aut duratione indiuisibili; sed proposita difficultas est de rebus in facto esse: & de his dicendum est, quòd mensurentur duratione permanenti, & tota simul: ita Scotus 2. *dist.* 2. *quæst.* 4. Durand. *quæst.* 6. Herucus *quæst.* 12. Henric. *quodl.* 5. *quæst.* 3. & probatur, qnia istæ sunt res permanentes, & totæ simul: ergo habent durationem permanentem, & totá simul, sicut res successiuæ habent durationem successiuam; & confirmatur, quia illæ res vt sic realiter durant, & non duratione successiua, quia non est aliqua successiua mntatio, nec valer dicete. quòd istæ res sunt variabiles, vt subiectæ mutationi, quia hoc solum probant quòd quando mouentur, earum motus mensurentur tempore, A non ramen quòd ipsæ secundùm se vt permanentes sunt mensurabiles illo.

Et confirmatur, quia in Angelo ponitur mensnra permanens, quia secundum esse est permanens; ergo in his rebus permanenribns vt tales sunt, debemus ponere permanentem mensuram, quam appellamus tempus discretum, qnod dixerim contra Scotum suprà, & Henricum, qui ferè idem sentit, qui volunt istam durationem esse æuum; sed falluntur, quia æuum est duratio necessaria ab intrinseco, atque adeò incorruptibilis: bæc tamen duratio est defectibilis, & rei quæ ab intrinseco potest deficere, & quidem hæ durationes in te distinctæ sunt.

Sed quæres, quare dicitur hæc duratio tempus B discretum? Respondet Durandus, & Herueus, quòd duratio harum rerum est sicut quoddam instans, indiuisibile, & quia istæ tes non semper permanent, sed sibi inuicem succedunt, ideo dicitur tempus discretum, vt infrà dicetut de tempote operationis Angelicæ.

Sed obiicies; sequitur, quòd res corruptibilis desinat per vltimum sui esse. Respondeo quòd de hoc dicam *lib.* 6. in materia de inceptione, & desitione *dubio* 4. *principali in fine*.

Ad sanctum Thomam respondeo, illum loqui de mensura extrinseca solùm; neque credendum est voluisse diuum Thomam, rem quiescentem tempore intrinseco mensurari, cùm non sit intrinsecè tem- C pus, vbi non est intrinsecè motus, & eodem modo intelligendus est Aristoteles, qui intelligi non potest de tempore intrinseco, cùm per illud dicat mensurari res quæ mouentnr, & quiescunt: vnde est, quòd communi motui, & quieti, quod tempore extrinseco verum est, vt patet ex *textu* 119. 4. *physicorum*, *& textu* 120. & D. Thomas 1. 2. *quæst.* 31. *art.* 2. apertè docet substantias per se non esse in tempore, quia ratione sui non habent successionem, sed per accidens, aut per aliud, id est, quatenus mutationibus subduntur.

Sed dices, quare Angeli non dicantur esse in hoc tempore, sicut substantiæ istæ materiales. Respondeo, quòd, vt bene docuit Aristoteles 4. *physicorum*, D res non sit in alio, quia sit quando aliud est, sed ex eo quòd contineatur ab illo Angelus; ergo licet coëxistat nostro tempori, non dicet ex hoc esse in illo, neque ex boc substantiæ materiales dicuntur esse in illo, quia sunt simul cum illo, sed ratione motus cui substant, vt diuus Thomas docuit *loco citato*; quod tamen Angelis respectu materialis temporis non conuenit; de spirituali infrà dicam.

Hinc oritur, quòd has res mensuremus tempore extrinseco, cùm dicimus Ioannem vixisse tot annis, quia hæc mensura est notissima quoad nos. Ex dictis etiam patet optimè dixisse S. Thomam 4. *physicorum*, *super textum* 119. quietem per accidens mensurari tempore, quatenus per extrinsecum tempus E cognoscimus quanto tempore hoc subiectum quieuerit. Secundò intelligitur bene Pereyta *lib.* 12. *c.* 3. docuisse, quòd in definitioné temporis non oportuit ponere illam particulam *quietis*, quia tempus mensurat quietem per accidens.

Sed obiicio, vt magis hoc declaretur: quies posita est in definitione naturæ; ergo debuit poni in definitione temporis. Respondeo, vt ibi dixi, quies sumitur pro aliquo positiuo, cuius principium intelligitur esse natura. Et hîc quies sumitur pro priuatione, quia licèt sequatur aliquam durationem positiuam ipsius rei quiescentis; tamen illa, vt dixi, non mensuratur tempore continuo, est enim duratio tota simul, licèt res ipsa vt subiecta motui mensuretur

furetur tempore continuo, eo modo quo explicui; (A) vnde optime docuit Scotus *2. dist. 2. quæst. 4. § concedo conclusionem*, posse quietem mensurari alia duratione diuersa ab ea qua durat requiescens.

DVBIVM III.

An sit aliquod tempus continuum spirituale.

Diuus Thomas *1. part. quæst. 53. art. 3.* expressè docet motum continuum Angeli mensurari tempore continuo diuerso à nostro, quem sequuntur Caietanus, & alij Thomistæ *ibi*. sed aduertit, vt constat ex Zumele *ibi quæst. 4. ad 2.* quòd illum intelligunt Thomistæ de operatione transeunte Angeli (B) respectu corporum, neque enim concedunt Thomistæ aliquem motum continuum spiritualem subiectiuè inhærentem Angelo; quod tamen non est de mente D. Thomæ, quidquid velint Thomistæ. nam motus quos Angeli ad extra causant, cùm sint materiales, tempore materiali nostro mensurantur, neque enim refert causatos esse ab Angelo, & quòd hi motus mensurentur tempore nostro, docuit D. Thomas *3. contra Gentes cap. 61. concl. 3.*

Dicendum ergo est, veram esse sententiam sancti Thomæ de motu continuo (quem suppono posse esse in Angelo, vt multi probant *in ea quæst. 53.*) spirituali inhærente Angelo vt in subiecto; ponenda ergo est in Angelis duratio continua, & successiua, (C) ad actus continuos, & successiuos, siue illi sint motus locales, siue actus intellectus, & voluntatis, quos potest intendere continuè. Et ratio patet ex dictis, quia istæ entitates debent habere durationem sibi intrinsecam, & proportionatam; quando verò S. Thomas *1. 2. quæst. 113. art. 7. ad 5.* docet successionem Angeli non mensurari tempore continuo, loquitur apertè de actibus discontinuis, qui sibi succedunt.

Sed quæres, quomodo istæ durationes spirituales distinguantur à tempore nostro continuo. Respondeo, distingui essentialiter.

Obiicies, duæ relationes similitudinis inter terminos specie diuersos, sunt eiusdem speciei, vt supra dixi; ergo & tempora hæc, quamuis sequantur (D) motus specie distinctos, sicut suprà diximus de tempore, in motu calefactionis, & locali. Respondetur, quòd si tantùm attenderemus differentiam specificam motus, non distingueremus tempora essentialiter, iam enim dictum est, non distingui ex distinctione motuum, sed inuenitur illud speciale in duratione continua Angeli sibi inhærente, quòd est essentialiter spiritualis, sicut duratio nostra continua est materialis, vnde distinguuntur essentialiter; quod etiam in relationibus verum est. nam quamuis similitudo inter duo alba, & duo nigra, non distinguantur specie; tamen similitudo inter duo extrema spiritualia, vel materialia distinguuntur, non propter specificam distinctionem extremorum, sed quia (E) habent in sua essentia prædicatum quoddam essentialiter diuersum, scilicet esse spirituale, vel materiale; ipsa tamen tempora continua spiritualia inter sese non distinguuntur, nisi solo numero, sicut suprà dixi de continuis materialibus inter sese; continuum verò spirituale, ab spirituali discreto (de quo infrà) specie differt.

De vnitate verò, aut pluralitate huius temporis dicendum est, sicut in simili de tempore nostro materiali, scilicet, quòd sint plura intrinseca cuilibet motui duranti successiuè, ex quo patet, quæ sint, quæ hoc tempore possint & debeant mensurari.

Sed quærere aliquis posset, an in tempore continuo spirituali, sit aliquid, quod sit mensura aliorum, sicut in materialibus: sed quidquid alij velint, mihi videtur non dari, neque Angeli indigent tali mensura, neque tempus potest esse in motu informi, cùm sint motus omnino liberi; alij volunt esse in his temporibus continuis spiritualibus vnum, quòd sit perfectionis mensura; sed cùm omnes istæ durationes numero solo in nostra opinione differant, non est cur mensuram perfectionis assignemus, de hoc tamen non contendo.

DVBIVM IV.

An detur in spiritualibus aliquod tempus discretum.

De hac re legatur S. Thomas, & Caietan. *suprà*. Zumel *quæst. 4. super tertium illum articulum quæstionis 53.* Scotus ergo *in 2. dist. 2. quæst. 4.* existimat operationes Angeli, quæ habent totum suum esse simul, mensurari æuo. Ratio est, quia habent totum suum esse simul, sicut substantiæ Angelicæ; ergo eadem mensura, id est, æuo mensurantur sicut illæ; neque enim refert, quòd substantiæ plus durent, quàm operationes.

Sed dicendum est cum Thomistis *suprà*, quòd istæ res non mensurantur æuo, sed duratione indiuisibili, quod appellatur tempus discretum; ita Henric. *quodl. 1. quæst. 8. & quodl. 13. quæst. 7.* Durand. *2. dist. 2. quæst. 4. & 6.* Alexander *1. part. quæst. 12. membro 4. art. 4. §. 1.* Richard. *2. dist. 2. art. 2. quæst. 1.* S. Thomas *1. part. quæst. 53. art. 3. 1. 2. quæst. 113. art 7. ad 6.* & ratio est aperta, quia æuum, vt infrà videbimus, est duratio ab intrinseco indefectibilis: at duratio horum actuum reuera est ab intrinseco defectibilis, vnde non possunt esse eiusdem rationis, quamuis in hoc conueniant, quòd ambæ durationes sint totæ simul.

De vnitate verò huius temporis dicendum est, quòd in qualibet re, quæ cùm sit spiritualis, est tota simul, & deficere potest, sit proprium indiuisibile ista duratione intrinseca durare, ex quo etiam patet, quæ possunt esse quæ hoc tempore mensurantur.

Sed quæres, in quo consistat ratio huius temporis discreti? Respondeo in successione harum durationum indiuisibilium, quod ideo dico, quia si sint simul multæ res quæ durent hac mensura, non propriè efficiunt tempus discretum. nam tempus petit natura sua partium successionem.

Quæres vlteriùs, numquid hæ durationes inter se distinguantur specie. Respondeo, durationes indiuisibiles spirituales istæ, quæ ab intrinseco possunt deficere, non distinguuntur specie, sed numero, vt suprà dixi de temporibus continuis spiritualibus inter se; sed ab æuo, & æternitate specie distinguuntur, vt infrà dicam; à duratione etiam materiali, permanenti, vel successiua specie differt, vt patet ex difficultate 3.

Quæres vlteriùs, an actiones nostræ spirituales hoc tempore mensurentur. Respondeo intrinsecè, & per se, hoc tempore mensurantur, neque oppositum vult D. Thomas *1. 2. quæst. 113. art. 7. ad 5.* quia ibi non loquitur de duratione intrinseca propria & per se, sed de extrinseca, & per accidens, vt apertè patet, quod reuera sufficit ad soluendum illud quintum argumentum, & iuxta hæc explicandus est D. Thomas *de veritate quæst. 8. artic. 14. ad 12. & in 1. dist. 38. art. 3. & in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 1.*

Sed dices, ergo hac ratione etiam operationes Angelicæ possent tempore nostro mensurari.

Respondeo

Respondeo disparem esse rationem, quia, vt patet ex D. Thoma *loco citato* 1.2.*quæst*.113.*art*.7 *ad* 5. homo habet dependentiam a tempore, Angelus verò nullo modo, vt ex supradictis patere potest, vnde & in ordine ad nos mensuramus has actiones tempore nostro, cùm dicimus, tot horis dedi operam litteris, meditationi, aut contemplationi.

Quæres vltimò, an in hoc tempore detur vnum, quod sit mensura aliorum. Respondeo primò, quod ad durationem attinet, non dari, quia cùm omnes istæ durationes sint indiuisibiles secundùm se, non possunt se inuicem mensurari, hoc enim faciendum est per ordinem ad durationem extensam veram, vel imaginariam: de mensura perfectionis idem dicendum est quod suprà de duratione, seu de tempore spirituali continuo.

DVBIVM. V.

Quænam duratio sit æuum.

PRimò notandum est hoc nomen variè accipi, & primò sumitur pro quacunque duratione, vnde 1.*Corinth*.8. vbi dicitur, *Carnes non manducabo in æternum*, alia litera habet, *in æuum*. Solet etiam sumi pro æternitate, Ecclesiast. 41. *bonum nomen permanet in æuum*, scilicet in æternum, & hæc veritas insinuatur *Exodi* 21. nam vbi vna litera habet, *erit seruus tuus in æuum* alia habet, *in seculum*, alia *in æternum*, & pro æternitate vtitur hoc nomine Aristot. 1.*cœli, textu* 106.*&* 12.*Metaphysicorum, textu* 39. Dionysius *de diuinis nominibus*, *cap*.10. & D. Thomas *quodl*.5.*art*.3. ait, ex ignorantia linguæ Græcæ factum fuisse, vt æuum ab æternitate distinguatur; iam tamen hoc nomen vsurpatum est pro duratione rerum, quæ cùm habeant initium, nequeunt ab intrinseco deficere; sic accipitur à Basilio 2.*contra Eunom*. & ab Augustino *lib* 83. *quæstionum*, *quæst*.72. Anselmus *super capus* 1.*ad Titum* ab Scholasticis *locis citatis*; & sic à nobis accipitur in præsenti quæstione. Et primò supponimus durationem hanc esse aliquid reale, & intrinsecum rei duranti.

Sed quæritur primò, an in æuo sit aliqua successio? Et Bonauentura *in* 2.*dist*.2.*quæst*.3. sensit esse in æuo quandam successionem, ita vt non esset omnino eadem duratio, qua hodie durat Angelus, & ea qua heri, v.g. durauit, sed sit continua quædam successio. Probatur primò, quia in duratione in qua est præteritum, & futurum, est prius & posterius, atque adeò & successio: sed in æuo est præteritum, & futurum; ergo. Minor probatur, primò, quia sancti Patres sæpe dicunt tantùm æternitati conuenire, vt in ea sit tantùm præsens; sic Hieronymus ad Marcellum, Augustinus 11.*Confessionum*, *cap*.14. Anselmus *in prosol.cap*:20.*&* 22. *& ad Titum* 1. & alij quos adducit Lipomanus *in Catena*, super illud Exod.3. *Ego sum*. Isidorus 7.*Etymologiarum cap*.1. Et probatur ratione, quia potest annihilari; ergo potest non esse futura, & non potest non fuisse præterita; ergo hæc duo distinguuntur in illa duratione. Confirmatur, quia si Angelus modò annihilaretur, videremus Angelum illum præteriisse, non tamen esse futurum; ergo non conueniebat illi per eandem durationem fuisse, & futurum esse. Secundò, quia vbi est magis, & minus, est successio, & diuisibilitas; sed in duratione Angeli est magis, & minus: ergo. Minor probatur, quia si heri creatus fuisset vnus Angelus, & hodie alius, ille plus durasset; ergo. Tertiò, quia prius, & posterius sequuntur successionem; sed prius est non esse Angeli, quàm esse: ergo. Quartò, aliàs sequeretur hanc durationem esse infinitam; & etiam sequeretur, quòd inceptio & desitio Angeli, si desineret, essent simul, imò, & quòd æternitas non sit simplicior æuo.

Propter has, & similes rationes Bonauentura suprà sequitur hanc sententiam, distinguit tamen duplicem successionem, alia est sine nouitate essendi ex parte termini, licet in ipsa actione sit continua quædam successio; alia verò est successio cum nouitate essendi: sicut cùm continuè producitur diuersus terminus, primam ponit in æuo, & hanc sequuntur alij nonnulli, quos refert Caietanus 2.*dist*.2 *quæst*.2. in argumentis contra quintam conclusionem.

Sed opposita sententia est, scilicet quòd æuum sit duratio tota simul: Scholastici 2.*dist*.2. Scotus *q*.1. Richard. *art*.1. *quæst*. 3. quamuis sententiam Bonauenturæ probabilem putent Durandus *q*.3. Alensis 1.*part*. *quæst*. 12. *membro* 9.*art*.3. S. Thomas 1.*parte quæst*.10. *art*.5. *quodl*. 10. *art*.4. etiam est communis Thomistarum 1.*part*. *quæst*. 10. imò etiam videtur S.Dionysij *cap*.5.*de diuinis nominibus*, appellat æuum, quietem simul totum. Augustinus *lib*.83. *quæstionum quæst*.9.*&* 22. loquens de duratione Angelorum, ait, æuum hoc distat à tempore, quòd tempus mutabile, æuum stabile est; sed ratio me conuincit, quia cùm duratio non distinguatur à re, si ipsa res est tota simul, & indiuisibilis, non video quomodo duratio non sit indiuisibilis, & tota simul.

Secundò, quia si esset illa successio, necessariò deberet intelligi Angelum aliquid amittere successiuè; & si dicas tantùm esse successionem in actione conseruatiua continua, contra hoc est primò, quòd duratio Angeli à sua actuali entitate non distinguitur: & iam suprà probaui, actionem qua Angelus fit, ab ipsa essentia Angeli non distingui.

Tertiò, quia non videtur repugnantia, ob quam sicut res diuisibilis habet diuisibilem durationem, indiuisibilis non habeat indiuisibilem durationem; est ergo duratio Angeli indiuisibilis, & quæ ab intrinseco deficere nequit.

Ad autoritatem dicendum est, quòd in aliquibus locis sumunt æternitatem, vt comprehendit æuum, vt Boëtius 1.*de Trinitate cap*.9 Secundò etiam quòd velint æternitatem esse independentem, non tamen æuum. Ea autem loquutio, quòd soli æternitati conueniat esse præsentem, non præteritam, aut futuram, verissima est, ex eo, quia æternitas habet de se essentiam infinitam, & ita in se omnino independens ab alio potest coëxistere durationi cuicunque: æuum non habet hoc, sed solùm quòd possit in infinitum permanere sine additione per solam sui conseruationem, quod non dicit infinitatem, sed conseruationem eiusdem rei.

Ad primam rationem respondeo, quòd in Angelo non est fuisse, aut futurum esse per successionem. ita S.Thomas 1.*part.quæst*.10. *art*.5.*ad* 3. Vnde August.12. *c*.15. Immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec est præterita quasi iam non sit, nec futura quasi nondum sit, & quamuis in duratione Angeli non sit prius, nec posterius, tamen quia iam fuit, conseruatus est in ordine ad tempus nostrum; tamen, quia non est conseruatus per ordinem ad tempus futurum, ideo potest non esse futurus, si annihiletur: hoc autem ad diuisibilitatem nihil refert, quia conseruatur totaliter, & simul, quod est in hac re valde notandum, ex quo patet ad cōfirmationem.

Ad secundum etiam patet, quia ibi etiam non est successio, sed solùm quòd Angelus vnus per ordinem ad tempus verum, vel imaginarium plus esset conseruatus, sed totaliter sine successione.

Tertium

Tertium verò argumentum non probat, successionem in Angelo esse continuam, sed quasi discretam inter se & non esse, quod Caietanus vult mensurari tempore discreto; sed reuera negatio totalis ipsius esse intrinsecam habet mensuram nullam, & ita sicut negatio ipsius esse sequitur esse, ita negationem cui sequitur æuum, neque est cur fingamus aliam mensuram.

Ad quartum patet, quomodo hæc duratio infinita non sit, inceptio autem, & desitio simul non sunt, vt *lib. 6.* videbitis: neque hæc duratio ita est simplex sicut æternitas, cùm sit ipsum esse creatum, à quo non distinguitur.

Sed est difficultas contra dicta, quæ semper mihi secundùm doctrinam quam suprà sequuti sumus visa est difficilis, Angelus quando est præsens diuersis B locis, non habet omnino eandem præsentiam respectu illarum; ergo quando est præsens in durationae diuersis temporibus, habet intrinsecè durationem diuersam. Respondeo, quòd in præsentiis localibus, est sufficiens ratio ad ponendam distinctionem, quia videmus, vel successiuè acquiri, vel vnam acquiri motu discreto, & aliam amitti: at verò in præsentia respectu temporis, non se mouet Angelus ad aliquid acquirendum, solùm ex eo quòd conseruatur indiuisibiliter à Deo, potest coëxistenti duratione existere sine acquisitione alicuius realitatis, & sine noua actione; vnde potiùs se habet Angelus respectu temporis transeuntis; sicut locatum in eodem C spatio perseuerans respondens diuersis partibus aëris transeuntis, quod reuera efficeret per vnum vbi intrinsecè inuariatum, & hoc modo intelligitur æternitas coëxistens omni durationi, quod in hac quæstione maximè aduertendum est. nam etiam possumus intelligere Deum per æternitatem plus durasse quàm mundus durauerit, & tamen hoc non arguit successionem in æternitate, licèt illa sit, (vt dixi,) differentia inter æuum, & æternitatem, quòd hæc sit independens, illa verò duratio non ita.

Sed quæres, an sit tantùm vnum æuum? Respondeo quòd sunt plura intrinseca, in quolibet subiecto, durante illa duratione, quod ex dictis patere D potest.

Quæres secundò, an æua inter se distinguantur specie? Respondeo æuum substantiæ materialis, & incorruptibilis, ab æuo substantiæ immaterialis specie distingui; tamen æua immaterialia inter se existimo non distingui specie inter se, sicut neque materialia inter se, quod ex supradictis de aliis durationibus constat; quod tamen sic est intelligendum, vt inter spiritualia æua, naturalia à naturalibus non differant, nisi tantùm numero: attamen ab eius spiritualibus (si quæ sint res supernaturales, quæ mensurentur æuo) distinguantur specie, sicut suprà dixi de materiali, & immateriali: quod dixerim propter eos, qui dicunt res supernaturales incorruptibiles, ab intrinseco habere æuum supernaturale. Patet etiam, quomodo hæc duratio ab aliis distinguatur. E

Quæres tertiò, an in his sit aliqua prima mensura durationis? Respondeo primò, mensura durationis esse non potest, cùm sint indiuisibilia. Secundò mensura perfectionis non facit ad propositum, neque in ordine ad nos talis potest esse, quia nos non possumus vti illa ad cognoscendam perfectionem Angelorum; quo ad Angelos verò necessaria non est, quia sine illa potest cognoscere perfectionem suæ, vel alterius durationis, vnde non satis intelligo, quid voluerit D. Thomas 1. *part. quæst.* 10. *art.* 6. dicens vt probabilius tantùm esse vnum æuum, nisi fortè velit, esse vnum tantùm vt perfectissimum, quòd sit mensura perfectionis, non in ordine ad nos, sed in ordine ad Angelos, non necessaria, sed accommodata.

Quæres quartò, quæ sint quæ hoc æuo mensurantur? Respondeo ea omnia, quæ secundùm suam entitatem ab intrinseco nequeunt deficere, siue materialia sint, siue spiritualia. Vnde existimo, non solùm corpora cœlestia, si quæ sint secundùm substantiam incorruptibilia, sed etiam animam rationalem, voluntatem, & intellectum, imò etiam materiam primam æuo mensurari, id est, duratione ab intrinseco indefectibili, quia omnes istæ res nequeunt ab intrinseco deficere; sed hoc cum magna consideratione dicendum est, ne vel sola nouitatis specie offendat.

Quæres quintò, in quo sit perfectissimum æuum? Respondeo, naturale esse in perfectissimo Angelo; vnde non video quo fundamento nonnulli, tenentes, primum Angelum peccasse, negant in illo esse primum æuum. nam reuera, si ille erat perfectissimus secundùm naturalia, æuum naturale, id est, duratio suæ entitatis naturalis, modò etiam erit perfectissima; æuum tamen absolutè perfectissimum erit duratio absolutè perfectissima, quæcunque illa sit, si æuo mensuretur. Hic erat disputandum de mensura, & duratione rerum supernaturalium, sed oportet priùs explicemus rationem æternitatis.

Dubium VI.

In quo consistat ratio æternitatis.

Primò notandum est, æternum sumi pro eo, quod licèt habeat terminum, valde tamen ab eo distat, qua ratione *ad Romanos* 6 dicuntur tempora æterna. Secundò pro eo quod non habet præfixum terminum, Genesis 16. *Semini tuo dabo terram peregrinationis tuæ in possessionem æternam*, vt exponitur ab Augustino *quæst.* 21. *in Genesim*. Tertiò pro eo quod secundùm se totum non habet principium, nec finem, vt de tempore dicendum est, secundùm Aristotelem, qui sensit tempus esse æternum. Quartò id, quod semper comitatur aliquam rem independenter à tempore, sicut veritas propositionis huius, Homo est risibilis. Quintò, pro eo quod habet principium, non tamen habet finem. Vltimò pro illo quod nulla ratione habet terminum, ita vt æternum idem sit quod extra terminum.

Secundò supponendum est, Dei durationem esse aliquid reale intrinsecum, & absolutum, Deus enim verius durat, & perfectius, quàm omnes creaturæ, & hanc durationem intelligimus nomine æternitatis, & de hac est difficultas.

In qua Ferrara 1. *contra Gentes, cap.* 15. dixit rationem æternitatis compleri per intellectum, quamuis à parte rei supponat aliquod fundamentum reale, quia sanctus Thomas 1. *part. quæst.* 10. *art* 1. dixit rationem æternitatis consistere in apprehensione rei omnino immutabilis, vnde videtur necessariò opus rationis significari: sed meritò hæc doctrina reiicitur à Caietano ibi; & ratio præcipua est, quia re vera tota ratio huius durationis est in re, & frustrà additur complementum illud rationis, & à fortiori hîc probant ea quæ suprà dixi de tempore. D. Thomam infrà explicabo.

Scotus *quodl.* 6. *versic. restat nunc videre*, & ex parte Capreolus 1. *dist.* 9. *quæst.* 1. ad primum ex vltimis dixerunt æternitatem consistere in aliquo positiuo, scilicet

scilicet in ratione vitæ, compleri tamen per negationem, quia supra diuinum esse æternitas solùm videtur addere negationem successionis, vel dependentiæ, nisi dicamus, inquit Scotus, addere relationem quandam positiuã, quatenus dicit habitudinem ad per se coëxistendum cum quacumque duratione; sed in nullo horum potest coëxistere æternitas, non relatione illa, quia illa relatio est ad creaturas, atque adeò rationis, & ita æternitas est aliquod attributũ reale conueniens Deo ex sua natura, neque in negatione illa, quia æternitas est positiua perfectio, licèt explicetur negatione.

Aureolus apud Capreolum 1 *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 1. dixit æternitatem non consistere in aliqua duratiua ratione, sed in vi quadam positiua, qua Deus possit attingere omnem durationem successiuam; sicut ratio immensitatis, inquit, non consistit in imaginatione extrinseca, sed in vi quadam, quam habet Deus ad coëxistendum in omni loco.

Probat primò, quia in Deo non est diuisibilitas, aut successio; ergo neque aliqua duratio, quia hæc potest esse maior alia duratione, atque adeò & habere successionem. Secundò, quia etiam in Deo esset mutatio, quia sua duratio esset maior modò, quàm in principio mundi: sed re vera ego non satis intelligo mentem Aureoli, quomodo quis negare potest, quòd Deus per durationem duret, cùm permaneat in suo esse verius, quàm omnes creaturæ, & hoc sit in illis durare.

Et ad primum dico quòd duarum durationum diuersæ rationis, vna non dicitur maior alia, sed perfectior. Ad secundum dico durationem Dei secũdùm se non dici maiorem, vel minorem, nisi ex nostra imperfectione, per ordinem ad extrinsecum.

Dicendum ergo est, rationem æternitatis consistere in eo quod Boëtius explicuit *lib.* 1. *de consolatione prosa* 6. & suscipiunt Scholastici, quòd sit tota simul interminabilis vitæ perfecta possessio, quam optimè explicuit S. Thomas 1. *part. quæst.* 10. *art.* 1. Est ergo æternitas duratio ab intrinseco, carens principio, & fine, & omni successione; est communis sententia sanctorum Dionysij *cap.* 10. *de diuinis nominibus*, Gregor. 4. *moralium cap.* 2. *& lib.* 6. *cap.* 21. Hieronymi *in epistola ad Marcellum*, August. 12. *de ciuit. cap.* 15. & in illud Psalm. 2. *Ego hodie genui te*, Anselmi *in monologio; cap.* 21. *&* 22. Bernard. *serm.* 8. *in Cantic.* & est communis Scholasticorum cum Magistro *in* 1. *dist.* 4. *&* 2. *dist.* 1. vbi Durandus *quæst.* 2. Marsil. 1 *quæst.* 22. Antisiodorensis *tract. de vniuerso, lib.* 2. D. Thomas 1. *contra Gentes, cap.* 26.

Et ratio id probat, quia æternitas est duratio diuini esse; sed istud esse est totum simul & simplicissimum: in definitione autem Boëtij nomine *possessionis* significatur firma duratio: dicitur autem tota simul, & interminabilis, propter carentiam principij, finis, & successionis. Vnde patere potest, quomodo æternitas ab aliis durationibus distinguitur; ab æuo enim differt (nam ab aliis in quo differat patet) quòd æternitas dicit intrinsecam durationem, independentem ab intrinseco, & quæ nullo modo deficere potest; æuum verò non sic, vt vidimus: vnde quando D. Thomas dixit, æternitatem consistere in apprehensione rei immutabilis; dicendũ est etiam quod D. Thomas de apprehensione obiectiua, id est, quòd ratio formalis æternitatis consistit in illa ratione, quæ potest vniformiter apprehendi, dicit enim in corpore articuli, quòd sicut ratio temporis consistit in numeratione prioris, & posterioris; ita in apprehensione eius quod est extra omnem motum, consistit ratio æternitatis; sed numeratio illa motus, vt suprà dixi etiam ex mente S. Thomæ, in tempore non est opus rationis, sed successio realis partium temporis, quæ faciunt mensurabilem motum.

Sed quæres, quomodo se habet æternitas respectu vniformitatis, & immutabilitatis? Respondeo respectu immutabilitatis habet se tanquam aliud attributum ab illa dimanans; est communis sententia, colligitur ex Augustino *lib. de diuersis sententijs, sententia* 3. *&* 183. *in tom.* 3. vbi dicit Deum esse æternum, quia est omnino extra motum.

Sed quæres ampliùs, quomodo se habeat respectu vniformitatis? Respondeo, Caietanus 1. *part. quæst.* 10. *art.* 1. sentit esse idem cum vniformitate, imò videtur expressa sententia D. Thomæ *ibi*. Sed obiicit Aureolus apud Capreolum *in* 1. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 1. nam vniformitas non distinguitur ab immutabilitate, est enim vniforme immutabile vt sic. Respondet Capreolus quòd S. Thomas intelligẽdus est materialiter, nõ formaliter, ita vt sicut tẽpus materialiter est prius, & posterius in motu, formaliter verò duratio illius: ita æternitas sit materialiter ipsa vniformitas, formaliter verò duratio diuini esse. Sed hoc nec satis intelligitur, nec est verum, quia apertè D. Thomas loquitur de ratione formali, Caietanus verò ait æternitatem, & vniformitatem addere supra immutabilitatem rationem mensuræ; sed hoc, vt infrà dicam, falsum est, quia æternitas non habet rationem mensuræ respectu diuini esse.

Sed notandum est, quòd vniforme significat rem vnius formæ: hoc autem tam potest conuenire rei quæ mouetur, quàm quæ quiescit, quatenus eundem modum seruant, siue in motu, siue in quiete.

Secundò aduertendum est, quòd sicut in motu est duplex difformitas & in ordine ad spatium, & in ordine ad tempus; sic in Deo est duplex vniformitas, altera in ipso esse, & hæc est ratio immutabilitatis; altera verò in ordine ad durationem, quæ dicit carentiã successionis prioris, & posterioris; & hæc vniformitas est ipsa æternitas, & sic patet ad difficultatẽ.

Sed quæres tertiò, an æternitas habeat rationem mensuræ. Respondeo in re non habet, licèt ad modum nostrum concipiendi habeat aliqualem rationem illius. Et hoc fortè voluit Caietanus *suprà*. & Ferrara 1. *contra Gentes, cap.* 15. quæ est sententia S. Thomæ 1. *parte, quæst.* 10. *art.* 2. *ad* 3. Ex dictis verò patet, hanc durationem esse vnam numero tantùm, & ab omnibus aliis essentialiter distinctam.

DVBIVM VII.

An entia supernaturalia mensurentur æuo, vel altiori duratione.

LOquor in præsenti de his quæ sunt secundùm suam essentiam incorruptibilia, nec modò disputo quænam illa sint. In hac D. Thomas loquens de visione beatifica, sentit, mensurari æternitate, sed participata. 1. *parte, quæst.* 10. *art.* 5. *ad* 1. 3. *contra Gentes, cap.* 62. *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. *artic.* 2. *quæstiuncula* 3. *quodlib.* 10. *quæst.* 2. Ferrara 3. *contra Gentes, cap.* 71. & Thomistæ communiter probant, quia illa res est altioris ordinis; ergo habet mensuram altioris ordinis. Secundò, quia illa visio est immutabilis, non solùm, quia nequit deficere ab intrinseco, sed quia non est subiectum mutationis; ergo habet altiorem mensuram æuo, cui sententiæ videtur fauere Augustinus *lib.* 83. *quæstionum quæst.* 23. eadem verò est ratio de omni accidenti entitatiuè supernaturali si sit supernaturale.

Scotus verò *in 2. dist. 2. quæst.4. & dist.49.quæst.6.* tenet hanc durationem esse æuum, licèt sit perfectius, quia est supernaturalis duratio; & ratio esse potest, quia est duratio rei, quæ ab intrinseco nequit deficere; ergo est æuum.

Mihi videtur dicendum, quæstionem esse de nomine. nam omnes fatentur esse hanc durationem supernaturalem, & altioris ordinis, quàm sit duratio naturalis. Secundò tamen dicendum est hanc durationem posse dici æternitatem participatam, & in quantum hæ res sunt natura sua immutabiles, sunt aliquo modo æternæ, & hoc etiam conuenit substantiis immaterialibus; quòd conueniat substantiis istis, docuit S. Thom. *quæst.10.citata, art.2. ad 1. & 2.* & *tract.1.de tempore, cap.4.* docet, æternitatem sumi pro mensura rei habentis esse fixum, & stabile recipientis vices in operationibus suis. De his verò durationibus entium entitatiuè supernaturalium, dicendum est esse intrinsecas rebus durantibus, & inter se solo numero distingui; ab aliis verò vel naturalibus, vel materialibus durationibus specie distinguitur, iuxta supradictam doctrinam. Ex quibus omnibus latè patet, quomodo tempus differat ab aliis durationibus.

DISPVTATIO XIII.

PHILOSOPHICA, partim & THEOLOGICA.

De potentia, & actu vitali.

Ad quæst.18. 1.part.

DVBIUM I.

An in actu immanenti distinguantur ratione, via, & terminus.



ANTEQVAM de distinctione reali sit sermo, oportet quæstionem tractare de distinctione rationis: in qua, prima sententia est asserentium, hæc duo non distingui in actu immanenti, indicat Durandus *in 1. dist. 27. quæst. 2. num.26. & 27.* D affirmat enim ipsum actum intellectus, & cognitionis per essentiam esse verbum, & similes habet locutiones loco citato. Confirmari potest hæc sententia autoritate Augustini, qui *9. de Trinitate, cap.7.* conceptam rerum naturam Verbum appellat, & *cap. 10.* eodem modo loquitur, & *cap. 2. & 22. & lib. 15. cap. 16.* explicat, verbum esse cognitionem quam formamus de re; & similis modus loquendi familiaris est Augustini in illis libris, Damascenus *1. de fide, cap. 18.* definit verbum esse naturalem motionem, secundùm quam mens mouetur, in quibus verbis non videtur distinguere ipsá actionem, quæ est motio à termino illius, qui est verbum; E cui videtur subscribere, ex loco Damasceni; interpres Clichtoueus, docet enim, verbum mentis esse intellectionem, quæ procedit ab intellectu. Anselmus *in monologio* non semel, præsertim *cap. 3.* ipsam cognitionem rei appellat imaginem: vnde non videtur distinguere verbum, id est, imaginationem rei, ab ipsa cognitione. D. Thomas *de potentia, quæst. 8. artic. 1.* pro eodem videtur vsurpare ipsam conceptionem intellectus, & terminum eius: nonnulla etiam alia docet S. Thomas, quæ fauent huic sententiæ. Primo enim contra Gentes *cap. 10.* docet actiones immanentes nihil aliud esse præter ipsas operationes. quam doctrinam sæpe inuenies apud D. Thomam; ergo vel D. Thomas sentit actio-

A nem immanentem non habere terminum, vel non habere distinctum ab ipsa actione; clarissime verò D. Thomas *opusculo 44. tract.2. cap.1.* de actione, docet actionem immanentem neque esse effectiuam alterius, neque de prædicamento actionis; ergo D. Thomas neque ratione distinguit hanc actionem à termino. nam si ratione distingueret, consequenter dicendum esset, terminum poni in prædicamento qualitatis, actionem verò in prædicamento actionis, vti philosophantur omnes qui calefactionem, v.g. distinguunt realiter à calore, id videtur sentire Caietanus *1. part. quæst. 79. artic. 1. §. quoad secundum,* laudat enim eos, qui possunt eleuare mentem ad intelligendum actiones immanen- B tes non esse actiones, sed qualitates. quam doctrinam amplectuntur P. Gregorius de Valentia *1. part. disput.6. quæst.5. punct.1.* qui dicit non esse in cognitione actionem, & ratione distinctam à qualitate ipsa; & confirmari potest ex Aristotele *9. Metaphys. cap. 16.* dicente, per actionem immanentem nihil produci, quod videtur eo sensu intelligendum, vt nihil producat actio immanens à se ipsa distinctum, quo sensu D. Thomas *1. contra Gentes, quæst. 5.* affirmat, actiones immanentes nihil esse præter ipsas operationes, & *1 parte, quæst.12. artic.2.* & sæpe aliis in locis, affirmat actionem immanentem esse actum perfecti, cuius ratio esse potest, quia in illa non est distinguere, imperfectum fieri ab ipso termino. C pro hac opinione citantur à Canariensi *1. parte, quæst. 27. artic. 1. disput. 1. dub. 4.* autores nonnulli, qui sentiunt intellectionem consistere in ipsa qualitate, non in efficientia; similiter etiam hos autores interpretatur Canariensis, quia, vt infrà videbimus, multi putant intellectionem consistere in qualitate, qui tamen ponunt actionem ad illam qualitatem.

Ratione verò probari potest hæc sententia desumpta ex Durando. nam qualitas, quæ intelligendo producitur, est verbum magis propriè, quàm verbum vocale, iuxta doctrinam Augustini *15. de Trinitate, cap.11.* D. Thomas *1. part. quæst. 34. art. 1.* ait: De ratione verbi primò est significatio, vt per se D constat: certum autem est significationem, & repræsentationem verbi mentis esse illi naturalem. de significatione quidem patet, quia non esset verbum, quia nihil faceret cognoscere.

Secundò probatur. nam de ratione verbi est ab alio procedere, sicut à dicēte, aliàs non erit verbum: ergo essentialiter includuntur hæc duo in ratione verbi, & origo ab alio, & repræsentatio obiecti. legatur Augustinus *5. de Trinitate, cap. 3.* & D. Thomas *suprà* docet emanationem esse de ratione verbi. Aliæ rationes possunt fieri ad id probandum, quæ tamen in sequentibus quæstionibus commodiùs adducentur, & faciliùs soluentur.

Communis tamen est contraria sententia, quæ E statuit distinctionem aliquam inter verbum & actionem per quam producitur, & idem est de omni actione immanenti: suppono autem omnem actionem immanentem habere terminum, vt contra nonnullos probaui in libris de Anima. quæ sententia potest probari primò ex Aristotele qui 10. *Ethicorum, cap. 3.* docet voluptatem, & operationes virtutis non esse qualitates, quod debet intelligi, vt saltim non sint solùm qualitates; & in prædicamentis *cap. de actione,* dolorem, & tristitiam numerat inter actiones quæ ponuntur in eo prædicamento; ergo saltim ratione debent distingui à suo termino, qui ponitur in prædicamento qualitatis; & autor sex principiorum, dolorem, & tristitiá numerat

inter

inter actiones, *cap. de actione.* quam doctrinam eo loco recipiunt interpretes, vt videre est in antiquioribus discipulis Aristotelis; ex iunioribus verò huius ætatis Toletus, & alij numerantes species actionis, eo capite ponunt actionem immanentem; ex Patribus expressè Damascenus in sua Dialectica *cap. de actione,* ponit intelligere speciem illius prædicamenti; constat verò tristitiam, dolorem, & intellectionem esse actus appetitus, & intellectus.

Est tamen quorumdam explicatio asserentium numerari dolorem, & tristitiam inter actiones illius prædicamenti, propter quandam affinitatem, & imitationem, sic enim loquitur Scotus suprà citatus, quæ est inter has causalitates, & actiones illius prædicamenti: sed explicatio à nullo traditur ex autoribus, vt deseruiat instituto huius quæstionis; & impugnari potest, quia si talis explicatio semel admittatur, nihil est firmum, & stabile circa mentem Aristotelis de constitutione eorum, quæ in prædicamentis constituuntur, & falsò Aristoteles posuisset qualitatem in prædicamento actionis, nisi in ipsa qualitatis entitate subtili intelligentia diuersas architectaretur rationes prædicamenti qualitatis, & actionis, vt interim omittam id quod de aliquali distinctione reali dicam quæstione sequenti; prædicta verò explicatio videtur desumpta ex doctrina Scoti 1. *disp.* 3. *quæst.* 6. §. *vltimo ad* 3. sed meritò displicet Molinæ 1. *part. quæst.* 27. *artic.* 1. est etiam communis sententia hæc sine dubio D. Thomæ, multa enim docent quæ manifestè probant distinctionem saltim rationis inter actionem intellectus, & terminum illius; placet verò ex multis referre nonnulla vt nullus in posterum dubitationi de mente D. Thomæ relinquatur locus; & 1. *parte, quæst.* 34. *artic.* 1. *ad* 2. inquit, Intelligere non significat actionem ab intelligente exeuntem, sed in intelligente manentem; cùm ergo dicitur, quòd verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo; & *ad* 3. affirmat, intelligere importare solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua, ait, nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quædam in intellectu nostro. quo in loco manifestè distinguit saltim ratione, rationem originis, à ratione termini informantis, & manifestè loquitur in his verbis solutionis *ad* 3. de intellectione nostra, & *quæst. de potentia, art.* 1. distinguit conceptionem à re quæ intelligitur ab ipso intelligibili, & ab ipso intelligere, & infrà ait, Differt hæc conceptio ab actione intellectus, quia consideratur vt terminus actionis; & infrà, vox exterior, neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actionem intellectus, sed intellectus conceptionem; & *quæst.* 4. *de veritate*, docet *in artic.* 1. verbum intellectus nostri, esse illud ad quod operatio intellectus terminatur; & infrà ait, ipsa conceptio est effectus actus intelligendi; & *artic.* 2. *ad* 5. ait, quòd in nobis dicere non solùm significat intelligere, sed cum hoc etiam significat ex se exprimere conceptionem: & addit, neque aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo.

Quòd verò terminus, & actio saltim ratione distinguantur in actu immanenti, communis consensus est, & discipulorum D. Thomæ, qui admittunt in his actionibus terminum; cum his enim subscripsit disputatio. legatur Canariensis *loco citato*, P. Molina, & alij recentiores interpretes D. Thomæ 1. *parte, quæst.* 27. & 34. qui alios etiam autores referunt, vt minimum admit-

A tentes distinctionem rationis, vt legenti constabit.

Hanc sententiam securè recipiunt viri docti huius ætatis, imò, vt videbimus *quæst. seq.* multi sunt, qui aliquo modo ante intellectum distinguunt actionem à termino in actu immanenti.

Pro explicatione aduertendum est, autores ponentes distinctionem rationis inter actionem, & terminum in actu immanenti, loqui de distinctione rationis, quæ est inter duo extrema, quorum neutrum in sua ratione includit aliud. nam considerant actionem vt viam, verbum verò vt terminum, vt manifestè constat ex locis D. Thomæ, præsertim ex *quæst.* 8. *de potentia, artic.* 1. *quæst.* 4. *de veritate,*
B *artic.* 1. & eodem sensu loquuntur alij, vt legenti constabit.

Doctrinam verò sic intellectam variis rationibus probant autores, earum tamen nonnullæ non est cur referantur, quia parum habent efficacitatis, & vtilitatis; solùm ergo probari potest communis doctrina in præsenti quæstione, ex eo quòd nihil potest assignari ex parte actus immanentis quod possit impedire talem distinctionem, considerari ab intellectu quæ in aliis actionibus, & terminis consideratur. quam rationem attigit D. Thomas *quæst. de potentia*, vt *art.* 1. illis verbis, quia consideratur vt terminus actionis, nihil verò esse quod possit impedire talem considerationem intellectus, ex solutione eorum,
C quæ pro parte contraria obiiciuntur, constabit dilucidè. Addo me quæstione sequenti dicturum cum aliquibus Theologis non infimæ notæ, actionem, & terminum, ante intellectũ in actu immanenti distingui, neque hoc leuibus rationibus confirmatur.

Restat autem argumenta in contrarium soluamus, & primò explicandi nobis sunt Augustinus, Damascenus, & Anselmus, ex doctrina D. Thomæ 1. *part. q.* 34. *art.* 1. *citato, ad* 2. explicat enim D. Thomas in ea solutione Augustinum, & Anselmum, & affirmat verbum ab illis appellari notitiam, sumpta notitia, non pro actu, sed pro termino, & quadrat sanè hæc expositio in verba horum Patrum, quæ licèt displiceat Durando *loco citato*, tamen illam non
D impugnat ratione aliqua, sicque potest explicari Damascenus, quem hoc modo explicat S. Thomas *quæst.* 4. *de veritate, artic.* 1. *ad* 1. Addo ex verbis citatis horum Sanctorum non posse colligi identitatem rationis inter actionem, & terminum; sufficienter enim explicarentur locutiones illorum de identitate reali, quod sufficit huius quæstionis instituto: sed neque hanc realem entitatem existimo sufficienter colligi, propter explicationem D. Thomæ, quæ supposita distinctione vim habet ad explicandos Patres.

Secundò, quia Patres non curabant de philosophica distinctione ista rationis actionis & termini, sed entitatem illam vnam, aut duas, vel entitatem, &
E modũ vnico nomine complectẽtes, modò notitiam, modò cogitationem, modò verbũ indistinctè appellarunt: ridiculũ autem est affirmare nostrã hanc quæstionem determinasse, cuius nec meminisse arbitror.

Pro explicatione locorum D. Thomæ aduertendum est, illũ aliquando intellectionẽ appellasse terminum actionis intellectus, vt constat 1 *part. q.* 34. *artic.* 1. intelligere non importare rationem originis, sed informationem; aliquando verò ipsam actionem appellauit intelligere, vt constat apertè ex *quæst.* 8. *de potentia, artic.* 1. *citato*, vbi distinguit conceptionem ab ipso intelligere, tamquam ab actione intellectus; actionem verò ipsam vocat intelligere, & *quæst.* 4. *de veritate, art.* 1. conceptionem dicit

dicit esse effectum actus intelligendi. Ex quibus locis facilè possunt explicari diuersæ loquutiones D.Thomæ, nonnullæ enim explicandæ sunt de termino actionis immanentis, aliæ verò de actione ipsa, & in speciali facile possunt explicari loca adducta pro contraria opinione.

Et primò cùm docet actiones immanentes nihil esse præter suas operationes, explicandus est D.Thomas, sicut infrà explicandus est Aristoteles; cùm verò docet actionem immanentem non habere terminum, primò potest explicari sicut Aristoteles infrà. Secundò potest explicari de actione grammaticali, hoc est, de termino, sumit enim intellectionem pro verbo, quod conceptionem solet appellare D.Thomas, quo sensu etiam verum est actionem immanentem non esse de prædicamento actionis; quamuis locutio hęc, quæ habetur *in opusculo* 44. *citato*, parum habeat autoritatis, nó enim est certum illud esse D.Thomæ, & ideo impressione noua iussu Pij V. conscriptum est minoribus characteribus, signum certè exiguæ autoritatis.

Sic etiam facilè intelligitur, intellectionem sumptam pro termino, non importare formalitet rationem originis, quamuis illam supponat: vnde D.Thomas *quæst*.4. *de veritate*, *art*.2. *ad* 5. docuit quòd non possumus aliter intelligere nisi exprimendo conceptionem, vnde concludit omne intelligere in nobis esse dicere, propriè loquendo, & secundùm hanc doctrinam similes loquutiones explicandæ sunt.

Nec mirum est, si ipsum explicemus iuxta diuersos modos loquendi, quibus ipse vtitur, & sicut ipse explicat Augustinum, Anselmum & Damascenum; ex quo potest etiam sumi argumentum contra primam sententiam. nam si D. Thomas intelligeret, idem prorsus esse actionem & terminum in actu immanenti, non dixisset, Patres dicentes verbum esse motum animæ, vel cogitationem, nomine motus appellasse terminum, sed simpliciter probasset modum loquendi Patrum, si vera esset prima sententia. Quomodo D. Thomas intelligatur, cùm dixit actiones immanẽtes esse actus perfectos, explicui 3. *de anima*, & 3. *physicorum*, duobus modis, vel quòd loquatur de termino actus immanentis, vel quòd vocet actus perfectos, quia sunt actus rei habentis in se principium sui actus, quod in actionibus transeuntibus non contingit.

Quomodo verò intelligẽdus sit Aristoteles, dum affirmat per actionem immanentem nihil produci, explicui in libris *de Anima*, *disp*.5. *quæst*. 1. vt velit, communiter loquendo, nihil produci quod perseueret transacta actione, & hoc modo intelligit Aristotelem Alexander Aphrodiseus 9. *Metaphysicorum*, *sect*.16. & hanc doctrinam habet Damascenus in sua Dialectica *cap. de actione*.

Addo ex præfato loco Aristotelis non colligi, actionem, & terminum in actu immanenti non distingui saltim ratione, imò, vt suprà vidimus, actiones immanentes ponit in prædicamento actionis; expositionem verò Aphrodisei secutus est Peronius 9. *Metaphysic*. in sua translatione, qui sensum potius transtulit, quàm verba.

Dubium II.

An in actu immanenti distinguantur aliquo modo ante intellectum actio, & terminus.

Explicuimus in præcedenti quæstione, aliquam esse distinctionem rationis inter actionem, & terminum in actu immanenti: videndum est in præsenti quæstione, an sit inter hæc duo aliqua distinctio ante omnem actum intellectus, siue dicatur formalis, siue ex natura rei, siue aliquo modo realis.

In qua quæstione variæ sunt autorum sententiæ. Prima est asserentium, hæc duo non distingui realiter, sed solùm formaliter, sic sentit Syluester *in suo conflat. quæst*. 27. *artic*. 1. & pro eadem citatur à Thomistis Victoria, & Sotus. Duas ergo partes habet hæc sententia: altera est, inter actionem & terminum non esse distinctionem realem; altera verò esse distinctionem formalem.

Ego ex his autoribus non satis intelligo quid intelligant nomine distinctionis formalis, quia non perfectè se explicant; verùm quantum licet colligere ex aliis principiis eorum, videntur colligere distinctionem rationis; notum enim est in schola D. Thomæ tantùm esse distinctionem realem, & rationis, passim enim refutant Thomistæ distinctionem formalem Scoti, de qua materia dixi in Metaphysica. Et quidem secunda pars huius sententiæ de distinctione rationis constat ex quæstione præcedenti; prima verò variis rationibus solet probari.

Primò, quia non sunt multiplicandæ realitates sine causa, sed omnia quæ dicuntur de actione immanenti, suo termino possunt saluari per solam distinctionem rationis; ergo non est cur multiplicentur.

Secundò, nam ex multorum opinione nulla actio transiens distinguitur à suo termino; ergo nó est cur distinguantur in actu immanenti fieri, & terminus, & licèt in aliis actionibus ponatur aliqua distinctio ante intellectum, propter separationem actionis à termino, vt dicitur 3. *physicorum*, cùm in actionibus immanentibus non experiamur talem separationem, nó est signum vnde colligamus distinctionem.

Tertiò, quia si actio, & terminus distinguuntur realiter, Deus posset conseruare terminum sine actione intellectus, & per illum intellectus intelligeret sine concursu efficienti ipsius intellectus, quod in sequentibus fusiùs declarabitur: aliæ etiam rationes fiunt à iunioribus pro hac sententia, quas iamiam refero.

Secunda sententia est aliquorum doctissimorum huius ætatis, qui existimant actionem, & terminum in actu immanenti non distingui ante intellectum, simúlque docent talem entitatem non posse fieri à solo Deo sine concursu potentiæ vitalis, & de hac secunda parte dicitur quæstione 4. Primam verò partem probant autoritate Augustini, Damasceni, & Anselmi, quos retuli quæstione præcedenti, qui verbum, notitiam, & motionem intellectus appellant, probant etiã autoritate Aristotelis, & D.Thomæ, quorum propria verba retuli quæstione proxima, quæ licèt non probent omnimodam entitatem, etiam per intellectum, probare tamen videntur identitatem realem.

Secundò probant ratione, quæ specialem vim habet in actu immanẽti, isti enim Doctores admittunt distinctionem aliquam realem in aliis actionibus. Prima ergo huius sententiæ ratio est, quam tetigi secunda ratione præcedentis sententiæ, quia nullum est signum vnde colligamus talem distinctionem in actu immanenti, cùm nunquam separentur actio, & suus terminus: ergo.

Secunda est, quia, vt dicemus, cognitio non potest consistere in sola actione, neque in solo termino illius; ergo si distinguerentur ante intellectũ, cognitio consisteret in aggregato illarum duarum entitatum, & essen

& essentiarum diuersorum prædicamentorum : inauditum autem est, formas completas vniri ad dandum vnum effectum formalem;ergo.

Tertia ratio est eadem cum tertia ratione præcedentis sententiæ, quæ ampliùs declaratur. nam non potest assignari ratio, propter quam Deus non possit facere verbum mentis,si ante intellectum distinguitur à sua actione, ex quo fieret intellectum merè passiuè se habentem intelligere. Probatur, quia informaretur à termino, & actione omnino eiusdem speciei;ergo haberet eundem effectum formalem,& quidem terminum futurum esse eiusdem speciei certissimum est,& concessum ab omnibus;terminus verò à solo efficienti distingui non potest, vt constat ex Philosophia. De actione verò probatur, quia actio qua fit calor à Deo,vel ab alio calore, non distinguitur specie; ergo neque actio qua fieret verbum mentis à solo efficienti, & qua fieret à Deo simul cum intellectu,& ratio est identitas termini à quo,& ad quem.

Quarta ratio, quia de ratione verbi est significatio aliqua,& origo à dicente, vt diximus quæstione præcedenti,ex doctrina D.Thomæ,& Augustini:ergo verbum non distinguitur ab origine,quæ est ipsa actio; quia si distingueretur ab illa, non esset verbum per suam entitatem, sed per adiunctam actionem, ex quo fieret vlteriùs verbum esse aggregatum actionis, & termini, quod per se videtur falsum, & inauditum.

Quinta ratio specialiter fieri potest in actu immanenti voluntatis;quia si in illo distinguitur actio à termino, sequitur voluntatem prius natura exercere suam libertatem, quàm aliquid velit; consequens verò nullus concedit : ergo. Sequela probatur, quia libertas voluntatis consistit in agendo cum potestate non efficiendi, vt infià dicemus; ergo cùm prius natura sit actio, quàm terminus, si terminus ipse requisitus est ad volendum, sequitur quòd prius natura volũtas exercet suam libertatem, quàm aliquid velit. Alias rationes, quæ fieri possunt pro hac sententia,de industria omitto, ad hæc enim capita,quæ attigi,reducuntur.

Tertia sententia est aliorum asserentium in actu immanẽti actionem,& terminum distingui realiter, sic Bañes *1. part. quæst 27. artic. 1. dub. vltim.* Zumel *quæst. 5.* Canariensis *disp. 4. 2. part. disp.* Capreolus *in 1. dist. 27. quæst. 2.* Ferrara *1. contra Gentes, cap. 53.* & hi quidem videntur loqui de distinctionẽ rei à re,vtuntur enim his vocibus,vt legenti constabit:& probant primò his locis D.Thomæ, quibus nos vsi sumus quæstione præcedenti ad probandam distinctionem rationis; & ratione probant, quia verbum ipsum est quod intelligitur, & similitudo in qua intelligitur obiectum;hæc verò non conueniũt actioni,vt dicemus:ergo. Secundò,quia aliquando potest dari actio sine tali termino,vt in Beatis,qui videndo Deum non producunt verbum,& hac ratione solùm vtuntur aliqui Thomistæ,alij verò verbũ concedunt in Beatis. Tertiò, quia actio immanens est actus perfecti, neque habet rationem imperfecti respectu sui termini,sicut contingit in aliis actionibus transeuntibus,quæ habẽt rationẽ imperfecti respectu sui termini;ergo actio immanens non est ipse terminus in fieri imperfecto. Quartò,quia actio pertinet ad prædicamentum actionis, terminus verò ad prædicamentum qualitatis;ergo distinguuntur realiter.

Quarta sententia est asserentium, in actu immanenti actionem distingui formaliter à termino, vel (vt alij loquuntur) ex natura rei, seu vt modum à re; hanc sequitur Pater Suarez *in Metaphysica, disp. 48.*

A *sect. 2. num. 12.* tenet eam expresse Molina *1. parte, quæst. 27. artic. 1. ad 8. num. 2.* & quod nomine distinctionis formalis intelligat distinctionem modi à re, constat ex his quæ docuerat *eadem 1. parte, quæst. 3. artic. 4. disputat. 2.* per totam; putat verò Molina, eandem esse sententiam Soti, & Victoriæ: veruntamen isti autores non cognoscunt distinctionem formalem ante intellectum,sed tantum realem; hanc verò sententiam non probat Molina,quia eam probauerat *3. physicorum.*

Est verò hoc loco notandum, malè nonnullos iuniores citare Molinam pro opinione Canariensis, cùm expresse *quæst. 17. loco citato*, Molina referat Canariensem pro opinione asserentium,verbum distin- B gui realiter ab actione;ipse verò Molina solùm velit distingui formaliter.

Quid autem ego sentiam, iamiam refero. Primò existimo, Sotum,& Victoriam non loqui consequenter;putant enim, vt dicemus *quæst. 4* Deum se solo posse facere terminum intellectionis, quo posito efficaciter probatur aliqualis distinctio ante intellectum inter terminum, & actionem, qua fit terminus intellectionis,quia ex mente horum separari potest terminus ab actione intellectus : hæc autem separatio efficaciter probat aliqualem distinctionem ante intellectum, vt *3. physicorum, & in Metaphysica* fusè declaraui.

Secundò existimo, inter actionem, & terminum C non esse ponendam distinctionem rei à re. Probatur, quia actio termini est modus illius, illi enim per se vnitur, (vt ex Philosophia constat.) hæc autem vnio immediata, est de essentia modi, vt probaui *in Metaphysica*, vnde, vt ostendi in libris *de Anima*, actio non potest separari à termino;ex his verò principiis concluditur actionem immanentem non distingui à termino, vt rem à re.

Tertiò existimo, actionem immanentem vt modum distingui à suo termino, siue, vt alij loquuntur, formaliter, siue ex natura rei, nihil enim curo de nomine, sed tantùm contendo aliqualem distinctionem ante intellectum; hanc sententiam præter citatum Molinam sequuntur graues Theo- D logi hac ætate,imò existimo esse mentem Scoti,qui, vt dicemus *quæst. 3.* actionem appellat dictionem, & terminum appellat intellectionem, de quo in eo loco erit disputatio.

Primò probatur hæc sententia à simili de aliis actionibus,quæ,vt probaui *3. physicorum*, distinguuntur à suis terminis aliquo modo ante intellectum ex natura rei, siue formaliter vt modus à re,quod probaui ex separatione termini ab actione, potest enim idem terminus manere, etiam pereunte prima actione agentis particularis, quæ separatio tota est ante intellectum; de efficacitate verò huius rationis legantur quæ dixi *cap. de relatione, & 3. physicorum, & in Metaphysica*, agens de distin- E ctionibus.

Sed dices, argumentum de separatione non habere locum in actione immanente, quia hæc ex natura rei non separantur à suo termino. Respondeo nihil obstare coniunctionem hanc ex natura rei inter actionem immanentem, & terminum quominus argumentum factum à simili valeat & habeat vim, quia etiam illuminatio agentis particularis, non separatur à lumine; & tamen sine controuersia certum est lumen creatum quodcumque fieri posse à solo Deo sine actione agentis creati; ergo connexio actionis cum termino, ex natura rei non infert identitatem inter actionem, v. g. Solis,& lumen ab illo productum; & idem exemplum esse potest in

actione qua (secundùm probabilem opinionem) anima rationalis producit intellectum, & voluntatem, hæc enim ex natura rei non separatur à suo termino; & tamen nullus potest negare, quin Deus se solo possit producere efficienter intellectum, & voluntatem, sine concursu efficienti animæ: non est ergo idem, terminum habere connexionem cum actione agentis creati ex natura rei, & esse eandem prorsus realitatẽ; fieri enim potest, vt vidimus, quòd habeant connexionem inter se, & tamen quòd non sint omnino idem ante intellectum. Addo communem esse sententiam Scholasticorum, & Thomistarum, vt dicam *quæst.*4. entitatem actus immanẽtis fieri posse à solo Deo, vnde sentiunt de potentia absoluta terminum actionis vitalis separari posse ab actione potẽtię creatę, imò, vt dicemus, multi putant de facto ita fieri, quod tamen est omnino falsum.

Secundò arguo & à simili. nam aliquæ actiones vitales distinguuntur à suis terminis; ergo & omnes. Antecedens probatur; quia augmentatio, & motus progressibus distinguuntur ante intellectum aliquo modo à suis terminis, possunt enim termini fieri sine concursu potentiæ vitalis; ergo ex ratione actionis vitalis non infertur identitas cum termino.

Dices terminum actionis vitalis potentiæ cognoscitiuæ, vel appetitiuæ, & actionem illius esse diuersa ab aliis actionibus & terminis. Sed contra hoc est, quòd licèt hoc verum sit, ex hoc tamen capite non probatur identitas realis inter actionem, & terminum in actu immanenti, & hoc contendimus non assignare rationem aliquam, quæ nos cogat ponere identitatem inter has actiones cum suis terminis, ac inter alias cum suis.

Tertia ratio principalis pro nostra sententia sit, quòd sine fundamento fingitur talis identitas, & solùm confingitur ab autoribus secundæ sententiæ, vt faciliori negotio fugiant nonnulla inconuenientia, quæ tamen vel inconuenientia non sunt, vel non sequuntur, vt dicemus in sequentibus, præsertim cùm ponere talem identitatem inter actionem, & terminum, vt identitas hæc non possit fieri à solo Deo, sit ferè contra omnes qui in actione immanenti ponunt terminum, ex his quæ hactenus sua scripta typis mandauerunt, & rem hanc tractarunt, vt videbimus *quæst.* 4. imò plures Thomistæ, qui non distinguunt actiones transeuntes à suis terminis, distinguunt actiones immanentes à suis terminis, vt sunt autores tertiæ sententiæ citatæ, quamuis illi non habeant firmum fundamentum, vt suprà vidimus.

Quarta ratio fieri potest secundùm doctrinam asserentium, actionem vitalem pertinere ad prædicamentum actionis, quam sequitur Aristoteles citatus quæstione præcedẽti, & Philosophorum meritò recepit posteritas. Hac ergo supposita doctrina, formatur ratio, actio realis est ante intellectum, & essentia illius debet esse ante intellectum, vt de se constat: sed essentia actionis realis, vt liquet ex prædicamento, & ex 8. *physicorum*, est esse id quo aliud est, & viam ad aliud; ergo ante intellectum verè est id quo aliud est; ergo verè est inter actionem & terminum alietas ante intellectum, aliàs si omnino est idem actio cum suo termino, non esset ante intellectum, quo aliud est, quia tantùm est vna simplex entitas, ex hypothesi, & illa se apta est.

Declaratur vis huius rationis, quia secundùm communem doctrinam D. Thomæ, quæ probabilissima est in materia de creatione, Angelus, v. g. creatur à Deo sine aliqua actione, & tamen simplex substantia Angeli se ipsa pendet ab efficienti; ergo si A ad actionem de prædicamento actionis realis, non requiritur ante intellectum, actionem esse id quo aliud est, per solam distinctionem rationis etiam in entitate Angeli posset distingui ab intellectu; & hæc ratio vniuersaliter probat de omni actione reali, de prędicamẽto actionis, siue immanẽti, siue transeũte.

Sed dices, originem passiuam in diuinis concipi vt viam ad personam, & tamen illa non distinguuntur ante intellectum à persona, secundùm catholicam doctrinam; ergo. Respondetur, variis modis posse solui hoc argumentum, & reddi disparitatem inter passiuam originem, & actionem de prædicamento actionis; verùm ne hoc loco tangamus res theologicas alterius negotij, sufficiat dicere, origi- B nem passiuam non pertinere ad prædicamentum actionis, sicut neque fieri substantiæ Angeli, quod potest quis concipere, vt ratione distinctum à termino, secundùm præfatam doctrinam de creatione.

Et declaratur magis hæc quarta ratio, exemplo causalitatis materialis, vel alterius modi vnionis, qui ex eo non potest identificari ante intellectum cum extremo vnito, quia modus vnionis, essentialiter est id quo aliud vnitur ante intellectum, de quo latè diximus 2. *physicorum*, & est via ad illud cum causalitate, vel sine illa, iuxta diuersam naturam vnionis.

Superest ergo, vt argumentis satisfaciamus aliarum opinionum; & primum, & secundum sententiæ C primæ soluta sunt ex dictis: tertium verò ex dicẽdis. *quæst.* 3. *&* 4. soluetur prima ratio secundę sententiæ, secunda verò tangit difficultatem tractandam *q.* 3. *&* 4. ex quibus soluetur tertia, quarta, & quinta; autoritates verò D. Thomæ, & aliorum etiam explicabuntur *quæst.* 4.

Argumenta verò tertiæ sententiæ, quatenus contra nostram videntur esse, facilè solui possunt; & primò authoritates D. Thomæ, quibus vtitur illa sententia, vt verum fatear, non probant efficaciter distinctionem aliquam inter actionem, & terminum ante intellectum in actu immanenti, & etiamsi probarent sufficienter, possent intelligi de distinctione quam nos posuimus. Prima verò ratio supponit D falsum, vt dixi in libris *de Anima*, verbum enim non est quod intelligitur, sed imago expressa, qua intelligitur obiectum. Secunda etiam assumit falsum, quia visio clara Dei, secundùm communiorem doctrinam Theologorum in materia de visione, & de beatitudine, habet terminum. Tertia verò ratio, quæ desumpta est ex Ferrara, nullam habet vim, quia actio, siue immanens, siue transiens respectu sui termini est aliquid imperfectum, vtraque enim est via ad illud, & fieri illius; quomodo verò actus immanens dicatur actus perfecti, iam explicui quæstione præcedenti. Tandem quarta ratio illius sententiæ, quomodo pro nostra sententia tantùm possit habere aliqualem vim, explica- E tum est ratione quarta pro nostra sententia; distinctionem verò rei à te nullo modo probat, vt constat ex dictis.

DVBIVM III.

An ad hoc quòd intellectus intelligat, requiratur actio ipsius intellectus, & terminus illius.

EAdem proportionalitate est difficultas de actu cuiuslibet potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ, & ex dicendis in hac quæstione facile erit in aliis consequẽti ratiocinatione philosophari; ponitur verò hæc difficultas, vt explicemus quid sit id quod requiritur, ad hoc vt intellectus intelligat, ita

ita vt illo posito intelligat,& illo deficiente non intelligat,an scilicet sit actio ipsius intellectus;an verò terminus illius,an actio,& terminus simul,res est valde difficilis ex ipsa sententiarum varietate.

Prima sententia est asserentium, consistere in sola actione,sic sentiunt omnes qui putant,per cognitionem sensitiuam non prodnci terminum, sic sentit Zumel 1.*part. quæst.*27. *art.*1. dubio, an Beati videntes Deum, verbum producant in responsione ad 3.& Bañes *dubio* 1.in tesponsione ad argumenta, & idem existimant alij Thomistæ 1.*part. quæst.*12. *de visione*, isti enim licèt ponant terminum in aliqua actione intellectns, non tamen quia sit requisitus ad intelligendum, nisi vt aliquid tenens se ex parte obiecti, & ita vbi obiectum est sufficiens approximatum potentiæ,non ponunt talem terminum.

Sed hæc sententia reiecta est in libris de anima, quia non potest esse actio sine termino; ex illis verò autoribus,qui ponunt actionem, & terminum,nonnullis tribuitur hæc sententia, & primò tribuitur Molinæ 1.*part. quæst.*27. *art.*1.*disp.*8.*in* 2. sed alia est sententia Molinæ,vt manifestè infrà ostendam; tribuitur etiam Canariensi 1.*part. quæst.*27.*art.*1.*disp.*4. *part.*1.*&* 2.qui tamen *disp.*5. 1.*parte*, manifestè docet terminum esse necessarium ad intellectionem, non solùm, quia verbum se habet vt obiectum, ex mente Canarien. sed etiam, quia debet esse similitudo,in qua,tanquam in imagine intellectus,videat obiectum: negat enim ibi exprefsè actionem intellectus esse similitudinem obiecti:vnde vt minimum obscura est mens Canariensis, nec tamen multum curo;aliis etiam solet tribui hæc sententia,qui sicut Canariensis loqnuntur.

Primò probatur hæc sententia autoritate Aristotelis in prædicamentis capite de actione, numerat enim ibi dolorem, & tristitiam; alios autores idem docentes retuli *quæst* 1. Rationes verò pru hac sententia possunt esse illæ,quas adducemus ad probandum necessarium esse concursum potentiæ vitalis ad hoc vt vitalitet tendat in obiectum, siue imagine intellectus, siue pondere voluntatis; & illæ quas proponemus ex mente aliquorum, ad probandum non posse in aggregato actionis, & termini consistere intellectionem.

Secunda sententia est aliorum asserentinm intellectionem consistere in solo termino actionis intellectus, & ideo docent intellectionem esse qualitatem; sic sentiunt omnes ferè Nominales, qui putant de facto visionem beatificam fieri à solo Deo, eos refert Molina 1.*part.quæst.*12.*art.*5.*disp.*1.& Scotus *in* 1.*dist.*3.*quæst.*8.§.*respondeo*, docet, posse Deum solùm causare visionem beatificam; & 3.*d.* 3. §. *ad tertiam quæstionem*,idem sentit, & *in* 4.*dist.*49.*quæst.*2. § *ad argumenta*, in solutione exprefsè docet beatitudinem non consistere in actione de prædicamento actionis, Vega *lib.*6. *in Tridentinum cap.* 8. & putat non esse necessarium concursum actiuum intellectus ad intellectionem, ex Thomistis sic sentit Victoria relatus à Medina 1.2. *quæst.*3.*art.*2. Soncinas *Metaphysicorum quæst.*1. Iauellus *quæst.* 7. Paludanus *in* 4.*dist.*44. *quæst.*7. *&* *dist.*49. *quæst.*1. Capreolus *in* 2.*dist.*37.*quæst.*1.*art.*3. Valentia 1.*part. dist* 4.*quæst.*2. *punct.*3. *&* *disp.*1. *quæst.*12. *punct.*3. *col.*232. docet intellectionem posse fieri à solo Deo, & per illam intelligere Intellectus; ex schola verò Scoti non est cur vnum, vel alterum referamus, omnes enim in hac re suum tuentur magistrum; indicat verò D. Thomas aliquibus locis citatis *quæst.* 1. docet enim intelligere importare informationem quandam, & similes loquutiones qnas ibi retuli.

A Præcipuum fundamentum est, quia terminus actionis intellectus,est actualis imago repræsentans obiectum; ergo per illam actualiter tendit intellectus in obiectum; ergo intelligit illud, quia intellectio nihil aliud est nisi actualis tendentia in obiectum. Aliis etiam rationibus potest confirmari hæc sententia, quibus probabimus, intellectionem non posse consistere in sola actione, ex quo potest quis argumentari. nam si in actione non consistit,necesse est vt consistar in solo termino, ne cogamur concedere in aggregato vtriusque consistere. Nonnullæ aliæ obiectiones pro hac sententia ponentur.

Tertia sententia est, actionem ipsius intellectus, & terminum requiri ad boc vt intellectus intelligat,sed voluntatum actionem nullo modo distingui B ante intellectum à termino, penderéque talem entitatem per suam essentiam ab intellectu. hi sunt qui præcedenti quæstione secundam sententiam sequuti sunt, & ad probandam identitatem vtuntur argumentis eo loco factis; ad probandum verò esse necessarium concursum intellectus, & informationem termini, vti potest hæc sententia rationibus, quas nos infrà adducemus.

Quarta sententia est asserentium, ad hoc quòd intellectus intelligat esse necessariam actionem ipsius intellectus, & terminum illius, etiamsi actio, & terminus distinguantur ante intellectum, hanc sententiam sequuntur viri docti huius ætatis, & est C mens expressa Molinæ 1.*part.quæst.*27.*art.*1.*disput.*8. *num.*2.*col.*113. putátque esse mentem D.Thomæ, & *quæst.*12.*art.*2.*disp.*1.*conclus.*3.idem haber clarissimè, quæ sententia vera est, & à nobis ex professo explicanda.

Pro cuins explicatione sit prima conclusio, in sola actione, prout distinctum quid est à termino, non potest consistere cognitio. Probatur, cognitio includit ordinem ad obiectum, vt similitudo illius: sed actio sola non est similitudo obiecti; ergo illa sola non potest esse cognitio. Consequentia est euidens, propositiones antecedentes probandæ sunt ex professo. Maior propositio probatur primò ex loquutionibus Augustini, & aliorum Patrum citatis D *quæst.*1. passim enim in tractatu de Trinitate cognitionem vocant similitudinem,& imaginem obiecti, de quo dixi in libris de anima *disp.*5 *quæst.*1.

Sed respondent nonnulli Thomistæ, noluisse Patres ipsam cognitionem esse formaliter similitudinem,sed ratione principij, v.g.speciei impressæ: verumtamen expositio bæc libera est; Patres enim de ipsa cognitione loquuntur,& exprefsè Anselmus in monologia *cap.*31.docet, nulla ratione posse negari, cognitionem esse imaginem,imò præter Patres, requirunt concursum obiecti ad cognitionem, quia ipsa cognitio est similitudo obiecti,& ideo ex parte obiecti requiritur aliquid, quod causet in actu talem similitudinem, & D.Thomas sæpe affirmat coE gnitionem importare habitudinem ad rem cognitam exprefsè 1.*part.quæst.*34.*art.*1.*ad* 3.

Et probatur ratione; quia cognitio ex sua essentia habet esse id quo aliquid cognoscitur; ergo dicit habitudinem ad illud, & hoc est,repræsentare & significare naturaliter facere cognoscere, & propter intellectum dicitur à D. Thoma sæpe trahere res ad se,quia producit imagines illarum,& ita facit illas præsentes Imagine,hoc est, repræsentat illas.

Secundò probatur, quia, vt constat ex libro de anima; ex mente Patrum, Aristotelis, & omnium ferè Philosophorum, ad cognitionem requiruntur species impressæ,quæ concurrant cum potentia, ad cognitionem huius, vel illius obiecti: sed istæ, vt

dixi in illis libris, non requiruntur ad cognitionem vt sic, sed ad cognitionem talis obiecti; ergo in ipsa cognitione præter prædicatum cognitionis vt sic est habitudo ad tale obiectum; & hanc vocitant autores repræsentationem, & similitudinem obiecti, aliàs necessariæ non essent similitudines impressæ. Et experientia ferè est euidens, quòd dum aliquis cognoscit sensu interno, vel intellectu producit in se aliquid, quo informatur, potentia tendit in obiectum, & hanc appellamus intentionalem similitudinem, vel imaginem obiecti; vnde D. Thomas *1. part. quæst.* 27. cùm *art.* 1. dixisset, omnem intelligentem per intellectionem aliquid producere intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ; & *art.* 2. ait conceptionem intellectus esse similitudinem obiecti, & *ad* 2. affirmat in verbo nostro esse similitudinem rei intellectæ. quam doctrinam sæpe repetit D. Thomas, & recipiunt Scholastici in materia de Trinitate, & certè per sese videtur intelligibile, potentiam cognoscitiuam reddere in obiectum per aliquid non habens habitudinem ad obiectum quodcunque illud sit à quo informatur, & à quo dicitur cognoscere, siue sit potentia sensitiua, siue intellectiua.

Minor verò primi syllogismi, scilicet actionem prout distinctam à verbo, non esse similitudinem obiecti, concedunt communiter Thomistæ *1. parte quæst.* 27. *art.* 1. legatur Bañes; idem affirmat Zumel *quæst.* 5 *conclus.* 3. Medina 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 1. Capreolus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 5. *art.* 3. *ad* 3. Canarien. 1. *p. quæst.* 2. *art* 1. *disp.* 4. 2. *part. disputationis*. Molina 1. *p. quæst.* 12. *art.* 2. *disp.* 1. *conclus.* 3. Et probari potest primò, quia actio, vt actio de prædicamento actionis, tantùm dicit habitudinem ad tale agens, & talem terminum, & per hanc sufficienter constituitur in prædicamento actionis; ergo in sua essentia non dicit immediatum ordinem ad obiectum, quia hæc ratio pertinet ad prædicamentum qualitatis, secundùm quod similitudo est relatio secundùm dici, & vt dicit relationem secundùm esse, pertinet ad prædicamentum relationis, & Canariensis probat hanc sententiam, quia productio similitudinis non est similitudo formaliter; & declaratur, quia calefactio non est formaliter calor; ergo productio imaginis formaliter non est imago, sed via ad illam, & fieri illius, sicut neque productio verbi est verbum, sed fieri illius.

Tandem probatur ratione Molinæ; quia si actio prout distinctum quid à verbo, esset imago obiecti, superfluum esset verbum ad intelligendum, quia in sola actione saluaretur ratio imaginis (si actio dicitur esse imago) & ratio vitæ, quia talis ratio pendet à principio vitæ, vt sic: ad cognitionem autem nihil aliud requiritur, nisi vitalis tendentia in obiectum, ex quo fieret, terminum nullum effectum formalem tribuere potentiæ, requisitum ad intelligendum.

Respondent nonnulli, verbum esse necessarium ad terminandam actionem, quia omnis actio debet habere terminum; hæc tamen solutio insufficiens est, quia omnis forma quæ terminat actionem, præter rationem terminandi tribuit subiecto aliquem effectum formalem, vt per sese constat: ergo si in sola actione repetitur totum quod est necessarium ad intelligendum, frustrà fingeretur terminus ab illa distinctus, vnde S. Thomas 1. *part. quæst.* 27. *art.* 2. conceptionem appellauit similitudinem obiecti; & ad 2. dixit, in verbo nostri intellectus reperiri similitudinem rei intellectæ: dixerat autem *art.* 1. verbum, & conceptionem procedere ex hoc ipso quod ali-

A quis intelligit, id est, ex actione; & passim eandem doctrinam habet D. Thomas; & vt dixi in libris de anima, etiam communiter docent Theologi in materia de Trinitate, per intellectionem producitur qualitas, quam Sancti appellant verbum: de ratione autem verbi est, vt significet, & repræsentet, vt per se constat, quod nullo modo potest efficere respectu nostri intellectus, nisi per solam informationem; ergo non solùm ponitur ad terminandam actionem, sed etiam ad repræsentandam; ergo repræsentatio, & similitudo requisita ad intelligendum, non est in sola actione. Respondent alij Thomistæ, verbum esse necessarium vt obiectum quod; sed hoc iam est refutatum in libris de anima.

B Ex dictis verò colligo, quòd cùm Aureolus apud Capreolum *suprà*, & Sotus *in* 4. *dist* 49. *quæst.* 2. *art.* 3. affirmant intellectionem esse similitudinem obiecti, debet intelligi de similitudine vt includente terminum, vt bene interpretatur à Molina, aliàs decipiuntur reuera; iuxta dicta scio Durandum affirmare intellectionem esse imaginem, & verbum; sed hoc mirum non est, quia, vt constat ex *quæst.* 1. ipse non distinguit actionem à termino in actu immanenti.

Secunda conclusio in solo termino, prout distinguitur ab actione immanenti intellectus, non reperitur totum quod requiritur vt intellectus intelligat. Probatur primò, quia intelligere est actus vitæ,
C & in creaturis non primus, & substantialis, sed secundus, vt constat: sed hic status includit actionem potentiæ vitalis; ergo per solum terminum non constituitur hic status. Probatur minor, primò ex verbis Concilij Tridentini *sess* 6. *can.* 4. quibus pro eodem videtur sumere Concilium instrumentum inanime, & quod nihil omnino agit motiua virtute; & declaratur ampliùs, quia omnis actus intellectus, est quædam loquutio, vt docuit Augustinus 15. *de Trinitate cap.* 10. & probari potest, quia omnis intellectio est productio verbi, quod maximè elucet in actu iudicij, quod aliquibus locis Scripturæ declarat Augustinus *loco citato*; sed omnis locutio importat influxum potentiæ loquentis, vt de dictione do-
D cuit expressè S. Thomas 1. *part. quæst* 34 *art.* 1 *ad* 3. hoc enim est loqui verbum facere, ergo. Vnde omnino improbabile videtur, quòd intellectus verba faciat sine concursu efficienti.

Quòd si aliquis dicat, per solum verbum, & terminum, posse aliquem intellectum intelligere; ad dictionem tamen intellectus requiri actionem intellectus. Contra hoc est, quòd intellectio includit attentionem potentiæ vitalis, vt constat; sed hæc attentio non videtur posse saluari per solam causalitatem materialem potentiæ recipientis terminum, nam per attentionem impeditur anima ab illis operationibus, quando in attentione occupatur eius virtus, quod non potest sufficienter reduci in cau-
E salitatem materialem, hæc enim non diminueret virtutem actiuam requisitam ad alias operationes animæ, sunt enim causalitates diuersæ rerum, aliàs etiam dum intellectus recipit materialiter species, vel habitus, impedirentur aliæ operationes animæ, quia in his etiam materialiter se habet intellectus. quæ ratio habet magnam difficultatem in opinione eorum qui putant, animum concurrere efficienter cum suis potentiis, ita vt ex concursu cum vna minuatur actus alterius, quæ est D. Thomæ, & communis, vt dixi in libris de anima *quæstione vltima*.

Et declarari potest, quia hæc attentio, vt vnusquisque in seipso experiri potest, est quidã conatus potentiæ

potentiæ aduertentis, qui non bene explicatur per A causalitatem materialem; vnde D.Thomas *quæst.4. de veritate art.2. ad 5.* docet, quòd in nobis dicere non solùm significat intelligere, sed cum hoc etiam significat exprimere aliquam conceptionem, & addit, neque aliter possumus intelligere nisi huiusmodi conceptionem exprimendo. quibus verbis, & dictionem ipsam, & terminum requirit ad intelligendum; dictionem verò importare rationem originis, docuit S.Thomas *1.part.loco proximè citato.*

Sed dices, verum esse de facto ad attentionem requiri efficientiam, quia terminus ipse fit ab intellectu, & quo perfectior actione fit, perfectiùs repræsentat obiectum, & ita potentia illo informata, perfectiùs tendit in rem cognitam; si tamen verbum B fieret à Deo, potentia tantùm passiuè se habente, per intellectionem non impediretur ab aliis operationibus. Sed contra hoc est primò, quòd hoc dicitur sine sufficienti fundamento, quia autores huius doctrinæ scire non possunt, attentionem consistere in sola informatione verbi, si de facto requiritur actiuitas potentiæ. Secundò contra hoc facit quod diximus de intellectione, quòd sit quædam locutio; rationes etiam infrà faciendæ euertunt hanc doctrinam.

Secundò probatur principaliter conclusio in actu volontatis, quia actum essa volontatium est esse à principio intrinseco, vt docuit D.Thomas *1.2.quæst.6.* & est communis Theologorum, Philo- C sophorúmque sententia; ergo ratio voluntarij non soluitur sine influxu principij intrinseci, ex communi opinione, & declaratur in actu libero, quia potentiam liberè amare, non potest saluari sine actione potentiæ, quia libertas consistit in potestate efficiendi, & cessandi: hæc autem præcisè in causalitate materiali esse non potest, potentia enim passiua voluntatis tandiu accipit terminum, quandiu durat physicus influxus producentis illum; ergo si amor liber includit physicum influxum efficientis, id erit de amore necessario, quia necessarium, & liber sunt circa idem, aliàs in amore necessario non saluaretur ratio voluntarij, quia hic non esset à voluntate, sed inuoluntariè, si ab illa non fieret, sed solùm ab illa D reciperetur: vnde meritò Gregorius Nissenus *lib.5. philosoph.cap.1.* & Damasc. *2.de fide cap.24.* docent, voluntarium esse in actione, & operatione reali: & D.Thomas *2.2.quæst.23. art.2. in corpore*, ait implicare contradictionem, quòd diligere non sit voluntarium.

Tertiò principaliter probatur conclusio, quia status vitæ, qui consistit in aliquo actu secundo, scilicet qui supponit statum vitæ, id est, substantialem, & potentiam ipsam vitalem, principaliter consistit in actione; ergo vbi hæc defuit, non est status vitæ. Hæc consequentia videtur efficax. Antecedens probatur primò autoritate dicentium, actum vitalem vt sic specificari à principio vitali, & ab illo vt sic E pendere, indicat hoc D.Thomas, qui *1.part.quæst.51. art.3. in corpore*, affirmat, nihil posse habere actum vitæ quod non habeat vitam, quæ est proprium talis actionis; & *ad 3.* docet, quòd motus qui est à motore coniuncto, est proprium opus vitæ, quam doctrinam ibi communiter recipiunt Thomistæ, & clarissimè Molina; est etiam doctrina D. Thomæ *1.part.quæst.18.* quam eo loco traduot eius discipoli, *& quæst.12.* agentes de visione Dei. legatur Molina *1.part.col.182. & col.1656.* Caietanus, & alij *1.part. quæst.26.art.3. & 3.parte, quæst.9.art.1.* vbi Caietan. & Medina, & Suarez *tomo 1.p.1. disp.24.sect.2.* Medina *1.2.loco citato.*

Et ratione probatur, quia vitalitas actionis non sumitur à termino; ergo à principio. Probatur antecedens, ex verissima doctrina D. Thomæ *quæst.51. citata*, quia motus tunc tantùm est vitalis, cùm est à principio vitæ intrinseco. nam dum fit ab extrinseco mouente, non aliter mouetur viuens, quàm moueretur lignum; ergo idem erit in aliis operationibus potentiæ vitalis: constat autem in præsenti exemplo de motu, terminum non esse vitalem, & idem erit de motu augmentationis factæ ab aliquo extrinseco.

Confirmatur conclusio à simili de motu vitali, quia motus non potest esse vitalis, nisi à potentia motiua vitali; ergo neque intellectio vitalis, nisi à potentia vitali.

Dices, actionem ipsam non posse esse vitalem, nisi fit à potentia vitali, scilicet ab ipso intellectu; tamen actionem illam non esse necessariam ad intelligendum, sed tantùm terminum illius: sed tamen contra hoc faciunt rationes suprà factæ, & etiam contra hoc est, quod, vt dicemus *quæstione sequenti*, ex communi sententia, terminus intellectionis potest fieri à solo Deo, per actionem transeuntem, non vitalem; ergo terminus ipse nihil habet vitæ specialiter quatenus quid distinctum est ab actione vitali, aliàs etiam actio terminata ad illum, etiamsi esset actio transiens, deberet esse vitalis: inauditum autem est, actionem esse vitalem, quæ non fit à principio intrinseco vitali coniuncto, vt docent Theologi communiter in materia de Trinitate, agentes de generatione filij. legatur D.Thomas *1.part.quæst.27.* & aliàs etiam eodem modo posset quis dicere, motum causatum ab extrinseco esse vitalem, quia habent eundem terminum eum eo, ad quem potest terminari actio vitalis.

Præterea, quia semper habet vim argumentum à simili, quia si motus vitalis non potest esse nisi à principio vitali, ita etiam non poterit esse intellectio, nisi à potentia vitali; quòd si aliquis dicat terminum intellectionis vel includere essentialem dependentiam à principio efficienti vitali, vel habere necessariam connexionem cum actione talis principij, ita vt sine illa fieri non possit; tunc manifestè fit statum intelligentis esse non posse sine causalitate principij vitalis efficientis.

Quartò principaliter potest declarari conclusio, quia ex D.Thoma & Augustino citatis *quæst.1.* & ex communi consensu, dum aliquis intelligit, loquitur, & habet verbum mentale: verbum autem, vt ipsi docuerunt, importat rationem originis à dicente, aliàs certè nullus sanæ mentis potest affirmare, illud esse verbum, quod non fit à dicente; sed vt fit à dicente, necesse est terminet actionem, quæ fit dictio: ergo necessariò requirit actionem intellectus dicentis; sed si merè passiuè se haberet intellectus, non diceret, dictio enim originem importat à dicente, non tamen solam receptionem.

Quintò probatur, quia ex communi conceptione omnes tenentur concedere, aliquid includi in statu vitæ, quo distinguatur hic status ab statu secundo non viuentium: sed hoc debet reduci in principium efficiens; ergo. Minor probatur, tum ex eo quòd antiqui Philosophi hoc modo distinxerunt viuentia à non viuentibus, quos secutus est D. Thomas *1.part. quæst.18.* estque communis aliorum: tum etiam, quia ex solo concursu materiali, vel formali, non potest sufficienter sumi hæc distinctio, quia isti concursus eodem modo exercentur à potentia passiua, vel forma non viuentis: ex quo fit, vt licèt viuens eodem modo recipiat præsentiam causatam à propria potentia

potentia vitali, ac recipit præsentiam causatam ab extrinseco; in acquisitione tamen vnius vitaliter se habet, & non in acquisitione alterius.

Dices, distingui intellectum recipientem actualem imaginem obiecti causatam à solo Deo, ab statu non viuentium, ex eo, quia informatur vitali forma, & ita per illam solam potest constitui in statu vitali: sed contra hoc faciunt primò omnia quæ suprà dixi, ad probandum talem formam prout distinctam ab actione, non esse vitalem; secundò declaratur, quia vel dicitur vitalis, quia inducit dependentiam ab intellectu efficienti, vel quia recipitur in potentia vitali, & hoc per se postulat, & hoc modo etiam species intelligibiles, & habitus intellectuales, possent dici vitales, vel quia potest terminare actionem vitalem, & hoc etiam habet præsentia localis, & tamen sola illa per sui informationem, nisi causetur à potentia intrinseca viuentis, non constituit statum vitalem; ergo.

Dices præsentiam localem posse etiam terminare actionem non vitalem, & ideo ipsam esse non vitalem; secus esset de termino intellectionis. Sed contra hoc est, etiam posse terminum intellectionis de potentia absoluta terminare actionem Dei transeuntem, & non vitalem.

Tandem dices esse vitalem, quia est actualis imago obiecti; sed hæc est petitio principij, affirmare hanc imaginem eo sensu esse vitalem, vt sine concursu potentiæ vitalis efficientis constituat illam in statu vitali, & rationibus suprà factis oppositum contendimus; legantur quæ dixi in libris de anima *disp.* 18. *quæst vltima.*

Et quidem quòd requiratur actio potentiæ vitalis, ad hoc vt potentia constituatur in actu vitali, præter D. Thomam, qui videtur hoc docere *loco citato*, præsertim *quæstione illa* 4. *de veritate art.* 2. *ad* 5. videtur doctrina Aristotelis, & eorum, qui in prædicamento actionis ponunt actus vitalis potentiæ, præter Molinam; & idem docent autores secundæ sententiæ, & grauiores Theologi huius ætatis, est in Academiis Hispaniæ receptissima.

Sextam verò rationem pro nostra sententia adducemus *quæst.* 5. quam ideo in eam quæstionem distulimus, quia meliùs intelligetur, cùm nonnulla eo loco docuerimus.

Ex dictis restat dicendum, ad statum intelligendi esse requisitam actionem ipsius intellectus, & terminum illius; terminus quidem requiritur propter repræsentationem, actio verò propter vitalitatem, intelligere enim dicit tendentiam vitalem in obiectum, vnde cùm per solam actionem non tendat in obiectum, & per solum terminum non tendat vitaliter, necesse est vt intellectus vtroque afficiatur.

Secundò colligitur, non solùm esse requisitam actionem productiuam termini repræsentantis obiectum, sed actionem ipsius intellectus, quia hæc requiritur ad statum vitæ actualis: ex quo vlteriùs fit hunc statum intelligendi non solùm consistere in informatione termini, & actionis, sed etiam includere dependentiam ab intellectu efficienti: & declarari potest exemplo motus localis, quia dum aliquod viuens omnino mouetur ab extrinseco, etiamsi recipiat motum & præsentiam eiusdem rationis (ex hypothesi) cum ea, quam recipit à potentia motiua intrinseca causa; nihilominus in vno casu esset in statu vitali, in alio non, vt suprà dixi.

Tertiò sequitur, quòd si per possibile, vel impossibile, ponatur in intellectu terminus sine actione

A ipsius intellectus, non posset per illum constitui potentia in statu vitali intelligentis, quod ex dictis facilè colligitur, & quæstione sequenti examinabitur; & similiter si per impossibile actio intellectus posset esse sine termino, per illam solam non posset intellectus constitui intelligens, quia illa sola non tendit in obiectum, vt dixi.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, ab Aristotele, & aliis poni in prædicamento actionis actus immanentes, non prout includunt terminum, sed prout includunt fieri illius, vt enim vidimus *quæst.* 1. sæpe autores appellant actionem terminum, vt probaui ex D. Thoma sic explicante locutiones sanctorum Patrum.

B Sed potest obiici pro prima illa sententia Aristotel. 10. *Ethicor. cap.* 3. dicens operationes virtutum non esse qualitates, variè solet explicari hic locus Aristotelis; duobus tamen modis probabiliter explicatur. Primus est, vt velit Aristoteles, hos actus non esse solas qualitates; secundus, vt velit non esse solas qualitates permanentes, transacta actione; aliæ explicationes solent adduci, quæ non videntur quadrare contextui illius.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur ex dictis, imaginem actualem prout distinctam ab actione vitali, non sufficere ad hoc vt intellectus intelligat; licet enim dicatur illa imago tendere in obiectum, quia repræsentat illud, tamen

C per illam intellectus non tendit vitaliter, quia illa imago, vt distincta ab actione, nihil habet vitæ.

Sed dices, hæc imago repræsentat actualiter; ergo repræsentat alicui; ergo facit cognoscere. nam repræsentare est facere cognoscere, & præsentare alicui obiectum. Quidam respondent, non posse fieri, illam qualitatem à Deo esse repræsentationem, sed solùm esse quoddam accidens; sed an Deus posset facere illam, vel non, dicetur quæstione sequenti, & reuera Deus potest facere illam, quatenus repræsentatiua est, quia secundùm rem idem est esse talis qualitatis, & esse repræsentatiuæ.

D Alij respondent, quòd licet illa qualitas sit repræsentatiua, tamen non tribuit suum effectum formalem, nisi intellectus operetur; verùm si hæc qualitas potest informare intellectum, etiamsi ille non operetur (vt dicetur quæstione sequenti) poterit dare suum effectum formalem; impossibile enim est formam esse vnitam subiecto, & nun tribuere illi suum effectum formalem.

Respondetur ergo, illam qualitatem prout distinctam ab actione repræsentare quidem, quia, vt suprà dixi, est imago, & ex hypothesi inhæret intellectui, nihil tamen habet vitæ si actionem secludas, ita non repræsentat vitaliter, nec facit cognoscere; vitalis autem repræsentatio constituit actualiter cognoscentem, licèt repræsentet intellectui

E mortuo modò.

Sed dices, ergo non est differentia inter istam qualitatem, & præsentiam localem, quantum ad hoc quod est neutram esse vitalem, si illas prout distinctas à suis actionibus contemplemur. Respondetur, verum esse quod dicitur, illa tamen differentia est, quòd terminus actionis immanentis vitalis cognoscitiuæ, vel appetitiuæ, ex natura rei semper postulat actionem vitalem, à nulloque naturali agente potest fieri, sine concursu potentiæ vitalis, & hoc sensu D. Thomas 1. *part. quæst.* 51. *art.* 3. *ad* 2. dixit sentire esse totaliter opus vitæ, secus verò est de præsentia locali, quæ non semper petit fieri à potentia vitæ.

Sed

Sed dices: ergo in rigore, motus localis qui fit à principio vitæ, prout distinctus a suo termino, est magis vitalis, quam sit terminus actionis intellectus, siquidem hic motus constituit statum viuentis, & non ille terminus. Respondeo, quamuis hæc inter se non sint propriè comparabilia, tamen verum est quod infertur.

Ad confirmationem secundæ sententiæ respondetur ex dictis, statum intelligendi consistere in aggregato termini & vitalis actionis, neque hoc est vllum inconueniens, sed potiùs concedendum est, vt probaui, & ex his ex parte soluta est. Tertia ratio primæ sententiæ positæ quæstione præcedenti, & secunda primæ sententiæ eiusdem quæstionis, ex dicendis quæstione sequenti exactiùs intelligetur.

Tandem posset aliquis obiicere modum loquendi Patrum, qui verbum appellant notitiam, & cogitationem, quo modo loquendi videntur totam rationem cognoscendi ponere in verbo; veruntamen hic modus loquendi explicatus est ex mente D.Thomæ *quæst.1. huius disputationis.*

DVBIVM IV.

An Deus possit efficere terminum intellectionis, sine concursu intellectus.

EX quæstione præcedenti constat, non posse Deum facere se solo totum, quod necessarium est ad intelligendum, requisitum enim est ad intelligendum, intellectum concurrere actiuè: non potest autem Deus facere non concurrente intellectu, vt ipse intellectus concurrat; restat ergo vt videamus an possit se solo facere terminum intellectionis.

In qua difficultate, prima sententia est asserentium, de facto in patria fieri visionem beatificam à Deo, & per illam intelligere intellectum. hanc tenent autores quos retuli quæstione præcedenti ex Molina 1. *part. quæst.* 12. *art.* 5. *dist* 1. & tenet caterua Nominalium, & de facto sub dubio idem tenet Paludanus *in 4. dist.* 44. *quæst.* 7. *& dist.* 4. *quæst.* 1. quæ sententia duas continet partes; altera est quæ affirmat, hanc rem esse possibilem, scilicet posse Deum producere intellectionis terminum (de actione dictum est *quæst.* 3.) cuius fundamentum infrà adducetur. Altera est ita esse de facto, quia conueniens videtur Nominalibus, vt suprema forma supernaturalis à solo Deo fiat, cùm possint similes congruentiæ legi in illis Doctoribus, quos etiam Molina refert, nihil enim habent efficacitatis, nihil doctrinæ, nihil ingenij.

Secunda sententia est, de facto, & in via aliquas illuminationes, & inspirationes totaliter produci in nobis sine concursu potentiæ vitalis; hanc sententiam vnus, quem viderim, tradit Vega *lib. 6 in Tridentinum cap.* 8. & quomodo probet hoc esse possibile, infrà dicemus; quòd ita contingat de facto potat Vega definitum in Concilio Arausicano II. *cap.* 2. vbi docet Concilium, multa in homine bona fieri, quæ non facit homo; & Augustinus agens de gratia præuenienti, sæpe repetit, multa fieri in nobis sine nobis.

Tertia sententia est asserentium, terminum intellectionis absolutè posse fieri à Deo extra subiectum, tamen primum concedunt omnipotentiæ diuinæ, propter eius efficacitatem, continet enim eminenter virtutem actiuam omnium creaturarum. Secundum docet expressè Gregorius *in* 1. A *dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. *contra secundam conclusionem*, cuius eo loco nullam tradit rationem. Viri tamen docti huius ætatis volunt, terminum intellectionis non posse fieri à Deo in intellectu, sine concursu efficienti intellectus, quia sequeretur intellectum intelligere, & non intelligere, cùm ex vna parte habeat imaginem obiecti, & ex hac parte reddatur intelligens, & ex altera parte si non concurrit actiuè, non possit constitui in statu vitali, quem modum declaraui in libro de anima, ex eo, quia hac ratione optimè intelligitur terminum intellectionis esse ex sua ratione terminum actionis immanentis, quia ex natura sua postulat, vt à subiecto fiat in quo recipitur, volúntque hi B autores actionem ipsius intellectus esse quasi dispositionem ex parte intellectus recipientis, vt possit recipere terminum intellectionis.

Quarta sententia est asserentium, Deum se solo posse efficere terminum intellectionis in intellectu, Scotus *in 1. dist. 3. quæst.* 8. *§. respondeo; & in 3. dist.* 13. *§. ad tertiam quæstionem*, & sæpe aliis locis, quem sequitur eius schola, Nominales, & Vega suprà citati; ex Thomistis Capreolus *in 2. dist.* 37. *quæst.* 1. *art.* 3. Paludanus *in 4 dist.* 49. *quæst.* 1. *& dist.* 44. *quæst.* 7. Medina 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. qui pro hac sententia refert Victoriam. Sonein. 9. *Metaphysicor. quæst.* 20. *&* 21. Iauellus *quæst.* 7. Sotus *in 4. dist.* 49. *quæst.* 2. *art.* 4. *pagina* 602. Valentia 1. *parte* C *disput.* 4. *quæst.* 2. *puncto* 3. *& disput.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 3. *col.* 232. Molina 1. *parte quæst.* 12. *artic.* 2. *disput.* 1. *concl.* 3. *col.* 294. Bañes 1. *parte. quæst.* 12. *art.* 5. *dub. vltimo ad* 1. & fortè fieri posse à Deo vt quoddam accidens, Zumel *in eodem articulo, quæst.* 2. *art.* 3. dicit, implicat enim Deum se solo facere tentationem, nisi (vt quidam existimant) consideretur tentatio vt est quoddam accidens. Maior *in 4. disput.* 12. *quæst.* 1. *ad* 5. *& dist.* 49. *quæst.* 9. *in fine*, & fieri posse à solo Deo qualitatem intellectionis in esse qualitatis. Holcoth *in suis determinationibus, quæst.* 8. *art.* 2. & omnes ferè huius ætatis sic ducent, cuius fundamenta infrà adducemus; & hi omnes autores conueniunt in hoc, quòd terminus intellectio- D nis fieri possit à Deo, quamuis, vt vidimos *quæstione præcedenti*, eorum aliqui putent per illum posse intelligere intellectum, alij verò secus.

Quinta sententia est asserentium, entitates intellectionis, & termini, esse vnam, & eandem, & ita pendere ab ipso intellectu in genere causæ efficientis, vt sine illo nulla potentia fieri possit; pro hac sententia citari solent nonnulli, qui tamen ex eo id docent, quia putant intellectionem esse actionem sine termino: certissimum autem est, actionem ipsius intellectus, quæ ab illo pendet, per suam essentiam non posse fieri sine intellectu; ex his tamen, qui concedunt actionem, & terminum, hactenus non vidi vllum, ex illis qui typis E sua scripta mandauerunt, qui affirmet, terminum intellectionis non posse fieri à solo Deo. Videri posset alicui sic sentire Caietan. 1. *parte quæst.* 12. *art.* 5. *ad* 3. Veruntamen eo loco solùm negat Caietanus, posse fieri à Deo visionem sine lumine gloriæ, & manifestè loquitur de actione, vt legenti constabit, quod maximè aduertendum est in aliquibus autoribus, & in ipso Caietano 1. *parte quæst.* 10. *art.* 3. Fundamenta huius sententiæ sunt argumenta illa, quibus quæstione secunda probata est secunda sententia: ex quibus tertia, quarta, & quinta ratio, non sunt in quæstionibus præcedentibus solutæ.

Sexta sententia esse potest asserentium quòd etiam

etiamsi distinguantur actio, & terminus in actu immanenti, tamen ex speciali connexione, quam habet terminus cum actione ipsius intellectus, fieri non potest talis terminus sine tali actione vitali; hanc indicat Zumel 1. *part. quæst.* 27. *art.* 1. *quæst.* 5. in solutione argumentorum, Syluester, & Bañes *in eodem articulo*, agens de distinctione reali verbi ab actione. Probant, quia etiamsi hæc duo distinguantur, non sequitur quòd possit vnum ab alio separari; & quia incredibile videtur verbum esse posse sine intellectione, cùm verbum intrinsecè consistat in hoc quod est esse actualiter intellectum; & nonnulli addunt argumentum petitum ab inconuenienti, quia si terminus posset separari ab actione intellectus, posset intellectus intelligere sine concursu actiuo, quia, vt quæstione præcedenti tangebam, terminus intellectionis est imago actualis obiecti.

His relatis, sit prima conclusio: Omnino est impossibile affirmare, de facto intellectum intelligere sine proprio concursu actiuo, quia etiamsi hoc esset possibile (quod tamen est falsum,) negari non potest quin ex natura rei actus naturalis harum potentiarum eliciantur actiuè ab ipsis; ex quo fit vt etiam in actibus supernaturalibus, connaturalior modus sit, vt eliciantur ab ipsis potentiis, & de aliquibus actibus ordinis supernaturalis, hoc docet Concilium Tridentinum *sessione* 6. *canone* 4. & ratione potest probari, quia iuxta doctrinam traditam *quæst* 3. *conclus.* 2. *ratione* 2. actus liber necessariò includit efficientiam voluntatis, & ita à simili de his actibus supernaturalibus sumit argumentum ad alios.

Et fauet doctrina Aristotelis, qui capite de actione ponit actus immanentes, & 9. *Metaphysicorum textu* 16. contemplationem appellat actum immanentem. Probari etiam potest ex dictis 1. *lib. de animæ*, probabimus ergo cum Augustino, & aliis Philosophis notitiam fieri ab obiecto & potentia, vnde nec terminus horum actuum immanentium fit de facto à solo Deo, quia hic non est connaturalis modus faciendi talem terminum.

Secunda conclusio, terminus intellectionis fieri potest à solo Deo sine concursu intellectus. Probatur primò à simili, quia termini aliarum actionum possunt fieri à solo Deo, vt constat de calore; ergo.

Dices, diuersam esse rationem termini actionis vitalis, & non vitalis, & ita non esse bonum argumentum à simili. Sed cōtra hoc est, quòd etiam terminus actionis vitalis potest fieri à solo Deo vt de termino augmentationis omnes cōcedunt; ergo esse terminum actionis vitalis nihil impedit, quominus terminus de potētia absoluta possit fieri à solo Deo.

Secundò probatur, quia Deus potest facere se solo, quidquid facit media causa secunda, in genere causæ efficientis, ex communi Theologorum; ergo.

Dices hanc propositionem esse intelligendam, quando effectus non pendet essentialiter ab aliqua causa secunda efficienti, sic limitant hanc propositionem, Medina, Bañes, Zumel, & alij, & absolutè mihi placet talis limitatio, vbi sufficienter probatur talis dependentia; verùm non est asserenda sine graui fundamento, & manifesta implicatione. nam cùm omnipotentia Dei eminenter contineat omnem virtutem agendi creaturarum, potest perfectiori modo efficere se solo quidquid cum illis potest, nisi ex parte effectus sit implicatio; veruntamen in præsenti non est sufficiens fundamentum, vt ponamus talem dependentiam, quoniam, vt vidimus, nullus ferè autorum cognoscit, & solùm inuenta est hac ætate ad fugienda quædam inconuenientia, quæ alia via facilè possunt saluari.

Tertiò probatur conclusio ex suprà dictis, quia in actu immanēti terminus distinguitur ab actione; ergo terminus per suā essentiā non pēdet à principio.

Quartò, quia si terminus pendet per suam essentiam ab agente, vel includit in sua essentia talem dependentiam, poneretur in prædicamento qualitatis, & hoc est contra Arist. & alios suprà relatos, qui actionem immanentem ponunt in prædicamento actionis; & tamen si ponatur talis dependentia essentialis de intrinseca ratione termini, cùm iste sit in prædicamento qualitatis, dependentia etiam erit in illo prædicamento; vel solùm ponitur talis dependentia identificata realiter cum termino; ita tamen vt illa fieri non possit sine concursu potentiæ vitalis. Sed contra hoc sunt rationes factæ; & impugnari vlteriùs potest, quia sequitur, actus immanentes esse modos quosdam, & non entitates. Probatur sequela ex dictis in Metaphysica *disp.* 6. *q.* 1. vbi probaui, ad rationem modi solùm requiri vnionem immediatam cum aliquo, sine interiecto alio modo: sed si ponitur essentialis dependentia in actu immanenti, sequitur actum immanentem vniri subiecto in quo manet sine interiecto modo, vt constat ex Philosophia; ergo. Quidam negant hanc sequelam, qui putant de ratione modi esse imperfectam quandam incompletionem, sed in Metaphysica quæstione citata hoc impugnatum est.

Alij verò consequenti ratiocinatione concedunt sequelam: contra quos præter factas rationes tres primas, arguo ex communi modo concipiendi, non enim concipimus actus immanentes vt modos, sed vt res quasdam, & in quo vt plurimū communis autorum consensus, qui, vt vidimus, non concipiunt terminum intellectionis, v.g. & modum per essentiam suam vnitum intellectui, & ab illo pendentem essentialiter; & declarari potest, quia terminum intellectionis concipimus vt causam producentem habitum, & vt imaginem obiecti; hæ verò notiones alienæ sunt à conceptione modi.

Sequitur ex hac dependentia essentiali, terminum intellectionis factum sine specie, de potentia absoluta non posse fieri cum specie; quod tamen nullus hactenus concessit. Sequela probatur, quia si talis terminus pendet per essentiam à sua causa efficienti, factus ab vna, non potest ab alia fieri, quia non potest variari essentialis dependentia; quòd si aliquis velit, vt reuera tenetur, concedere prędictam sequelam, sic arguo. nam cùm Deus simul cum intellectu producit intellectionem & terminum sine specie, dicitur supplere concursum speciei, vt docent multi Theologi in materia de visione, dum docent, speciem Dei non esse necessariam ad visionem illius, etiamsi sit possibilis. nam cùm Deus sit præsentissimus intellectui creato, potest per seipsum cōcurrere concursu obiecti; nullo tamen modo posset dici, Deum supplere concursum speciei suæ, vel alterius obiecti, nisi eundem effectum & terminum diuersa actione, & concursu faceret ab eo, quo talis terminus posset fieri ab specie; quòd si fieri ab specie illi repugnat, qui semel fit sine illa, non dicitur Deum supplere concursum speciei, sequitur terminum factum ab specie, & intellectu simul fieri nulla ratione posse sine specie. Sequela probatur, quam hactenus nullus concessit; sequitur etiam actum supernaturalem factum sine habitu nullo modo posse fieri ab habitu, vnde cùm tales habitus dentur ex sententia Theologorum, ad connaturaliter operandum, erunt actus multi, quibus repugnet connaturaliter fieri per habitum, quod Theologis inauditum est: & idem fit de actu naturali facto sine habitu naturali;

sequitur

sequitur enim nullo modo posse fieri ab habitu, & actus qui semel fit ab habitu, nullo modo poterit fieri sine illo, etiam de potentia Dei absoluta.

Dices has sequelas necessariò concedendas esse de actione ipsa in omnium opinione, quia actio per suam essentiam pendet à principio efficienti. Respondeo hoc verissimum esse; sed ego contendo de termino actionis hoc non esse, vnde licèt Deus non possit facere sine intellectu actionem ipsius; tamen poterit facere terminum illius, & ita contra hanc doctrinam non habent vim argumenta facta, contra ponentes in termino essentialem dependentiam ab intellectu.

Ex his verò etiam facilè excluditur opinio ponentium specialem connexionem inter terminum intellectionis, & ipsam intellectionem, & tam immediatam vnionem, vt à Deo fieri non possit terminus sine actione tali ipsius intellectus, multa enim ex his quæ diximus, faciunt contra hunc modum dicendi, qui sine sufficienti fundamento negat talem terminum posse fieri à solo Deo.

Tertia conclusio, talis terminus intellectionis potest fieri à Deo in intellectu, sine ipsius intellectus concursu causæ efficientis. hanc tradunt expressè autores omnes, qui suprà dixerunt, terminum istum posse fieri à Deo; loquuntur enim de productione illius in intellectu, vel voluntate, vt legenti constabit. Et probatur primò, quia sine sufficienti fundamento dicitur hoc non posse fieri à Deo: secundò, quia actio vt sic, non est causalitas materiæ, vt recipiat, sed agentis; & probatur, quia terminus etiam vt distinctus ab actione pendet à materia, etiamsi actio varietur; ergo.

Dices actionem nō esse materiæ causalitatem, sed in actu immanenti esse conditionem necessariam; sed hoc liberè fingitur, quia talis actio non est necessaria vt dispositio ad formā contrariam, neque enim actio est dispositio, & fundamenta oppositæ sententiæ nullius sunt momenti, vt infrà videbimus.

Restat vt respondeamus argumentis aliarum opinionū, vt res perfectè intelligatur: & primò congruentia primæ sententiæ leuissima est, quia etiamsi sit possibile terminum fieri à solo Deo; tamen ex connaturali modo operandi melius est, magisque rebus ipsis conueniens, vt fiat à potentia, vt omittam in eo etiam errare Nominales, quòd putēt, requisitum totum ad statum intelligendi posse fieri à solo Deo, de quo suprà dictum est. legatur Molina 1. *p. q.* 12 *art.* 5. *d.* 1. respondet enim argumentis Nominalium.

Vega etiam leue habet suæ doctrinæ fundamentum, nam Concilium Arausicanum solùm vult multa fieri in homine bona, sine illo liberè concurrente, quæ etiam est mens Augustini: vnde sine causa putauit hic autor, quæstionem philosophicam definitam esse eo loco à Concilio, quæ instituto Concilij nihil deseruiebat, & de qua eo sæculo fortasse nec verbum fuerat auditum in schola Philosophorum, nedum disputatum in Conciliis: an verò sententia, quam sequitur Vega, censura digna sit, theologici negotij est, sat sit nobis dixisse planè esse in Philosophia improbabilem.

Fundamenta tertiæ sententiæ facilè soluuntur. Ad primum constat ex dictis quæstione præcedenti per solum terminum intellectionis non posse intellectum intelligere. Ad aliud dicitur sufficienter intelligi rationem termini actus immanentis ex hoc quòd talis terminus natura sua ex connaturali modo postulet actionem eius in quo manet vt in subiecto; actionem verò ipsam immanentem hoc habere per prædicatum sibi intrinsecum.

Superest soluamus argumenta quintæ sententiæ, quæ aliquibus multum exhibenunt negotij; ea verò sunt, quæ quæstione secunda pro secunda sententia posita sunt, & duæ quidem primæ rationes illius sententiæ suprà solutæ sunt.

Ad tertium respondetur ex dictis, verissimum esse, Deum posse facere entitatem verbi, & ponere illam in intellectu; nego tamen per informationem illius intellectum, in eo casu: & ad probationem respondeo, primò falsum esse quod dicitur actionem illam, qua verbum fieret à Deo, esse futuram eiusdem speciei; actio enim vitalis, & immanens, specificatur à principio vitali, & non à termino, vt dixi *quæst.* 3. *conclus.* 2. *ratione* 3. *principali*, ex communi doctrina, quam etiam ibi probaui.

Ad probationem respondeo, notissimum esse discrimen inter actionem qua fit calor, & qua fit terminus immanens, & qui postulat fieri à principio vitali, neque calefactio postulat calorem, vt principium efficiens, sed à quocunque fiat est calefactio, si ad calorem terminetur; est enim actio transiens reique inanimatæ, & non de genere vitalium actionum; secus verò se habet intellectio, quæ postulat fieri à principio vitalī vt sic, in quo manet, & in quacunque sententia diuerso modo debemus philosophari de actione immanenti vitali, & de actione transeunte non vitali. Addo secundò id quod dixi in libris de anima, & placet viris doctissimis huius ætatis, quòd etiamsi actio qua verbum fieret à solo Deo in intellectu, esset eiusdem speciei rationis infimæ, tamen intellectus, sic informatus tali actione, & termino, non intelligeret, quia, vt dixi *quæst.* 3. ad intelligendum non solùm requiritur informatio, sed efficientia ipsius intellectus, qua deficiente intellectus non constituitur in statu vitali legatur Molina 1. *part. quæst.* 12. *art.* 5. *disp.* 1. *conclus.* 1.

Ad quartum respondetur, non esse de essentia verbi, & de entitate illius originem à dicente, sed solùm requiritur ad hoc vt terminus repræsentans obiectum dicatur verbum, quod terminet actionem intellectus, sine qua amittit denominationem propriam verbi, neque aliud voluit Augustinus, D. Thomas, & Theologi 1. *part. quæst.* 33. *art.* 7. Quod verò dicitur debere per suam essentiam esse verbum, itavt includat essentialiter originem à dicente, falsum est, solùm enim primariò, & principaliter dicitur verbum mentale, quia ex natura sua postulat actionem, quæ sit naturalis locutio, & dictio, nec sequitur verbum esse aggregatum ex termino, & actione, sed terminum non sortiri denominationem verbi, nisi supposita actione dicentis, secúsque non dicere relationem originis ad personam dicentem, fundatur enim hæc relatio in dictione.

Circa quintum argumentum posset disputari, an actus vitalis dicat actionem, & terminum aliquo modo ante intellectum distinctum, in quo philosophandum est, sicut in actu intellectus; rationem verò huius actus vitalis non saluari sine efficientia voluntatis, efficaciter probatum est *quæst.* 3. *conclus.* 2. *ratione* 2. *principali.* Sed addendum est hoc loco, actionem qua producitur pondus voluntatis, non esse tendentiam in obiectum, sed fieri ipsius tendentiæ, & inclinationis actualis. hoc declarandum est, & probandum, sicut in simili de actione intellectus dictum est, ex communi doctrina, actionem non esse imaginem, & similitudinem, sed fieri illius,

Et confirmatur, quia actio qua producitur grauitas lapidis, non eſt formaliter grauitas, vt per ſe conſtat, ſed fieri grauitatis; ergo actio qua fit pondus voluntatis, non eſt formaliter pondus, & tendentia in obiectum; actio ergo voluntatis requiſita eſt tum ad vitalitatem, tum etiam (quod in idem redit) vt actione vitali fiat actualis illa inclinatio, voluntatis in obiectum. Denique de actione, & termino appetitiuæ potentiæ philoſophandum eſt ſicut de actione, & termino cognoſcitiuæ, proportione ſeruata. His poſitis,

Reſpondeo ad quintum argumentum, libertatem non intelligi completè exerceri, niſi intelligatur ipſe terminus, quia libertas non conſiſtit completè in actione, vt diſtincta eſt à termino, ſed vt includit etiam illam. nam licèt libertas conſiſtat in agendo, vt ſuprà dixi; tamen non conſiſtit in agendo, vt dicit ſolam actionem, ſed vt dicit terminum, itaque terminus ipſe liberè fit, licèt non recipiatur liberè, quantum eſt ex parte ſolius receptionis, verum eſt non eſſe terminum liberum per ſuam eſſentiam, ita vt per illam pendeat à principio liberè operanti, hoc enim non eſt requiſitum, nec aliquis ex prioribus qui feliciſſimis Scholaſticorum ſeculis floruerunt, id affirmauit, ex his qui in actu immanenti ponunt actionem & terminum, ſi vnum excipias Durandum citatum ſuprà *quæſt*. 1. huius diſputationis, qui hoc videtur indicare à ſimili de actu intellectus.

Sed obiicies doctrinam Theologorum, qui conſequenter affirmant, actum voluntatis eſſe intrinſecè liberum, actus verò aliarum potentiarum ſolùm extrinſeca denominatione. Reſpondeo doctrinam hanc veriſſimum habere ſenſum, quia Doctores loquuntur de actu voluntatis, vt dicit actionem, & terminum, quia actio per ſuam eſſentiam pendet à principio libero, & terminus ex natura rei poſtulat talis principij actionem.

Sed dices: ergo ſaltim prius natura intelligitur actio libera, quàm terminus liber, quia actio eſt prior natura termino; ergo. Reſpondeo, totum eſſe veriſſimum, ex hoc tamen non fit, completam libertatem intelligi ante ipſum terminum actionis liberæ, ſed illa libertas actionis (ſi excludatur terminus) non eſt ſufficiens ad conſtituendum actum bonum, vel malum, quia actus in tantum eſt bonus, vel malus, in quantum reſpicit obiectum bonum, vel malum, & tamen, vt dixi, per ſolam actionem non reſpicitur obiectum; ex ſolutione verò præfata quinti argumenti ceſſant nonnulla alia, quæ ex falſa ſequela inferri ſolent, quæ de induſtria prætermitto, valde enim facilia ſunt.

Tandem obiici poſſunt loquutiones D.Thomæ citatæ *quæſt*. 1. & aliorum Sanctorum, quatenus intellectionem appellant motionem, & cogitationem, & quatenus D.Thomas ſpecialiter docet, intelligere non importare rationem originis. nam ex loquutionibus Patrum videtur ſequi, illos ſenſiſſe non diſtingui actionem à termino, & ſic vnum ſine alio dari non poſſe; ex locutione verò D.Thomæ ſequitur, non eſſe neceſſariam originem ab intellectu, vt quis intelligat: ſed quod attinet ad Patres non arbitror, illos tractaſſe de identitate, aut diſtinctione actionis à termino, vt dixi *quæſt*. 1. nondum enim eo ſæculo excitata fuit philoſophica hæc controuerſia inter Patres Eccleſiæ, ſed poſteriori ætate, poſteriores etiam Scholaſtici excitarunt, de mente verò D.Thomæ dixi *quæſt*. 1.

Addendum verò eſt hoc loco, ſic explicare nonnullos iuniores locum 1. *parte quæſt*. 34. *art*. 2. *ad* 3. Intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in quo nulla ratio originis importatur, vt ſolùm loquatur D.Thomas de intellectione prout abſtrahit à creata, & increata; ſed negari non poteſt quin expreſsè D.Thomas ibi affirmarit, intelligere ſolùm importare informationem in intellectu noſtro, vt legenti conſtabit.

Secundò alij volunt, S.Thomam docuiſſe, intelligere non importare rationem originis tranſeuntis; ſed contra hoc eſt, quòd D.Thomas diſtinguit eo loco intelligere, & dicere, & affirmat, dicere importare rationem originis: certum autem eſt, dicere mentale, non importare actionem tranſeuntem.

Tertiò, alij verò ſic explicant D.Thomam in hoc loco, vt ſolùm velit D.Thomas, in intellectione noſtra nullam importare rationem originis ad rem intellectam; cùm tamen dicat habitudinem originis ad verbum dictum, & eſt hæc explicatio ſatis ſecundùm mentem D.Thomæ, illiúſque argumenti ſolutione apta; vt legenti argumentum, & ſolutionem conſtabit.

Quartò, alij volunt D.Thomam ſolum docuiſſe, formam rei intellectæ per ſolam informationem conſtituere intellectum intelligentem; dicunt tamen actionem ipſius intellectus conſiderari poſſe vt ab illo pendens ſeipſa alio modo, vt illum informans; ſed quamuis hæc ſolutio videatur primo aſpectu ſubtilis, nec tamen veram doctrinam continet, nec conſonat doctrinæ D.Thomæ nam actio ſecundùm ſe, vt ſuprà dixi, non eſt forma rei intellectæ, quia non eſt imago, & ſimilitudo ipſius, & D.Thomas in verbo ipſo ponit ſimilitudinem, & repræſentationem obiecti.

Quintò alij volunt D.Thomam ſimpliciter docuiſſe, intelligere importare rationem originis, ſed non importare principaliter; ſed contra hoc eſt quod dicit D.Thomas, intelligere importare ſolam habitudinem in qua nulla ratio originis importatur, ſed ſolùm informatio; bis ergo vtitur particula excluſiua *ſolùm*; ergo ſimpliciter excludit rationem originis.

Nos verò alio modo explicuimus D.Thomam *quæſt*. 1. ex vatiis locutionibus ipſius; ex dictis verò facilè colligitur, quid nomine *dictionis*, & quid nomine *intellectionis*, intelligat S.Thomas, vt enim dixi *quæſt*. 1. in ſolutionibus argumentorum, explicans mentem D.Thomæ, ipſe appellat dicere actionem intellectus qua fit verbum, & aliquando appellat intelligere terminum illius, qui tamen *quæſt*. 4. *de veritate*, *art*. 1. *ad* 5. docet, in nobis omne intelligere eſſe propriè dicere, imò, vt dixi *in libro de anima diſp*. 5. *quæſt*. 1. *in fine*, Scotus dictionem appellat actionem intellectus, terminum verò ipſius intellectionem; differt verò à doctrina D.Thomæ, quia putat Scotus terminum, etiam ſine actione intellectus, eſſe ſufficientem formam, ad conſtituendum intellectum in ſtatu intelligentis, in quo fallitur, vt vidimus; ea verò, quæ diximus, eſſe de mente Scoti, conſtat ex ipſo *in* 1. *diſt*. 63. *quæſt*. 6. in tribus quæſtionibus, quas eo loco citaui, vt bene aduertit Molina 1. *parte quæſt*. 27. *artic*. 1. *dub*. 8. *num*. 2. *col*. 1115.

Sed quærere poſſet aliquis primò, an Verbum productum à ſolo Deo, & poſitum in intellectu, poſſit producere habitum in ipſo intellectu. Ratio dubij eſt, quia ſi tale quando producitur ab intellectu, eſt productiuum habitus, & poteſt produci à Deo ſolo qualitas eiuſdem ſpeciei, conſequens videtur, vt producat eum habitum.

In

In hoc dubio nihil inuenio vel in autoribus, vel in Philosophis huius ætatis, & ideo solùm ratione, non verò autoritate agendum est; & mihi quidem probabilius videtor, tale verbum non producturum habitum in intellectu, quando intellectus merè passiuè se habet respectu ipsius Verbi, quia isti habitus naturales, de quibus est modò quæstio, ipsomet exercitio actus vitalis acquiruntur; ergo cùm ex nostra sententia sola qualitas non constituat actum vitalem, non producet habitum, aliàs sequeretor, eum qui nunquam cognouisset obiectum, ex sola passiua receptione verbi, se experiri faciliorem circa cognitionem illius obiecti, si Deus aliquoties efficeret in illo verbum, quod oon videtur consonum rerum naturis.

Secundùm doctrinam tamen eorum, qui putant per terminum factum à solo Deo, posse intellectum intelligere, videtur probabilius illum terminum causaturum habitum, ex cognitione enim causata, vt constat, quòd si tunc homo recognosceret vt ex repetita illa coguitione faciliorem se experiretur in cognitione illius obiecti; quod verò de habitu dixi, verum existimo eodem modo de specie, si verbum mentis est productioum illius, secundùm doctrinam multorum, quæ tradidi in libris de anima.

Ad rationem dubij constat ex dictis, licèt enim vtrunque verbum sit eiusdem rationis, tamen non habent eandem conditionem, vnde non est mirum, si vnum agat, alterum verò non agat.

Secundum dubium esse potest, an per verbum solum productum à Deo in intellectu moueatur voluntas ad operandum circa obiectum repræsentatum? qui putant hoc verbum constituere intelligentem, consequenter tenentur affirmare, ab illo mooeri ipsum operaotem, in cognitiooe enim mouetur agens, tanqoam à dictione proponente obiectum: verùm secundùm nostram doctrinam dicendum est, à tali verbo non moueri operantem ad amandum, & non amandum. quod probatur ex contrario fundamento, quia agens nequit operari per voluntatem, nisi præuia cognitione; sed tale verbum non constituit cognoscentem, vt dixi; ergo.

Tertium dubium esse potest, an per verbum factum à solo Deo, conseruatum tamen efficienter ab intellectu, intelligat intellectus. Respondeo intellectum in eo casu intelligere, quia tunc habet omnia requisita ad intelligendum, vt constat ex dictis.

Dvbivm V.

An sine concursu animæ possit à Deo cum intellectu fieri quidquid necessarium est ad statum intelligendi.

EAdem difficultas habet locum io qualibet alia potentia cognoscitiua, vel appetitiua, & idem proportionaliter dicendum; an verò actus intellectus fieri possit sine habitu, vel sine specie, dixi in libris de anima; modò verò solùm quærimus, an sine concursu animæ, quæ est prima, & substantialis vita, fieri possit actus vitalis; nec solùm qoærimus, an fieri possit terminus actus intellectus. nam in nostra sententia constat ex dictis hoc esse certum, docuimus enim terminum fieri posse etiam sine actiuo concursu intellectus. Difficultas ergo est, an sinè concursu animæ fieri possit quidquid necessarium est, vt ipse intellectus constituatur in statu vitaliter operantis, scilicet intelligentis. Ratio verò dubij esse potest, quia cùm anima sit vita substantialis, non posse videtur esse actus secun- A dus vitalis, sine dependentia à prima vitæ radice; secundò, quia aliàs intellectus separatus posset intelligere.

In hac re omnes qui putant, sine concursu actiuo intellectus, fieri posse quidqoid necessarium est ad intelligendum, faciliori negotio id coocedunt fieri posse absque coocursu animæ, imò cùm eorum multi dicant animæ potentias non distingui ab ipsa anima, vt docui 2. *de anima*, idem ferè est dicere hoc posse fieri sine concursu intellectus, & fieri posse sine concursu animæ; cum his tamen suprà disputatum est.

Secundus alius modus dicendi esse potest, non posse sine concursu animæ fieri, quidquid necessa- B rium est ad intelligendum; primò propter rationes dubitandi; secundò, quia si vera est communis doctrina S. Thomæ, & aliorum quos retuli 3. *de anima, q. vlt.* asserentium animam concurrere ad actiones vitales, hoc non potest esse, nisi quia istæ actiones ex sua natura requirunt dependentiam à prima vita, & in hoc præsertim consistit status vitæ, & differentia actionis vitalis à non vitali: ergo, quod sine illa potest saluari, non est cur dicamus de facto animam concurrere cum potentia.

Tertia sententia est eorum, qui de facto affirmant animam non concurrere efficienter ad actum vitalem, sed tantùm per suam potentiam, de qoa dixi 2. *physicorum, & 3. de anima*; quæstio tamen præsens est C cum his qui admittunt, animam concurrere de facto efficienter ad actum vitæ.

De difficultate hac nihil inuenitur tractatum expressum ab autoribus; imò apud Philosophos huius ætatis nihil inuenio; scio tamen non paucis placuisse ea quæ de hac re docui 3. *de anima, quæst. vltima*, & modò etiam mihi rem contemplanti occurrit, probabile videri, non esse necessarium ad statum hunc vitæ concursum animæ, vt sine illo noo possit stare status intelligendi; hoc primum probatur à posteriori, quia per solam actionem intellectus sufficienter intelligitur distingui status taliter operantis ab stato oon viuentis, & actio ipsa intelligitur pendere à principio vitæ, vt vita D est, atque adeò intellectio tunc procederet ab intellectu vt sic, vnde haberet sufficiens specificatiuum vitale.

Secuudò, quia etiamsi de facto concedamus esse necessarium concursum animæ ad actionem intellectus, tamen non est sufficiens fundamentum, vt dicamus non posse iotellectum nisi tali coucursu intelligere, aliud enim est hoc esse ex natura rei ordinatum, aliod verò esse essentialiter requisitum. Ratio verò à priori debet esse, quia natura intellectionis talis est, vt non postulet concursum animæ; & declaratur exemplo, quia etiamsi dicamus calorem de facto non calefacere, nisi simul cœlo concurrente cum calore, propter subordinationem E naturalem; tamen negandum non est de potentia absoluta posse calorem solo concursu Dei adiutum calefacere, & in ipso actu intellectus est præsentissimum exemplum. nam etiamsi ex natura rei intellectus non agat sine specie, tamen de potentia Dei absoluta non est cur sine specie non possit intelligere; & hanc doctrinam breuiter attigi in libris de anima *loco citato*, &, vt dixi, placuit nonnullis, éstque valde probabilis.

Secundò existimo probabiliùs, non posse intellectum intelligere sine concursu animæ; ratio verò quæ me mouet vt sic senserim modò, cùm aliud senserim in libro de anima, ea est, primò, quia per se videtur contra rationem, & cum aliis loqui

intellectum separatum posse intelligere, quod fieret A necessariò si concursus animæ de potentia absoluta non esset necessarius; sed fugere posset aliquis vim huius inconuenientis, dicendo, vel has potentias non distingui ab anima, vel etiamsi distinguantur, non posse separari; sed vtrunque reputo minus probabile, vt dixi 2. *de anima*. Secundò alio modo posset quis respondere, posse intellectum vnitum animæ, sine concursu efficienti animæ producere intellectionem, qua vel homo, vel anima diceretur intelligere; non posse tamen intellectum separatum ab anima intellectionem elicere: sed contra hoc est, quòd non potest assignari ratio, ob quam non possit intellectus separatus elicere intellectionem, si sine concursu animæ potest receptus in anima. nam B quòd sit receptus, & inhærens, non potest esse conditio agendi ita essentialis, quin à Deo possit suppleri; quòd si aliquis velit absolutè concedere inconueniens dictum, vt ego aliquando concessi, per se se videtur hoc rationi dissonum, & contendo non posse concedi, sequentibus rationibus, quæ etiam conclusionem confirmant.

Primò exemplo voluntatis, hæc enim videtur non posse operari separata, quia hæc potentia supponit obiectum suum vt cognitum, & non ab ipsa, quia ipsa non est potentia cognoscitiua; ergo ab operante; ergo si ipsa est separata ab operante, non poterit tendere in obiectum cognitum ab intellectu, cui ipsa non est coniuncta, hoc ipso quòd non est radi- C cata in ipsa anima cum intellectu, sicut voluntas vnius non potest ferri in obiectum cognitum ab intellectu alterius: & ratio vtriusque est, quia intellectus non habet vnionem cum voluntate respectu operantis; ergo à simili intellectus separatus non poterit operari.

Quòd si aliquis dicat rationem hanc probare non posse, voluntatem operari propter defectum obiecti, quæ in intellectu separato non habet locum; fateor hoc esse verum, tamen ea defectu obiecti volo ego colligere modum operandi huius potentiæ, qui est operari simul cum anima, vt hac ratione verè idem principium sit cognoscens, & volens, scilicet ipsa anima, aliàs si tantùm ipsa anima esset intelligens D per suam potentiam, & volens per aliam, via posset assignari ratio ob quam eædem potentiæ separatæ non possent simul operari, si radicatio in eadem anima non est requisita, propter vitalem influxum animæ, qui suppleri nequit, vt infrà dicam; quæuis verò alia conditio non videtur ita essentialis, quin suppleri possit.

Secunda ratio pro conclusione; nam actio vitalis vt sic, principaliter respicit principium, à quo habet esse vitalis; ergo perfecta ratio actionis vitalis includit dependentiam à prima radice vitæ, quæ est vita substantialis. Consequentia est admodum probabilis. Antecedens verò probatum est suprà ex autoribus, & ratione: & hæ rationes factæ probant de E facto animam concurrere, quæ est communis doctrina antiquorum Philosophorum, D. Thomæ, & aliorum, vt ostendi in libris de anima, *quæst. vlt.* & tenentur affirmare omnes, qui potentias animæ non distinguunt ab anima; hoc supposito, contendo talem concursum non posse ita suppleri à Deo, vt tamen actus maneat vitalis, quia concursus intrinsecus vitæ talis est, vt non maneat vitalis, nisi maneat actus à principio intrinseco vitæ; ergo. Probatur antecedens, quia propter hanc rationem diximus suprà, actum intellectus, vel motum localem, non esse vitalem, quando fit à Deo, ideóque intellectum non efficientem non posse intelligere; ergo neque potest suppleri concursus vitæ substantialis, ita vt actus maneat vitalis, aliàs concursus vitalis intellectus posset suppleri.

Dices, concursum animæ non posse poni in rerum natura, quia est concursus causæ vniuersalis, qui non potest poni in rerum natura, nisi determinetur à concursu speciali potentiæ vitalis; sed concursus intellectus est determinatus, & ita licèt hic maneat actus, verè est intellectio, quia est ab intellectu vt sic.

Respondetur, verum esse, concursum animæ esse quasi vniuersalem, respectu potentiarum animæ, ideoque non posse poni nisi à potentia determinetur; falsum tamen est quod dicitur, posse poni concursum intellectus vt sic, sine concursu animæ, quia hic concursus vitæ modificat essentialiter concursum vitæ substantialis, vt dixi, & ita sine illo nequit poni in rerum natura: conditionalis autem vera est, quòd si poneretur, esset determinatæ speciei.

Explicatúrque exemplo actionis creaturæ, quæ sine concursu Dei non potest poni in rerum natura, propter essentialem dependentiam; sic ergo suo modo est philosophandum in nostro casu. Et declaratur ampliùs, quia si concursus intellectus potest modificare concursum non vitalem; ergo concursus animæ posset etiam determinari à concursu speciali non vitali, & in hoc sensu intuli, posse suppleri concursum vitalem intellectus, quamuis in hoc casu, quo concursus animæ maneret, sine concursu intellectus non maneret intellectio; sed neutrum fieri posse constat ex hoc quòd concursus potentiæ vitalis solùm est determinatiuus immediatus concursus eius quo concurrit anima, & actio animæ solùm determinatur per actionem vitalis potentiæ.

Ex hac ratione vlteriùs fit, non posse poni in rerum natura concursum vitalem intellectus, nisi simul anima concurrat, quia concursus potentiæ vitalis essentialiter coniungitur concursui vitæ substantialis, propter perfectam rationem vitæ, & sic neque receptus in anima, neque separatus ab illa, poterit etiam de potentia absoluta elicere intellectionem.

Ex tradita verò doctrina facilè est soluere argumenta contraria, quibus motus antea existimaui, oppositam sententiam esse probabiliorem.

Ad primum respondetur, si poneretur actio intellectus, vt intellectus est sine concursu efficienti animæ, illam sufficere ad distinguendum statum viuentis, à non viuentis statu; nos tamen negamus talem actionem poni, non concurrente anima; & consequenter negamus alia.

Ad secundum constat, propter specialem rationem nos ponere essentialem naturam actionis vitalis, in dependentia à prima radice vitæ substantialis, ex quo soluitur ratio, quæ dicebatur esse à priori, & constat disparitas eius exemplo quod in ratione ponitur.

Sed quærere posset aliquis, an possit anima intelligere per solum suum concursum, sine actiuo concursu intellectus? Respondeo iuxta dicta in libro de anima, *quæst. vltima*, non posse animam intelligere, quando intellectus non concurrit actiuè, etiamsi passiuè concurrat; & declaratur primò, quia, vt constat ex dictis, talis concursus animæ poni nequit sine determinato concursu intellectus, vel alterius potentiæ vitalis; secundò, quia etiam ex dictis colligi potest, talem concursum non esse sufficientem ad constituendam intellectio-

nem

nem, quia non est determinatæ speciei intellectionis, vt præcisè intelligitur à concursu intellectus separati.

Ex dictis verò sumitur argumentum ad probandum quod diximus *quæst.* 3. scilicet non posse intellectionem consistere in sola informatione termini, sine actione ipsius intellectus, quia aliàs sequeretur intellectum separatum posse intelligere, nam separatus bene posset recipere terminum factum à Deo. Sequela probatur, quia quando est intellectus in anima immediatè, solo suo concursu recipit intellectionem, etiamsi vt quod anima denominetur recipiens; imò anima nullo alio modo potest recipere intellectionem, iuxta ea quæ de quantitate dixi in libro de cœlo, respectu accidentium quæ illi inhærent, &, sicut ibi probaui, substantiam non recipere calorem nisi per quantitatem, ita tamen vt quantitas separata possit recipere illum sine substantia, ita in præsenti dicendum est.

Sed dices, idem inconueniens sequi, etiamsi ponatur actiuitas intellectus necessaria ad intellectionem, vel eandem posse habere solutionem. Sed contrà, quia, vt constat ex dictis, magnum discrimen est. nam vitalis concursus intellectus esse nequit sine concursu animæ: at verò receptio non est cur esse non possit in solo intellectu separato, sicut in quantitate separata, & sine controuersia certum debet esse intellectum existentem in anima recipere intellectionem, receptione, quæ physicè non pendet ab anima, imò iuxta dicta in libris de cœlo, pendere nequit forma recepta à duabus in sua receptione immediatè, saltem ex natura rei, maximè quando illa duo ita se habent, vt vnum sit receptum in alio, & illud quod est receptum. est subiectum immediatum formæ alterius, vt de albedine respectu quantitatis, & substantiæ, constat ex libro de cœlo; & tamen in genere causæ efficientis pendere potest effectus à duabus per eundem realem concursum, quod prouenit ex diuerso modo causandi causæ materialis, & efficientis. Ex his facilè constat, quid sit actus vitalis, sed dubio sequenti dicetur.

DVBIVM VI.

Quid sit potentia vitalis.

ADuertendum est ex D.Thoma 1. *parte quæst.* 18. *art.* 1. quòd viuere ea dicuntur, quæ habent in se principium motus, quo se moueant. & Aristoteles 8 *physicorum*, mouere à seipso vitale, inquit, est, & animaturum proprium *textu* 24 *cap.* 4 quomodo distinguatur motus viuentium à motu non viuentium, etiamsi motus non viuentium fiat efficienter ab aliquo intrinseco principio, dixi 8. *physic.* & 2. *de anima.* & quidem quòd viuentia seipsa moueant, experientia constat, & probatum est in physicis. Ex quo fit ad rationem potentiæ vitalis primò esse requisitum, vt sit principium intrinsecum operanti.

Verùm quia in viuente respectu operationum vitalium sunt aliqua principia, quæ non sunt potentiæ vitales, oportet vt ab his distinguatur potentia vitalis; constat enim esse species, & habitus, qui potentiæ vitales non sunt, & tamen concurrunt ad actus vitales; distinguitur ergo ab his principiis potentia vitalis, ex hoc quòd debeat esse potentia propria animæ, secundùm gradus vitæ; & quòd oriatur ab illa, & quòd debeat esse propria potentia vitæ vt sic, constat, quia sicut substantia naturalis habet proprias potentias sui ordinis, ita vita vt sic debet habere proprias potentias; & quamuis species

A intelligibiles, & habitus spirituales sint instrumenta, vel principia propria vitæ vt sic, tamen non possunt dici potentiæ vitales, quia non oriuntur ab anima, neque perpetuò sequuntur illam, vt potentia debet sequi essentiam in statu naturali, quod infrà ampliùs declarabitur.

Sed quæres, quomodo ergo poterunt distingui species Angelorum à potentia vitali, in opinione illorum Thomistarum, qui putant oriri ab essentia Angelorum, velut propriæ passiones, vt docent Doctores in materia de Angelis. Respondetur primò hanc opinionem esse falsam, quam in ea materia refutant multi Theologi; verùm, etsi ponantur tales species, nō est dicendum esse potentias vitales, quia,
B vt dixi in libris de anima, species non est principium cui debeatur concursus ad faciendū, quæ est ratio vitæ, hic enim concursus debetur intellectui per se; sed solùm debetur speciei concursus, ad faciendam cognitionem, non vt cognitio, sed vt talis obiecti, quæ, præcise, & formaliter loquēdo, non est ratio vitalis, & ideo species supponit semper potentiam vitalem, à qua prouenit actus vitæ, vt vitalis formaliter; & probatur, quia aliàs non posset suppleri à Deo concursus speciei, quia intrinsecus concursus vitæ vt sic non potest sic suppleri, vt illo deficiente actus sit vitalis; consequens verò est contra communem consensum, vt patet ex libro de anima.

Sed quomodo potentia vitalis distinguatur ab
C habitu supernaturali, est dubium; nec enim desunt aliqui hac ætate, qui specialiter de lumine gloriæ velint esse potentiam vitalem, & hoc indicant Theologi antiquiores, & recentiores Thomistæ, qui putant absque lumine gloriæ non posse fieri visionem. De potentia absoluta, videntur enim velle esse potentiam necessariam ad visionem, sine qua fieri nequit; verumtamen vt omittam difficultatem hanc, absolutè mihi videtur falsum affirmare, lumen gloriæ esse potentiam vitalem, vel aliquem alium habitum supernaturalem, primò, quia nec S.Thomas, nec grauiores Theologi aliquem habitum appellarunt potentiam vitalem, cùm exactissimè de omni actu, siue naturali, siue supernaturali, disputauerint.

D Secundò, quia omnis potentia vitalis est passio vitæ substantialis primæ, & radicalis; lumen verò gloriæ, vel quiuis alius habitus supernaturalis non est passio alicuius vitæ substantialis, nec illi debita, vt communis fert Theologorum opinio in materia de visione, & de gratia; & variis rationibus probatur à Theologis, has qualitates nulli creaturæ esse connaturales, verùm eas suo pondere pendere non est huius loci: & ego existimo esse specialem rationem non leuis momenti; sed hoc loco sufficiat sumere id quod constitutum est apud Theologos, scilicet, nulli substantiæ esse connaturales habitus supernaturales, quod sufficit nostro instituto; ex hoc enim videtur sequi, non esse vitales potentias, hæ enim semper
E sunt passiones alicuius vitæ, & declaro vim huius rationis exemplo, quia contra rationem videtur fieri posse aliquem intellectum, qui non sit passio propria alicuius gradus vitæ substantialis, talis enim gradus videtur supponere gradum substantialem, cui debeatur talis intellectiua potentia.

Sed dices, sicut potentia vitalis sequitur aliquem gradum vitæ, ita accidens omne sequitur prædicamentum entis substantialis cùm sit entis eius; sed lumen gloriæ ponitur nulli substantiæ connaturali, etiamsi sit accidens: ergo posset poni potentia vitalis nulli vitæ connaturalis. Respondetur esse disparem rationem, quia non omne accidens est connaturale, hoc est petitum à substantia, vt patet

in impulsu violento, qui nulli subiecto est connaturalis, licèt sequatur determinatum gradum entis, scilicet si sit materialis, subiectum petit materiale; nulla verò talis est potentia vitalis, vnde mirum non est, si esse possit accidens nulli substantiæ connaturale, id est, debitum illi, quamuis postulet aliquem gradum entis cui inhæreat, & tamen esse non possit potentia vitæ, quæ non sit alicui vitæ connaturalis, cùm sit propter animam, illique subordinata, & ab illa debet oriri vt propria passio, est enim inter potentiam vitæ, & vitam substantialem maior connexio, quàm inter substantias alias, & accidentia in ordine ad operationem, ad quam potentiæ vitales ordinantur.

Tertiò probo, habitum supernaturalem non esse potentiam vitalem, quia, formaliter loquendo, non agit concursu vitali; & ponamus exemplum in habitu intellectus, nam talis habitus non concurrit formaliter concursu qui requiritur ad intelligendum, hic enim ab intellectu prouenit, & aliàs sine intellectu actiuè concurrente posset fieri intellectio, vel habitus ille esset intellectiua potentia, quod sine ratione dicitur, cùm talis habitus supponat potentiam intellectiuam, in qua recipitur, & cum qua concurrit concursus; ergo habitus supernaturalis ad supernaturalem actum tantùm formaliter est supernaturalis, & propter supernaturalitatem actus requisitus, hæc enim ab intellectu nequit oriri, cùm sit naturalis potentia. Plura de hoc dicere, non est præsentis instituti.

Sed quæres ad quid sit necessarius habitus supernaturalis in opinione eorum, qui ponunt aliquos habitus supernaturales quoad substantiam, & tamen ponunt naturales actus quoad substantiam; in hac enim opinione non potest dici habitum concurrere ab supernaturalitatem actua, quia ille est naturalis, neque concurrere potest ad intellectionem, v.g. neque concursu obiecti: ex dictis ergo nullum habet concursum in ea opinione. Respondeo illam semper mihi visam esse falsam, & hoc esse contra illam satis efficax argumentum.

De habitu verò acquisito, oportet explicare, an concurrat concursu vitali, vt perfectius intelligamus, intellectum distingui à potentia vitali, nec posse dici potentiam vitalem; variis ergo modis potest hoc explicari iuxta diuersas sententias de munere habituum, de quibus diximus 3. *de anima disp. de natura habituum*; sed breuiter est hoc explicandum, secundùm nostram sententiam, quam eo loco probauimus, vbi docuimus habitum acquisitum etiam concurrere ad substantiam actus, & esse instrumentum potentiæ, & concurrere ex parte potentiæ, & non ex parte obiecti, secus quàm species impressa. Secundùm hanc ergo doctrinam dico, habitum acquisitum concursu potentiæ agere, qui illi vt instrumento communicatur. Probatur, quia non concurrit concursu speciei, vt citato loco probaui; ergo potentia. Consequentia est euidens, & declaratur, quia in cognitione intellectus, totum quod est necessarium ad intellectionem, oritur ex concursu debito intellectui; quod verò requiritur ad intellectionem, secundùm quod est huius obiecti, oritur ab specie: ergo si non communicatur habitui, formaliter loquendo, concursus speciei necesse est communicetur illi concursu potentiæ.

Sed quæres ex qua ratione constet, agere concursu potentiæ, & non speciei. Respondeo primò, hoc constare posse ex eo quòd habitus sit in potentia, in qua tamen species non est; ergo habitus vt sic, non agit concursu speciei.

Dices, licèt in potentia appetitiua non sint species, tamen à multis ponitur cognitio concurrens efficienter cum appetitu ad actum appetitus, & cum illo poterit habitus illius appetitus concurrere concursu obiecti. Respondeo illam opinionem esse falsam, & à nobis reiectam *in lib. de anima*, & certè, cùm habitus & species sint instrumenta, potius habitus ponitur instrumentum vitalis potentiæ, quàm alterius instrumenti. Addo à multis Theologis poni in intellectu Beati habitum luminis gloriæ, qui tamen putant speciem impressam Dei non esse possibilem, vel non dari de facto: & quidquid sit de hoc quod est alterius loci, dico, habitum acquisitum non esse potentiam vitalem, quia si agit concursu speciei, ille formaliter non est vitalis, vt dixi; si verò agit concursu potentiæ, agit vt instrumentum potentiæ vitalis, non vt potentia vitalis. Ex his sequitur, quòd etiamsi aliquis velit ponere in Angelis habitus naturales, ortos ab essentia illorum, sicut nonnulli ponunt species, tamen illi habitus non essent potentiæ vitales.

Ex his constat non quodcunque principium intrinsecum inhærens operanti esse potentiam vitalem, sed illud, quod sequitur vitam substantialem vt talem, sicut propria passio actiua erit potentia vitalis: an verò omnis potentia actiua propria passio vt sic, sit potentia vitalis, dubium esse potest. Ratio dubij est, quia intellectus agens non videtur potentia vitalis, si à possibili distinguitur, quia non videtur habere alium actum, nisi productionem speciei intelligibilis, quæ non videtur vitalis: ipsa ergo potentia non erit vitalis. Sed hæc difficultas non habet locum, si intellectus agens ponatur idem realiter cum possibi, tunc enim potentia illa vitalis habet actum vitalem.

Verùm quia D. Thomas, & propterea alij Theologi distinguunt realiter potentias has inter se, oportet videamus, an intellectus agens sit ponendus vt potentia actiua vitalis; hoc verò ex eo pendet quoad nos, an speciei productio sit actio vitalis, intellectus enim agens vt sic, solùm habet hunc actum, vt docui in libro de anima, quòd si talis actus non est vitalis, potentia non potest esse vitalis. Hoc dubium tractaui in libro de anima, *disp. 8. quæst. vlt.* de quo neque vestigium est apud autores.

Primus modus dicendi esse potest, productionem hanc vitalem non esse: & probari potest primò, quia Aristotel. numerans gradus vitæ, hanc productionem non refert, neque autores explicantes Aristotelis locum. Secundò, quia species intelligibilis non est vitalis; ergo vitalitas ex actione debet peti, non ex termino. Antecedens est certum, vt ex supradictis constare potest; consequentia verò est euidens, & tunc est ratio probans, actionem non esse vitalem, tum quia non potest cum fundamento explicari, in quo consistat vitalitas actionis: si verò dicas vitalitatem consistere in hoc quod est produci à potentia vitali, videtur hoc petitio principij; hoc enim quærimus, an hæc potentia vitalis sit: si verò dicas, ex eo colligi, hanc productionem esse vitalem, quia pendet ex actuali cognitione phantasiæ, contrà est, quia etiam species sensus interni impressa, & habitus intellectus pendent in fieri ab actuali cognitione, & tamen sine controuersia certum est non esse actiones vitales, quibus producuntur habitus, vel species impressæ internæ, neque enim habent causam efficientem potentiam vitalem; & declarari ampliùs potest, quia species sensuum externorum fiunt ab obiectis actione non vitali, imò eodem modo fieri possunt quæcunque species impressæ à Deo; ergo,

ergo, etiamsi fiant ab intellectu agente, non fiunt A actione vitali; hunc modum non inuenio apud autores expressum, scio tamen placere viris doctis huius ætatis,& in libro de anima illum sequutus sum, vt probabiliorem.

Secundus alius modus est, actionem hanc intellectus agentis esse vitalem. Probatur, quia hæc potentia est propria vitæ substantialis, vt vita est; ergo est potentia vitalis. nam, quantum ex aliis potentiis licet colligere, hoc videtur dicendum, nam anima vegetatiua habet solùm potentias vegetatiuas, proprias illius, nullámque habet quæ non sit vitalis, & sensitiua; similiter ergo rationalis nullam habet propriam, secundùm gradus, quæ non sit vitalis, & B formæ inanimatorum potentias habent sibi proportionatas; ergo.

Sed dices, argumentum non esse bonum, quia anima sensitiua non habet potentiam, quæ non sentiat,&tamen concedendum est, animam rationalem habere potentiam aliquam, quæ non cognoscat, secundùm opinionem asserentium distingui intellectum agentem à possibili. Respondeo falsum esse quod dicitur, quia appetitus non est potentia cognoscitiua, & quamuis verum esset, tamen negari non posset, quin illa potentia sit propria vitæ; ergo etiamsi ponatur cognoscitiua, propter speciale munus, quod exercet, tamen si potest poni vitalis, non est cur excludatur à tali ratione, cùm sit propria vitæ vt sic; & tamen hæc obiectio nullam C vim habet in opinione asserentium non distingui à possibili.

Secundò declarari potest ex eo quòd ad rationem potentiæ vitalis non requiritur, terminum esse vitalem, vt manifestè constat in vbi, & quantitate, & tamen ad quantitatem, & vbi potest esse vitalis actio à potentia vitali orta.

Tertiò declaratur, quia sicut intelligi non potest, actum secundum non esse vitalem, quando oritur à potentia vitali vt sic, quia actus secundus proportionatur actui primo; ita intelligi non potest, potentiam non esse vitalem si oritur ab anima, secundùm gradum vitæ substantialis vt sic, quia hæc proportionatur gradui à quo oritur, sicut actus secun- D dus actui primo, & hæc sententia mihi videtur probabilior, propter sua fundamenta; & ideo simpliciter dicendum est, omnem potentiam propriam vitæ vt sic, esse potentiam vitalem; actus verò, qui fit à potentia vitali vt sic, vitalis actus est, quæ ex dictis constat; & D.Thomas nunc facilè intelligitur, cùm *1.p.quæst.18.art.2.ad2.* dicit, Opera vitæ sunt, quorum principia sunt in operantibus, vt seipsos inducant in tales operationes.

Oportet vt soluamus argumenta oppositæ sententiæ: & pro solutione primi, notandum est, Aristotelem *2. de anima, textu* 13. diuisione quadam explicasse opera vitæ, dicens, ea esse, intelligere, moueri secundùm locum, alimento vti, & sentire, quo in lo- E co non numerat Aristoteles appetitionem quæ est opus vitæ, sed supponit illam, vt docent eo loco interpretes, & sine difficultate recipiunt omnes hanc doctrinam. Hoc supposito respondeo, quòd licèt Aristoteles non numeret eo loco actionem intellectus agentis expressè, & formaliter, tamen vel illam comprehendit nomine intellectionis, quia est actio ad intellectionem ordinata, vel supponit illam donec hoc libro ostendat esse necessarium intellectum agentem, qui sit potentia animæ.

Ad secundum respondeo, ex eo colligi, satis philosophicè loqui, actionem hanc esse vitalem, quia est à potentia vitali, vt sic: potentiam verò esse vitalem, colligimus ex eo quod est propria vitæ vt talis est in suo gradu.

Sed obucies, actionem intellectus agentis, si ille distinguitur à possibili, non esse immanentem. Respondetur hoc verum esse, quia producitur species in alia potentia, & non in eà à qua fit, tamen hoc non tollit quin potentia possit esse vitalis, vt constat in motiua, & nutritiua.

Ex dictis in hac dispu. facilè potest intelligi,

Primò quomodo in Deo sit vita substantialis, quæ est essentia diuina.

Secundò intelligitur, quomodo productiones notionales sint actus vitales in Deo.

Tertiò de intellectione essentiali in ipso Deo varius esse potest modus explicandi vitalitatem illius; nam aliqui putant, intellectionem istam esse constitutiuam essentiæ diuinæ; secundùm quam opinionem exit aliquid vitale tamquam prædicatum essentiæ vitalis. Si verò ponatur hæc intellectio tamquam ratione distincta ab essentia Dei, erit vitalis; sicut in creatis, intellectio animæ, vel Angeli dicitur vitalis.

Illud est notandum, aliquot recentiores asserere intellectionem essentialem in Deo virtualiter procedere ab essentia diuina. Qui modus loquendi de processione virtuali vehementer displicet sapientissimis huius temporis. neque aliquis ex antiquis illo vsus est; & in re tam graui modus loquendi vel ineptus est, vel parere potest errorem.

Pro hac materia de vita Dei legatur S.Thom. *1.p.quæst.18.*

DISPVTATIO XIV.

THEOLOGICA.

DVBIVM I.

Quid sit debitum contrahendi peccatum originale.

IN hac materia Doctores aliquando appellant debitum, aliquando obligationem, aliquando necessitatem, seu dignitatem; interdum dicunt, personam esse subiectam peccato contrahendo, vel obnoxiam peccato originali, ita potest colligi ex P. Vazquez *tomo 2. in 3. partem, disp.116.cap.4 in fine, & toto cap.5.* & P. Suarez *tomo 2. in 3.partem.disp.3.sect.4.* dixit, esse obnoxium peccato originali, solùm esse necessitatem causatam ad influendum originale peccatum, si non impediatur, & concedit esse simul cum gratia in primo instanti conceptionis & P. Vazquez *cap. illo 4.num.45.* dicit, personam aliquam esse obnoxiam peccato originali contrahendo, nihil aliud esse quàm ipsam comprehensam esse sub dignitate, & merito peccati primi Parentis, vt propter illud dignè priuari possit iustitia originali. Aliqui videntur sentire debitum hoc esse destinationem, & ordinationem diuinæ voluntatis, ad contrahendum peccatum originale, sicut de ordinatione ad peccatum aliqui philosophantur.

Tertia opinio est aliorum, qui, vt explicent quid sit debitum, vtuntur distinctione, & docent debitum esse duplex, alterum remotum, alterum proximum; proximum appellant, quod oritur ex pacto, & lege quòd Adamo peccante transfundendum esset originale in posteros, quia ex hoc pacto posteri erant obnoxij peccato contrahendo etiam antequam Adamus peccaret. Remotum dicitur ortum

ex conditione naturæ, nempe quia hoc ipso quòd virtualiter posteri erant contenti in Adamo, erant in potentia vt possent obligari ad contrahendum peccatum Adamo peccante; vnde proximum debitum appellant necessitatem contrahendi peccatum originale ortam ea pacto & peccato Adami, & ita in qualibet persona non est concedenda dignitas aliqua prior ipso debito, sed debitum, vel necessitas oritur ex peccato Adami, supposito pacto, vel lege, & hoc debitum potest esse vel in solo Adamo, vel in propria persona.

Ægidius *lib. 2. de conceptione, quæst. 4. art. 5. §. 5.* ait quòd debitum contrahendi malum nihil est aliud quàm obligatio quædam, ad contrahendam malitiam illius culpæ, quam commisimus in Adamo.

Sed difficultas est, an hoc debitum ita sit propriè debitum, & obligatio, vt solutione, vel remissione dicatur tolli, v.g. an tale debitum dicatur solui per ipsum originale peccatum re ipsa contractum, vel per gratiam infusam.

Aliqui securè supponunt, esse propriè debitum & obligationem soluendi, cui satisfacit per contractionem peccati originalis, & tolli per gratiam. Alij verò censent non dici debitum, ita vt non possit esse cum gratia, & potiùs esse dicendam dignitatem, vel necessitatem contrahendi originale, & certum est his nominibus significari, & aliqui explicant per debitum corruptibilitatis corporis, quæ est necessitas quædam conceptionis, si non impediatur, & dignitas ista peccati Adami oritur, quia ob illud dignè priuatur quis gratia; & iustitiæ originalis soluendi pœnam æternam in inferno, secundùm probabiliorem opinionem, debitum est simul cum solutione: Ita P. Suarez, & Vazquez, quantum ad hoc quod dicunt, solùm esse necessitatem contrahendi originale, & posse esse simul hoc debitum cum gratia in primo instanti; & hæc pars mihi est verisimilior, quæ infrà ampliùs explicabitur, & certè nullum est argumentum, ad probandum prædictam necessitatem esse propriè debitum, & infrà soluemus vnum, vel alterum argumentum quod fieri potest contra nostram doctrinam, & oritur ex falsa vsurpatione nominis debiti propriè sumpti.

Dubium II.

An B. Virgo peccauerit in Adamo.

IN hoc dubio aliqui existimarunt, B. Virginem in Adamo non peccasse, ita sensit Catherinus *opuscul. de peccato originali cap. vlt.* & alij. legatur P. Suarez *tomo 2. in 3. partem, disp. 4. sect. 2.* P. Vazquez *tomo 2. in 3. partem, disp. 115. cap. 1.* Ægidius *de conceptione lib. 2. quæst. 3. art. 1. §. 1.* vbi alios citat, & hac ætate quàm multi ita senserunt, vt hoc modo defendant in Virgine non fuisse debitum contrahendi peccatum originale. Solet verò probari hæc sententia & ex dignitate Virginis, & ex solutione argumentorum, quæ pro contraria parte fieri solent.

Sed contrariam sententiam docuerunt P. Suarez, P. Vazquez, & Ægidius *suprà*, qui alios citat, & sequuntur omnes, qui sentiunt, B. Virginem habuisse peccatum originale: & hæc sententia mihi maximè placet, quam citati Doctores, variis testimoniis Patrum, & Scripturæ probant: quæ tamen aliqua facilitate possent solui à Doctoribus contrariæ sententiæ. legatur P. Vazquez *disp. citata*.

Probanda verò est ea eo quòd testimonia Scripturæ, & Patrum docent Christum fuisse omnium redemptorem, & ita, vel negandum est Virginem
A non fuisse redemptam meritis Christi, vel concedendum est peccasse in Adamo, quia si non peccauit in Adamo; ergo non habuit peccatum originale, neque necessitatem contrahendi illud; ergo non fuit redempta, quia neque liberata à peccato, neque à debito contrahendi illud.

Explicatur, quia si Deus excepit Virginem à lege de transfundendo peccato; ergo etiamsi nasceretur sine peccato originali, tamen non nasceretur cum gratia, ac proinde neque haberet debitum, vel necessitatem contrahendi originale peccatum; ergo ex hac parte non egeret redemptione.

Dicet aliquis, posse redimi, & verè esse redemptam, quia ex meritis Christi fuit excepta, vt non
B comprehendatur in defendentibus Adæ, quantum ad transfusionem iustitiæ, vel peccati; sed hoc etiam sine fundamento dicitur, & non est propriè redemptio, quia tunc non magis diceretur redempta, quàm Angeli, licèt daretur gratia ex meritis Christi, neque video quomodo propriè possit dici esse redemptam, si neque habuit peccatum, neque fuit obnoxia peccato contrahendo; quod fusiùs explicat P. Suarez, P. Vazquez & alij recentiores: mihi satis sit hæc attigisse, & affirmare B. Virginem in Adamo peccasse.

Sed dicet aliquis, testimonia Scripturæ & Patrum, quibus significatur omnes in Adamo peccasse, posse explicari, ita vt excipitur B. Virgo, sicut
C excipitur à contractione peccati originalis. Verùm contra hoc est, quòd si admittatur hæc explicatio, etiam posse dici B. Virginem non fuisse redemptam meritis Christi; quia licèt dicatur Christus redemptor omnium, tamen potest excipi B. Virgo; nullus verò Catholicus audet dicere B. Virginem non fuisse redemptam meritis Christi; id quod vlteriùs infrà explicabitur, vbi assignabimus ordinem decretorum in mente Dei secundùm veriorem doctrinam.

Dubium III.

An B. Virgo habuerit debitum contrahendi peccatum originale.

D

SVprà diximus hoc debitum esse necessitatem quandam contrahendi peccatum originale ex causis quidem præcedentibus si non impedirentur. Aliquorum sententia est, B. Virginem non habuisse debitum contrahendi peccatum originale, & multi recentiores hoc tempore tradiderunt saltem vt probabilem, & isti absolutè negant B. Virginem habuisse debitum aliquod, seu necessitatem contrahendi peccatum originale.

Secunda opinio est eorum, qui solùm videntur concedere in Virgine debitum conditionale, id est, quod haberet, si ea voluntate Dei non exciperetur à lege pro Adamo, & posteris lata, ita videntur senti-
E re multi hoc tempore cum Catherino, & aliis, quos refert Ægidius *lib. 2. de conceptione, quæst. 4 art. 1.*

Tertia opinio aliorum, qui distinguunt de debito proximo, & remoto, iuxta supradicta, & negant proximum, concedunt tamen remotum.

Quarta aliorum qui clariùs docent, B. Virginem in se non habuisse debitum, bene tamen in Adamo, quod ex dictis intelligetur.

Quinta opinio est aliorum, qui in ipsa Virgine admittunt debitum, & necessitatem contrahendi peccatum originale.

Sed dicendum est primò, primam opinionem admittendam non esse, quia, vt diximus, B. Virgo peccauit in Adamo, & ideo negari non potest habuisse aliquod

aliquod debitum contrahendi peccatum originale, si non impediretur traductio peccati.

Secunda etiam opinio reiicienda est, propter rationem suprà factam, quia si illa esset vera, non posset reipsa B. Virgo dici redempta ex meritis Christi.

Tertia, & quarta opinio, si admittant B. Virginem verè peccasse in Adamo, & ratione illius debitum, & necessitatem habuisse contrahendi peccatum originale, falsæ sunt, non tamen ita improbabiles sicut priores.

Explicandum ergo est, an B. Virgo in propria persona habuerit debitum contrahendi originale peccatum.

Prima opinio negat, ita Ægidius *suprà quæst.* 4. §. 5. *num* 78. & sequuntur alij, qui absolutè negant, Virginem contraxisse necessitatem, & debitum incurrendi peccatum originale, cuius argumenta infrà adducam.

Alij tamen etiam docent, B. Virginem in propria persona contraxisse prædictum debitum, P. Suarez *suprà disp.* 3 *sect.* 4 §. 2. *col.* 33. Hanc etiam sententiam amplectitur Bellarminus *tomo* 3. *lib.* 4. *de amissione gratiæ*, *cap* 10. *pag.* 330. P. Vazquez *suprà cap.* 5. Coruba *lib.* 1. *quæst.* 44. P. Valentia *tomo* 4. *disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 1. *pag.* 418. multique alij huius ætatis, & hæc sententia mihi semper placuit; & explicari simul, & probari etiam potest, quia hoc debitum, vt suprà diximus, non est aliud quàm quædam necessitas contrahendi originale peccatum, ex causis præcedentibus, si non impedirentur, vnde non habet hoc debitum contrarietatem cum gratia in primo instanti conceptionis, vt bene explicuerunt P. Vazquez, & P. Suarez.

Vnde manifestè fallitur Ægidius *num. illo* 78. dum securè supponit hoc debitum esse talis naturæ, vt per contractionem peccati originalis tanquam solutionem, vel per gratiam sanctificantem, tanquam per remissionem, auferatur: & tamen non probat tale esse hoc debitum; & citati Patres docent nihil aliud esse quàm necessitatem contrahendi peccatum originale, ex causis præcedentibus: & ita P. Suarez expressè censet hoc debitum fuisse in Virgine in primo instanti conceptionis simul cum gratia.

Aduertendum autem est hoc loco, Ægidium *num. illo* 78. asserere, Patrem Vasquez Bellomontanum ignorasse naturam huius debiti, quæ verba vix credam scripta esse ab Ægidio, viro religioso, & modesto, sed potiùs supposita ab aliquo iuniore ignoranti, & temerario.

Et sanè P. Vasquez optimè agnouit naturam huius debiti, & quantum ad hoc quòd hoc debitum fuerit in Virgine suo primo instanti conceptionis simul cum gratia, idem docuit P. Suarez *loco cit.* multique alij recentiores doctissimi, quos pseudo-Ægidius venerari deberet.

Et ex hac doctrina potest solui prima obiectio, & argumentum, quod fieri solet ad probandum B. Virginem in propria persona non habuisse debitum. quod argumentum fit hac ratione: Debitum extinguitur per liberalem remissionem, vt constat; ergo in primo instanti conceptionis per gratiam sanctificantem Virgini infusam remissum est hoc debitum: propter hoc argumentum aliqui docuerunt, vt dixi, Virginem non habuisse debitum in propria persona, licèt habuerit in Adamo, quia in illo peccauit.

Sed isti Doctores non probant hoc debitum ita esse debitum, vt per gratiam infusam Virgini remissum sit, & nos iam diximus, solùm esse necessitatem contrahendi peccatum, ex causis præcedentibus: & explicari potest, quia ex opinione multorum potest alicui remitti pœna debita propter peccatum, non remissa dignitate pœnæ, quæ dicitur debitum pœnæ contrahendæ; & in physicis debitum corruptionis, quod corpus est obnoxium corruptioni, non aufertur, etiamsi ex dono superaddito liberetur corpus à corruptione actuali.

Dicet aliquis, per gratiam infusam in primo instanti conceptionis impeditur peccatum originale; ergo impeditur, & extinguitur debitum. Respondetur, falsum esse consequens. nam debitum quod in præsenti solùm significat necessitatem contrahendi peccatum originale, non extinguitur.

Dices, necessitas contrahendi peccatum originale cessat impedito originali peccato. Respondetur negando assumptum, quia potest esse necessitas ex parte causarum, licèt impediatur per potentiam superiorem effectus, id est, peccatum sequuturum. Explicatur, quia necessitas effectus naturalis sequuturi, v.g. ignis, potest existere simul cum impedimento effectus, & tamen dicere possumus, debitum est igni calorem producere, quod debitum non aufertur ex eo solùm quòd impediatur effectus; & in causa naturali habitus recipiendi formam, & necessitas illius non extinguitur per infusionem formæ.

Secunda obiectio principalis contra nostram sententiam solet fieri, ex eo quòd debitum contrahendi maculam peccati non est in propria persona simul cum ipsa macula actualiter contracta, quia debitum est obligatio aliquid soluendi; ergo debitum contrahendi malum soluitur, & extinguitur ipsa contractione maculæ actualis.

Sed hæc obiectio etiam oritur ex falso fundamento, & iudicio de natura debiti contrahendi originale peccatum, quod est necessitas contrahendi maculam, ex causis præcedentibus: & explicatur, quia debitum recipiendi formam, est simul cum forma in naturalibus, & in moralibus debitum soluendi pœnam æternam est simul cum ipsa impletione pœnæ.

Tertiò potest obiici, quòd debitum in primo instanti conceptionis, licèt dicatur esse prius natura, quàm iustificatio, tamen non potuit esse simul tempore illo instanti naturæ; sicut in physicis non possunt esse prima contraria in eodem instanti cum priuatione, licèt dicta priuatio esset prius secundùm naturam.

Sed hæc Philosophia non habet verum in præsenti, quia supponit falsum, nempe debitum, & gratiam esse contraria; sicut sunt debitum, & remissio illius, quando sermo occurrit de debito propriè sumpto, quod hîc non contingit; similia non pauca arguunt recentiores, quæ manifestè supponunt, debitum, & gratiam esse opposita, quod à nobis negatum est, neque ab illis probatur.

Deinde adducuntur à recentioribus plura testimonia Patrum, ad probandum, B. Virginem in propria persona non habuisse debitum; quæ refert Ægidius *suprà* §. 8. quæ tamen parui momenti sunt; & explicatur etiam ab his, qui putant B. Virginem habuisse peccatum originale; & multo faciliùs explicari possunt secundùm nostram sententiam, quia prædictum debitum non est peccatum, neque macula peccati, & tamen testimonia illa præcipuè indicant sanctitatem, & munditiam Virginis, ex hoc malitiam actualis peccati intelligunt non pauci; legatur Hedulius *lib.* 2. *operis possibilis*. S. Ildefonsus *lib.* 2. *de perpetua Virginitate*, Gilbertus Corrozensis, in salutationem Angelicam, Petrus Damianus *de assumptione Virginis*. Anselm. *de excellentia B. Virginis*, Bonauent.

Bonauent. *in Psalm.* 101. Innocentius *sermone de natiuitate*, Damascenus *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 2. Pseudo-Cyprianus *serm. de Christi natiuitate*, Ambrosius *serm.* 22. *in Psalmum* 118. Hieronymus *in cap.* 10. *Ecclesiastes*, Sophronius *sermone de assumptione*, Hesichius *concione* 2. *de B. Virgine*, Augustinus *de natura*, *& gratia cap.* 36.

Deinde hinc patet nonnullos vti aliquibus argumentis, contra asserentes B. Virginem non habuisse debitum in propria persona; quæ tamen absolutè vim non habent, si quis concedat B. Virginem verè in Adamo peccasse, & habuisse debitum in illo contrahendi peccatum originale.

Vnum est, si B. Virgo non habuit debitum in propria persona; ergo non est redempta per Christum, quia neque à debito, neque à peccato originali liberata est. Hoc argumentum potest sumi ex Ægidio *tract. de Conceptione*. Sed facilem habet solutionem, si quis concedat B. Virginem in Adamo peccasse, & contraxisse in illo debitum contrahendi maculam originalem; secus tamen esset, si dicat quis, Virginem non peccasse in Adamo.

Secundò solent arguere aliqui, quia si B. Virgo non habuit debitum in propria persona; ergo non habuit debitum proprium à quo redimatur, & ita persona illius propriè non redimeretur, quod dici non posset sine errore. Sed ad hoc fusè respondent, qui putant Virginem in propria persona non habuisse debitum, & dicunt verè fuisse redemptam in propria persona, quia peccauit in Adamo, quod non impeditur ex hoc quòd alij etiam in eo peccauerint. legatur Ægidius *art. citato*, *num.* 65. & certè ratione peccati in Adamo contraheret peccatum in propria persona, si non impediretur per gratiam.

Alia argumenta adducit contra suam opinionem Ægidius, licèt illa soluat, in quorum solutionem supponit falsam doctrinam, nempe debitum contrahendi maculam originalem, non posse esse simul cum gratia sanctificante in primo instanti conceptionis, quòd suprà refutauimus. Nonnulla alia habet Ægidius, quæ ex dictis facilè possunt refutari.

Dvbivm IV.

An mereatur censuram opinio asserentium, Virginem non contraxisse debitum peccati originalis.

IN hac quæstione grauissimi Theologi erroneam appellant sententiam asserentium, Virginem non contraxisse debitum peccati originalis. P. Vazquez *tomo* 2. *in tertiam partem disp. illa* 115. *cap.* 3. sententiam Catherini errorem appellat. Bellarminus docet non esse tutam *lib.* 4. *de amissione gratiæ c.* 16. legatur Ægidius *art. illo* 7. *num.* 15. & *num.* 16. docet sine errore non posse defendi.

Alij putant esse hæreticam, vt refert P. Suarez *tom* 2. *in* 3. *partem*, *disp.* 3. *sect.* 4. vbi ipse P. Suarez dixerat esse temerariam; & asserere Virginem in Adamo non peccasse defendi non posse sine periculo, docuit Ægidius *quæst. illa* 4. *citata art.* 7. §. 2.

Non desunt tamen hoc tempore, qui dicant, sententiam asserentium Virginem in Adamo non peccasse, non esse propositionem dignam censura; & quidam hoc defendunt, quia putant quòd Virgo nullum habuit debitum.

Alij, qui putant saltim esse opinionem probabilem, eo quòd multi eam defendunt hoc tempore. legatur Ægidius *suprà à n.* 10. qui alios citat; & aliqui Doctores, & Magistri in Academia Complutensi ante aliquot annos, quibus ego nolui subscribere. A

Sed licèt graues Theologi velint defendere prædictam opinionem, vel à censura liberare; tamen non intelligo quomodo explicent B. Virginem fuisse redemptam, si in Adamo non peccauit, censura verè graui dignum est asserere Virginem non fuisse propriè redemptam.

Aliqui licèt velint B. Virginem non peccasse in Adamo, neque habuisse necessitatem contrahendi peccatum, fuisse tamen propriè redemptam, quia ex conditione naturæ caderet in peccatum, nisi exciperetur à lege vniuersali. hanc solutionem refutat Ægidius *suprà à num.* 21. & nos infrà refutabimus. B

Interim non videtur cum proprietate explicari redemptionem, si neque habuit peccatum, nec debitum peccati contrahendi: & aliàs non magis diceretur redempta quàm Angelus, qui tamen per gratiam præseruatus est, ne caderet in peccatum. Deinde si B. Virgo excepta est à lege Adami, & in posterum de contrahendo peccato originali; ergo non eguit gratia vt præseruetur ab illo peccato contrahendo; de hoc argumento legi potest Ægidius *suprà à num.* 17.

Mihi placet posse prædictam sententiam excusari à censura, solùm propter autoritatem suprà scriptorum Doctorum, qui hoc tempore in Hispanis illam docuerunt vt veram, vel iudicant probabilem, inter quos fuerunt doctissimi quidam nostræ Societatis. C

Dvbivm V.

Quomodo sit philosophandum secundùm nostra principia in hac materia.

BReuiter dicam quod sentio: &

Primò existimo vix posse defendi, Virginem non habuisse debitum, secundùm opinionem asserentium, Incarnationem prædestinatam post præuisum originale peccatum. D

Secondò existimo ad defendendam opinionem prædictam, necessarium esse dicere, Incarnationem prædestinatam ante præuisionem peccati.

Tertiò existimo, necessarium esse dicere, Christum etiam vt redemptorem prædestinatum ante peccatum, vt de hac re loquens P. Suarez 1. 2. disputans de peccato originali; quæ tamen mihi non probatur, & 3. *parte ad quæst.* 1. docuit, esse Christum prædestinatum post præuisum peccatum.

Quartò existimo, non posse absolutè negari, Virginem habuisse aliquod debitum, vel proximum, vel remotum.

Quintò censeo, eodem sensu concedendum esse B. Virginem aliquo modo esse redemptam. E

Sextò dico, B. Virginem in Adamo peccasse, & ideo secundùm nostram doctrinã habuisse proprium debitum contrahendi peccatum originale, à quo præseruata est per merita & sanguinem Christi.

Septimò, pro disputatione ista obseruanda est doctrina à nobis tradita *opusculo de voluntate Dei*, circa ordinem decretorum diuinæ voluntatis.

Et ex his principiis probanda est nostra sententia, & ex iis quæ attulimus ad probandum Virginem peccasse in Adamo: item, quia Doctores negantes debitum, vix habent idoneum aliquod fundamentum ad probandum quod affirmant, & quæ docent de ordine prædestinationis Virginis.

Item

Item secundùm nostram doctrinam suprà traditam concedendum est debitum in ipsa persona Virginis, & vt aliqui non improbabiliter defendunt oppositam, scilicet Virginem in propria persona non contraxisse debitum, concedunt tamen propriè in Adamo peccasse, & ex illo pacto habuisse necessitatem contrahendi originale, si non impediretur per gratiam, de quo suprà.

Sed recentiores vt probent, B. Virginem non habuisse debitum vllum, neque in Adamo peccasse, multa testimonia Scripturæ colligunt, quæ refert Ægidius *suprà art. 7. à §. 4.* sed leuis momenti sunt, & similia soluuntur ab his, qui defendunt B. Virginem habuisse peccatum originale, & pro præsenti instituto satis sit nullum ex Patribus explicare ea testimonia, vel similia, ita vt velint B. Virginem nullum habuisse debitum.

Deinde *à num. 66.* refert Ægidius rationes aliquas, quibus recentiores contendunt, B. Virginem non peccasse in Adamo, quæ parum habent efficacitatis.

Prima est, quia vt quis contrahat peccatum originale, vel debitum illius, non satis est, esse in Adamo tanquam in capite purè naturali, sed necessarium est vt sit in illo tanquam in capite morali, cum quo facta sit lex, vel pactum, de transfundenda iustitia, vel peccato originali; ergo si Virgo exeipiatur ab hac lege, non peccauit in Adamo, neque fuit obnoxia peccato. Respondetur, falsum supponi sine fundamento de exceptione B. Virginis à prædicta lege; imò doctrina hæc parum est consentanea Scripturæ, propter supradicta de redemptione B. Virginis.

Item arguunt aliqui, ex dignitate matris Christi, cui erat puritas tanta, vt etiam à peccato contrahendo, & debito fuerit libera. Respondetur hoc non posse coniungi cum his, quæ de redemptione Christi docent Patres, & secundùm nostram doctrinam non potest dici supposita prædestinatione Incarnationis post præuisum peccatum, quæ est doctrina magis consentanea Patribus.

Aliæ rationes adducuntur, quæ potiùs sunt congruentiæ quædam, & simul constare non possunt cum vera doctrina à nobis tradita.

DVBIVM VI.

An post iustificationem manserit in B. Virgine debitum peccati originalis.

Hanc rem expressiùs, & exactiùs disputat P. Vazquez *suprà disp. 116. cap. 5.* & qui putant debitum contrahendi peccati non posse esse simul cum gratia sanctificante, & ideo in eo instanti conceptionis non fuisse in Virgine, quia in illo fuit sanè sanctificata, etiam sentiunt post iustificationem non mansisse: ita philosophatur Ægidius iuxta sua principia suprà relata.

Alij etiam concedunt, non posse esse hoc debitum simul cum sanctitate in primo instanti conceptionis, non tamen post illud, & probari potest, quia hoc debitum est contrahendi peccatum, & tamen per sanctitatem iam est remissum peccatum: & probatur, quia per tale debitum redditur homo dignus qui contrahat peccatum originale; ergo hoc ipso quòd sanctificatur tollitur ea dignitas; ergo neque in primo instanti, neque post illud potest esse cum sanctitate, neque videtur maior ratio, ob quam non possit esse in primo instanti, & non post illud, vel econtrario.

Aliorum sententia est, posse hoc debitum esse simul cum sanctitate in primo instanti conceptionis, non tamen post illud, quia causæ ex quibus oritur peccatum originale, solùm sunt ordinatæ ad influendum pro primo instanti conceptionis, in quo contrahitur originale, vel contrahendum erat si non impediretur; post iustificationem verò iam sunt res mutatæ, & est alius status. ita P. Suarez *tom. 2. in 3. partem, disp. 3. sect. 4. in fine.*

Sed P. Vazquez *c. illo 5.* censet hoc debitum mansisse in Virgine, etiam post iustificationem, quia causæ ex se semper reddent Virginem obnoxiam illi peccato, ex natura & origine, quæ comprehenderunt in Adamo, & explicatur, quia corpus gloriosum ex se semper manet obnoxium corruptioni, licèt non corrumpatur: & explicari potest, quia hoc debitum, vt suprà diximus, nihil est aliud, quàm necessitas contrahendi peccatum, ex causis præcedentibus; & hæc eadem videtur pro primo instanti, & reliquo tempore.

Dices, prædictas causas solùm fuisse ordinatas ad eum effectum, pro primo instanti conceptionis; non tamen pro reliquo, supposita sanctificatione. Sed huius non videtur assignari ratio sufficiens, & causæ per se aptæ erant ad transfundendum peccatum per multum tempus, si non impediretur, & sicut in primo instanti, ita & in reliquo tempore potest.

Et instificatio qua impeditur peccatum, & positis causis, & origine, ex natura rei sequitur debitum, siue pro instanti, siue pro tempore sequatur, si non impediretur peccatum; & est probabilissima hæc sententia.

Nihilominus distinguere possumus de debito contrahendi peccatum originale, proximo, vel remoto; & primo instanti est proximum, sed post iustificationem pro alio tempore est remotum. Explicatur, quia semel facta iustificatione, non censetur necessitas incurrendi originale.

Proxima declaratur, quia si iustificatio fiat per propriam dispositionem, impossibile est iterum contrahere peccatum originale, quia persona manet sancta ex ordine ad actum, qui auferri nequit; si verò sit iustificata per gratiam habitualem solùm, sicut fit in Baptismo paruulorum, ex natura rerum, & de potentia ordinaria, non auferretur gratia ex sola voluntate Dei, & ita non manet status contrahendi peccatum originale, & ideo etiam dicere posset quis, post iustificationem manere debitum materialiter, non formaliter; licèt concedamus considerata natura hominis, supposito peccato primi parentis, ex se manere debitum contrahendi peccatum originale, si non impediatur; ex quo solui possunt, quæ attulimus pro sententia P. Vazquez, Neque est eadem ratio de debito corruptionis corporis, quia hoc debitum totum est physicum, neque dicit ordinem ad aliquid morale, sicut in debito de quo modò agimus.

Notandum verò est, Ægidium, & quosdam alios nonnulla obiicere contra doctrinam P. Vazquez, quæ tamen parui momenti sunt, & ex dictis facilè solui possunt. Et aliqua adducuntur ad probandum sanctitatem pugnare simul cum debito contrahendi peccatum, de quo suprà diximus.

Alij alia tradunt ad probandum B. Virginem in propria persona non contraxisse debitum, quod à nobis explicatum est in præcedentibus.

DVBIVM

Dubium VII.

An si B. Virgo habuisset peccatum originale, Christus ex illa nascens illud contraheret.

NOo defuit ante paucos annos temerarius quidam, & audax concionator, qui in concionibus typis mandatis dixit, quòd si B. Virgo habuisset peccatum originale, filius eius fuisset in proximo periculo illud contrahendi,& pro suo errore citabat vnum, vel alterum interpretem circa illud Lucæ, *quod enim ex te nascetur sanctum*; legatur Toletus *in eum locum.*

Sed hoc placitum vehementer displicet viris doctis huius ætatis, & propositio est digna grauissima censura. Et dicendum est, quòd licet B. Virgo habuisset peccatum originale, nullo modo Christus ex illa nascens illud contraheret: & probari potest, quia pactum de transfusione peccati originalis, solùm fuit de illis posteris Adæ, qui per modum communem generationis ex fœmina nasceretur: Christus autem fuit conceptus de Spiritu sancto sine opera viri; ergo nullo modo potuit contrahere peccatum originale. quæ ratio etiam probat Christum non habuisse debitum contrahendi peccatum originale.

Deinde, vt diximus in materia de Incarnatione, & multis aliis locis, humanitas Christi, ex doctrina Patrum, sanctificabatur diuinitate; ergo non potuit vllo modo esse in periculo proximo contrahendi peccatum originale; quòd si nomine periculi proximi velit ille Doctor significare debitum contrahendi, errat, propter rationem factam, quod postea de transfusione iustitiæ originalis, vel priuationis illius, peccante Adamo, solùm intelligebatur de his, qui modo communi ex parentibus nascerentur; & quòd Christus non esset in periculo contrahendi peccatum originale, etiamsi Virgo illud habuisset, docuit multis annis ante illum Doctor Alfonsus Deza, Magister nostræ Societatis, in materia de Incarnatione, primus sacræ Theologiæ Professor in nostro collegio Complutensi, qui S. Thomæ doctrinam mirifice illustrauit, & defendit, eúmque in Hispania per plures annos docuit cum magna nostræ Societatis gloria, & communi vtilitate vniuersitatum.

Testimonium autem quod adduxi pro relato errore, ex quodam interprete super illud Lucæ, *quod enim ex te nascetur sanctum*, nullius est momenti, & solùm significat conueniens fuisse, vt Christus nasceretur ex matre tam sancta, vt etiam non haberet ipsa mater peccatum originale.

Quam doctrinam ego iam olim in nostro collegio Complutensi in solemnibus disputationibus publicè defendebam, cum magno assistentium, & doctissimorum applausu; & ideo meritò in Expurgatorio vltimo sanctæ Inquisitionis prohibitæ sunt, donec expurgentur conciones in quibus prædicta doctrina continebatur, sub nomine Doctoris Gonzalis Sanchez de Luzero.

Dubium VIII.

An peccatum originale possit reuiuiscere per subsequens peccatum.

IN materia de pœnitentia proposui hanc difficultatem, quam antè nullus, quem viderim, attigerat; & recentiores ex illo loco hanc difficultatem desumpseruot.

Prima opinio esse potest eorum, qui putant originale peccatum posse reuiuiscere saltem de potentia absoluta, quia existimant malitiam peccati solùm esse ordinationem ad pœnam, sicut de debito peccati philosophantur.

Scholastici verò communiter, licèt non sentiant in specie de reuiuiscentia peccati originalis, absolutè tamen docent non reuiuiscere de facto, & de omnibus peccatis videntur loqui. Et in schola S. Thomæ etiam est communis opinio non posse reuiuiscere, etiam de potentia absoluta. Et notandum est id quod diximus in materia de pœnitentia, peccatum actuale non reuiuiscere per subsequens peccatum; quia supponimus peccatum non remitti sola voluntate Dei, sed per gratiam intrinsecam inhærentem; & facilè defenditur ex eo quòd debitum absolutè semel dimissum, non potest reuiuiscere, quod etiam verum est, si voluntate sola Dei posset absolutè remitti.

Et eodem modo philosophandum est de peccato originali absolutè remisso, quod etiam de potentia absoluta remissum est, propter rationem factam de debito absolutè remisso.

Contra primam verò opinionem suppono, malitiam peccati originalis esse aliquid distinctum ab ordinatione Dei ad pœnam, de quo in materia de peccatis.

Item suppono, malitiam huius peccati non posse fieri à solo Deo, sicut neque malitiam peccati actualis, & ita sola voluntate Dei non posse repetita natiuitate produci.

Vlteriùs eandem veritatem fusiùs ostendo, quia vel quis iustificatus est ab originali, sola infusione gratiæ habitualis, vel per actualem sanctitatem ex gratia Dei. Si primo modo concessa fuit gratia illa absolutè, non potest iterum reuiuiscere, ob rationem factam, si per propriam dispositionem, & sanctitatem actualem, licet confertetur subiectus gratiæ, de potentia absoluta maneret homo iustus, neque posset de nouo iterum contrahere maculam originalem, quæ solùm oritur ex pactione capitis vt tradidimus in materia de peccato originali. An verò potuerit pactum Dei cum Adamo de transfundenda originali iustitia ita fieri vt semel remisso originali posset iterum reuiuiscere ablatione gratiæ habitualis, iamiam dicemus.

Dubium IX.

An potuerit res ita disponi à Deo, vt remissum peccatum originale iterum veluti reuiuisceret, sola ablatione gratiæ habitualis.

DIximus iam, non posse, etiam de potentia absoluta, reuiuiscere peccatum originale per subsequens peccatum, neque post iustificationem semel factam, ex opere operantis cum auxilio gratiæ.

Modò quærimus, an potuerit ita fieri, & institui lex de danda iustitia originali habituali, vt illa ablata ex sola voluntate Dei, sequeretur vt iterum quasi reuiuisceret originale peccatum.

Et multæ sunt opiniones de essentia peccati originalis, quas retuli in materia de peccato originali, & breuiter attingam.

Vna sit asserentium, peccatum originis esse aliquid reale, nempe qualitatem; quæ sententia admittenda

mittenda non est, & si esset vera, posset aliquis secundùm illam affirmare posse reuiuiscere illam qualitatem ex ordinatione Dei in prædicto casu præsentis dubij, eo quòd illa entitas posset reproduci à Deo; sed, vt dixi, omnino reiicienda est talis doctrina.

Secunda opinio est, peccatum originale solum esse reatum, vel dignitatem pœnæ; & secundùm talem doctrinam posset aliquis affirmare, posse reuiuiscere peccatum originale, sicut pœnæ remissæ solùm sub conditione, & non absolutè; verùm prædicta opinio à nobis refutata est in materia citata.

Item non defuerunt recentiores, qui existimarent, peccatum originale esse modum quendam realem, secundùm quam doctrinam posset aliquis defendere posse reuiuiscere peccatum originale, quia illa entitas posset iterum reproduci: sed doctrina hæc est omnino ab scholis reiicienda.

Alij Doctores existimant, peccatum originale esse priuationem iustitiæ debitæ, vel transfundendæ, si Adamus non peccaret. Non etiam placet, de qua quæstione diximus in materia de peccato originali; & secundùm hanc opinionem P. Vazquez *tomo 2. in tertiam partem. disp. 116. cap. 5.* planè videtur sentire posse reuiuiscere.

Pro cuius explicatione notandum est, post iustitiam, & sanctitatem acceptam ad delendum peccatum originale, posse ex voluntate etiam Dei auferri; & hoc duobus modis: altero quando iustitia solùm fuit habitualis sine propria dispositione, vt quando paruulus ante vsum rationis iustificatur per Baptismum: altero quando iustificatus est ab originali per actum supernaturalem; & in hoc secundo casu docet P. Vazquez, quòd etiamsi ab homine auferretur habitus iustificans, non redderet peccatum, quia iustificatus maneret per ordinem ad actum præteritum; & sic nullo modo posset reuiuiscere peccatum originale.

In priori casu docet P. Vazquez, posset reuiuiscere, si auferretur habitus sanctificans, quia in hoc euentu posset ex ordinatione Dei reuiuiscere priuatio iustitiæ conseruandæ, etiam pro illo instanti temporis, nisi ex voluntate Dei fuisset gratia ablata, quod fieri potuit, propter peccatum primi parentis, si Deus noluisset; in quo casu dicendum esset, in prima sanctificatione, per hanc gratiam, non esse remissum peccatum originale absolutè, sed sub conditione, nisi Deus voluerit ad tempus auferre gratiam. Et hæc doctrina mihi placet, de potentia absoluta, propter rationem factam.

Sed dices, peccatum actuale non potest reuiuiscere, vt diximus suo loco; ergo nec peccatum originale: sed neganda est consequutio, quia peccatum actuale, secundùm nostram sententiam, non potest remitti sub aliqua conditione, sed absolutè: at verò peccatum originale potest remitti sub conditione, modo explicato; qui verò putant, peccatum actuale. posse remitti sub conditione, etiam docent posse reuiuiscere de potentia absoluta.

Addendum est id quod suprà diximus, quòd si peccatum originale semel remittatur absolutè, non poterit reuiuiscere, etiam de potentia absoluta, quia debitum absolutè remissum, nullo modo potest iterata natiuitate renasci.

Vlteriùs notandum est, eum qui iustitiam acceptam amittit per peccati contractionem, non contrahere iterum peccatum originale, quia non contrahit priuationem iustitiæ, vel, quidquid sit, peccatum originale, ex merito peccati Adami, sed vt ponimus per peccatum proprium actionis, vt bene explicuit P. Vazquez *suprà capite citato.*

Illud posset aliquis quærere, an in casu quo reuiuisceret peccatum originale, esset dicendum reuiuiscere eandem priuationem iustitiæ originalis, vel priuationem numero diuersam; & quidem si peccatum originale esset aliquid reale, facilè posset intelligi reuiuiscere idem secundùm rem; sed iam dixi doctrinam illam absurdam esse, & nullo modo admittendam. Item, si esset reatus aliquis, vel denominatio sumpta à peccato Adami, etiam posset intelligi eadem numero moraliter.

In præsenti ergo dubio probabile est, & secundùm rationem, fore in eo euentu eandem priuationem, propter identitatem iustitiæ qua priuaret. Quod quidem in physicis etiam apparet probabile esse, eandem priuationem potentiæ visiuæ in eodem subiecto, quando priuaret eadem potentia visiua.

DVBIVM X.

An B. Virgo viderit in primo instanti conceptionis diuinam essentiam.

HOc tempore communis est Scholasticorum sensus, B. Virginem in statu viatoris vidisse diuinam essentiam clare, & intuitiuè, vt docent interpretes S. Thomæ 1. *parte, ad quæstionem* 12. Sed contrà quammulti, & sequitur Ægidius *lib.* 12. *de beatitudine, articul.* 4. §. 1. qui plures citat: huius autem argumenta, & congruentiæ videri possunt apud Suarez, & alios 1. *parte, ad quæstionem* 12. *citatam.*

Sed quærere posset aliquis hoc loco, quantum certitudinis habeat hæc sententia? Et Doctores communiter supponunt, rem non esse de fide, quia solùm illam tradunt vt piam, & quæ decet dignitatem matris Dei. Item non est tam certa, vt contrarium sit error, quia error est contra conclusionem, euidentem doctrinam, & vera præmissa de fide, & altera euidenti, quæ tamen in hac materia non occurrit.

Solùm potest esse quæstio, an sit temerarium negare prædictam veritatem. Et ratio dubij est, quia hoc tempore est hæc veritas tradita ab omnibus Theologis huius ætatis, propter illustrem matris Dei dignitatem. Ex altera verò parte, hæc opinio quamuis ab omnibus tradatur, tamen solùm traditur vt pia, & probabilis.

Et ideo mihi sanè placet, quod negare prædictum priuilegium B. Virgini, opinio sit improbabilis, negare prædictum debitum Beatissimæ Virgini.

Sed quibus temporibus in statu viæ communicata fuerit visio diuinæ essentiæ B. Virgini, non est satis certum: sicut autem est incertum in qua intensione, & perfectione fuerit hæc visio communicata beatæ Virgini in statu viæ.

Difficultas est an B. Virgo in primo momento conceptionis viderit diuinam essentiam; de hoc dubitauit olim Gerson, & vir doctus huius ætatis affirmauit, propter vnam, vel alteram rationem, vnum, vel aliud testimonium Patris alicuius.

Sed ante hoc tempus vix est inaudita in scholis: & multi existimant habuisse in primo instanti pec-

carum originale, & non habuisse rationis vsum; A alij posuerunt illam in primo instanti iustificatam ex gratia Dei per propriam dispositionem in statu viatoris, & in eo instanti meruisse; de quo legi possunt interpretes S. Thomæ 3. *part.* in materia de iustificatione Virginis, & multis recentioribus vehementer displicet prædicta sententia.

Ego sane existimo primò, nullum esse testimonium Patrum, quod hoc significet, vt constabit legenti autores illius opinionis.

Secundò, non video efficacem rationem pro sententia ista tam noua: & ex his infero

Tertiò, talem opinionem non habere firmum fundamentum. Et quidem in re quæ pendet ex speciali priuilegio Dei, non est loquendum sine grani fundamento autoritatis, vel rationis; & ideo B ego non auderem illam opinionem amplecti.

Aduertendum deinde est, non defuisse plures viros doctos, qui eam opinionem iudicauerint dignam graui censura, saltem temeritatis: sed non desunt viri doctissimi, qui licèt putent falsam eam opinionem, tamen iudicant illam nulla censura dignam.

DVBIVM XI.

In qua perfectione fuerit Virgo, datâ illi visione diuinæ essentiæ in patria.

C

De hac materia agit P. Suarez *tomo* 2. *in tertiam partem*, agens de assumptione Virginis, *sect.* 3. *in fine*, & de intensione gratiæ agit *disputat.* 18. *sectione vltima*, & de vtraque aliquid dicemus.

Et certum est B. Virginem in viæ statu habuisse maiorem gratiam quo ad intensionem, quàm quælibet pura creatura, quam veritatem ex Patribus, & ratione probat P. Suarez *suprà*, & interpretes S. Thomæ 3. *parte*, *ad quæstionem* 27. Vazquez *tomo* 2. *in* 3. *partem*, *disputat.* 121. Difficultas est hoc tempore inter Scholasticos, an haberit B. Virgo in fine vitæ plures gradus gratiæ, quàm omnes Sancti simul. Aliqui absolutè negât, eo quòd non D sit idoneum fundamentum ad id asserendum; alij rem dubiam esse pronunciant.

P. Suarez *disputat. illa* 18. affirmat talem intensionem fuisse in Virgine, & affirmat eo tempore opinionem hanc piam & probabilem iudicatam à multis Scholasticis, qui de hac re interrogari fuerunt, quam variis rationibus pie & doctè explicat; & post illum multi recentiores eam doctrinam sequuti sunt, pro quo etiam referunt testimonia Patrum.

Ego facilè dicam quod sentio: & primò existimo, ex Patribus, vel Scriptura, non posse efficaciter probari prædictam opinionem, quia hæc testimonia presse sumpta solùm significant insignem E gratiæ plenitudinem & perfectionem intensionis infusione, & multo maiorem quàm in aliqua pura creatura.

Secundò ratiocinationes P. Suarez pro ea opinione satis probabiles sunt, & dignitas matris multum fauet vt credamus, eam opinionem esse probabilem, & piam, & ita mihi videtur, & iuxta hanc doctrinam proportione seruata, philosophandum est de intensione beatitudinis essentialis quam habuit B. Virgo; ita vt dicamus maiorem esse intensiuè, quàm omnes gradus beatitudinis omnium Beatorum, etiamsi intelligamus illos omnes in vno intellectu constitutos.

Illud posset aliquis quærere, an B. Virgo in via habuerit plures gradus sanctitatis, quàm habuerunt omnes viatores, etiam qui prædestinati non sunt, de quo citati Theologi non videntur loquuti, sed solùm de gradibus gratiæ prædestinatorum.

Hoc loco placet notare, recentiores aliquos constituere in Virgine, ratione dignitatis matris Dei, gratiam diuersæ speciei à gratia aliorum Sanctorum, quod tamen videtur dici absque idoneo fundamento, & talis gratia incognita est ab Scholasticis.

DISPVTATIO XV.

THEOLOGICA.

De visione corporali, qua B. Virgo poterit videre Christum sub speciebus Eucharistiæ.

DVBIVM I.

An corpus Christi sub speciebus Eucharistiæ posit videri oculis corporis virtute naturali.



Privs agendum est breuiter in genere, quid sit possibile in hac materia, & postea an concessum fuerit aliquod priuilegium B. Virgini. Et primò dicemus de virtute naturali, postea de potentia absoluta, & supernaturali, de quo dixi *in* 2. *de anima*, & postea in materia de Eucharistia.

In hoc dubio aliqui docent, Christum in speciebus Eucharistiæ posse videri oculis corporis, nisi impediatur visio à Deo. ita Maior 4. *disputat.* 10. *quæst.* 3. & probabilem putat Gabriel *lect.* 40. *in canon.* & vt veram sequitur Ochamus 4. *quæst.* 5. & probari solet, quia ibi verè est corpus coloratum & præsens; ergo potest producere speciem coloris, si non impediatur, per talem autem speciem posset videri.

Communis tamen sententia Doctorum, quos infrà citabimus, est, non posse sola virtute naturali videri corpus sub speciebus Eucharistiæ, & dicendum est

Primò, corpus Christi sub speciebus Eucharistiæ virtute naturali non posse videri; & ratio est, quia oculus corporeus non attingit colorem naturaliter, nisi cum certa extensione; & tamen Christus ibi est indiuisibiliter. Ex parte etiam obiecti est repugnantia, quia ex natura rei non producit speciem sui, nisi existat cum modo extensionis.

Secundò dicendum est, virtute naturali non solùm non posse videri colorem secundùm se, sed neque modum perseitatis, quem ibi habet, quia, vt alibi diximus, modus est supernaturalis, quem non potest virtute naturali attingere potentia visiua, & idem est de quolibet alio modo supernaturali, quem ex mente multorum Christus habet ibi simul cum speciebus.

Et ex dictis solui potest argumentum contrariæ sententiæ, dicendum est enim, quòd licèt ibi sit color & præsens, tamen neque habet conditionem vt possit visus illum attingere, neque ipse color

color habet conditionem ad præbendam speciem sola virtute naturali.

DVBIVM II.

An virtute supernaturali possit oculus corporeus videre corpus Christi sub speciebus Eucharistiæ.

IN hoc dubio prima opinio est asserentium, etiam de potentia absoluta non posse oculum corporeum videre corpus Christi sub speciebus Eucharistiæ, ita sentit Richardus 4. *dist.* 10. *artic.* 5. *quæst.* 2. Paludan. *quæst.* 4. *art.* 1. Capreol. *quæst.* 4. *art.* 1. *ad* 6. P. Suarez in materia *de Eucharistia, disput.* 53. *sect.* 4. & olim in Philosophia mihi placuit: & probari solet, quia modus ipse existendi sub speciebus est supernaturalis, & videri non potest oculo corporeo; color verò sine præsentia videri non potest, quia est visio intuitiua, quæ tendit in obiectum vt præsens.

Secundò explicatur, quia visus non potest videre obiectum abstractum à loco; ergo si non potest videre præsentiam, quam habet corpus Christi sub speciebus, non poterit videre colorem.

Tertiò, quia color debet videri vt diuisibilis, vel indiuisibilis, cùm extensione, vel sine illa, & tamen hoc modo dici non potest quòd videatur.

Secunda sententia est asserentium virtute supernaturali oculum corporeum posse videre colorem Christi sub speciebus. S. Thomas *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæstiuncul. vnica, ad* 1. dixit fortè hoc fieri posse, *&* 3. *part. quæst.* 77. *ad* 2. P. Vazquez 3. *parte in citata quæstione S. Thomæ, disp.* 191. qui alios citat, de hac re fusè diximus in materia de Eucharistia; nunc autem breuiter dicendum est, colorem Christi sub speciebus sacramentalibus posse videri oculo corporeo virtute supernaturali, pro quo varias rationes attuli *loco citato.* Mihi verò ex eo probanda videtur, quòd si modus præsentiæ videri potest de potentia absoluta, vt multi putant, facilè intelligitur colorem cum tali modo posse videri, quòd si modus ipse præsentiæ videri non potest, vt docui *loco citato*, non videtur tanta connexio ex natura rei, inter colorem, & præsentiam, vt de potentia absoluta non possit videri color sine illo modo; color enim est obiectum essentiale visus, & modus conditio, quæ non videtur essentialiter necessaria ad visionem; & ex hac doctrina manent solutæ rationes contrariæ opinionis.

DVBIVM III.

An B. Virgo oculis corporeis viderit Christum sub speciebus Eucharistiæ.

DVbium intelligitur iuxta dicta de virtute supernaturali, & ex priuilegio concesso B. Virgini: & qui putant hoc non esse possibile etiam de potentia absoluta, docent hoc non fuisse communicatum Virgini sanctissimæ; sed secundùm opinionem asserentium id fieri posse saltim de potentia absoluta. Alensis 4. *parte, quæst.* 10. *art.* 3. §. 8. expressè dixit hoc fuisse concessum beatissimæ Virgini; quam ego non semel defendi, & viri docti, & fide dignissimi testantur, hoc traditum esse à S. Amedeo in suis reuelationibus, & multi Theologi huius temporis, qui de hac re tractarunt, eam sententiam iudicant esse piam, & probabilem, supposita possibilitate huius rei. Et explicari potest primò, quia hoc

A decet matris dignitatem, propter quam Patres, & Scholastici maiora priuilegia tribuunt beatissimæ Virgini, & maxime hoc erat conueniens ad consolationem Virginis, in eius absentia.

Dices non esse fundamentum ad concedendum hoc priuilegium Virgini sanctissimæ: Respondetur sufficiens fundamentum sumi ex dignitate matris, ex similitudine aliorum priuilegiorum, ex conuenientia ad consolationē Virginis existētis in via.

Dices, sufficiens fuisse si Virgini communicatum fuit priuilegium cognoscendi tale obiectum per scientiam infusam supernaturalem intellectus, neque fuisse necessarium concedere visionem sensitiuam. Respondeo mihi non esse dubium, quin B B. Virgo potuit prædictum obiectum cognoscere per scientiam infusam, & non solùm colorem, sed præsentiam eius, & vnionem cum speciebus Eucharistiæ; sed contendo, fuisse etiam conueniens, vt per oculum corporeum cognitione sensitiua illud obiectum cognosceret, vt omnimodo faueatur à filio sub speciebus Eucharistiæ.

Notandum deinde est, in prædicto euentu visionem sensitiuam produci vel ab ipso Deo cum potentia visiua supplente efficacitatem speciei, vel à potentia, & specie producta à Deo.

Item notandum est, quòd si B. Virgo visione ipsa corporali non attingebat modum præsentiæ corporis Christi, poterat tamen per intellectum C deducere ibi esse præsens, si vera est communis opinio asserentium non posse corpus, vel aliquod accidens corporum sine præsentia aliqua esse in rerum natura.

Controuersia autem posset esse secundùm doctrinam traditam, an prædicta visio esset dicenda intuitiua, vel non, si solùm terminetur ad colorem existentem, non cognito modo præsentiæ: sed quæstio potius videtur de nomine, quàm de re, & intuitiua dici potest, quatenus ad obiectum realiter existens terminatur.

Aliunde etiam existimo Christum existentem sub speciebus, virtute supernaturali posse loqui beatissimæ Virgini, & ipsam vocem productam audire, & D è contrario Christum audire Virginem loquentem, in quo nulla apparet implicatio, si Deus velit conditionem naturalem in causis mutare, quantū ad conditiones agendi, vel recipiendi species sensibiles.

Circa sensum tactus notandum est, quòd ad tangendum corpus Christi nō solùm esset necessarium supplere conditiones requisitas ad naturalem modum tangendi, sed etiam esset necessarium concedere penetrationem manus tangentis cum qualitate specierū; quæ omnia de auditione, & tactu cùm possibilia sint, pium est credere communicata fuisse beatissimæ Virgini à suo dilectissimo filio.

E

DISPVTATIO XVI.

PHILOSOPHICA, partim & THEOLOGICA.

DVBIVM I.

An secundùm legem ordinariam possit voluntas operari sine praeuia cognitione.



HÆc difficultas proponitur ad explicandum quomodo voluntas moueatur ab intellectu. de hac materia legatur P. Salas *in hac* 1. 2. *tractat.* 1. *disput.* 5. *sect.* 1.

Et prima opinio est asserentium, aliquando voluntatem posse operari sine cognitione. eam videtur tradere Bonauentura *in tomo 2. opusculorum, tractatu de mystica Theologia, quæst. vnica*, & autor itinerarij, quod habetur inter opuscula Bonauenturæ in eodem tomo, & sequitur Vbertellensis in paraphrasi principali Dionysij Areopagitæ de mystica Theologia: eandem opinionem docuit Gerson *alphabeto 66. littera O. & tractatu de mystica Theologia*, per duodecim considerationes, quæ habentur *alphabeto 66. litera T.* citat autem Bonauentura pro sua opinione Henricum quendam de Valibiis, & Hugonem de Balia, citatur ab aliis Gregorius *in 2. distinct. 25. quæstione 1.* sine causa tamen.

Hanc verò opinionem diuerso modo explicat Bonauentura, & Gerson: Bonauentura ergo notat duplicem esse vnionem vitæ spiritualis, alteram contemplationis lumine à Deo infuso, alteram affectus qui dicitur ardor amoris. Secundò docet, contemplationem dupliciter à nobis comparari, vno modo ab inferioribus ad superiora, per donum scientiæ; altero modo à superioribus ad inferiora, per donum sapientiæ. Tertiò notat, affectum duobus etiam modis comparari, alter qui dicitur Scholasticus, alter qui dicitur mysticus, & prior est per inquisitionem, alter per flammigeras affectiones aspirat, vt ille loquitur, & inde sequitur vnitiua,& sine cognitione.

Deinde Gerson alio modo suam sententiam explicat *alphabeto 66. litera T. & sequentibus*, distinguit enim amorem in naturalem, & liberum: naturalem appellat, non actum elicitum voluntatis, sed appetitum innatum; liberum appellat omnem actum elicitum voluntatis.

Docet ergo primò amorem naturalem non oriri ex cognitione, quod manifestum est, neque de hoc est quæstio, sed de actu elicito, & de hoc *consideratione 4.* suprà citata docet, posse hominem ferri in Deum absque vlla præuia cognitione. Secundò *consideratione 8.* docet, non posse hominem efficere amorem meritorium, sine cognitione, & hoc sensu intelligendus est *Alphabeto 84. à litera N.* cùm docet sine cognitione non posse voluntatem operari.

Et quòd possit voluntas operari aliquo modo sine cognitione, probat Bonauentura testimoniis Dionysij Areopagitæ, ex *cap. 7. de diuinis nominibus, cap. 1. de mystica Theologia.* Et ratione probari potest, quia non videtur ita essentialis dependentia volitionis à cognitione, vt non possit aliquo modo voluntas gratiâ Dei operari sine cognitione: secunda est qua vtitur Gerson, quia potest Deus conseruare in anima amorem productum ex cognitione, etiamsi non conseruet cognitionem; ergo ex opposito eam volitionem potuit sine cognitione efficere. Tertiò, aliqui viri perfecti, & orationi dediti dicunt se aliquando hoc expertos fuisse.

Communis tamen sententia est, ex natura rei non fieri volitionem aliquam sine cognitione præuia, vt enim supponit S. Thomas in hoc articulo, & interpretes communiter, & ex instituto Dionysius Carthusianus in librum Dionysij Areopagitæ *de mystica Theologia artic. 9.* & fusiùs *lib. de contemplatione, & opusculo de laude vitæ solitariæ, art. 36. & 37.* P. Vazquez *hic disput. 35. cap. 2.* P. Suarez *tomo 2. de religione, lib. 2. de oratione mentali, cap. 12. & 13. & in Metaphysica, disput. 23. sect. 7.* Hæc potest probari primò ex Augustino, quem citabimus dubio

A sequenti: secundò, quia ex natura rei hæc videtur connexio inter appetitum elicitum, & potentiam cognoscentem, vt semper præcedat obiecti cognitio in quod feratur voluntas. Tertiò, quia qui oppositam sententiam sequuntur, docent se experimento posse eam probare; quod facilè possumus impugnare, quia si habent experimentum memoriâ; ergo aliquando cognouerunt se habere actum voluntatis, quia memoria est de obiecto priùs cognito; ergo nunquam habuerunt talem affectum sine cognitione; ergo si meminerunt se amasse Deum, habuerunt cognitionem reflexam de actu amoris, ac proinde de Deo amato; quomodo ergo possunt affirmare se non habuisse co-
B gnitionem directam Dei. Ex quo etiam fit, falsum esse quod docent, cognitionem impedire feruentissimum actum amoris. Quartò, quia aliàs etiam appetitus sensitiuus posset ferri in incognitum, quando intensissimo actu amplectitur suum bonum.

Quintò, quia si hoc modo posset ferri voluntas in incognitum, maximè in ecstasi, & tamen hanc non fieri sine cognitione, docent Augustinus de ecstasi Pauli, in illud Psalm. 67. ibi, *Beniamin.* Idem de ecstasi docuerunt pseudo-Anselmus, & Beda in illud 2. Corinthiorum 5. *siue mente excedimus Deo*, &c. Chrysostomus *homilia 22. in acta Apostolorum*, in illud *cap. 10. mentis excess-*
C *sus*, Hieronymus in prologo in Abacuc, Chrysostomus, & Hieronymus loquuntur de ecstasi Prophetarum.

Notat deinde P. Vasquez, quòd licèt cognitio fidei non ita facilè moueat ad amorem Dei, sicut clara visio, tamen ex gratia Dei assidua exercitatione fieri vt proposito Deo aliquando absque labore discursus moueatur voluntas ad amandum Deum, quæ cognitio solet tribui dono intellectus. Secundò notat, hanc facilitatem posse esse tantam, vt homo videatur sibi nihil cogitare, cùm non laboret discurrendo. Tertiò notat, hoc genus cognitionis non impedire voluntatem ne ardentiùs amet. nam quamuis virtus animæ finita sit, & quo
D magis circa plura distrahatur, minus circa singula operetur; tamen cùm operationes intellectus, & voluntatis ex natura sua sint ordinatæ, vna alteram non impedit, sed iuuat circa idem obiectum, &, vt ego dixi in libris de Anima, quo perfectior est cognitio, eo perfectiùs mouet voluntatem ad perfectiorem actum.

Restat respondendum argumentis allatis pro prima opinione: & ad testimonia Dionysij Areopagitæ dicendum est, Dionysium solùm agere de modo, quo Deus in hac vita à nobis cognoscitur, quam Dionysius appellat ignorationem, & solùm significat vel imperfectum modum cognoscendi, vel cognitionem sine discursu; appellat etiam
E aliquando sapientiam indoctam, id est, per negationem omnium creaturarum: de variis autem modis, quibus Deus à nobis cognoscatur, ex mente Dionysij legatur P. Vazquez *1. part. disp. 22.* Aliqui etiam Doctores post Dionysium simili modo loquuntur, qui eadē ratione possunt explicari. legatur P. Suarez *locis citatis*, qui aliquos Doctores explicat; rationes verò primæ opinionis postulant, vt videamus, an de potentia absoluta possit fieri actus voluntatis, sine præuio actu intellectus.

***

Dvbivm

DUBIUM II.

An de potentia absoluta possit fieri actus voluntatis sine actu intellectus.

Disputatio est cum his, qui docent, ex natura rei fieri non posse actum voluntatis sine actu intellectus, qui enim ex natura rei dicunt posse aliquando fieri, faciliùs id dicent de potentia absoluta.

Non desunt autem qui existiment de potentia absoluta fieri posse actum voluntatis, sine prævio actu intellectus. Paludanus *in 4. distinct. 49. quæst. 1. art. 2.* Ferrara 3. *contra Gentes, cap. 89. §. ad euidentiam*; ita solet citari Ferrara, sed obscurè loquitur. hanc autem sententiam videtur sequi apertè Argētina *in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 4.* & probatur primò, quia non assignatur ratio implicationis, ob quam non possit fieri à Deo; secundò, quia cognitio est conditio applicans obiectum voluntatis, conditionem verò causæ potest Deus supplere.

Contraria tamen sententia communior est hoc tempore, pro qua aliqui citant plures Scholasticos, sed non constat eos apertè loqui de potentia absoluta; eam tamen docuit sibi contrarius Paludanus *in 3. distinct. 18. quæst. 1. art. 2.* Durandus *in 1. distinct. 3. quæst. 4. art. 14.* P. Suarez *tom. 2. de religione lib. 2. de oratione mentali, cap. 13. num. 7.* P. Vazquez hîc *dispu. citata, cap. 3.* Hæc sententia probari potest, primò ex Augustino *lib. 8. de ciuitate cap. 4. & lib. 10. cap. 1.* vbi docet voluntatem non posse amare incognitum; & cùm *cap. 1. citato* proposuisset difficultatem, quia voluntas aliquando amat incognitum cognoscere, & scire; respondet his verbis: Intelligendum est, non hoc idem dici, cùm dicitur amat scire incognita, etsi dicatur amare incognita: vt autem amet incognita; non potest, non enim ibi frustrà ponitur scire, quoniam qui amat scire incognita, non ipsa incognita scire, ipsum scire amat; hæc Augustinus, quæ verba de potentia ordinaria posset quis explicare.

Hæc sententia vera est, oportet tamen assignare rationem huius implicationis. P. Suarez *in Metaphysica loco citato, & lib. 2. de oratione mentali, cap. illo 13. num. 8.* probat non posse voluntatem operari sine præuia cognitione, quia obiectum voluntatis mouet, & allicit illum. quam causalitatem non potest habere nisi cognoscatur, & ita pendet à suo obiecto vt à principio motiuo in suo ordine, quam dependentiam Deus non potest supplere; & licèt cognitio sit conditio ad affectum, tamen non mouet sine tali cognitione applicatum, quæ ratio ex dicendis ampliùs intelligetur.

P. Vazquez *cap. citato* probat prædictam sententiam, quòd natiua virtute non possit voluntas amare obiectum non cognitum, ex quo vult inferre, neque de potentia absoluta fieri posse vt natiua virtute illud faciat voluntas. Primò, quia in diuina natura talis videtur connexio cognitionis, & amoris, vt amor per se supponat cognitionem, vt de Spiritu sancto respectu filij diximus in materia de Trinitate; qua ratione videtur vsus Anselmus *in Monologio, cap. 48.* vt probaret Deum non posse seipsum amare, nisi seipsum cognosceret. Secundò, quia si voluntas id posset ab intrinseco, non est causa ob quam non posset quocunque tempore. Tertiò quia etiam posset voluntas sine vlla cognitione peccare, quod est absurdum. Quartò, quia idem esset dicendum de appetitu sentiente, quòd sine cognitione

A sensus interni posset appetere, quod nullus dixit. Tandem probat, quia omnis facultas operans actione immanenti, debet habere obiectum præsens circa id quod operatur, & tamen voluntas non tacit ipsum obiectum præsens, sicut potentia cognoscitiua; necessarium ergo est applicatio per cognitionem.

Ex his colligit P. Vazquez, natiua efficacia te non posse voluntatem ferri in incognitum, ex quo vlteriùs infert, neque per potentiam absolutam id fieri posse, putat enim actum vitalem potentiæ immanentis non posse fieri à solo Deo, ac proinde neque infundi voluntati, nihil operanti, vt probauit suprà *disputat. 9.* & nos diximus in Philosophia. Sed P. Suarez *cap. illo 13.* cùm retulisset hanc ratiocinationem tacito nomine au-
B toris, aliquid obiicit parui momenti, quod infrà referam.

Mihi placet primò, voluntatem sine præuia cognitione non posse habere liberum actum; probatur, quia ad actum liberum requiritur cognitio cum indifferentia ex parte intellectus, vt suppono. Ex quo infero voluntatem sine cognitione non posse mereri, quia ad meritum requiritur aliqua libertas, vt suppono ex materia de merito infrà *quæstione vltima.*

Item non potest esse peccatum, quod requirit libertatem, vt dicemus infrà in materia *de peccatis*, & hæc doctrina vera est, etiamsi effectus volunta-
C tis posset fieri à solo Deo. nam per illud voluntas non ferretur liberè in obiectum, quia libertas consistit in hoc quod est operari, quando potest non operari, vel è contrario.

Secundò existimo, voluntatem etiam de potentia absoluta non posse habere aliquem actum circa obiectum non cognitum; & facilè intelligitur hæc conclusio de actu infuso à solo Deo, sine concursu voluntatis, quia talis non est possibilis, vt suppono ex Philosophia, secundùm doctrinam probabiliorem de actu vitali. Deinde de actu producto à Deo simul cum voluntate, placet ratio allata suprà ex P. Suarez.

Ex qua etiam intelligitur ratio P. Vazquez, quia
D si ex natura voluntatis oritur, vt non possit in incognitum ferri, sequeretur vt neque potentia Dei absoluta, quia licèt Deus velit cum voluntate concurrere ad volendum; tamen non potest facere vt operetur nisi circa suum obiectum, siue liberè, siue necessariò operetur; quod explico, quia fieri non potest, vt potentia cognoscitiua operetur, nisi circa suum obiectum, sicut constat in sensibus externis, visus enim nequit percipere sonum, vel odorem, &c.

Vlteriùs non potest Deus facere vt voluntas fugiat ab eo quod apparet bonum, vel amet quod apparet malum sub ratione mali, quia nequit mutare intrinsecum modum operandi, & in intellectu
E non potest Deus facere, quòd iudicet intellectus verum quod apparet falsum, vel è contrario; ergo neque poterit facere, vt voluntas amet id quod est omnino incognitum.

Deinde ratione explico, quia licèt cognitio sit conditio ad actum voluntatis, est conditio applicans obiectum quod debet mouere voluntatem, & ideo non potest talis conditio suppleri. Quod vlteriùs ostendo, quia munus conditionis exercet conditio hæc respectu operantis, per informationem, id est, informando intellectum hominis, qui operaturus est per voluntatem: genus autem causæ formalis Deus non potest supplere, quod in hac conditione maximè aduertendum est, vt assignetur discrimen

inter hanc conditionem, & alias; ex quibus solet summi argumentum pro contraria opinione contra nostram doctrinam.

Et ex dictis intelligitur, rectè Patrem Vazquez collegisse, non posse voluntatem operari sine præuia cognitione, quia actus voluntatis debet fieri à natura voluntatis, & efficacitate natiua.

Sed obiicit P. Suarez *cap.* 13. *citato*, quòd ex hac ratione sequitur, voluntatem non posse per gratiam eleuari ad actum ad quem non habet natiuam efficacitatem; verùm hoc facilè soluitur, quia per natiuam efficacitatem non intelligit P. Vazquez naturalem virtutem operandi ex viribus solius naturæ, sed modum operandi secundum naturam voluntatis, quæ postulat, vt circa quodcunque obiectum, siue naturale, siue supernaturale, operetur præuia cognitione, & ex hac solutione ruunt alia quæ ibi congerit P. Suarez.

Ex dictis verò respondendum est rationibus factis pro contraria opinione. Ad primam constat, similiter ad secundam de conditione requisita ad operandum, de qua multa dicunt aliqui, legatur P. Vazquez, & P. Suarez *suprà*; nobis verò satis sit assignata natura huius conditionis, nempe cognitionis requisitæ ad actum voluntatis.

Sed potest obiici hoc modo, Deus potest supplere aliquod principium efficiens volitionis, v. g. concursus habitus supernaturalis; ergo & cognitionem. legatur P. Vasquez *disputat. citata, cap. vltimo, in fine*. Respondendum verò est esse diuersam rationem, nam principium illud solùm est principium in genere causæ efficientis, neque est peculiaris ratio, ob quam Deus non possit illud supplere: at verò prædictam conditionem non potest supplere ob assignatam rationem; sicut etiam, secundùm veriorem opinionem, nequit Deus supplere concursum principij vitalis.

Dvbivm III.

An ad affectum voluntatis sufficiat cognitio sensus interni.

Diximus esse necessariam cognitionem intellectus ad actum voluntaris; oportet explicare, an sufficiat cognitio sensus interni? Et aliqui recentiores referunt opinionem asserentium de potentia absoluta talem cognitionem sufficere; ego tamen non inuenio talem opinionem traditam ab aliquo, qui sua scripta typis mandauerit.

Communis verò sententia est, necessariam esse cognitionem intellectus, ita Henricus *quodlib.* 1. *quæstione* 15. P. Vazquez *disputat.* 35. *in fine*, qui docet, nullum docuisse contrarium, P. Suarez *in Metaphysica, disputat.* 23. *sect.* 7. P. Valentia *hic disput.* 2. *quæst.* 4. *puncto.* 1. P. Salas suprà *sect.* 2. qui alios citat.

Et dicendum est primò, ex natura rei non sufficere cognitionem sensus, id quod experimento satis constat, nequit etiam ex natura rei voluntas moueri à sensu antequam intellectus operetur circa idem obiectum.

Secundò existimo, etiam de potentia absoluta non posse voluntatem operari sola cognitione sensus interni præuia. Hanc probant aliqui, quia cognitio intellectus concurrit efficienter ad affectum voluntatis, quomodo nequit concurrere cognitio sensus ad affectum spiritualem; ita Sa-

A las cum Caietano, & aliis, quos citaui suprà. Sed hæc ratio falsum supponit, & certius est, voluntatem non posse operari cum sola sensus cognitione, sine eo quòd cognitio cócurrat efficienter ad actum voluntatis.

Alia ergo ratio videtur efficacior, nempè ex eo quòd cognitio debet esse proportionata cum affectu, quia proponit obiectum circa quod voluntas debet operari: hæc autem proportio non est inter cognitionem sensitiuam, & voluntatem, aliàs ex natura rei posset voluntas operari præuia cognitione sensus tantùm, quod est absurdum dictu; quòd si non habeat proportionem ratione obiecti cogniti, tali cognitione non poterit Deus B illam supplere, quia pertinet ad causam formalem.

Quod ampliùs explico, quia voluntas non posset habere actum circa aliqua obiecta ratione solius cognitionis sensitiuæ, quia per illam non possent proponi, v. g. obiecta supernaturalia, & honesta naturalis ordinis, vt honesta sunt, hæc enim non cognoscuntur nisi per intellectum; ergo ex ratione formali communi obiecti, quod attingit voluntas, sequitur esse necessariam præuiam cognitionem intellectus.

Ex quo fit voluntatem sola cognitione sensitiua præuia non posse facere actum honestum formaliter, quia non præcederet cognitio honestatis C formaliter. Item non videtur posse voluntatem facere actum liberum meritorium, quia actus meritorius requirit obiectum formaliter honestum. Item neque esset liber, quia non operaretur cum indifferentia, ex parte cognitionis, quæ consistit in hoc, repræsentare bonum, & malum aliquod. Neque contra hanc doctrinam video argumentum aliquod alicuius momenti, adducam tamen vnum, aut alterum, ad exactiorem notitiam veritatis.

Primò posset quis obiicere, non assignari implicationem contradictionis. Sed hæc obiectio facilè soluitur ex dictis; iam enim diximus cognitionem esse requisitam, vt conditionem ex parte ob-D iecti, circa quod voluntas operatur, & illa deficiente obiectio non potest operari, licèt Deus velit summo iure vti.

Secundò solet adduci testimonium Augustini, ex *libr.* 3. *de libero arbitrio, cap.* 25. sed Augustinus ibi solùm vult aliquod obiectum non posse obiici voluntati per intellectum, nisi priùs esset cognitum sensu aliquo externo.

Item potest obiici S. Thomas hîc *quæst.* 10. *artic.* 3. *ad* 3. vbi docet, voluntatem aliquando moueri à bono vniuersali apprehenso per intellectum, aliquando à bono particulari apprehenso per sensum. Sed respondendum est, sanctum Thomam solùm velle, voluntatem aliquan-E do amplecti bonum aliquod quod est cognitum per sensum, aliquando verò bonum cognitum à sensu: sed non negat esse necessarium, vt cognoscatur etiam ab intellectu, vt interpretes communiter exponunt.

Ex dictis hactenus colligo appetitum sentientem non posse operari sine præuia cognitione sensus interni; item existimo appetitum sentientem non posse operari sola cognitione sensus externi, quia sicut voluntas solùm habet proportionem cum cognitione intellectus, ita appetitus sensitiuus cum cognitione sensus interni, quem puto esse vnum tantùm, vt tradidi ad 3. librum de anima. Si verò quis affirmet esse plures sensus internos, explicare debet,

debet, an appetitus à quolibet illorum possit moueri immediate. Rursus facile potest intelligi, appetitum non posse moueri ab obiecto, cognito tantùm per intellectum, quia illud non est obiectum suum.

DVBIVM IV.

An ad actum supernaturalem voluntatis requiratur actus supernaturalis in intellectu.

POnendum est, esse aliquos actus supernaturales secundùm substantiam in voluntate, & etiam in intellectu, vt alibi diximus cum communiori sensu Theologorum; explicandum verò est, an ad actum supernaturalem secundùm substantiam in voluntate requiratur actus supernaturalis secundùm substantiam in intellectu; de qua difficultate speciatim disputaui 1.2. *ad quæstionem.*

Et in specie disputaui de primo affectu credendi supernaturali secundùm substantiam, an posset fieri sine præuia cognitione supernaturali secundùm substantiam; retuli quidem, & refutaui opinionem asserentium posse fieri.

Et generatim posset aliquis existimare, posse actum voluntatis supernaturalem fieri sine cognitione supernaturali, quia ad actum voluntatis satis videtur, si intellectus proponat obiectum supernaturale voluntati, etiamsi non proponat cognitione supernaturali; neque videtur posse assignari ratio efficax ad affirmandum esse necessariam cognitionem supernaturalem secundùm substantiam.

Secundò explicatur, quia secundùm probabilem opinionem actus Intellectus non concurrit efficienter ad actum voluntatis, & ita ex hac parte non requiritur supernaturalis cognitio, tanquam principium supernaturale, ad supernaturalem effectum; solùm ergo requiritur cognitio, vt propositio obiecti, circa quod voluntas possit operari, ad quod sufficere videtur cognitio etiam naturalis.

Sed communior opinio est quam retuli *loco citato*, ad supernaturalem actum voluntatis esse necessariam supernaturalem cognitionem, quod in specie docuit P. Salas *sectione* 2. *citata, disp.* 15. *dubio* 5. hæc supponunt omnes, qui putant, Patres loquentes de necessitate gratiæ, loqui de gratia supernaturali; quia ad actum supernaturalem voluntatis necessaria est gratia per Christum; & ex natura rei mihi est valde certum, de potentia verò absoluta dicam infrà.

Quòd ergo ex natura rei sit necessaria talis cognitio, probatur; primò exemplis. nam ad supernaturalem spem requiritur supernaturalis fides, sine qua spes non esset firma, nisi supponat firmam cognitionem de futuritione obiecti spectati, vt diximus, & explicuimus in materia de spe. Deinde si spes requirit talem cognitionem, etiam charitas quæ perfectior est, & supponit spem; & à simili potest fieri argumentum ex his actibus ad alios actus virtutum moralium supernaturalium; aliàs superflua poneretur prudentia supernaturalis, & infusa.

Secunda ratio à priori debet esse ex proportione requisita inter cognitionem, & volitionem, quod explico. nam si cognitio esset principium efficiens volitionis, vt multi putant, facilè intelligitur debere esse supernaturale principium ad producendum supernaturalem effectum cum voluntate. Si verò cognitio solùm proponat obiectum, vt moueat ad speciem actus, seu, vt dici solet, ad specificationem, etiam videtur necessaria cognitio supernaturalis formaliter, tanquam conditio coniuncta supernaturali obiecto, obiectum enim non mouet ad supernaturalem volitionem, nisi secundum esse cognitum; & licèt cognitio non sit ratio formalis, esset tamen cognitio tenens se ex parte obiecti formalis, & ideo supernaturalis debet esse. quæ omnia mihi videntur satis certa, & efficacitatis multum habere, ad probandum, ex natura rei requisitam esse hanc proportionem inter cognitionem, & volitionem, & ex dictis manent soluta duo argumenta facta pro prima opinione.

Difficilius est ostendere, an etiam de potentia absoluta sit necessaria cognitio supernaturalis ad supernaturalem volitionem.

Et non desunt qui existiment probabile, de potentia absoluta posse esse in voluntate supernaturalem affectum, sola præuia cognitione naturali. Primò, quia non videtur efficax ratio ad probandam implicationem: secundò, quia per talem cognitionem potest proponi obiectum supernaturale amandum à voluntate; ergo quòd cognitio non sit supernaturalis secundùm substantiam, non videtur satis idonea causa, vt voluntas non possit elicere actum supernaturalem.

Explicatur tertiò, quia licèt voluntas requirat propositionem sui obiecti ex parte intellectus, tamen quòd hæc conditio sit secundùm rem supernaturalem, non videtur ita necessarium, vt contrarium implicet; putant verò, ad amorem supernaturalem requiri cognitionem fidei, secundùm legem ordinariam, quia ita voluit Deus: & ideo dixit Paulus ad Hebræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo.*

Alij verò recentiores non obscurè indicant, non posse esse affectum supernaturalem sine cognitione supernaturali, propter proportionem requisitam inter hos duos actus.

Ponendum est, quæstionem esse cum his, qui admittunt actus supernaturales secundùm substantiam in intellectu, & voluntate; & sensus dubij potest explicari, an qui fide solùm humana cognouit Deum finem supernaturalem, possit elicere actum charitatis supernaturalis, per talem enim cognitionem proponitur voluntati obiectum supernaturale, licèt ipsa cognitio sit naturalis secundùm substantiam.

Hoc posito, partem negantem probant aliqui, quia actus supernaturalis in voluntate, ex definitione Conciliorum, requirit gratiam excitantem sanctam cogitationem; ergo supponit in intellectu cognitionem supernaturalem. Sed hæc ratio duobus modis solui posset ab his, qui primam sententiam vellet defendere; vno si dicerent necessitatem gratiæ excitantis intelligi ex ordine connaturali operandi, sic enim gratia voluntatis supponit gratiam intellectus; altero si quis velit cognitionem obiecti supernaturalis, licèt sit cognitio secundùm substantiam naturalis, esse gratiam excitantem respectu actus voluntatis, & fore talem, quoties excitaret affectum supernaturalem.

Ex his solutionibus prima admittenda non est, quia licèt Concilia loquantur de necessitate gratiæ ex parte intellectus, planè docent ita esse necessariam, vt sine illa actus voluntatis non possit fieri, aliàs non esset simpliciter necessaria. Secunda verò solutio faciliùs defendi potest, quia secundùm illam admittitur gratia ad actum voluntatis, & gratiam ex parte intellectus.

Sed contra hanc secundam solutionem possumus arguere, quia ex illa sequitur fidem supernaturalem non esse simpliciter necessariam ad iustificationem, si fides humana posset sufficere de potentia absoluta

ad actum charitatis, qui secum affert sanctificationem: verùm respondere posset aliquis, fidem supernaturalem esse necessariam ex natura rei, & sic docuisse Paulum ad Hebræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo*, quod audiui ego à doctissimis viris. Aliæ etiam rationes solent adduci pro opinione negante, quæ non videntur rem concludere.

Nihilominus in re dubia, mihi est probabile, actum supernaturalem voluntatis non posse fieri sine aliqua cognitione supernaturali, quod sigillatim indicabo: &

Primò, primum affectum necessarium ad credendum fide supernaturali, requirere necessariò cognitionem aliquam supernaturalem, probaui 1. 2. *loco citato*.

Secundò, actum spei supernaturalem non posse fieri sine cognitione supernaturali, probari potest, quia aliàs spes non posset habere firmitatem, quam requireret spes naturalis.

Tertiò ex his fit, actum charitatis supernaturalem non posse fieri sine cognitione supernaturali; primò, quia est perfectior actibus prædictis: secundò, quia constituit hominem in actu virtuali ad implenda omnia præcepta, etiam spei: tertiò, quia aliquis actus charitatis requirit hanc cognitionem, nempe actus contritionis ad quem mouetur homo spe veniæ: quartò idem est de actu pœnitentiæ specialis distinctæ à charitate, hæc enim requirit spem veniæ.

Idem potest quintò explicari in actibus virtutum moralium infusarum; istæ enim requirunt prudentiam infusam, & supernaturalem. nam prudentia acquisita, vt talis, non potest præscribere regulas operandi circa obiectum vt supernaturale est; sine prudentia autem non potest esse actus humanus virtutum. Item, in his omnibus non parum habet efficacitatis ratio desumpta ex proportione requisita inter cognitionem, & volitionem. Rationes verò contrariæ sententiæ iam manent solutæ.

DVBIVM V.

An cognitio supernaturalis possit mouere ad affectum naturalem secundùm substantiam.

QVæstionis causa esse potest, ex vna parte proportio requisita inter cognitionem, & affectum. nam per supernaturalem cognitionem non videtur proponi obiectum sub ratione naturalis honestatis, sed supernaturalis: ergo affectus qui fit ex vi talis cognitionis, debet esse supernaturalis, & ita sentiunt aliqui recentiores huius ætatis.

Ex alia parte, cùm cognitio supernaturalis sit perfectior cognitione naturali circa idem obiectum, non videtur causa ob quam non possit mouere ad affectum voluntatis secundùm substantiam; & hoc docuit P. Salas suprà *tractatu 1. disput. 5. sect. 2. ad 1. rationem*, & fatetur P. Vazquez *tomo 1. in tertiam partem disp 41. cap. 2. num. 51.* vbi docet per scientiam infusam Christi posse proponi bonum virtutis honestum, tam virtutis acquisitæ, quàm infusæ, & hæc sententia mihi magis placet, quia non video causam aliquam, ob quam non possit sequi voluntas suum obiectum honestum, honestate naturali propositam per cognitionem supernaturalem.

Ratio verò contraria non conuincit, quia licèt actus ille cognitionis sit supernaturalis, tamen cùm proponit honestatem naturalem, potest mouere voluntatem ad amorem illius, & ex opposita sententia sequeretur, fidelem nunquam ex cognitione supernaturali fidei moueri ad operandum, propter naturalem honestatem; quod mihi videtur contra experimentum.

A

Dices, appetitus sensitiuus non potest operari, si obiectum repræsentetur sola cognitione intellectus, quia cognitio est alterius ordinis, licèt proponat obiectum sensibile. ergo voluntas non poterit moueri à cognitione supernaturali, ad actum naturalem, licèt cognitio repræsentet obiectum naturale, cùm sint diuersi ordinis. Respondetur esse manifestum discrimen, quia cognitio supernaturalis intellectus proportionem habet cum voluntate intra ordinem appetitus rationalis, & aliàs proponit illi obiectum naturale, & ita non apparet ratio ob

B

quam non possit voluntas eligere affectum naturalem: at verò cognitio intellectus non habet proportionem cum appetitu sensitiuo intra eundem ordinem potentiarum, vt constat, & ideo mirum non est si non moueatur appetitus sentiens à tali cognitione.

DISPVTATIO XVII.

THEOLOGICA.

De supernaturalitate gratiæ præuenientis.

C

IN hac disputatione explicandum est, an sit aliqua gratia præueniens supernaturalis secundùm substantiam. Et primò explicandum est, quæ requiratur ad hoc vt aliqua forma sit supernaturalis secundùm substantiam. Secundò quid sit gratia præueniens. Tertiò, an hæc gratia sit supernaturalis secundùm substantiam.

DVBIVM I.

Quid requiratur ad rationem supernaturalis secundùm substantiam.

D

DE hoc dixi variis locis, & speciatim 1. 2. *tomo* 1. *disput. 46.*

Sciendum supernaturale diuidi à Doctoribus in supernaturale quantum ad modum, & supernaturale quantum ad substantiam. Supernaturale quantum ad modum, dicitur à Doctoribus quòd licet interdum possit fieri ab agente naturalis ordinis, vel ad exigentiam alicuius causæ naturalis, interdum tamen; non tamen cum hac, vel illa circunstantia. Vulgatum exemplum est restitutio visus; licèt enim visus possit fieri à causa naturali, tamen restitutio visus omnino corrupti fieri potest à solo Deo, & similia sunt plura exempla.

E

Supernaturale verò secundùm substantiam dicitur quòd omnino & simpliciter est supernaturale, & quærimus quid requiratur ad hoc, vt aliquid sit supernaturale hac ratione.

Aliqui non cognoscunt aliud supernaturale, nisi relatè ad agens; ita vt supernaturale sit quod à nollo agente creato naturalis ordinis fieri potest, sed à solo Deo, & hoc modo gratiam & charitatem, & quosdam alios habitus appellant supernaturales, iuxta doctrinam Scoti 4. *dist.* 10. 7. 8. & *dist.* 44. 98. & sequuntur communiter discipuli Scoti, & probant, quia gratia est supernaturalis respectu efficientis, non respectu subiecti. nam, vt dixit August. *de prædestinatione Sanctorum cap.* 2. posse habere fidem naturæ hominis est.

Alij

Alij ſupernaturalitatem putant conſiſtere in eo quòd forma non ſit debita, ſed ſit gratia Dei, quia hoc ipſo eſt ſupra naturam, & ita agentes de actu ſpei,& charitatis probant eſſe ſupernaturales, quia ex Patribus & Conciliis conſtat ad actus hos eſſe neceſſariam gratiam.

Explicationis gratia ſciendum eſt,nos non diſputare de ſubſtantia, an poſſit eſſe aliqua ſubſtantia ſupernaturalis, de quo alibi diximus in materia de viſione,in materia de Angelis,& in materia de charitate. Solùm ergo diſputamus de formis accidentalibus, quid requiratur vt aliquod accidens dicatur ſupernaturale ſecundùm ſuam entitatem,& non ſolùm ſecundùm modum aliquem.

Et ego multis in locis docui ad ſupernaturalitatem hanc neceſſariam eſſe vt accidens nulli creaturæ ſit debitum, ita vt ſit ſupra totum debitum naturæ, vt neque ſit debitum cauſæ finali, neque efficienti,neque materiali, neque naturali;& ratio eſt, quia hoc modo tale accidens eſt ſupra totum debitum naturæ,& ſic ſupernaturale ſimpliciter, & non erit ex aliquo principio naturæ, ſed ſupra naturam, & hanc doctrinam recipiunt hoc tempore Theologi.

Sententia verò prima mihi non probatur, quia habitus ſupernaturales non ſunt debiti, dicendi gratia, reſpectu ſubiecti, vt eſſe ſupernaturales ſecundùm ſuam entitatem. Probauimus ſuis locis ex obiecto formali,& Auguſt. *loco citato*,non dixit poſſe habere fidem eſſe naturale homini, ſed eſſe naturæ hominis, in quo non ſignificatur potentia paſſiua naturalis, & proportio ſubiecti cum forma, ſed aptitudo recipiendi fidem;& etiamſi Auguſt. diceret eſſe potentiam naturalem, nihil fieret contra noſtram doctrinam, quia poſſet ea capacitas dici naturalis, relata ad eſſentiam à qua oritur,vt dixi 1.2. *tomo* 1.*diſp*.46. *dub*. 1. & P.Vazquez 1.*part. diſp*.214. *cap*.2.

Deinde ſecunda opinio probanda non eſt; quia, vt probaui *opuſculo de diſtinctione gratiæ naturalis, & ſupernaturalis*, concedendum eſt auxilium gratiæ naturale ſecundùm ſubſtantiam, licèt non ſit debitum naturæ humanæ, & diximus illud non eſſe ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam; quia aliquod auxilium eiuſdem ſpeciei eſt debitum naturæ humanæ,nempe aliquod auxilium ſufficiens,de quo in materia de Gratia.

Et iuxta doctrinam traditam iudicandum eſt, an modus ſubſtantialis, vel accidentalis ſit ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, vel non? & ſic facilè intelligitur modum quo vnitur humanitas Chriſti ſuppoſito diuino, eſſe ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam, quia nulli diuerſæ creaturæ poteſt eſſe debitus, quod hoc loco ſit ſatis.

DVBIVM II.

Quid ſit gratia præueniens.

Explicuimus quid ſit ſupernaturale, oportet explicare, quid ſit gratia præueniens, vt poſtea diſputemus, an ſit aliqua gratia præueniens ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam.

Non intendimus agere de diſtinctione gratiæ præuenientis à gratia cooperata, ſed ſolùm explicare, quid ſit gratia præueniens, ſeu operans; vt explicemus,an hæc poſſit eſſe ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam. Et Auguſt. ſæpe dixit gratiam operantem fieri à Deo in nobis,ſine nobis:quæ verba variè explicant Scholaſtici.

A Vega *lib*.6. *in Trident. cap*.8. docet hanc gratiam eſſe ſecundùm cogitationem,vel ſecundùm motum voluntatis, quem Deus infundit, & putat dici ab Auguſt. fieri à Deo in nobis ſine nobis, id eſt, ſine nobis phyſicè concurrentibus cum Deo; cenſet enim aliam virtutem poſſe fieri à ſolo Deo.

Sed explicatio hæc non eſt admittenda, primò, quia Philoſophiā continet falſam, actio enim intellectus, vel voluntatis à ſolo Deo produci non poteſt,vt ſuo loco oſtendimus. Deinde hæc explicatio aliena eſt à mente Auguſtini, qui contra Pelagium contendit nullum vitium bonæ operationis eſſe in nobis ante primam gratiam, & ita vult ſecundùm cogitationem infundi à Deo ante liberum conſenB ſum noſtrum,& ita ſine nobis liberè operantibus;de cauſalitate verò phyſica reſpectu ſubitæ cogitationis non diſputabat Auguſtinus.

Alij gratiam præuenientem putarunt eſſe qualitatem quandam phyſicam diſtinctam ab actu vitali, de qua ſententia alibi dicendum eſt.

Alij dixerunt excitantem gratiam eſſe in primo actu voluntatis, quia eſt circa finem. Ita S.Thom. 1.2. *quæſt*.111. *art*.2. & quidam alij. Sed eſt aliena à mente Auguſtini & Patrum, qui diſputantes cum Pelagio contendunt ante quemlibet actum liberum voluntatis eſſe gratiam excitantem neceſſariam ad bene operandum.

Dicendum ergo eſt gratiam excitantem,ſeu opeC rantem,& præuenientem,eſſe ſecundùm cogitationem & motum voluntatis indeliberatum ante conſenſum liberum, & talem cogitationem vult eſſe neceſſariam ad omnem bonum actum,de quo alibi. Modò ſolum dicimus hanc eſſe gratiam excitantem, & præuenientem ex mente Auguſtini, & colligitur ex multis locis Aug. *lib*.2. *de bono perſeuerantiæ c*.13. *& quæſt*.2. *ad Simplicium circa medium*, *& epiſt*.67. & idem docuerunt alij Patres, quos refert P. Vazquez 1.*part.diſp*.88.*cap*.6.Anſelmus in illud 1.Corinth.15. *ſed gratia Dei*, Gregor. *lib*.6. *moral. cap*. 10. aliàs 11. Bernardus *opuſculo de gratia,& lib.arbitrio*, non longè à fine.Proſper *lib.de vocatione Gentium cap*.16.Hieronymus 3.*contra Pelagianos*.

D

DVBIVM III.

An poſſit eſſe aliqua gratia excitans, ſeu præueniens ſupernaturalis ſecundùm ſuam entitatem.

Senſus dubij eſt, an ſecunda cogitatio, quæ eſt ante liberum conſenſum, poſſit eſſe ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam.

Refertur vnus, aut alter recentior qui nondum guſtauit Theologiam, & audacter dixit non eſſe gratiam præuenientem ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam, etiamſi admittantur alij actus ſuperna-E turales ſecundùm ſubſtantiam.

Probari autem poteſt nouum, & improbabile placitum, quia gratia præueniens eſt ante liberum conſenſum: ergo non eſt actus fidei qui ſupponit actum liberum voluntatis. Deinde ante fidem non poteſt eſſe cognitio ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam;ergo non eſt cognitio excitans ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam.

Et quòd ad fidem non poſſit eſſe cognitio ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, probari poteſt, quia, vt fusè probaui 1.2. *tom*.1 *diſp*.46. non poteſt talis cognitio eſſe iudicium. Et breuiter probo,quia vel talis cognitio eſt obſcura, vel euidens Non eſt euidens,quia non experimur in nobis talē ſcientiam

euiden

euidentem & supernaturalem, neque cognoscimus medium euidens talis acquisitionis. Non est obscura, quia esset actus fidei, & tamen loquimur de cognitione ante fidem, & ante liberam voluntatem. quam rationem fuse persequutus sum *loco citato.*

Deinde quòd ante fidem non possit esse apprehensio secundùm substantiam supernaturalem, solùm probant recentiores, quia eadem videtur ratio de iudicio, & apprehensione; cùm tamen *loco citato* probauerimus diuersam esse rationem vtriusque, quam illi non impugnarunt.

Communis tamen sententia est gratiam præuenientem, & excitantem ad supernaturales actus esse supernaturalem, sicut ipsi actus voluntatis. Ita sentiunt omnes, qui ante primam voluntatem credendi putant procedere cognitionem supernaturalem, siue sit iudicium, vt multi docent, siue apprehensio, vt docet P. Suarez in materia *de Fide*, & ego idem docui *disput. citata*. Idem sentiunt qui putant Patres loquentes de necessitate gratiæ, loqui de auxilio supernaturali; quos retuli in materia de gratia. Rursus multi expresse docent gratiam præuenientem ad supernaturales actus esse supernaturalem. 1. 2. *quæst.* 111. Valentia 1.2.*disp.* 8. *quæst.* 3. *part.* 3. §. 1. P. Suarez *lib.* 3. *de auxiliis cap.* 4. §. 10. *col.* 2. & sæpe aliis locis.

Item docent alij, licèt supponant falsas opiniones, sicut qui putat actum fidei non esse liberum, dicit illam esse gratiam præuenientem & supernaturalem. Rursus alij, qui putant actum fidei posse infundi à solo Deo sine consensu potentiæ intellectiuæ: vnde recentiores aliqui satis ostendunt suam ignorantiam, dum affirmant, Scholasticos non disputasse de supernaturalitate gratiæ præuenientis, neque docuisse esse supernaturalem; potest verò hæc sententia variis argumentis probari, vt constabit ex dicendis.

Sciendum verò est posse esse specialem difficultatem de gratia præueniente respectu primæ voluntatis credendi, an sit supernaturalis, & eadem est cum alia quæstione, an ad primam voluntatem credendi sit necessaria prior cognitio supernaturalis, de qua dixi in materia de fide 2. 2. *tomo* 1. *disp.* 46. *& opusc. ... de hac re*, & qui putat primá voluntatem credendi esse naturalem secùndùm substantiam, licèt sit ex gratia, rectè possunt dicere ad talem voluntatem sufficere gratiam præuenientem naturalem secundum substantiam: secus tamen, si dicat primam voluntatem credendi esse supernaturalem secundùm substantiam; affectus enim supernaturalis requirit cognitionem supernaturalem, vt probaui 2. 2. *tomo* 1. *disp.* 25. *dubio* 3. *&* 1. 2. *in materia de actibus*; & sufficere apprehensionem supernaturalem cum iudicio naturali ex gratia, docui 2. 2. *disp.* 46. vbi etiam declaraui, non esse eandem rationem iudicij, & apprehensionis, & satisfeci aliquibus argumentis. de quo etiam dixi in materia *de Gratia, opusculo de hac re*, & sufficere apprehensionem supernaturalem ad primam voluntatem credendi, docuit P. Suarez in materia *de Fide, cap. de hac quæstione.*

Deinde si sit quæstio de gratia præueniente ad actum spei charitatis, vel alios actus supernaturales, considerandum est, an quis putet esse necessariam ad quemlibet istorum gratiam præuenientem distinctam à gratia præueniente necessariam ad primam voluntatem credendi, vel non sunt opiniones in materia de gratia, & si sufficiat prima gratia excitans, iam diximus de illa quæ requiritur ad actum secundùm voluntatem credendi.

Si verò dicitur esse necessaria, alia sequuntur ad

A actum amoris supernaturalem, & non sufficere actum fidei supernaturalem, sed requiri gratiam excitantem naturalem, nempe cognitionem naturalem obiecti diligendi; quod est manifestè falsum, quia per supernaturalem actum fidei sufficienter proponitur Deus diligendus super omnia. Deinde id potest probari contra prædictos recentiores, quia censent ex natura rei seclusa lege Dei, sufficere cognitionem naturalem ad supernaturalem actum; ergo multo magis sufficiet sola cognitio supernaturalis eiusdem obiecti. Item si ad affectum naturalem sufficit cognitio naturalis: ergo ad supernaturalem sufficiet cognitio supernaturalis fidei.

Et sanè Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 6. numerans fidem inter dispositiones necessarias ad iu-
B stificationem, non numerat cognitionem naturalem eiusdem obiecti distinctam à fide, & à cognitione requisita ad primá voluntatem credendi, & generatim quoties adest cognitio supernaturalis proponens obiectum voluntati, sufficere videtur ad supernaturalem affectum circa tale obiectum.

Quòd si præter actum fidei est necessaria alia cognitio, quæ dicitur gratia præueniens, distincta ad omnem actum distinctum, assignari potest naturalis apprehensio. Item in homine habente fidem potest esse gratia præueniens distincta ab obiecto fidei, nempe actus prudentiæ infusæ, qui potest fieri à Deo in nobis sine nobis. nam qui habet fidem, po-
C test moueri ab actu prudentiæ; etiamsi actualiter non semper consideret expresse præmissam fidei; non ergo est necessarium semper recurrere ad cognitionem naturalem tantùm, vt assignemus gratiam præuenientem.

Et ex dictis solùm manet argumentum contrariæ sententiæ. nam licèt gratia purè præueniens sit in nobis sine nobis, tamen ante primam voluntatem credendi potest esse supernaturalis apprehensio: vt docuimus in materia *de Fide*. Vbi ostendimus non esse eandem rationem de apprehensione & iudicio, quidquid reclament recentiores aliqui satis ignorantes, & aliqui assignant iudicium, & in habente fidem potest esse actus prudentiæ infusæ, vt di-
D ximus.

Addendum est in hac materia fidem posse dici gratiam præuenientem & excitantem, secundùm quod, & aliquo modo respectu affectus quem excitat, vt docuit P. Suarez *lib.* 3. *de auxiliis cap* 4. §. 1. *littera B.* & sentit P. Vazquez 1. *part. disp.* 88. *cap.* 9. § *obseruandum igitur*. Vbi dicit idem secundùm rem esse gratiam operantem & cooperantem, & fidem esse gratiam cooperantem ex *Iacobi* 2. *cap.* & Concilio Trident. *sess.* 6. *cap.* 10. & idem habet P. Vazquez 1. 2. *disp.* 185. *cap.* 9. § *obseruandum igitur*. Ergo potest dici fidem esse gratiam operantem, seu excitantem & præuenientem.

Notandum etiam est nos libenter concedere gra-
E tiam præuenientem naturalem secundùm substantiam ad actum bonum moralem naturalis ordinis, qui fieri non potest sine gratia per Christum, de quo 1. 2. *ad quæst.* 109. & quòd sit concedenda gratia naturalis ordinis, ostendimus *opusculo de distinctione gratiæ naturalis, & supernaturalis.*

Restat explicandum, an prima opinio suprà relata mereatur aliquam censuram: & aliqui viri docti huius ætatis eam grauiter damnarunt.

Verùm si solùm quis dicat præuenientem gratiam ante actum fidei esse naturalem secundùm substantiam, ex gratia tamen Christi, probabile placitum est, de quo in materia *de Fide* diximus. Deinde si sermo sit de gratia præueniente respectu aliorū

actuum

actuum supernaturalium, nihil contrahit contra Concilia, & Patres. Est tamen improbabile placitum asserere nullam esse gratiam præuenientem supernaturalem, eo modo quo affectus ad quem mouet, esset supernaturalis. nam controuersia est inter Scholasticos, an sint actus supernaturales secundùm substantiam, vel tantùm quantum ad modum. Et omnes debent loqui secundùm hanc opinionem; & ideo mihi est improbabile asserere nullam esse gratiam præuenientem supernaturalem secundùm substantiam, si admittantur aliqui actus supernaturales secundùm substantiam.

DVBIVM IV.

An gratia præueniens, quæ est motus indeliberatus voluntatis, sit supernaturalis secundùm substantiam.

HÆc difficultas in eodem sensu ac præcedens intelligenda est.

Et qui dixerunt nullam cognitionem, quæ est gratia præueniens, esse supernaturalem, decepti pergunt errare, dicentes, nullum habitum & indeliberatum motum voluntatis, qui est gratia præueniens, esse supernaturalem secundùm substantiam.

Secundò docent talem habitum motum, qui est gratia præueniens, non versari circa obiectum honestum vt honestum est.

Prima pars potest probari, quia non procedit cognitio supernaturalis. Secunda pars probatur, quia solùm præcedit cognitio imperfecta, & ideo motus ille non est liber.

Secundò, quia alius posset esse actus ille charitatis perfectæ, & tunc per illum prius natura, quàm per habitum posset iustificari peccator, quod non est concedendum, quia Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* dicit nos iustificari per voluntariam susceptionem gratiæ.

Tertiò, quia Augustinus loquens de hoc motu indeliberato appellat illum victricem delectationem. ergo non est actus honestus, sed versatur circa obiectum delectabile vt tale est.

Sed inprimis mihi falsum videtur quod dicitur, nullum habitum motum voluntatis esse supernaturalem, & contrarium est contra communem sensum Doctorum Scholasticorum. Et probari potest primò, quia, vt diximus, præcedit cognitio aliqua supernaturalis proponens obiectum supernaturale: ergo nihil est, ob quod dicamus non posse esse habitum, motum supernaturalem.

Secundò mihi est omnino improbabile asserere non posse esse habitum, & indeliberatum motum honestum qui versatur circa obiectum honestum; & primò sancti Patres dum loquuntur de motu indeliberato, quo quis solet disponi ad iustificationem, planè loquuntur de actu honesto, loquuntur enim de actu timoris pœnarum inferni, vel simili aliquo. legatur P. Vazquez 1. 2. *de illa* 185. & 1. *part. disp.* 88. Bellarm. 3. *tomo.* agens de gratia præueniente, P. Valentia, & alij 1. 2. *ad quæst.* 111. & ita quòd sit aliquis motus indeliberatus honesti obiecti, non potest negari sine graui temeritate.

Deinde ratione probatur, quia per cognitionem præcedentem potest repræsentari ratio honesti, sicut potest repræsentari ratio delectabilis; ergo & affectus potest circa illum versari. Consecutio est efficax, & antecedens probatur, quia nulla potest ratio assignari, ob quam non possit per cognitionem imperfectam repræsentari ratio honesti, quatenus

A necessarium est ad motum indeliberatum, licèt non ad actum liberum; sicut repræsentari potest ratio delectabilis modo imperfecto, vt sequatur delectatio, licèt non sit libera.

Et Augustinus licèt dixerit motum indeliberatum esse victricem delectationem, tamen non dixit eam delectationem esse de obiecto delectabili solùm, nam de obiecto honesto apprehenso aliquo modo vt præsenti, potest esse delectatio quæ versari potest circa quodlibet bonum vt præsens.

Explico rem vlteriùs, quia vocatio quæ est gratia ex parte intellectus, est vocatio ad actum honestum, alias non esset gratia; cognitio verò quæ monet ad actum circa obiectum delectabile vt delectabile,

B non monet ad honestum vt honestum, eo quòd possit esse motus primus honestus, vt supponit apertè P. Vazquez 1. 2. *disp.* 84. *cap.* 2. *n.* 12. & experimento videtur probari. nam qui habet consuetudinem cogitandi & operandi circa aliquam materiam etiam in somno, vel cogitare de illa solet; excitata cogitatione non est causa, ob quam non possit existere in voluntate motus habitus circa materiam honestam, sicut circa aliam materiam; & certè sicut ex imaginatione, vel passione insurgit motus primus circa materiam peccati, ita potest insurgere circa materiam honestam. legatur S. Thomas 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. & ibi interpretes.

C Tandem contraria sententia non habet firmum fundamentum.

Ad primum argumentum constat ex dictis non implicare honestum vt honestum repræsentari cogitatione imperfecta in ordine ad habitum motum voluntatis, sicut repræsentatur delectabile.

Ad secundum respondeo quòd posita opinione asserentium actum charitatis supernaturalem posse hominem sanctificare, nullum esse absurdum concedere posse, talem actum vt habitum motum insurgere & sanctificare hominem. Cùm verò Concilium Tridentinum dixit peccatorem iustificare per voluntariam susceptionem gratiæ, loquebatur de iustificatione quæ fit in sacramento, vt fusè docuimus in materia de Gratia.

D Item communis iustificatio extra sacramentum etiam fit per actus liberos, sed non repugnat fieri actu aliquo indeliberato, si subitò insurgit, & sit talis qui formaliter sanctificet.

Ad tertium ex Augustino suprà dictum est.

DISPVTATIO XVIII.

THEOLOGICA.

De cognitione requisita ad supernaturales actus voluntatis.

E DE hac materia dixi 1. 2. in materia *de actibus*, & 2. 2. *tomo* 1. *disp.* 25. *dubio* 3. & *opusculo de cognitione requisita ad primam voluntatem credendi*, diximus in materia *de Fide*, & in materia *de Gratia*, *opusculo de hac re.* Et modò solùm intendo disputare de cognitione requisita ad actum supernaturalem spei & charitatis, & virtutum infusarum. nam de cognitione requisita ad voluntatem credendi diximus *locis citatis.*

***

Dubium I.

An ad actum spei supernaturalem requiratur cognitio supernaturalis ex natura rei secundùm legem ordinatam.

In hoc dubio fuit error asserentium, ad spem sufficere cognitionem ex viribus naturæ, quem errorem refutauimus in materia *de Gratia.*

Ponendum ergo est vt certum, ad spem quæ est dispositio ad iustificationem esse necessariam cognitionem ex gratia, & quæ non possit haberi ex solis naturæ viribus.

Et aliqui Catholici contendunt esse necessarium actum fidei ex lege & ordinatione Dei, & probant ex Paulo ad Hebr. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*; sed non satis explicant an sit necessaria talis cognitio ex natura rei & connexione naturali actuum intellectus cum actibus virtutis.

Alij verò recentiores manifestè docent actum fidei diuinæ esse necessarium ad actum spei supernaturalem ex natura rei; sed non explicant an sit ita necessarius, vt etiam de potentia absoluta non possit fieri actus spei sine supernaturali cognitione: de qua controuersia infrà dicemus.

In hac quæstione mihi placet, cognitionem supernaturalem esse necessariam ad actum spei supernaturalem ex natura rei.

Et specialis ratio est desumpta ex natura actus spei supernaturalis, qui requiritur ad iustificationem. nam talis spes debet esse firma, & certa: non potest autem habere firmitatem, nisi supponatur cognitio supernaturalis certa de omnipotentia Dei, & eius promissione.

Dices sufficere fidem humanam de tali promissione, si vnus fidelis illam proponat Gentili, quia proponitur obiectum necessarium ad spem. Respondeo non proponi obiectum certitudine tanta ex parte intellectus, qualis requiritur ad actum fidei supernaturalem, & experientia ostendit inter homines eo minus certam esse spem, quo est minus certa cognitio de prouisione. Quæ ratio satis ostendit, connexionem requisitam inter actum spei, & cognitionem supernaturalem esse ex natura rei, & non solùm ex lege & libera voluntate Dei ordinantis vnum ad aliud.

Addendum est rationem specialem esse respectu actus fidei, vt constat: quomodo autem spes sit necessaria ad iustificationem, diximus in materia *de Gratia.*

Dubium II.

An de potentia absoluta Dei possit fieri actus spei cum sola cognitione naturali.

Quæstio est de actu spei supernaturali secundùm substantiam.

In hac difficultate aliqui recentiores existimarunt, de potentia absoluta ad talem actum spei sufficere actum cognitionis naturalis; & præcipua ratio est, quia per fidem humanam potest quis cognoscere obiectum spei supernaturalis, nempe omnipotentiam Dei, & auxilium eius, & prouisionem, hoc enim solùm potest fidelis docere Gentilem. Ad actum verò supernaturalem voluntatis satis est, si præcedat obiectum, etiamsi proponatur cognitione supernaturali.

Hæc autem sententia duobus modis potest expli-

A cari: vno modo, si quis dicat talem cognitionem esse ex viribus naturæ; altero modo, si quis dicat illam cognitionem esse ex gratia Dei per Christum, licèt sit auxilium naturale secundùm substantiam.

Aliorum sententia est, etiam de potentia absoluta non posse esse actum spei supernaturalem sine cognitione supernaturali. Hanc ego tradidi multis in locis, præsertim in materia *de actibus, & tomo 1. in 1.2. dub. 3.* quam multi viri docti sequuti sunt.

Et primò dicendum est, non posse defendi sine errore quòd sufficiat cognitio ex viribus naturæ ad spem quæ est dispositio ad iustificationem; omnis enim dispositio & actus, siue intellectus, siue voluntatis necessarius ad iustificationem, est ex gratia, vt
B constat ex his, quæ docuimus in materia *de Gratia.*

Secundò dicendum est ad actum supernaturalem spei non sufficere cognitionem naturalem, etiam de potentia absoluta, quamuis talis cognitio dicatur esse ex gratia Christi.

Aliqui probant hanc conclusionem ex eo quòd Patres & Concilia requirunt cognitionem ex gratia ad iustificationem.

Sed hæc ratio non concludit, quia, vt loquuntur Patres, comprehendit naturalem & supernaturalem, vt probaui in materia *de Gratia, opusculo 11.*

Meliùs ergo potest probari ex propositione requisita inter actum voluntatis & intellectus, quæ
C est ratio à priori, quam attuli *loco citato*, & ea propositio tenet se ex parte obiecti, & ideo non potest de potentia absoluta suppleri à Deo & explicatur primò, quia sine cognitione non potest esse actus voluntatis, vt cum communiori doctrina diximus in materia *de actibus.*

Secundò, quia cum sola cognitione sensus non potest voluntas amare obiectum sensibile, vt communiter docent autores.

Deinde probatur efficaciter ratione facta suprà, quia etiam de potentia absoluta non potest esse firma spes, si non habeat homo firmam cognitionem in intellectu de omnipotentia Dei, & promissione illius. quæ ratio magni momenti est, si rectè
D consideretur. Et ex hac doctrina constat ad rationem contrariæ sententiæ.

Deinde arguo vlteriùs, quia sancti Patres necessitatem gratiæ ad iustificationem non probat ex ordinatione, aut libera voluntate Dei, sed ex infirmitate liberi arbitrij, vt constat ex his, quæ diximus in materia *de Gratia.* Ergo quando probant necessitatem fidei ad iustificationem, probant ex infirmitate materiæ; ergo etiam de potentia absoluta est necessaria fides, si homo iustificandus est per spem & charitatem, quia semper eadem est infirmitas, & si sufficeret cognitio naturalis, non esset necessaria fides ex sola infirmitate naturæ.

Ex dictis manent soluta quæ recentior quidam
E scriptor non omnino indoctus, docuit *lib. 2. de fide, disp. 14. dub. 8. & disp. 13. dub. 3.*

Dubium III.

An ad actum spei supernaturalem sufficiat cognitio supernaturalis ex parte principij.

Ponenda est opinio aliquorum Theologorum, asserentium circa obiectum formale naturalis ordinis posse esse actum supernaturalem secundùm substantiam, & secundùm tem. quam opinionem refutaui in materia *de Gratia, opusculo 13.*

Sed disputationis gratia quærimus, an si daretur

talis

talis actus supernaturalis, sufficeret ad actum spei, v.g. si daretur fides humana ea obiecto formali, quæ tamen secundùm rem esset supernaturalis, an sufficeret ad actum supernaturalem spei.

Eaistimare posset aliquis, talem cognitionem sufficere, quia illa haberet proportionem cum actu voluntatis supernaturali.

Nihilominus existimo circa cognitionem non sufficere, quia proportio requisita inter actum intellectus, & voluntatis, non est ex parre entitatis, hæc enim materialiter se habet, sed requiritur ex parte modi & obiecti formalis. quod in præsenti declaratur, quia, vt diaimus, supernaturalis cognitio requiritur ad spem, vt spes sit firma; ad hoc verò requirit coguitionem, quæ ea suo obiecto formali causat firmitatem; hanc verò non potest causare fides bumaua ex suo obiecto formali, quod est restimouium humanum, & sallibile, ex eo verò quòd entitas ipsa esset supernaturalis, non haberet testimonium bumanum maiorem firmitatem.

Existimo quòd si posset esse actus fidei diuinæ, quòd haberet pro obiecto formali testimoniũ Dei, etiamsi esset naturalis secundùm entitatem, sufficeret ad affectum spei, quia haberet proportionem requisitam ea parte obiecti formalis: sed, vt dixi 2.2. *ad quæst.* 6. quando obiectum formale est supernaturale, actus ipse erit supernaturalis secundùm substantiam.

Et ita cùm diximus suprà, ad actum spei supernaturalem esse necessariam cognitionem supernaturalem, loquuti sumus de cognitione supernaturali ea parte obiecti formalis, vt explicatum est; de aliis verò actibus supernaturalibus voluntatis dicemus infrà.

Dubium IV.

An ad affectum spei supernaturalem sufficiat apprehensio obiecti quæ sit supernaturalis.

CIrca hoc dubium legi possunt, quæ docui 2.2. *tom.* 1. *disp.* 46. *dub.* 5. *&* 6. & in materia *de Gratia opuscul.* 12. *dub.* 3. agentes de cognitione requisita ad affectum credendi.

In præsenti verò dubio existimare posset aliquis ad affectum supernaturalem spei suffieere aprehensionem supernaturalem quæ sit distiucta ab actu iudicij; & probari potest primò, quia nos diaimus ad primam voluntatem credendi sufficere apprehensionem supernaturalem, quod etiam docuit P. Suarez in materia *de Fide*; ergo à simili eadem erit ratio de spe.

Secundò potest probari, quia ralis apprehensio videtur proportionara cum actu voluntatis, quia est supernaturalis secundùm se, & ex parte sui obiecti: ergo nihil deest ad proportionem requisitam.

Sed contraria seotentia est probabilior, quam tradidi *locis citatis*, vbi rem tractamus, & probari potest, quia si hæc sufficeret, non esset ex natura rei requisita fides ad iustificationem, quia si apprehensio supernaturalis sufficeret ad spem, posita spe posset sequi sopernaturalis amor Dei, & habitus gratiæ in adultis.

Secundò probatur efficaciùs, quia sola apprehensio supernaturalis non sufficeret ad firmitatem quam requirit, hæc enim certitudo pendet ea certitudine iudicij de promissione Dei: apprehensio autem nihil affirmat, & si aliquid affirmaret, esset iudicium, & hanc opinionem sequuntur plures recentiores postquam legerunt mea scripta.

Ex doctrina tradita solui possunt duæ rationes contrariæ opinionis.

Ad primam, esse discrimen, quia ad affectum primum credendi concurrit iudicium quoddam naturale secundùm substantiam ex gratia ordinis naturalis, & apprehensio supernaturalis, vt locis citatis explicui, neque ille affectus habet naturam, qualem haber spes quæ requirit specialem firmitatem.

Ad secundam respondetur, eam apprehensionem non esse proportionatam sufficienter ad affectum spei, quia non habet certitudinem, nec firmitatem quæ iuuat ad firmam spem.

Sed dicet aliquis saltem sufficere ad actum spei apprehensionem supernaturalem cum iudicio naturali præcedenti de promissione, & omnipotentia Dei. Respondetur totum hoc non sufficere, quia non habent istæ duæ cognitiones simul certitudinem & firmitatem requisitam ad actum spei.

Dubium V.

An ad actum charitatis supernaturalem requiratur supernaturalis cognitio.

COnueniunt Doctores, ad actum charitatis secundùm communem legem necessarium esse actum fidei diuinæ, nam sine fide impossibile est placere Deo, *ad Hebræos* 11.

Sed aliqui hoc trahunt in solam Dei ordinationem, alij verò in proportionem requisitam ex natura rei inter actum intellectus & voluntatis.

Et hæc posterior doctrina mihi est longè probabilior, propter ea quæ diaimus suprà de actu spei supernaturalis, nempe propter proportionem requisitam inter actum intellectus & voluntatis.

Secundò, quia actus charitatis est perfectior actu spei: ergo, si spes requirit cognitionem supernaturalem, etiam actus charitatis illam postulabit.

Tertiò, quia, qui diligit Deum supernaturalem, etiam actus charitatis illam postulabit.

Quartò, quia diligit Deum super omnia, & in statu in quo potest sperare à Deo bona supernaturalia; ergo requirit cognitionem quæ possit mouere ad sperandum spe diuina.

Alij probant nostram sententiam ea Conciliis & Patribus, qui docent ad actum charitatis requiri gratiam excitantem & præuenientem. Sed hoc argumentum non est efficax, quia posset aliquis dicere cognitionem quæ mouet ad actum charitatis esse gratiam per Christum, licèt sit naturalis secundùm substantiam.

Dices quòd de facto præcedat fides diuina ante actum, sufficienter reducitur in ordinationem Dei; ergo sine causa assignamus aliam causam: sed hoc argumentum nullius est momenti, quia sæpe ordinatio Dei fundatur in naturis rerum, vel non distinguitur ab ipsis naturis rerum: sicut si quis dicat ordinari ignem ad calefaciendum, & in præsenti ipsa natura actus voluntatis postulat actum intellectus sibi proportionati.

Dices, lumine naturæ poteſt cognoſci Deum eſſe diligibilem ſuper omnia: ergo poſita hac cognitione poteſt homo ex auxilio gratiæ diligere Deum ſuper omnia ſine cognitione ſupernaturali. Reſpondeo circa antecedens eſſe aliqualem controuerſiam, & Philoſophi cognouerunt tale obiectum, de qua diximus in materia *de Gratia, opuſcul.* 13. Deinde quidquid ſit de antecedenti, conſecutio ſolùm poteſt eſſe vera de amore naturali & auxilio gratiæ naturalis ordinis, non tamen de amore ſupernaturali, de quo loquimur in hoc dubio.

Et dicendum eſt eam cognitionem non ſufficere ad actum amoris ſupernaturalis eliciendum, ſicut etiam ſi per fidem acquiſitam poſſint Gentiles diſcere & cognoſcere Deum eſſe amabilem ſuper omnia, ſi ita docet concionator Chriſtianus, tamen per talem fidem non poteſt excitari voluntas ad ſupernaturalem amorem.

DVBIVM VI.

An de potentia abſoluta poſſit voluntas elicere amoris ſupernaturalis actum, per ſolam cognitionem naturalem.

IN hac controuerſia affirmant aliqui recentiores, ſicut etiam in ſimili de cognitione requiſita ad actum ſpei ſupernaturalem; & probari poteſt, primò, quia per cognitionem naturalem poteſt proponi obiectum amoris, ſiue cognitio ſit ſcientia naturalis, ſiue fides humana.

Secundò, quia licèt requiratur gratia ex parte intellectus ad talem amorem voluntaris: tamen hoc poteſt intelligi de gratia naturali ſecundùm ſubſtantiam.

Tertiò, quia quæcumque ratio obiecti poteſt cognoſci fide humana; ergo poteſt moueri voluntas ad talem amorem ſupernaturalem.

Secunda ſententia eſt aſſerentium etiam de potentia abſoluta non poſſe voluntatem elicere votum amoris ſupernaturalis amicitiæ erga Deum, & ſequuntur plures viri docti huius ætatis. quem tradidi *tomo* 1. *in* x. 2. *diſput.* 25. *dub.* 3. *& opuſculo* 1x. *de cognitione requiſita ad primam voluntatem credendi.* Et primò certum eſt non poſſe dici ſufficere cognitionem ex viribus naturæ; eſt enim certum de fide ad actum ſupernaturalem amoris Dei eſſe requiſitam gratiam excitantem ex parte intellectus, vt conſtat ex his quæ diximus in materia *de Gratia*; ergo ſi ponatur cognitionem naturalem ſufficere ad talem amorem, dicendum eſt eam cognitionem eſſe ex gratia per meritum Chriſti.

Deinde mihi eſt probabilius non poſſe fieri actum amoris ſupernaturalis ſine cognitione ſupernaturali. hæc concluſio probanda eſt primò ex proportione requiſita inter actum intellectus, & voluntatis, & quod requiritur ex parte intellectus, tenet ſe ex parte obiecti formalis, & ideo non poteſt ſuppleri à Deo.

Secundò, quia diximus, ſpes non poteſt fieri ſine tali cognitione: ergo neque charitas quæ eſt perfectior.

Tertiò, quia certum eſt non poſſe fieri ſine cognitione, ſecundùm probabiliorem opinionem, vt diximus 1. 2. in materia de actibus. Deinde non poteſt fieri ſine cognitione ex gratia, quod eſt valde certum. Ergo cùm ſit ſupernaturalis voluntatis, non poterit fieri ſine cognitione ſupernaturali, illud enim prædicatum ſupernaturalitatis eam videtur requirere. Quod ampliùs explico, quia ſecundùm probabiliorem multorum opinionem amor amicitiæ naturalis non poteſt fieri ſine gratia, & ita requirit cognitionem naturalem quæ ſit gratia: ergo perfectior actus ex parte voluntatis requirit perfectiorem gratiam ſupernaturalem, quia eſt amor ſupernaturalis amicitiæ cum Deo. Hæc autem neceſſitas gratiæ oritur ex infirmitate naturæ, quæ ſemper permanet.

Dices, actus intellectus concurrit ad actum voluntatis in genere cauſæ efficientis: hoc autem genus cauſæ poterit ſuppleri à Deo. Reſpondetur primò, antecedens eſſe falſum, vt alibi docui. Secundò, licèt concedatur vt verum, conſecutio eſt inefficax, quia quod nos requirimus ex parte actus intellectus, pertinet ad obiectum formale comparatione voluntatis in modo proponendi obiectum. hoc autem genus non poteſt ſuppleri à Deo.

Dices opinionem eſſe aliquorum poſſe actum voluntatis fieri de potentia abſoluta ſine actu intellectus. ergo multo faciliùs poterit fieri aliquis actus ſupernaturalis cum cognitione naturali. Reſpondeo antecedens eſſe omnino falſum, vt probaui in materia de actibus.

Secundò in præſenti diſputamus cum his, qui admittunt eſſe neceſſarium omnino actum intellectus, & actum voluntatis. Item loquimur de actu voluntatis vt liberè fiat, quod ſine cognitione non contingit.

Ex dictis manent ſoluta argumenta contrariæ opinionis.

DVBIVM VII.

An ad actum charitatis ſupernaturalis ſufficiat apprehenſio ſupernaturalis.

IN hac controuerſia ſunt qui putant ſufficere talem apprehenſionem ad actum ſupernaturalem ſpei. Idem dicunt de acto charitatis, præſertim illi, qui ſentiunt ſufficere cognitionem naturalem ex auxilio gratiæ; & probari poteſt à ſimili, quia apprehenſio ſupernaturalis cum iudicio naturali ex gratia dicitur ſufficere ad primam voluntatem credendi ſine ſupernaturali; ergo à ſimili.

Secundò, quia talis apprehenſio poteſt repræſentare obiectum amabile amore charitatis, & eſt ſupernaturalis: ergo.

Secunda opinio eſt talem apprehenſionem non ſufficere, quam tradidi locis ſuprà citatis, & placuit doctiſſimis huius temporis, & probant aliqui ex eo quòd putant ſolam apprehenſionem non ſufficere ad actum voluntatis, de quo modò non diſputo, ſed diſputaui 1. 2. in materia de actibus, & dubium procedit, an ſufficiat talis apprehenſio ſupernaturalis cum aliquo iudicio naturali, vt de cognitione requiſita ad primam voluntatem credendi diximus *locis citatis*.

Probanda verò eſt noſtra ſententia ex proportione quæ eſt inter actum voluntatis & intellectus ſufficienti, de qua diximus ſuprà.

Sed dices apprehenſionem ſupernaturalem eſſe ſatis proportionatā cum actu ſupernaturali amoris. Reſpondeo non eſſe ſufficienter proportionatā cum perfectiſſimo actu ſupernaturali, quod explicatur,

quia,vt diximus suprà,talis apptehensio nun est proportionata cũ actu fidei supernaturalis:ergo minùs erit cum actu charitatis, qui difficillimus est,neque sula apprehensiu valet ad vincendam tantam difficultatem.

Ex bis verò & ex traditis suprà manent suluta argumenta contrariæ opinionis.

Norandum verò est in his dubiis communiter esse sermunem de actu supernaturali fidei,ponimus enim fidelem viarorem non habere aliam cognitionem supernaturalem cuidentem specularíuè.

Item nurandum est doctrinam traditam in hoc dubio intelligendam ita esse, vt sit vera, etiamsi de potenria ahsoluta sit sermo.

Potest aorem esse difficultas, an in homine habente fidem,postquam fecit aliquem actum charitatis, possit sequentes actus facere ex sola apprehensione supernaturaii, ex iudicio supernaturalis prudenriæ;& quæstionis causa est, quia in hoc caso licèt homo non facerer expressum actum fidei, tamen habet supernaturale iudicium prudentiæ ad uperandum hîc & nunc, & simul habet apprehensionem supernaturalis ubiecti,quod proponitur amandum.

Pro posirione notandum est id quod diximus agentes de Prudentia a. 2. *tomo* 1. *disp.* 99. *dub.* 3. ad actum virtutis theulogicæ secundùm se non concurrere prudentiam, quia virtus theulugica, vt ibidem docuimus ex S. Thom. non habet medium; officium verò prudentiæ est assignare medium in virtutibus, quud cunuenit virtutibus moralibus: igitur in iustis non est necessarius actus prudentiæ ad actum charitatis secũndùm se,licèt possit esse necessarios ad circunstantias tempuris,& ex parte subiecti,& ex huc fit quòd si non sofficiat sola apprehensio supernatoralis, non sufficier cum iudicio prudentiæ, quia tale iudicium non respicir obiectum diligendum amore charitatis.

Dvbivm VIII.

An possit viator per scientiam infusam supernaturalem diligere Deum amore charitatis.

Difficultas intelligirur, si talis scientia communicaretur viaturi, & nun elicerer actum fidei diuinæ. Sciendum autem est posse esse quæstiunem secundùm opinionẽ asserentiom posse dari spem repræsentantem Triniratem abstractiuè, & secundùm opinionem illorum,qui negant talem spem esse pussibilem, & admittit scientiã per se infusam aliorum obiectorum supernaturaliũ,qoæ ponitur in Christo.

De priuri controuersia disputauimus 1. *part.* in materia *de Trinitate,disp.* 2. 3. *part. quæst.* 11.

Circa primam, si daretur talis species, existimo illam sufficere ad generandam cognirionem, per quam viarot posset diligere Deum super omnia: posset enim per vsum talis specici producere supernaturale iudicium mouens ad amandum Deum super omnia,& ita nihil deficeret ex parte cognitionis,ratione cuius non posset diligere Deum fine cognitione fidei.

Sed ea opinio de spe repræsentante Deum absolutè, vt est in se, semper mihi visa est falsa, vt alibl docui.

Circa secundam variæ sunt de illa scientia infusa opiniunes Theologorum, alij docent per illam non cognooisse Christum Deum vt trinũ, alij affirmant per illam Christum cognuuisse Deum vt trinum absttactiuè.legatur P.Suar.& P. Vaxq. 3. *part. ad q.* 11. vbi de hac conttouersia egu disputaui;& secundùm A opiniunem assercorium posse per talem scientiam cognosci Trinitatem,facile intelligitur posse per illam moueri voluntatem ad amadum Deum, si aliud non obstet. de qou disputanr P Suar. & P. Vazq. 3. *p. ad quæst.* 19. & nus ibidem tractauimos.

Alia controuersia est, an per scientiam banc infusam possit viatur cognoscere Deũ vt vnum? Aliqui affirmant, vt P.Suat. 3. *part. ad q.* 11. *disp.* 23. *sect.* 5. per hanc scientiam posse cognusci Deum vt trinum.

Sed negat P. Vazq. 3. *p. tom.* 1. *ad quæst.* 15. *disp.* 53. *cap.* 1. de qua contruuersia dixi 3. *part. ad quæst.* 11.

In præsenti verò dubio satis sit dicere quòd si talis scientia infusa potest vel immediatè sine discursu causare cognitiunem Dei vnius,vel cum discursu, potest esse amur supernaturalis,vt cõsectariè ducuit B P.Suarez *suprà*;est enim actus supernaturalis,& proponit ubiectum diligibile amore supernaturali:ergo poteit muuere voluntatẽ ad talẽ actum eliciendum.

Dvbivm IX.

An per discursum theologicum possit quis moueri ad amorem Dei super omnia.

POnendum est quòd si actus fidei infusæ esset com discursu,vt aliqui purarunt,per illum posset moueri volnntas ad amandum Deum amote charitaris, quia esset iudicium supernaturale,ac proinde C esset proportionatus cum actu voluntatis.

Circa discursum verò theologicum notandum est quòd loqui pussumus de præmissis,vel de conclusione,& si præmissa aliqua sit de fide citca obiectum diligendum,facilè intelligitur per illum tanquam per actum fidei posse moueri voluntatem ad amandum Deum amore amicitiæ supernatnrali. Si verò loquamur de cunclusione theologica,si quis discursu colligeret Deom esse super umnia diligendum, potest esse quæstiu,an ex vi illius conclusionis posset humo muoeri ad diligendum Deum soper umnia, & hoc pendet ex eo,an ralis conclusio sit furmaliter supernaturalis,vel non. de quu egu dixi a. 2. *tom.* 1. *ad q.* 6. & si non sit supetnatutalis, nun poterit mooete ad D supernaturalem amorem, sed moueri posset homo ex præmissa supernaturaii: si tamen, vt ego existimo, conelusio est formaliter supernaturalis, poterit illa muuere ad actum supernaturalem.

Hæe verò doctrina intelligenda est de conclusione theolugica, qui per legitimam consequentiã colligitur ex vña de fide,& altera euidenter nota. nam si solùm sit conclusio quæ sit upinio, erit naturalis, nec poterit muuere ad supernaruralem amorem.

Hoc loco placet aduertere, Ægidium *libr.* 1. *disp.* 4. *dub.* 6. *concl.* 3. mihi tribuere quòd dixerim habitum theologicum esse naturalem, & eitat locum ex *tom.* 2. *in* 2. 2. *dist.* 44. *dub.* 2. §. 3. *fin* sed non adoertit Ægidius me ibi loqui sub conditione cõmunis opi- E nionis, expresè enim dixi, si babitus Theologiæ sit acquisitus, vt est secundum communem upinionem; ego tamen meam sentenriam tradidi in eo tomo *disp.* 46 *dub.* 10. vbi docui supetnaturalem assensum theologicum.

Dvbivm X.

An ad actus supernaturales virtutum moralium infusarum sit necessaria cognitio supernaturalis.

IN boc dubio, sicot In præcedentibus, variæ sont Doctotum opiniunes.

Prima asserentium secundùm legem ordinariam, A necessariam esse ad actus virtutum moralium infusarum cognitionem supernaturalem, siue ex ordinatione Dei, siue ex proportione requisita inter actum intellectus, & actum voluntatis.

Secunda opinio potest esse, non requiri talem cognitionem de facto, quia non potest esse cognitio fidei, quia non est de fide, esse de facto tales virtutes, & multi eas negant, vt constat ex Doctoribus 1.2. in materia de virtutibus. Deinde non potest dici sufficere solam apprehensionem, quia requiritur iudicium ad assignandam materiæ mediocritatem.

Tertia opinio est, saltem de potentia absoluta harum virtutum actus posse fieri sine cognitione supernaturali, quia obiectum potest proponi cognitione naturali, & per prudentiam naturalem potest assignari materia, & medium illius. B

Quarta opinio est asserentium actum humanum posse fieri per actum theologicè deductum per discursum. v.g. si quis discurrat hoc modo, honestas supernaturalis est amabilis in peculiari materia; hic est peculiaris materia virtutis iustitiæ infusæ : ergo est amabilis.

Difficultatem huius dubij cursim attigi in materia *de Gratia*, *opusculo* 12. *dub.* 3. & primò mihi placet ex natura rei harum virtutum actum requirere cognitionem supernaturalem, propter proportionem requisitam inter cognitionem & volitionem. C

Secundò dico non esse hanc cognitionem iudicium fidei infusæ, quòd dicitur hic esse obiectum virtutis infusæ dictum ab obiecto virtutis acquisitę, quia hoc non est secundùm fidem diuinam.

Dico tertiò posse fieri actum virtutis moralis infusæ præuio actu supernaturali prudentiæ infusæ, quæ cognitio, fide diuina, supernaturali fine & per cognitionem naturalem materiam harum virtutum potest assignare, & medium earum, vt dixi *opusc.* 12. *de Gratia, dub.* 3.

Item licèt non sufficiat sola apprehensio supernaturalis, interdum tamen poterit concurrere cum D prudentia infusa; sola enim apprehensio non potest assignare materiam, & medium illius.

Dices, ad assignandam materiæ mediocritatem, seu medium sufficere prudentiam naturalem; ergo illa sufficiet ad actū simul cum apprehēsione supernaturali. Respondeo solam prudentiam naturalem, seo acquisitam non sufficere, quia debet designare medium respectu supernaturalis finis & honestatis supernaturalis.

Dices totum hoc posse cognosci fide acquisita : sed hæc cognitio non est proportionata ad actum voluntatis supernaturalem, vt sæpè diximus.

Vlteriùs dico discursum theologicum, siue omni- E no certum per legitimam consequentiam, siue opinatiuum vt probabilem, non posse sufficere ad actus virtutum moralium sine prudentia.

Item notandum est harum virtutum actus posse procedere in habentibus dona Spiritus sancti ex dono aliquo intellectus: an verò dona distinguantur à virtutibus, non est huius loci.

DISPVTATIO XIX.

THEOLOGICA.

De ignorantia.

Circa quæst. 76. primæ secundæ.

DVBIVM I.

An ignorantia sit causa peccati.



ANTE omnia explicandum est, quid sit ignorantia, & quotuplex.

Diuiditur ignorantia in eam quæ dicitur à S. Thom. *art.* 2. nescientia, & in eam, quæ propriè dicitur ignorantia. Nescientia est eorum, quæ quis scire non potest, quam in Angelis respectu aliquorum obiectorum fatetur Dionysius 7. *de Ecclesiastica Hierarchia*, *post medium*, & 6. *de Ecclesiast. Hierarch.* At ignorantia eorum esse dicitur, quæ quis cognoscere potest.

Deinde ignorantia secundo modo sumpta diuiditur in ignorantiam prauæ dispositionis, & ignorantiam puræ præmissionis, quæ dicitur error: aliam puræ priuationis, & est sola priuatio scientiæ.

Tertiò ignorantia in vniuersum diuiditur in ignorantiam practicam, & speculatiuam: illa dicitur practica, quæ opponitur scientię practicæ, id est, quæ est principium operis; hæc verò, quæ opponitur soli scientiæ speculatiuæ.

Quartò diuiditur ignorantia in ignorantiā iuris & facti: iuris dicitur, cùm ignoratur lex, aut præceptum; facti verò, cùm quis ignorat res ipsas, seu actiones prohibitas.

Quintò diuiditur in antecedentē, comitantem & subsequentem, de qua S. Thom. *suprà q.* 6. & P. Vazq. *ibid. disp.* 29. Antecedens dicitur quæ antecedit omnē voluntatem explicitā, & implicitā, & ita nollo modo est voluntaria, & hæc dicitur inuincibilis, & vocatur etiam probabilis. Inuincibilis, quādo nulla diligentia vinci potest, probabilis verò, quando homo probabili ratione ita iudicauit, vt amplius non debuerit. Hæc antecedens dicitur causa operis, quod aliàs non fieret, si scientia adesset.

Ignorantia autē comitans est quæ neque sequitur voluntatem explicitā, aut implicitā, neque est causa operis, vt cùm quis occidit hominē putās esse feram, quem tamen occideret etiā, si sciret esse hominem.

Consequens dicitur, non quia consequatur opus, sed quia est voluntaria, & ita aliquo modo consequitur voluntatem.

Vlteriùs ignorantia consequens diuiditur in affectatam, seu crassam. Affectata dicitur, quam quis directè vult; crassa verò, quæ solùm oritur ex negligentia addiscendi. De his diuisionibus legi potest Alm. *tract.* 1. *moral. cap.* 2. Corduba *lib.* 2. *quæst.* 7. & interpretes in hanc quæstionem, P. Thom. Sanch. suprà qui *n.* 8. docet has diuisiones posse intelligi de inaduertentia, seu obliuione, vt docent P. Azor *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *quæst.* 3. P. Suar. 5. *tom. in* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 8. *art.* 5.

Restat explanare quomodo ignorantia sit causa peccati, & quidem ea ignorantia, quæ tollit scientiam, si adesset, impediret peccatum esse causam per accidens peccati. Docent communiter autores cum S. Thom. *art.* 1. dicitur verò causa per accidens, quia priuatio non potest esse per se causa; vocant verò interpretes in quæstionē, an hæc doctrina S. Thom intelligēda sit de ignorātia vincibili, vel de inuincibili. Caiet. *in art.* 1. de vtraque intelligit doctrinam

doctrinam S.Thom. nomioe tamen peccati non intelligit actum qui vetè sit culpa, & imputetor, sed actum ipsum, siue imputetur, siue non. huoc sensum secutus est Conrad.*in art.*1.

Alij Thomistæ docent S.Thom. intelligendũ esse de ignorãtia consequenti, quia antecedẽa potiùs excusat à culpa & peccato. P.Vazq.*disp.*117.*in fin.* admittit de vtraque posse intelligi S.Thom. diuerso seosu.

DVBIVM II.

An ignorantia fusè sit peccatum.

NOn quætimus, an hoc peccatum sit proximè in intellectu, vel voluntare; neque quærimus, an sit ignoraotia primariè, vel secuodariè mala, sed an sit peccatum sicut homicidium, quod est peccatum, licèt sit quæstio, an sit ptimariè malum homicidium, vel potiùs ipsa voluntas homicidij.

Prima opiuio est asserentium ignorantiam secundùm se esse peccatum, & non solùm ratione negligentiæ. ita sensit Alensis 2.*p. quæst.*11.*in* 1.Bonau.2.*dist.*22.*art.*2.*q.*2. Ros.*art.*2.*quæst.*1. Marsil. 2.*quæst.*15.*art.*2. Alb. *dist. cit. art.*7. Almay. *tract.*1.*moral.cap.*4. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali cap.* 14. & S. Thom. 2. *dist.* 22. *quæst.*2. *art.*1. Et probari putest primò, quia quod fusè est contra præceptum secundùm se, est peccatum, sed ignorantia est contra præceptum; ergo. Secundò, quia si aliquid obstaret quominus ignorantia semper esset peccatum, maximè quòd esset opposita virtuti intellectus: sed hoc non impedit, quia hæresis est in iutellectum, & est peccatum secundùm se.

Aliorum sententia est, ignorantiam secundùm se nõ esse peccatũ. ita sentit S.Thom.*art.*2. Caiet. Conrad. & alij *in eum articulum*. P. Vazq. *disp.*118.*c.*2. quia hanc esse mentem S.Thom. *art.*2. osteodit P. Vazq. *cap.*2.*citato*. Notatum verò est suprà Doctores asserere, ignorantiam solùm esse peccatum ratione negligenriæ: per hanc autem negligentiam nõ intelligunt solùm omissionem & motum voluntatia, quia licèt sit necessaria vt sit peccatum voluntarium, tamen hoc peccatum negligentiæ sciendi extra voluntatem confirmatut, non quidem in priuarione sciẽtiæ, sed in omissione diligentiæ, quam quis dicto, vel facto adbibere debebat, vt sciret; sicut S. Thom. *art.*2. *in solut. primi*, manifestè docuit. Item sciendum est Doctores secundæ opinionis non eodem modo philosophari de primo subiecto malitiæ huius peccati; sed de huc suprà ad quæst. 20.

Deinde scire oportet hanc quæstionem non eodem modo probari ab omuibus. Caiet. probat, quia omne peccatum debet opponi alicui virtuti motali; ignorantia verò non opponitur virtuti morali, quia opponitur scientiæ; scientia verò tantùm est materialis perfectio intellectus, non virtutis moralis.

Sed hæc ratio Caiet. viderur contra doctrinam S.Thom. nã suprà *q.*74 *a.*5. ducuit io intellectu passo esse peccatum, & plauè loquitur in genere virtutis.

Deinde conrra Caiet. est quòd fides est in intellectu, & contra illam est peccatum hætesis. Item licèt scientia sit vittus intellectualis quatenus perficit intellectũ circa verũ; tamẽ potest esse materia virtutis moralis, quatenus secundùm debitũ modum potest esse cõueniens oaturę rationali & rarionalis est.

Durandus 2.*dist.*22.*p.*3. duabus rationibus vtitur ad probãdam hanc secuodã opinionem; prima est, si ignotantia quatenus Ignotãtia est, esset peccatũ, sequeretur hominem tãdiu peccare, quandiu ignorar aliquid; & tamen hoc est absurdum, quia transacto peccaro potest quis manere in statu Ignorantiæ. Hæc tamen ratio parum habet efficacitatis, quia etiamsi diceret aliquis ignorantiam secundùm se esse peccatum, non esset intelligendum, nisi pto tempore quo scire potest & debet.

Vera ergo est altera ratio, quà vsus est Durandus, Corduba, & P.Vazq. *supra*, quæ talis est: Peccatum actuale vel est priuatio rectitudinis debitę actui, vel relatio contrarietatis actionis cum uatura rationali, nullum enim peccatum actuale consistit essentialiter in priuatione actus primi, seu alicuius formæ, sed in priuatione actionis debitæ, vel restitutionis debitæ actui. Secundò, vel in conttarietate cum natura rationali; ignorãtia verò non opponitor actioni, sed dicit priuationem babitus, nempe scientiæ: ergo non est secundùm se peccatum. Et ita S.Thom. *art.*2. io solutione secundi negat priuationem gratiæ esse peccatũ, tum quia est priuatio habitus, & in hoc sensu loquuti sunt Doctores secundæ sententiæ.

Aduertendũ est ignorantiã sumptam pro priuatione actualia cognitionis, quæ dicitur inconsideratio, bene posse esse peccatum secundùm se, vt planè concedit S.Thom. *in solut.* 3.

DVBIVM III.

An ignorantia sit speciale peccatum.

DE hoc disputat P. Vazq *hic disp.*119. & diximus 2.2.*ad quæst.*53.*disp* 102. de imptudentia.

Aliquorũ sentẽtia est esse speciale peccatũ. citator S.Thom. de cuius mente dicemus ex instituto infrà.

Probatur verò ratione, quia prudentia est peculiaris vittus cardinalis distincta ab aliis tribus: ergo habet peculiarem virtutem oppositam.

Dicta esse virtutem intellectualem; sed cõtra hoc est, fidem esse virtutem intellectualem, & habere vitium peculiare oppositum sibi: ergo prudentia habere illud potest.

Secundò probatur ex Augustino *lib.* 1. *de moribus Ecclesiæ c.*15. vbi quadripartitam vittutis distinctionẽ explicat ratione varij affectus amoris: ergo quælibet potest habere suum vitium contratium Hanc sententiam viderur planè sequi P. Valẽtia *hic disp.*4. *quæst.*5.*punct.*1. cùm enim numerasset vitia opposita prudentiæ, ait hæc peccata differre specie, & explicanda esse in confessione quando sunt directè voluntaria, aliàs solùm esse circunstantias generales peccati, & sequuotur aliqui alij tecentiores.

Aliorum sententia est non esse speciale peccatum in genere motis. ita graues Theologi huius ætatis, & ducuit P. Vazq. 1.2.*disp.*119. *cap.*1. loquitur verò de speciali peccato distincto ab eo quod ex imprudentia committitur in materia virtutis moralis. Eandem doctrinam sequitur P. Azor. *tom.*1. *lib.*1.*cap.*12. Herrera in materia *de peccatis*, *disp* 55.*q.*7. Antisiodorensis *lib.*2 *summa, tract.*29. *cap.*1. & alij recentiores 1.2.*ad quæst.*76.

Explicationis gratia dicendum est imprudẽtiam secundùm se oon esse speciale peccatũ distinctum à peccaro, quod ex illa sequitur in voluntate circa materiam vittutis moralis. Probatur, quia malè consultare, aut iudicare circa res agendas, non est malum morale, secundũ se, nisi quatenus est causa peccati in volũtate; si enim nõ esset causa peccati in voluntare, nullũ esset peccatũ, licèt esset defectus in intellectu.

Secundò probarur, quia prudentia non est virtus moralis, sed intellectualis, vt docuit Aristoteles 2.*Ethicor. cap.*1. *&* 3. & S. Thom. 1.2. *varijs locis*, præsertim *quæst.*58. & in hac 2.2. *quæst.*4. *art.*8 & in hac

quæstione dicit esse in intellectu,& non in appetitu, A vnde Bernardus *serm.49.in Cantica* ait: Est ergo discretio non tam virtus, quàm moderatrix, & auriga virtutum ordinatrixque affectuum, & morum doctrix; virtuti verò intellectuali secundùm se non opponitur peccatum moris, quod potest explicari, & explicant aliqui, quia non opponitur arti, & scientiæ.

Sed posset aliquis vrgere esse discrimen: nam ars non versatur circa materiam moris, bene tamen prudentia. Verùm respondere posset aliquis prudentiam versari circa materiam moris in ordine ad voluntatem, & ita posse esse peccatum, quatenus est causa peccati,non tamen secundùm se,vt in intellectu versatur circa verum.

Tertiò idem probatur,quia virtuti intellectus se- B cundùm se solùm debet opponi vitium intellectus ratione obiecti, circa quod versatur prudentia, & imprudentia.

Dices negligentiam sciendi res necessarias esse speciale peccatum oppositum studiositati, & tamen negligentia sciendi opponitur scientiæ. Respondetur eam negligentiam non esse peccatum quatenus opponitur scientiæ, sed quatenus opponitur peculiari virtuti morali, nempe studiositati, de qua agit S.Thom.infra *quæst.166.*

Dices,fides est virtus intellectualis,vt diximus suprà, & tamen habet vitium oppositum peccatum hæresis. Respondetur non fore vitium peculiare, C nisi supponeret affectum. quod explico: nam prudentia est instrumentum generale omnium virtutum moralium, licèt supponat rectum propositum finis secundùm se;fides verò non supponit affectum virtutum theologicarum,neque vt sit peccatum requiritur vt solùm sit tale,quando mouet defectus eius ad peccatum cōtra alias virtutes, quæ sunt in voluntate;defectus verò prudentiæ non est peccatum,nisi quando est causa peccati in voluntate; peccatum verò oppositum fidei non sumit suam malitiā ex alio vitio voluntatis,sed ex obiecto contrario fidei.

Ex dictis manet refutata sententia P. Valentiæ, & peculiariter possumus arguere contra ipsum, quia si defectus prudentiæ non est peccatum, quan- D do non est directè voluntarius; ergo non est peccatum absolutè, quia quando actus consummatur extra voluntatem, sufficit vt sit peccatum esse voluntarium indirectè,vt patet in actu homicidij,& pono ex materia de bonitate & malitia. Defectus verò prudentiæ fit in intellectu, atque adeò consummatur extra voluntatem.

Dicendum est secundò vitia imprudentiæ esse defectus secundùm se intra genus cognitionis peculiari ratione,vt constat,peccata tamen intra genus moris non sunt secundùm se, vt probatum est. Et hanc doctrinam indicat Caietanus *in hac quæst. ad art. 2. circa solutionem tertij*, dicit enim malum consilium, esse malum intra limites actuum rationis, & tamen E quando referuntur ad vnam materiam, esse vnius speciei; sine idoneo verò argumento restrinxit Valentia doctrinam Caietani ad vitia imprudentiæ indirectè volita.

Ad primum contrariæ sententiæ constat. Ad secundum respondetur, Augustinum ex vario affectu amoris velle distinguere virtutes,sed prudentia non requirit peculiarem amorem qui habeat peculiare vitium oppositum, ad prudentiam enim sufficit, si præcedat amor finis honesti secundùm se in hac,vel illa materia moralis virtutis.

Sed solet obiici S.Thomas,verùm de mente eius iamiam dicemus.

Dubium IV.

Quæ sit mens S. Thomæ in controuersia præcedentis dubij.

Aliqui putant S. Thomam existimasse imprudentiam esse peccatum speciale secundùm se distinctum à peccato contra virtutem moralem,circa quam versatur primò, quia in articulo secundo huius quæstionis in corpore, dicit imprudentiam esse vitium generale per participationem,quia reperitur in omnibus vitiis,& vltra hoc dicit esse peccatum generale, quia continet sub se species aliquas peccatorum contra species prudentiæ. Deinde in solutione secundi docet ignorantiam non esse peccatum, nisi ratione negligentiæ, imprudentiam tamen secundùm rationem suam esse vitium morale, ideòque magis posse dici speciale peccatum.

Tertiò, quia *artic. 4.* docet inconsiderantiam esse speciale peccatum.

Quartò,quia *quæst.55.* assignat alia vitia opposita prudentiæ.

Quintò,quia *quæst.56.art.1. ad secundum* admittit in Euangelio datum fuisse præceptum de prudentia, Matth.10. *Estote prudentes.* Videtur ergo admittere peculiare præceptum, ac proinde peculiare vitium contra illud.

Sextò, quia *quæst. 54. art.1.* cùm proposuisset secundum argumentum ad probandum negligentiam non esse speciale peccatum, quia inuenitur in omni materia peccati, respondet negligentiam esse speciale peccatum, propter specialem defectum rationis.

Nihilominus multi viri docti putant S.Thomam nunquam sensisse imprudentiam habere malitiam distinctam à malitia virtutis moralis, circa quam versatur. Hoc autem ex solutione argumentorum, quæ pro contraria opinione referuntur, probandum est.

Ad primum respondetur in eo loco solùm asserere S. Thomam imprudentiam esse vitium generale,quia sequitur omne peccatum contra virtutem moralem, deinde quia habet sub se plures species in intellectu: sed non vult illos defectus intellectus esse diuersa vitia moralia, sed diuersos defectus oppositos virtuti intellectuali, qui tamen, vt notat Caietanus in eum articulum circa vnam materiam virtutis moralis, eiusdem sunt speciei in esse moris.

Ad secundum respondetur,ibi S.Thomam solùm velle assignare discrimen inter ignorantiam, & imprudentiam, quòd ignorantia ex ignorantiæ ratione non connotat vitium, quia scientia in ratione scientiæ non connotat materiam virtutis moralis, & tamen imprudentia propriè opposita prudentiæ ex ratione sua connotat materiam virtutis moralis, sed non dicit vitium morale distinctum ab eo quod mouet voluntatem.

Ad tertium respondetur solùm velle S.Thom. esse speciale intra genus virtutis intellectualis,& eodem modo potest responderi ad quartum.

Ad quintum respondetur ibi solùm admittere generale præceptum prudentiæ, & in solutione secunda vult hoc esse expressè traditum in lege euangelica, & eodem sensu explicandus est articulo secundo.

Ad sextum concedimus esse speciale in eo sensu, quia est specialis defectus rationis, non tamen quia sit distinctus à peccato contra virtutem moralem,in cuius materia versatur.

DUBIUM V.

An inter infideles, vel fideles possit esse aliqua ignorantia inuincibilis iuris diuini.

DE hoc dubio agit P. Vazquez *in 1.2. disp.122.* & nos diximus *2.2.tomo 1.disp.28.dub.2.*

Aliquorum sententia fuit, nullum absque culpa posse ignorate ea, quæ sunt nostræ fidei mysteria. ita sensit Alensis *2.part. quæst.* 112. *m.*8. *& quæst.* 113. *m.*3 Antisiodorensis *lib.3. summæ tit.3. cap.2. quæst.3.* Albertus *2.quæst.22. art.10.* Gabriel *quæst.2. artic.3. dub.1.* & apertè Gerson *alphabeto 64. litera K, & alphabeto 62. littera I.* Bonauentura *3. dist. 25. artic.1. quæst.2. ad vltim. & quæst.3. ad penultimum.* Guilielmus Parisiensis *tit. de legibus*, Adrianus *quodlibeto* 2. sine argumentis, *quæst.1. ad 2. & quodlibeto* 10. *quæst.4. art.1. puncto* 3. & docuerat Hugo de sancto Victore *lib.2. de Sacramentis, parte 6.cap.5. in 3.tomo.*

Ex his verò Doctoribus Alexand. Bonauent. Gabriel, & Adtlanus loqui videntur de ignorantia eorum, sine quibus non contingit salus, hoc est, de his, quæ diximus esse necessaria necessitate medij; cæteri verò de ignorantia cuiusuis præcepti diuini positiui. Et probari solet primò prædicta sententia ex illo principio, Deus facienti quod est in se non denegat gratiam necessatiam ad salutem; ergo si quis non habet notitiam necessariam ad salutem, planè hoc prouenit ex culpa sua, quia non fecit quod debuit facere. Secundò, quia aliàs sequeretur posse aliquem consequi salutem sine fide, vel illum assequi eam omnino non posse, siquidem habuit ignorationem insuperabilem. Multa alia argumenta pro hac opinione adducit Corduba *lib. 2. quæstionarij quæst.4* quæ solùm probant fidem esse necessariam ad salutem. Et sensum Alensis sequitur Corduba, & probat tertiò ez illo ad Romanos 10. *in omnem terram exiuit sonus eorum*, id est, Apostolorum; ergo post sufficientem promulgationem Euangelij nullus haber ignorantiam rerum fidei inuincibilem.

Quattò si talis ignorantia posser contingere, constituamus aliquem hominem illa laborare, & nullum habere peccatum actuale; vel ergo damnabitur, vel saluabitur: si damnandus est, vel pœna sensus, vel tantùm pœna damni; sed pœnam sensus non potest habere, quia hæc infligitur propter peccata actualia; nec punietur sola pœna damni, hic enim modus puniendi solis destinatus est pueris, qui cum solo originali moriuntur; sine fide verò saluari non potest.

Sed quando in hac materia dicatur aliquis facere quod in se est, non eodem modo explicatur à citatis Doctoribus. Corduba putat non sufficere si quis postulet à Deo, vt illuminetur, sed necessatium esse vt Doctores consulat, vt ab eis instruatur. Alensis putat tunc aliquem facere quod in se est, quando rectè operatur iuxta cognitionem naturalem, quam habet de Deo. Alios cum Alensi pro sua sententia refert Corduba, immeritò tamen, vt suprà *cap.2.* ostendit P. Vazquez. Adrianus censet non sufficere ea quæ docet Corduba, sed necessarium esse disponi ad iustificationem, & post illam orationes fundere, & postulare à Deo illuminationem.

Sed contrariam sententiam docuit S. Thom. *in hac 1.2.quæst.10. art.1.* vbi concedit posse esse in aliquo infidelitatem negatiuam absque peccato, Durandus *in 3.dist.25. quæst. 1. ad 1.* Victoria relectione de Indiis insulanis, *concl.1.* Conradus *quæst.100. de contractibus.* Almainus *tit. 1. moralium cap. 4.* Vega *6.in Trident.cap.18.* Castro *lib.1. de lege pœnali cap.14.*

A P.Vazquez *disp. citata cap.3.* & sequuntur communiter recentiores, & mihi placet; & probatur primò ex autore quæstionum noui Testamenti apud August. *quæst.67.* deinde ex August. *tr.89. in Ioannem, epist.105. & epistola 80. lib. de natura & gratia cap.4.* & ratio est, quia illa ignorantia solùm culpæ potest imputari, quam aliquis debita diligentia non studuit expellere, vt bene docuit August. *lib.3. de libero arbitrio cap.22.* multi verò infideles non potuerunt aliqua diligentia debita eam expellere, quia nihil omnino de nostra fide vel audierunt, vel dubitarunt, vt constat ex historicis, & experimento eorum, qui ad gentes missi sunt ad manifestandum illis fidem Christi.

Deinde non est operosum soluere argumenta B primæ sententiæ. Et vt respondeamus ad primum, sciendum illam propositionem, Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, non esse intelligendam de faciente quod est in se ex solis naturæ viribus, vt rectè probat P. Vazquez *1.part. disput.91. cap.10.* cum S. Thoma *lectione 3. in cap.10. ad Romanos*, circa illud, *in omnem terram exiuit sonus eorum. & 1.2.quæst.109. art.6. ad 1. & quæst.112. art.2 & 3.* & alij referuntur à P. Vazquez *disputatione citata*, & sequuntur multi huius ætatis, & dicemus in materia *de Gratia.*

Secundò sciendum est, quod infrà suo loco dicemus, in infidelibus esse aliqua bona opera ex auxi- C lio gratiæ.

Tertiò notandum est in infidelibus esse aliqua auxilia gratiæ, quibus si bene vterentur, Deus non negaret illis alia auxilia necessaria ad iustificationem, vt docent Theologi in materia *de Gratia, & prædestinatione*, & docuit P. Vazquez *1.p.disp.97 c.5.*

His præmissis respondendum est ad primum, ignorantiam rerum fidei posse esse, vel oriri ex pœna inflicta à Deo propter aliquod peccatum infidelis, qui peccat, & non est bene functus auxilio gratiæ, ipsam tamen ignorantiam non esse culpam, quia rerum nostræ fidei homo ille non habuit cognitionem, vel notitiam aliquam, vel principium dubitandi, vel inquirendi & interrogandi de illa.

D Ad secundum respondendum est eo sensu, cuilibet esse possibile consequi fidem, & salutem, quia si non peccaret, & bene vteretur auxilio gratiæ, non denegaret Deus illi alia auxilia ad consecutionem fidei.

Ad tertium aliqui respondent Paulum *ad Romanos* 10. solum velle omnibus esse communicatam aliquam gratiam, vt possint Deum inuocare. legatur P.Vazquez *1.2.disp. citata, cap.3. & 1.parte disput.97. cap.5. & in eum locum Pauli.* Obseruandum verò est P.Vazquez *locis citatis* non excludere expositionem Patrum, qui illa verba, *in omnem terram exiuit*, &c. de Apostolis dicta esse à Paulo in sensu mystico putant, cum qua stare potest alia expositio, & sensus E literalis, vt constat ex materia de sensibus Scripturæ, & ea verba in sensu literali de cœlis, citata à Paulo, sensit Iansenius *in Psalm.* 18. Addendum verò est Paulum non docuisse singulis infidelibus ita esse datam notitiam Euangelij vt non potuerint aliqui sine culpa ignoratione laborare mysteriorum nostræ fidei; rectè enim asserit S.Thomas *in citatum caput ad Romanos lectione* 3. ex illis verbis non sequi, quòd ad singulos homines fama Apostolicæ prædicationis peruenerit. Et August. *epist.80.* docet ea verba tempore Apostoli non omnino esse completa, sed complenda, habetéque aliquid prophetiæ: & testatur August. suo tempore fuisse quasdam gentes in Africa, quibus fides Christi annunciata non erat.

A Ad quartum dicendum est, nullum adultum infidelem discessurum ex hac vita absque vllo peccato actuali, non ex necessitate illata a Deo, sed ex malitia illius hominis; ignorationem verò rerum fidei fore in eo pœnam alicuius peccati, vt supra explicatum est, ac proinde non habet locum quod inferebatur in eo argumento.

Restat dicere de ignorantia rerum fidei, maximè articulorum nostræ fidei inter fideles. Aliquorum sententia est non esse sine peccato talem ignorantiam articulorum, qui in Symbolo continentur. Sic docuit S. Thomas *lect.4. super cap.* 1. 1. *ad Corinth.* Bonauent. 3.*dist.* 25.*art.*1.*quæst.*3. Durandus *quæst.*1. Angelus & Syluester *verbo Fides.*

B Aliorum sententia est posse esse in aliquo fideli talem ignorantiam sine peccato, ita docet P. Vazq. 1.2 *disp. citata, in fine.* Bañes *in art.*8.*dub.* 2. *non longè à fine.* §. *est aliud argumentum*, & multi alij viri docti huius ætatis, qui non docent aliquid contra priorem opinionem, sed volunt illam esse intelligendam frequenter, raróque reperiri prædictam ignorantiam sine peccato, quamuis interdum possit contingere, quia fieri potest vt aliquis rusticus non sit à parentibus, vel parocho instructus de vno, vel altero articulo, quod non est facilè admittendum, quia cùm in Ecclesia celebrentur mysteria prædicta, occurret facilè cuilibet saltem dubium de ea re vt interroget, & instruatur à parocho, parentibus, vel aliis. C

Deinde sciendum est non obligari parochum, vel concionatorem ad docendam doctrinam Christianam singulos, sed satis esse si multos simul doceant in Ecclesia. ita Bañes *in art.*8.*dub* 2.*ad finem*, & aliis huius ætatis, & certè vix esse possibile parochum, vel concionatorem sigillatim vnumquemque fidelem docere fidei rudimenta, & ideo parochus solùm obligatur ad docendam doctrinam Christianam in sua Ecclesia, quando ibi sunt parochiani congregati, & aliqui religiosi in publicis plateis pueros instruunt, audientibus etiam adultis non sine magno fructu. Confessarij verò debent interrogare pœnitẽtes an sciant articulos fidei, aut Symbolum, & an aliquo modo mysteria articulorum in- D telligant; exhortari etiam debent patres familias, vt filios & seruos per se, vel per alios instruant, quando prudenter iudicẽt illos non esse rectè instructos.

Aliqua disputantur hìc à Doctoribus de præcepto credendi, de quibus dicemus infrà.

Dvbivm VI.

An iuris naturalis possit esse aliqua ignorantia inuincibilis.

IAm diximus suprà quid sit ignorantia inuincibilis.

E Prima opinio est asserentium nullam posse esse in homine ignorantiam inuincibilem iuris naturalis. ita sensit Alens. 2.*part. quæst.* 183.*mem.* 3. Gratianus 1.*quæst.*4. Albert. 3.*dist.*25. *quæst.*1. *ad* 1. Castro *lib.*2. *de lege pœnali cap.*14. & alij. Probant primò ex Arist. 3.*Ethicorum cap.*1. neque enim S. Thom. explicat de eo, qui putat in genere fornicationem esse licitam.

Secundò potest confirmari testimonio S. Thomæ *infrà quæst.*94. *art.*6. vbi docet vniuersalis legis præcepta quæ per se nota sunt non posse ignorari.

Tertiò probari potest, quia præcepta oriuntur à lumine naturali; ergo nisi sit minus offuscatum, non poterit quis eorum habere ignorantiam inuincibilem.

A Sed Corduba *lib.*1.*quæst.*4. & alij recentiores docent ista vniuersalissima legis præcepta, quæ per se notissima sunt, à nullo posse ignorari, vt loco allegato docuit S. Thom.

Alterum est, ea quæ in catalogo expressa sunt, quando occurrunt sine aliqua circunstantia, non posse ignorari: secus quando ratione alicuius circunstantiæ aliquis credens posse excusari à peccato; & licet aliqui, quorum facit mentionem P. Vazquez *disp.*122.*cap.*2. putauerint adulterium, vel furtum esse licitum, tamen hæc ignorantia censenda non est inuincibilis, & inculpabilis. Et hoc sensu potest intelligi Aristotel. suprà relatus, & potest confirmari ex his quæ de Gentibus docet Paulus *ad Rom.*1.

B Quartum est, conclusionum, quæ deducuntur ex præceptis Decalogi, & magis sunt remotæ, posse esse ignorantiam inuincibilem; & probari potest, quia istæ conclusiones non sunt adeò manifestæ & notæ, sicut præcepta vniuersalissima, vel sicut præcepta Decalogi: & hanc sententiam quantum ad omnia suprà dicta, sequitur P. Vazquez *disp.*122.*citata*, & *c. vltimo* respondet ad argumenta primæ opinionis, & ex dictis facilè constat quomodo respondendum sit.

Dvbivm VII.

C *Quomodo legis humanæ ignorantia censeatur carere culpa.*

COnstitutum est apud Doctores posse esse ignorantiam legis humanæ: vnde non est audiendus Guilielmus Parisiensis, qui *tract. de legibus* cõtrarium videtur sentire, absque vlla probabiliori specie: existimandum verò est, quando debeat iudicari inuincibilis. Et Almaynus *tract.*1.*moralium c.*4 definit ignorantiam hanc, quando homo ad eam vincendam fecit quidquid facere debuit.

Aliqui recentiores putant, insufficientem hanc definitionem, & dicunt addendum ei esse, vt quisque faciat quod communiter homines probi facere solent. Sed hoc modo non satis explicatum est, D quando sit inuincibilis.

Adrianus *quodlib.* 2. *fine argumentis quæst.*1. *ad* 2. *& quodlib* 4.*art.*1.*num* 3.*puncto*. . existimat satis esse si quis sequatur opinionem viri docti, vt ignorantia censeatur inuincibilis. Castro *de lege pœnali lib.*2. *cap.*14. putat necessarium esse plures viros doctos consulere.

Sed solùm hoc potiùs pertinet ad ignorantiam probabilem, quæ differt ab inuincibili, quod supponit aliquam notitiam eorum, de quibus dubitamus; & difficultas est, quid debeat facere dubitans vt prudenter dicatur procedere. Nunc verò disputamus de ignorantia inuincibili, quando rei cognitæ nullam habuit notitiam, nec dubium.

E Vt verò rem explicemus, ponendum est id quod cum aliis vt certum docuit P. Vazquez *disp.*123. *cap.*2. subditum non obligari ad cognoscendas omnes leges regni, sed quomodolibet obligari ad cognoscendas leges sui status; illud enim nec est moraliter possibile, nec necessarium: hoc autem simpliciter est necessarium, propter statum & munus peccati vniuscuiusque.

Secundò docet P. Vazquez cum Castro *lib.* 2. *de lege pœnali cap.*14. vnumquemque debere agnoscere leges pertinentes ad contractum, quoties vult contractum celebrare. Sed Castro non satis explicat, quis debeat præcedere in eo, qui celebrat contractum, vt teneatur eas leges cognoscere, & qua

ratione

ratione in foro externo non admittitur ignorantia iuris, docet P. Vazquez *loco allegato*.

Sed modò agimus de foro conscientiæ,& dicendum est,illam esse ignorantiam inuincibilem, cuius nulla præcessit notitia,aut dubitatio, iuxta ea, quæ suprà diximus de cogitatione necessaria ad peccatum vt sit voluntarium. Ita P. Thomas Sanchez *lib.1.cap.illo 16. num.21.* P. Suarez *tomo 5. in 3.part. disp.4. sect. 8. n.* 18. quod in omnibus legibus positiuis habet locum,vt docuit P. Vazquez *loco allegato*. eadem est enim ratio; sed circa leges status vniuscuiusque proprias facilè occurrit ratio dubitandi & sciendi quæ sint leges, aut statuta eius officij, aut religionis; circa leges verò generales non ita facile. Quid verò teneatur facere is, qui dubitauit, traditur à Doctoribus in materia de conscientia, & legi potest P. Vazquez suprà *disp. 62.* tenetur autem quilibet vt bene exerceat suum munus, videlicet de aliquo interrogare viros doctos, vt ostendant ei saltem opinionem probabilem quam sequatur: aut si ipse sit vir doctus, tenetur considerare principia & opiniones probabiles, vt possit iudicium ferre de dubio oblato.

Ex dictis manet solutum dubium propositum.

Dubium VIII.

An possit esse ignorantia inuincibilis facti.

Fvit opinio Guilielm. Parisiensis *tract. de legibus cap 21.* dicentis, nullam esse ignorantiam inuincibilem facti. Probat,quia vt aliquam ignorantiam vincamus, non solùm debemus adhibere diligentiam humanam exteriùs inquirentes & interrogantes, sed etiam interiùs debemus Deum orare vt ab ea ignorantia liberemur, Deus verò non patietur nos in ea ignorantia manere. Huic opinioni fauet Antisiod. *lib. 3. summa tract 8. cap.8. quæst. 5.* & quod attinet ad orationem, idem docuit Adrian. *quodl.4. art.1.part.3.*

Sed hoc facilè refutatur, quia non potest dici ignorantia inuincibilis, nisi illa, cuius nulla præcessit cogitatio, tunc enim nihil potest homo facere vt vincat illam. Secundò ex ipsa sententia sequeretur Iacob non caruisse culpa, cùm communicauit cum Lia tanquam eum vxore,quod est contra communem sensum.

Meritò ergo Doctores communiter affirmant posse contingere ignorantiam inuincibilem facti, sed quando censeatur vincibilis, vel inuincibilis, non eodem modo explicatur à Doctoribus. Aliqui docent esse vincibilem, & imputari ad culpam quando aliquis debet operari rei illicitæ. Ita Gabriel 4.d.15 *quæst.14. art.3. dub.2.* pro qua sententia referuntur aliqui Iurisperiti.

Hanc tamen opinionem meritò cum aliis refutat P. Vazquez *disp. 124. cap.2.* & ratio est facilis, quia licèt det aliquis cooperam furto, potest ignorare circumstantiam, vel euentum futurum quando illarum nulla occurrit cogitatio, vel dubitatio.

Dicendum verò est eam esse ignorantiam inuincibilem facti,cuius nulla præcessit, aut occurrit cogitatio,vel dubitatio,hæc enim ratione nullo modo vinci potest.

Alia verò est probabilis ignorantia facti,quando quis dubitat de aliquo euentu, & debet examinare dubium & inquirere; circa quam obseruanda est doctrina communis in materia de conscientia: potest enim obligari ad maiorem, vel minorem obligationem secundùm conditiones personarum & rerum, de quibus agitur.

Sed potest aliquis obiicere ex Genes.20.*cap.* nam Abimelech accepit Saram in vxorem, putans esse sororem, & non vxorem Abrahæ; & tamen postquam eam accepit, dixit illi Dominus:En morieris, propter mulierem quam tulisti; habet enim vnam, & tamen ea ignorantia videtur fuisse probabilis, si rectè consideretur & integrè historia illius capitis. Respondet primò Lyra Abimelech peccasse, quia reuera non adhibuit sufficientem diligentiam, sed fallitur, quia Abimelech interrogauit Abrahamum, an esset eius vxor: & ille interrogatus respondet, esse sororem; quid ergo amplius potuit facere.

Secundò respondet Lyra peccasse Abimelech, quia cùm legitimam habuisset vxorem,voluit aliam accipere, nempe Saram. sic videtur sensisse Theodoretus *quæst.62.in Genes.* Sed hæc responsio non satisfacit, quia Dominus non reprehendit Abimelech, propter pluralitatem vxorum, sed quia tulerat vxorem alterius. Adrian. *quodlibeto 4.art.1. principali, in fine*, docuit Abimelech nullum peccatum commisisse, sequitur Corduba *lib.2. quæst.22. in responsione 2.argumenti.* P.Vazquez *disp.124.c.2.* & fauet textus. Dixit enim Abimelech ad Dominum: *Numquid gentem ignorantem & iustam interficies?* & infrà, *in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc*; Dominus verò ad ipsum ait, *Ego scio quòd simplici corde feceris.*

Deinde ipsum non peccasse ob polygamiam, quia ex gentibus multi homines hoc ignorarunt; quòd verò Scriptura significat peccaturum Abimelechum si cognosceret, Adrianus & Corduba explicant de actu materiali adulterij,sine culpa tamen.

Deinde P. Vazquez aliam solutionem collegit ex Chrysostomo *homilia 45.in Genes.* vt dicatur peccaturum Abimelech,non propter culpam, sed propter dedecus, quod ex eo facto pateretur Abraham. Quod verò Dominus dixit, *ne peccares in me*, more hominum loquutus est,& ad significandum quando amore prosequeretur Abrahamum.

Artic. III. *Vtrùm ignorantia excuset ex toto à peccato.*

Prima conclusio,ignorantia comitans non excusat à peccato. Secunda, ignorantia antecedens excusat.

Artic. IV. *Vtrùm ignorantia diminuat peccatum.*

Conclusio est, affectata non minuit, bene tamen crassa.

Dispvtatio XX.

circa hos articulos.

Theologica.

Dvbivm I.

An ignorantia comitans excuset à culpa.



Svpra explicauimus quid sit ignorantia comitans, & de hoc disputant Scholastici,an excuset à peccato? Et fuit prima opinio Durand. *2.dist.22. quæst.4. Genes.quæst.2.* Gabr. *q.2.art.1.*

Adrianus

Adrianus *quodlib.*4. Conrad. & alij nonnulli, *in articul.*3. qui docent hanc ignorantiam non excusare A opus à peccato; & probari solet primò ex Aristot. 3.*Ethic. cap.*1. quia dixit ignorantiam concomitantem non excusare à culpa, hoc titulo vtuntur nonnulli, cùm reuera Aristot. id non diacrit:posset autem allegari 5.*Ethicorum cap.*8.

Deinde potest probari ex S.Thom.*art.*3.& ratione, quia ignorantia comitans pet accidens comparatur cum opere quod simul fit cum illa: ergo non potest eam excusare à culpa.Cordub. *lib.*1.*quæst.*19. putat veram esse prædictam sententiam in eo solùm casu, quando cum ignorantia tali esset expressa voluntas faciendi tale opus, etiamsi ignorantia illa nuta adesset. Probat, quia licèt obiectum materiale B fit ignoratum, tamen formale cognitum est, v.g. etiamsi quis ignoret esse diem ieiunij, tamen haber expressam voluntatem non ieiunandi, etiamsi agnosceret esse præceptum.

Aliorum sententia est, opus factum cum ignorantia connotati non esse peccatum. ita sensit P.Vazquez *disp.*125.*cap.*2.hanc sequuti sunt P.Azor. *tomo* 1.*lib.*1.*cap.*14.*quæst.*4.P.Suarez *tomo* 5.*in* 3.*part. disp.*4.*sect.* 8. *num.*8. P. Valentia hîc *quæst.*6. *part.*3. P.Thomas Sanchez cum aliis *lib.*1.*sing. cap.*16.*n.*13. & alij. & citatur pro hac opinione Aristot. 5.*Ethic. cap.*1.Deinde ea eo quòd secundùm Aristot. voluntarium fit cum cognitione singulorum, de quo infrà *quæst.* 6. Sed hæc ignorantia aufert cognitionem C singulorum respectu operis; ergo excusat illud à peccato. quam doctrinam de natura voluntarij amplectitur S.Thom.& alij communiter.

Ratione etiam probatur, quia tale opus quando nullum habet actum à quo oriatur vt tale, non potest esse peccatum ex solo habituali affectu, vt constat. Deinde etsi habeat actualem affectum faciendi illud opus, etiamsi non haberet ignorantiam, tamen ab illo affectu opus non potest esse voluntarium factum cum ignorantia comitante, quia hîc, & nunc non procedit ab illo. quod fortiùs persequitur P.Vazquez *cap.*2.

Qui *cap.* 3. explicat, quo sensu possit intelligi hanc ignorantiam non excusare à culpa, vt aliqui D dixerunt.

Docent verò mentem S.Thom.*art.*3.*&* 4. sic esse intelligendam, vt ignorantia comitans non excuset à culpa affectum ipsum, qui de opere nihil tale docuit. quæ explicatio optimè quadrat in S. Thom. & sic videtur eum intellexisse Petrus de Soto *lect.*2. *de medendi peccatis ratione*, & eodem modo intelligendus est pseudo-Nyssenus *lib.* 5. *philosophiæ cap.*2.

Ex dictis possumus colligere id quod *cap. illo* 3. collegit P Vazquez ignorantiam hanc excusare à pœna excommunicationis, vel regularitatis, quod ob actum externum imponitur, de quo legatur P.Suarez,P.Azor,P.Thom.Sanchez suprà citati, ita E excusatur ab obligatione restituendi quæ oritur ex delicto,de qua diximus 2.2.*ad quæst.*62.

Deinde ea dictis facilè solui possunt quæ pro prima opinione in principio obiiciebantur, quæ fusè soluit P.Vazquez *disp.cit.cap.vltimo.*Ad Aristot. & S. Thom. respondeo iuxta doctrinam traditam posse explicari.

Ad tertium respondendum est ignorantiam nullo modo comparari per se cum substantia actus externi, vt probauimus.

***

Dvbivm II.

An cum ignorantia vincibili possit esse peccatum hæresis.

Dixi de hoc dubio 2.2.tom.1.disp.55.

A Git de hac quæstione P.Vazquez 1.2.*disp.*126. ea quo multa desumpsit P. Thom. Sanchez *lib.*2.*de* 1.*præcepto cap.*9.Certum autem est cum ignorantia vincibili esse aliquod peccatum; quia cum illa potest esse voluntarium, quod vocant interpretatiuum; sed quia in aliquibus peccatis est necessarius peculiaris modus attingendi obiectum, & expressum voluntarium, ideo disputamus an cum tali ignorantia possit esse peccatum hæresis. Et primò dicemus de ignorantia vincibili, deinde de affectata.Sotus *in* 4.*dist.*22.*quæst.*2. *art.*3. *post* 5.*concl.* sentit cum tali ignorantia esse posse peccatum hæresis;cui sententiæ videtur fauere Bonauent. *in* 4. *circa textum.*Canus *lib.*12.*de locis.*Canariensis 1.*part ad q.*32. *in art.*4. 2.*p.commentary*, & alij quos citat P.Thom. Sanchez 1.*num.*19.Probari autem potest, quia peccatum hæresis consummatur in actu intellectus, ac proinde extra voluntarem:ergo ad illud sufficit voluntarium interpretatiuum, sicut ad peccatum furti, vel simile, quod dicitur exteriùs consummari.

Secunda opinio est asserentium errorem cum tali ignorantia non esse peccatum hæresis: hæc videtur S.Thom.*in hac quæst.art.*2.*ad* 3.& multi alij eam defendunt, quos 1.*cap.*2. citat P. Vazquez, sequitur P.Azor *tom.*1.*lib.*1.*cap.*14. *quæst.*9. *&* *lib.*8 *cap.*9 *q.*7. P.Henriquez *lib.*13. *de examine animæ*. P. Toletus *in summa in Bulla cœnæ, excommun.*1. *num.*5. *&* *lib.*4.*c.*7. *num.*3.P.Vazquez *disp.citata.*& mihi placet. Et primò potest probari ex August.*lib.de vtilitate credendi, in principio*, cuius verba fideliter refert P. Vazquez *disp illa* 126. *cap.*2. & ratio est, quia qui contradicit veritati quam tradit Ecclesia, si ipse ignorat quid sentiat Ecclesia, non infert iniuriam autoritati Ecclesiæ,neque potest dici rectè non credere Ecclesiæ; & licèt ob ignorantiam vincibilem & culpabilem peccet, tamen non peccat peccato hæresis,hoc enim peccatum non est peccatum ignorantiæ, sed requirit scientiam Ecclesiæ proponentis & docentis contrarium. Ad exactiorem verò notionem huius veritatis notanda sunt nonnulla.

Vnum est peccatum hæresis consummari exteriùs,id est,extra voluntarem, quia est actus intellectus, & sicut homicidium dicitur exteriùs consummari,hoc est,in opere exteriori, quod non est in ipsa potentia voluntatis inhærens, ita & peccatum hæresis consummatur in actu intellectus.

Alterum est, hoc peccatum in voluntate non requirere voluntatem expressam sentiendi, contra id quod docet Ecclesia; sed satis est si vellet sequi doctrinam contrariam ei, quam scit docere Ecclesiam, etiamsi faciat ex alio fine. nam hoc ipso quòd scit Ecclesiam contrarium docere, infert iniuriam Ecclesiæ cui non vult fidem adhibere.

Deinde sciendum est quod suprà diximus,circumstantiam scientiæ in intellectu esse necessariam ad malitiam hæresis, quia sine illa non infert iniuriam autoritati Ecclesiæ illi, qui sequitur doctrinam contrariam doctrinæ Ecclesiæ.

Vlteriùs ea doctrina tradita intelligi potest causa ob quam ignorantia vincibilis possit excusari à peccato hæresis,& non à peccato homicidij,vel alterius similis.Et discrimen est manifestù,quia ad peccatum homicidij

homicidij scientia non requiritur ex parte obiecti, sed vt sit actus voluntarius; & est actus voluntarius cum ignorantia vincibili, quia ad voluntarium sufficit cognitio quam operans posset habere, etiamsi actu illam non habeat: at verò cognitio & scientia ad errorem necessaria est, non solùm vt actus sit liber, sed etiam ex parte obiecti, aliàs non infertur iniuria Ecclesiæ contrarium docenti.

Item ex doctrina tradita potest intelligi quid sit pertinacia requisita ad hoc peccatum, de quo P. Vazquez, & ex illo P. Thom. Sanchez suprà. Docet autem P. Vazquez primò pertinaciam hanc non consistere in solo voluntario, quia voluntarium potest esse cum ignorantia vincibili, & culpabili. Secundò non consistit in temporis perseuerantia, quia in momento temporis esse potest, si quis sciens operetur contra sensum Ecclesiæ, amplectens contrarium. Tertiò non satis est ad pertinaciam hanc, si quis admoueatur à viris grauissimis quando ipse existimat suam sententiam non esse contra sensum Ecclesiæ, quia tunc non infert iniuriam autoritati Ecclesiæ. Quartò non sufficit naturalis dispositio, ex qua sequeretur vt quis non crederet Ecclesiæ etiam contrarium proponenti: dixi *naturalem*, quia si oriretur ex actu libero, quo quis decreuisset sequi suam opinionem erroneam, etiamsi Ecclesia contrarium proponeret, esset pertinacia, & ideo P. Vazquez suprà *cap. 3.* hoc explicat de dispositione naturali ex ingenio, & aliis circunstantiis hominis, quia per hoc non infert actu iniuriam Ecclesiæ; pertinacia ergo in eo consistit vt quis scienter erret contra sensus Ecclesiæ, vt explicatum est. Ex dictis verò soluta manet ratio contrariæ opinionis.

Restat dicere de errore contra doctrinam Ecclesiæ in eo qui non vult scire quid sentiat Ecclesia. Et aliqui videntur sentire talem errorem esse hæresim, quos allegat P. Thom. Sanchez suprà *n. 21.* & probari potest, quia qui sic erraret, planè videretur inferre iniuriam Ecclesiæ, sicut si expressè cum scientia erraret.

Alij verò contrarium docent absolutè, & sine distinctione vlla. Bañes hîc *in art. 2.* P. Azor *suprà*, & alij, quia licèt quis voluntariè & expressè velit ignorare quod docet Ecclesia; tamen quandiu ignorat, non infert iniuriam Ecclesiæ contrarium sentiendo.

Alij autem Doctores distinctione vtuntur. P. Vazquez *cap. illo 2. in fine*, P. Thom. Sanchez *suprà n. 23.* Docent verò affectatam ignorantiam duobus modis posse accidere; altero solùm ratione tædij addiscendi, ratione cuius potest aliquis ignorantiam anxiè affectare, & hoc modo error in rebus fidei non est hæresis, quia qui hac ratione errat, non infert iniuriam autoritati Ecclesiæ, vt constat. Altero modo potest quis affectu appetere ignorantiam, ita vt talis affectatio sit hæresis, quando oritur ex falsa opinione contra Ecclesiam, & eius autoritatem, tunc enim infert hic homo iniuriam Ecclesiæ; & hæc doctrina mihi placet ob rationem eius, & ex dictis soluta manet ratio contrariæ opinionis.

Sed restat explicare, an error prædictus quando non est hæresis, sit peccatum eiusdem speciei cum peccato hæresis? Aliqui solùm docuerunt reductiuè pertinere ad hæresim, vt Canariensis suprà relatus, & alij non pauci, cum quibus sentit P. Thom. Sanchez *loco cit. num. 24.* Alij clariùs docuerunt esse eiusdem speciei cum peccato hæresis. Sed hoc falsum est, nec loquuntur consectariè illi, qui sequentes doctrinam Doctorum secundæ opinionis suprà relatæ, asserentium illud peccatum non esse hæresim,

A docuerunt esse eiusdem speciei cum hæresi. Et argumentum sumptum à simili de peccato homicidij, vim non habet; quia, vt suprà diximus, manifestum est discrimen inter hoc peccatum quod non requirit scientiam ex parte obiecti, sed solùm vt actus sit liber, & inter peccatum hæresis quod requirit scientiam ex parte obiecti, modo suprà explicato.

Docet autem P. Vazquez *loco allegato*, posse considerari ignorantiam, & errorem in eo euentu, & quatenus est ignorantia poterit esse contra præceptum fidei, si sit in his, quæ scire debent omnes fideles; sed non est infidelitas, vel hæresis, vt suprà diximus: quatenus autem est in his, quæ communiter non debent omnes scire, erit contra virtutem
B studiositas, de qua S. Thom. *infrà quæst. 166.* quæ est pars temperantiæ, & moderatur affectum sciendi, vt sobriè sciamus; temerè autem scit qui cum ignorantia culpabili in tali materia amplectitur errorem.

DISPVTATIO XXI.

THEOLOGICA, MORALIS.

De vsu opinionis probabilis in administratione, vel receptione Sacramentorum.

C IN hac dispotatione dicendum est de vsu circa Sacramenta, quæ non sunt de necessitate salutis, & de his quæ sunt de necessitate salutis, legatur P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 6. sect. 6. num. 5. & tom. 3. in 3. part. disp. 21. sect. 4. in fine.* P. Vazq. *1. 2. disp. 63. cap. 2. & 3.* P. Salas *1. 2. quæst. 21. tract. 8. d. vnica, sect. 10.* P. Thom. Sanchez *lib. 1. summæ cap. 9. num. 32.*

DVBIVM I.

An semper sit licitum vti opinione probabili in administratione, vel receptione Sacramento-
D *rum, quæ non sunt de necessitate salutis.*

DIfficultas est, quando eligitur opinio probabilis, relicta probabiliori, & tutiori. Et quæstio potest esse de receptione Sacramenti ordinis, vel matrimonij, vel confirmationis, vel Extremæ vnctionis.

Prima opinio est asserentium, semper esse eligendam probabiliorem opinionem, vel propter reuerentiam Sacramenti, vel propter bonum animæ.

Alij absolutè docent sufficere eligere opinionem probabilem: talem enim opinionem potest quis eligere prudenter.

Tertiò alij docent quòd si solùm consideretur re-
E uerentia debita Sacramento, sufficit vti opinione probabili: si tamen consideretur charitas erga proximum, necessarium esse eligere opinionem probabiliorem in bonum proximi.

In hac quæstione nos priùs dicemus de Sacramento ordinis, deinde de aliis, & sermo est de maioribus ordinibus qui sunt Sacramenta.

Item sermo potest esse vel de opinione probabili, circa essentiam Sacramenti, vel circa accidentalia.

Et primò, si diuersitas opinionum solùm sit circa aliquod accidens Sacramenti, existimo licitum esse vti opinione minus probabili, & minus tuta. Quia siue homo, siue administrans, siue recipiens Sacramentum,

mentum, prudenter operatur, & Sacramentum facit. Quia, vt ponimus, est vera forma & vera materia necessaria ad essentiam Sacramenti, & ita nullum sequitur incommodum.

Secundò si diuersitas opinionum contingat circa essentialia, ita vt si opinio sit falsa, non fiat Sacramentum, censeo sufficere vti opinione probabili, si solùm consideretur reuerentia debita Sacramento; quia verè prudenter operatur homo, si nullum aliud esset extrinsecum damnum.

Censeo tamen, non licere vti tali opinione, propter damnum extrinsecum, v.g. quia si quis non sit reuera Sacerdos, non absoluet hominem in mortis articulo constitutum: & ita misericordia erga proximum obligat ad vsum probabilioris opinionis.

Deinde circa Sacramentum matrimonij, si opinionum diuersitas sit circa accidens aliquod, ita vt consistat essentia Sacramenti; etiamsi sit falsa opinio circa illud accidens, licitum erit vti opinione probabili, quæ sit minus tuta: de hac enim loquimur, quia & contrahens prudenter operatur, & nullum est extrinsecum damnum, & essentia Sacramento consistit, vt ponimus.

Si tamen diuersitas opinionis sit circa essentiam Sacramenti, licitum erit vti opinione probabili, quando nullum est extrinsecum damnum, quia ad obseruandam reuerentiam debitam Sacramento ex religione, sufficit prudenter operari. Secus tamen, si contrahendo vtens tali opinione operetur cum periculo extrinseco, v.g. alicuius infamiæ. De Sacramento confirmationis videtur mihi licitum esse, vti opinione probabili, siue opinio sit circa essentiam, siue circa accidens illius; quia præcepto religionis satisfit per opinionem probabilem, & Sacramentum hoc non est de necessitate salutis, neque occurret facilè extrinsecum periculum, ob quod vitandum sit vtendum probabiliori opinione.

Et idem iudicium est de Sacramento Extremæ vnctionis.

Restat dicendum de Sacramento Eucharistiæ secundùm opinionem asserentium non esse necessarium de necessitate salutis.

Et disputamus de administratione illius, & extra articulum necessitatis satis erit illud ministrare cum opinione probabili de dispositione recipientis, & recipiens poterit cum tali opinione recipere, propter rationem suprà factam.

In articulo autem necessitatis, & periculi existimo esse necessarium eligere probabiliorem opinionem, propter periculum extrinsecum, v.g quando recipiens Eucharistiam non posset recipere Sacramentum Pœnitentiæ, & posset recipere Eucharistiam, quæ ex probabili opinione potest aliquando conferre primam gratiam. Et hoc intelligo ex parte administrantis Sacramentum, quia administrans tenetur consulere periculo proximi ex misericordia, & etiam recipiens tenetur sibi consulere ex præcepto reconciliationis cum Deo, quando est periculum mortis.

Dubium II.

An in administratione Sacramenti Pœnitentiæ possit minister vti opinione minus probabili, & omittere probabiliorem, hoc est, tutiorem.

IN hac quæstione prima opinio est asserentium semper obligari ministrum ad vsum opinionis probabilioris, propter materiæ grauitatem.

Aliorum opinio est quòd si consideretur sola reuerentia debita Sacramento, satis est vti opinione probabili. Si verò consideretur misericordia erga proximum, esse obligationem eligendi opinionem probabiliorem.

Alij absolutè docent, semper posse ministrum eligere opinionem probabiliorem, & non esse necessarium vti probabiliori.

Sed dicendum est, posse esse diuersitatem opinionum circa aliquod accidens huius Sacramenti; ita vt licèt sit aliqua opinio falsa, tamen vsus illius non impediet effectum, seu essentiam Sacramenti. v. g. est controuersia, an sint explicandæ in confessione circunstantiæ notabiliter aggrauantes in eadem specie, vel non sint explicandæ ex necessitate. Et licèt aliqua istarum opinionum sit falsa, tamen vsus eius non impediet absolutionem, si adsint cætera necessaria; vel potest esse diuersitas opinionum circa essentiam Sacramenti, id est, circa ea, quæ necessaria sunt ad effectum huius Sacramenti.

Hac distinctione præmissa existimo in priori materia posse ministrum vti opinione probabili, quia prudenter operatur, & nullum est periculum impediendi effectum Sacramenti.

In secundo verò casu, vel sermo est extra articulum mortis, vel in articulo mortis, & si sermo est de vsu opinionis probabilis extra articulum mortis, existimo licitum esse vti opinione minùs probabili, & ex parte reuerentiæ debitæ Sacramento, constat ex dictis. Deinde obligatio misericordiæ erga proximum non vrget, vel quia ponimus non esse periculum quando non est necessitas iustificationis, quia pœnitens est in gratia.

Secus quando indigeret iustificatione, tum enim misericordia obligat ad certius remedium, vt docet P. Vazquez *suprà*, & P. Thomas Sanchez *num.* 33. Quod ego intelligo quando sacerdos administrans Sacramentum Pœnitentiæ potest certius adhibere remedium: si enim non possit vti, & manifester pœnitenti, non peccat Sacerdos, nec pœnitens, quod maximè aduertendum est.

Deinde, si sermo sit de administratione huius Sacramenti in articulo necessitatis, obligatio est vtendi opinione probabiliori propter periculum pœnitentis, ne damnetur; obligat enim misericordia ad vsum probabilioris opinionis, si fieri potest. Dixi, *si fieri potest*, quia aliquando non datur locus vsui probabilioris opinionis, v. g. est controuersia, an possit quis absoluere pœnitentem in articulo mortis, qui solùm dedit signa doloris, & postulauit confessionem, & cùm sit probabile, posse talem hominem absolui, licet vti tali opinione, quia non est locus aliter absoluendi, vt dixi in materia *de pœnitentia*, imò, vt multi putant, esse obligationem absoluendi, propter periculum pœnitentis, & quia non est aliud remedium.

Ex dictis possunt solui aliqua dubia in specie ad exactiorem doctrinæ traditæ notionem.

Vnum est, an possit Sacerdos absoluere pœnitentem qui solùm habeat attritionem; & multi docent non solùm posse, sed ad id obligari.

Et mihi placet Sacerdotem posse, & debere absoluere pœnitentem, qui iudicatur attritus, quia valde certum est attritionem sufficere cum Sacramento ad iustificationem, vt diximus in materia *de pœnitentia*. Et eodem modo existimo posse licitè pœnitentem accedere ad absolutionem cum attritione, cognita etiam vt attritione; quia ita est certum esse sufficientem dispositionem ad recipiendam gratiam in Sacramento, vt oppositum non

sit

ſit probabile, ac proinde dici non poteſt, eſſe neceſſariam contritionem perfectam.

Idem exiſtimo quantum eſt ex vi ſacramenti, etiamſi fiat confeſſio in articulo mortis; an verò tunc obliget præceptum dilectionis perfectæ, alterius loci eſt. legatur P.Thom. Sanch. *lib.* 1. *ſumma cap.* 9. *num.* 34.

Alterum dubium eſſe poteſt de eadem attritione reſpectu miniſtrantis Baptiſmum, & reſpectu recipientis illum, & iuxta dicta philoſophandum eſt, alia dicemus ſtatim.

Tertium dubium, an quando diuerſitas opinionum eſt circa iuriſdictionem ſacerdotis, an illam habeat, ad abſoluendum poſſit vti opinione minùs tuta, quæ docet illum habere iuriſdictionem.

Aliquorum opinio eſt non eſſe licitum in hoc caſu, vti opinione minus tuta, & probari poteſt. Primò, quia eſt periculum non faciendi ſacramentum. Secundò, quia eſt contra miſericordiam proximo debitam de applicando remedio tutiori.

Aliorum opinio eſt id eſſe licitum. ita ſentit P.Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſput.* 6. *ſect.* 1. *n.* 7. P.Thom. Sanch. *ſuprà num.* 35.

Primò, quia nullum, vel modicum periculum eſt.

Secundò, quia error communis ortus ex ea opinione probabili dat iuriſdictionem veram, vt docuit P.Thom. Sanch. *lib.* 2. *de matrimonio diſput.* 22. *in fine*, & probabile putat P.Suarez *ſuprà numer.* 8. & ſequitur Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 68.

Tertiò, quia licèt ſacerdos careat iuriſdictione in mortalia, habet tamen circa venialia; & ratione gratiæ infuſæ liberatur pœnitens à mortalibus, & alias propter probabilem opinionem excuſatur ab illis iterum confitendis.

Hæc difficultas non habet locum in articulo neceſſitatis, quia pro illo quilibet ſacerdos poteſt abſoluere hominem in tali periculo conſtitutum.

Deinde extra articulum mortis probabilis opinio ſufficit ad excuſandam irreuerentiam contra ſacramentum, vt ſæpe dixi.

Rurſus ſi pœnitens agnoſcat vſum opinionis probabilis, & confeſſorem non poſſe alia vti, non erit contra miſericordiam, quando pœnitens ex aliqua cauſa vult illi confiteri, tunc enim ſacerdos non poteſt alio remedio vti. v.g. Si quis velit confiteri ſacerdoti qui approbatus eſt in vno Epiſcopatu, & audit confeſſiones in alio eorum qui eligant confeſſorem ex vi Bullæ, aut Iubilei. Exiſtimo talem ſacerdotem non peccare, etiamſi plures audiat confeſſiones, quia probabilis eſt opinio aſſerentium poſſe approbatum ab vno ordinario eligi ex vi Bullæ etiam in alio Epiſcopatu.

Vlteriùs mihi placet vt probabile illud quod docuit P.Thom. Sanch. in prædicto euentu hominem qui confitetur venialia cum mortalibus, abſolui à venialibus, & iuſtificari à mortalibus; & licèt reipſa non habeat ſacerdos iuriſdictionem ad mortalia, tamen propter rationem, & opinionem probabilem excuſari pœnitentem ab obligatione iterum confitendi mortalia: quod multis viris doctis videtur valde probabile.

Sciendum deinde eſt aliquos Doctores aſſerere confeſſorem non poſſe vti probabili opinione, relicta probabiliori, in his, quæ tenent ſe ex parte ipſius, quia ipſe ex miſericordia tenetur adhibere melius remedium pœnitenti. In his tamen, quæ tenent ſe ex parte pœnitẽtis, ſi pœnitens velit vti opinione probabili, relicta probabiliori & tutiori, poſſe

A confeſſarium illa vti, & iuxta illam abſoluere. Et ita docent, quòd ſi pœnitens in ſola attritione vellet abſolui, poteſt confeſſor illum abſoluere.

Sed ſi ſermo ſit de diuerſitate opinionum circa accidentalia, ita vt vſus opinionis minus tutæ non impediat effectum ſacramenti, ſiue teneat ſe ex parte confeſſoris, ſiue ex parte pœnitentis: ſatis eſt vti opinione probabili, quia homo prudenter iuxta illam operatur, & non eſt damnum aliquod, quia verè ſacramentum habet effectum.

Si verò diuerſitas opinionum verſetur circa eſſentialia, v.g. an confeſſor habeat iuriſdictionem, vel an pœnitens habeat diſpoſitionem ſufficientem, vel debeat habere tutiorem, peculiaris difficultas eſt, & de

B iuriſdictione iam diximus, & de attritione ſuprà etiam dictum eſt à nobis.

Modò ſolùm affirmo quòd ſicut confeſſor ex parte ſua teneretur apponere tutius medium, ita & pœnitens ex parte ſua. Quia non minus obligatur pœnitens ad conſulendum ſaluti ſuæ, quàm confeſſor ad conſulendum ſaluti alienæ ipſius pœnitentis, ſiue obligatio in vtroque oriatur ex eadem virtute, ſiue ex diuerſa. quod intelligendum eſt, quando cætera ſunt paria.

Ex dictis poteſt ſolui difficultas quam aliqui attigere, an teneatur pœnitens qui fecit confeſſiones informes, cùm probabile ſit poſſe eſſe ſacramentum pœnitentiæ informe, & tutius ſit repetere, & iterum

C confiteri peccata. Aliqui dixerunt, hoc non eſſe neceſſarium, quia pœnitens poteſt vti optime opinione probabili, neque obligatur ad probabiliorem, de quo ſuprà.

In præſenti verò mihi placet non eſſe obligationem iterum confitendi peccata, quia probabilis opinio illa de ſacramento informi, & ſubſequens ſacramentum poteſt habere eſſentiam ſuam & effectum, etiamſi opinio illa ſit falſa. non enim aufert vſus talis opinionis, quæ neceſſaria ſunt ad eſſentiam & effectum ſubſequentis ſacramenti.

Item ex dictis intelligitur, an peccet qui approbatus in vno Epiſcopatu, audit confeſſionem in alio, de quo ſuprà dictum eſt. Solùm aduerto recentiores

D aliquos r.2. in materia de bonitate & malitia, agentes de hoc dubio, affirmaſſe non peccare talem ſacerdotem, ſi ſemel, aut iterum audiat confeſſiones in alio Epiſcopatu; peccaret tamen, ſi frequenter audiat confeſſiones. quæ doctrina mihi non probatur. Et ſi ſermo ſit de probabilitate eius opinionis ad non peccandum contra reuerentiam debitam ſacramento, iam diximus ſatis eſſe vti opinione probabili.

Deinde vſu talis opinionis ob bonum præſertim pœnitentis, ſi pœnitens ſciat confeſſorem non poſſe aliter abſoluere, & vellet ab eo abſolui, non peccat confeſſor abſoluens, etiamſi pluries & frequenter abſoluat, iuxta ſupradicta.

Si verò pœnitens neſciat confeſſorem ſolum

E eſſe approbatum in vna prouincia & Epiſcopatu, & egeat gratia ſacramenti, vel ad primam iuſtificationem, vel ad aliquem ſpecialem effectum, non poſſe abſoluere pœnitentem, niſi illum faciat certiorem de vſu opinionis illius.

Item iuxta ſupradicta exiſtimare poſſet aliquis cum multis Doctoribus, neceſſarium eſſe in ordinatione ſacerdotis phyſicè tangere calicem, quia in controuerſia eſt opinio de neceſſitate tactus ad eſſentiam illius ſacramenti. ea opinio tutior eſt quæ affirmat neceſſarium eſſe tactum phyſicum, de qua quæſtione legi poteſt P.Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 246. *cap.* 2.

In præſenti verò reſpondere poſſet aliquis, ve-

tam esse opinionem asserentium esse necessarium tactum physicum ad essentiam sacramenti, & eam opinionem esse eligendam.

Alij verò qui putant talem tactum non esse necessarium, respondere debent, tam esse certum non esse necessarium tactum physicum, vt nullum sit periculum morale in operando secundum talem opinionem, & hoc, vel quia aliqui putant sufficere tactum moralem, vel quia censent nullum tactum esse necessarium, vt docuit P. Vazquez *loco cit.* & hanc secundam solutionem existimo satis tutam in praxi.

Ex dictis etiam intelligitur, quòd licèt sit diuersitas opinionum in materia de pœnitentia, an sit ad sacramentum necessaria attritio cum certa intensione, vel duratione; tamen tuta conscientia potest quis accedere ad sacramentum cum attritione facta ex gratia in qualibet intensione, vel duratione, neque esse necessarium eligere opinionem de maiori intensione, vel duratione, & ratio potest esse ex dictis.

Item controuersia est in materia de pœnitentia, an sit necessarium elicere singulas attritiones singulorum peccatorum; & tamen nullus dicet necessarium esse eligere opinionem asserentium esse necessarias singulas attritiones singulorum peccatorum. Nam contraria opinio valde certa est, & similia sunt circa sacramenta, in quibus simili modo est philosophandum, iuxta doctrinam traditam.

Addendum est, ea quæ diximus, intelligenda esse, quando occurrit opinio probabilis; quid verò agendum sit quando occurrit purum dubium, diximus in variis materiis, & in opusculo de conscientia dubia.

Ex dictis constat solutio dubij, de quo ante aliquot annos magna controuersia exorta est in Hispania; contigit enim aliquando vt in ordinatione sacerdotum in quodam Episcopatu daretur Calix sine vino.

Et disputatum fuit primò, quid agendum, si esset probabile non defuisse vinum. Secundò, quid agendum, si esset certum non fuisse vinum in calice.

Circa primum aliqui censuerunt, non esse necessarium sic ordinatum iterum ordinari, quia putarunt posse ordinatum amplecti opinionem probabilem in prædicto euentu. Alij simpliciter docuerunt esse obligationem iterum suscipiendi sacrum ordinem sacerdotis, quia in priori euentu non fuit verum sacramentum ex defectu vini, quod probabiliter iudicatur defuisse.

Mihi placet primò quòd si solùm ageretur de reuerentia debita sacramento & vsui, illius satis esse amplecti opinionem probabilem, vt sæpè diximus in superioribus.

Secundò tamen existimo esse obligationem non vtendi Sacramento probabiliter solùm suscepto propter damnum proximorum, quia si ille homo vere non est sacerdos, non conficiet sacramentum Eucharistiæ, neque posset absoluere à peccatis, ex quo magnum detrimentum paterentur proximi; & ita senserunt multi viri docti in Hispania de hac re interrogati.

Circa secundum quidquid sit de aliorum sensu, mihi videtur esse obligationem recipiendi iterum verum sacerdotium per veram materiam & formam. Primò, quia non est probabile materiam sacerdotis necessariò reperiri sine vino in calice. Secundò, licèt esset talis opinio, tamen ratio facta probat esse necessarium tutiorem partem amplecti in tali controuersia.

A

DISPVTATIO XXII.

Theologica.

De pane azymo.


E materia huius disputationis fusè disputant interpretes Scripturæ variis locis, quos infrà citabimus. legi potest Bellarm. *lib. 4. de Euchar. cap.* 7. Marcel. Francol. *tractat. de horis canonicis.* P. Vazq. P. Valent. *hic*, & alij recentiores *tract. de agno typico, & vero*: multa autem explicanda in hac dispu-
B tatione, quæ sigillatim explicabimus.

Dvbivm I.

An Christus celebrauerit Pascha Iudaeorum eo anno, quo mortuus est.

Refertur placitum aliquorum asserentium, Christum non celebrasse Pascha Iudæorum eo anno, quo mortuus est, ita refert Sainctes *repet.* 1. *de Euchariſt. cap.* 7 & colligebat ex aliquibus locis male intellectis, & idem refert Theophylactus *in cap. 26. Matth.*

Verùm etiam est error manifestus, nam *cap. 26.*
C *Matth.* postquam Discipuli interrogarunt, vbi vis paremus tibi comedere Pascha? & Christus ostendisset eis vbi possent parare, dicitur, *& fecerunt Discipuli, vt constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha.* Idem colligitur ex *Marc. cap.* 4 ex illis verbis, *prima die azymorum quando Pascha immolabant*, quod de agno paschali interpretantur Patres. Deinde non est credibile eum legis ritum celeberrimum à Christo fuisse prætermissum, quòd si Christus Pascha non celebrasset, facile possent Pharisæi illud obiicere Christo. Item est perpetua traditio Ecclesiæ, quòd Christus celebrauerit Pascha eo anno.

Sed obiiciunt quòd Christus cum Discipulis egerit de celebrando Paschate tardius, quàm vt posset
D agnus immolari: respondendum tamen est, ex dictis satis constare Christum conuenienti tempore loquutum, vt præpararetur agnus.

Obiiciunt secundò quod dicitur Matth. 26. *Discumbebat cum discipulis suis.* nam qui manducabat agnum, stantes illum comedebant. Sed respondendum est ea verba, *discumbebat*, &c. intelligi de cœna communi, & vsuali; de qua suo loco dicemus, non de manducatione agni paschalis.

Tertiò potest obiici contra catholicam doctrinam, præceptum fuisse vt die decimo mensis primi adduceretur agnus in domum, & seruaretur vsque ad 14. in qua erat immolandus, id quod Christus non fecerit, loquutus de Paschate immolando die
E 14. Respondent aliqui non fuisse præceptum illud generatim traditum pro posteris, sed tantùm pro ea nocte, qua filij Israël egressi sunt de Ægypto, & ita illud præceptum traditur *cap. 12. Exodi*; sed Abulens. obscurè loquitur, & communis sensus interpretum est præceptum illud traditum etiam pro posteris.

Mihi ergo placet quod docet Sainctes *repet. 1. de Eucharistia, cap* 7. ex Ioseph. *lib. 5. de bello Iudaico, cap. 45.* ciues Hierosolymitanos solicitos fuisse adducere plures agnos in domos suas, non solùm pro se, sed etiam pro exteris, & ita potuisse Christum comparare agnum, qui esset adductus 10. die in ciuitate.

Dubium II.

An Christus celebrauerit Pascha Iudaeorum luna decimaquarta.

Aliqui expresse docuerunt Christum celebrasse Pascha eo quidem anno, quo mortuus est, sed luna 13. Martij, Iudaeos autem luna 14. ita Euthymius *in cap. 26. Matth.* Nicephorus *1. historia. cap. 28.* sequutus alios Graecos, & ita sensit *Epiph. haeresi 50.* Chrysost. *hom. 82. in Ioan. circa cap. Ioan. 18.* Theophyl. *ibidem*, qui docent Christum non celebrasse Pascha eo die, quo olim, id est, non celebrasse Pascha die olim assignato per legem, vt probari solet, quia hac ratione veritas respondebat figurae, & Christus occideretur luna 14. qua immolabatur agnus paschalis: ergo Christus luna 13. celebrauerat Pascha.

Secundò probatur, quia *Ioan. 18.* dicitur de Iudaeis, & ij non introierunt in praetorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha, nempe manè eius diei, quo Christus occisus est, vt ad vesperam ipsi Iudaei manducarent suum Pascha; ergo Christus celebrauerat Pascha luna 13.

Tertiò, quia *Ioan. 19* dicitur, *Christus mortuus in Parasceue Paschae*, id est, antequam Iudaei celebrarent Pascha. Cùm ergo celebraturi essent Pascha luna 14. videtur Christus celebrasse luna 13. antecedenti.

Quartò probatur, quia *Ioan. 14.* dicitur, *ante diem festum Paschae.* & alia quae sequuntur, ex quibus videtur colligi Christum celebrasse Pascha ante diem, quo Iudaei erant celebraturi, & ex hac sententia collegerunt Graeci Christum consecrasse in fermentato, de quo infrà.

In praesenti verò dubio Latini Patres vt certum docent Christum celebrasse Pascha Iudaeorum 14. luna mensis primi, & probatur ex *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* vbi dicitur Christum in die azymorum misisse discipulos suos vt pararent Pascha, & Matthaeus & Marcus subiiciunt, *vespere autem facto*, &c. Lucas verò, *& hora facta*, nempe eodem die, ac proinde immolauit agnum tempore quo iuxta legem debuit vesci pane azymo.

Sed respondet Euthym. luna 13. dici primam diem azymorum propter propinquitatem; hoc tamen admittendum non est contra verborum proprietatem, neque etiam admittendum est quòd nonnulli recurrant ad Graecam lectionem aliquorum codicum, retinenda enim est vulgata Latina lectio, & lectiones aliquot Graecae eundem habent sensum cum vulgata Latina.

Aliqui verò recentiores Graeci contendunt tres Euangelistas citatos errasse, & correctos fuisse à Ioanne *cap. 14.* cùm dixit, *ante diem festum Paschae*; ita refert S. Thom. *in 4. dist. 11. quaest. 2. art. 2. quaestiunc. 3.* Castro *v. Euchar. haeresi 2.* Sed errant apertè Graeci, contra fidem Euangelistarum, & quòd non sit contradictio aliqua inter Ioann. & alios Euangelistas, constabit ex dicendis.

Argumenta verò Graecorum infrà soluentur.

Dubium III.

An Christus celebrauerit Pascha luna 14. & Iudaei eadem die.

Latini, vt vidimus, docent Christum celebrasse Pascha 14. luna; Iudaeos verò, vt putant aliqui ex Latinis, celebrasse die sequenti, ex peculiari dispensatione, ita Burg. *in addit. ad cap. 26. Matth.* & sequitur Lyra in illa verba, *erat autem dies azymorum.* Ioan.

A Hentenius *in praefatione commentariorum Euth. in Euangelia.* Gagnerus *in illud Matth. erat autem dies azymorum.* Claudius in illud Ioan. 18. *non introierunt*, &c. Iansenius *cap. 128. concordiae Euangelicae*, & noster Maldonatus *in c. 26. Matth.* qui omnium efficacissimè opinionem hanc confirmauit, & illustrauit.

Pro explicatione huius sententiae, & quaestionis nonnulla notanda sunt.

Vnum est, festa Iudaeorum computari à vespera vnius diei vsque ad vesperam sequentis, id quod ex dicendis constabit.

Secundò notandum est apud Iudaeos menses esse lunares, & ita apud illos idem est luna 14. & dies 14. eius mensis; initium verò anni sumebatur ex mense

B Martio, vt colligitur ex *cap. 12. Exod.* fieri autem potuit, vt luna Martij, apud Iudaeos esset aliqua dies Aprilis, ita refert Onuphrius *lib. 2. festorum, sub anno 18.* anno quo Christus passus est luna 14. apud Iudaeos, fuisse apud alias nationes diem 18. Aprilis.

Tertiò notandum est aliqua festa Iudaeorum per diuersos dies hebdomadae exordium, & mobilitatem habuisse.

Quartò obseruandum est, quocunque die occurreret nouilunium vernalis aequinoctij, eodem die celebrari à Iudaeis Neomeniam, & Kalendas primi mensis, nisi in duobus casibus, vnus erat quando nouilunium occurrebat secunda, quarta, vel sexta feria, vt refert ex quodam Hebraeo Iansenius *suprà.*

C His praemissis, Burgensis & nonnulli alij docent eo anno, quo Christus mortuus est, Iudaeos distulisse celebrationem Paschatis in lunam 15. ex dispensatione: hanc autem dispensationem probant ex aliquorum Iudaeorum traditione.

Hoc autem ita factum esse probant, quia hac ratione facilè explicantur difficultates, quae aliàs vix possunt solui, & primò adducunt illud Ioan. 18. *& ipsi non introierunt in praetorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* ergo cùm Christus celebrauerit luna 14. sequitur Iudaeos celebrasse luna 15. die scilicet, quo Christus mortuus est, sic enim intelligunt illud, *vt manducarent Pascha*, id est, agnum paschalem.

D Secundò, quia *Ioan. 19.* dicitur, *erat autem Parasceue Paschae, hora quasi sexta*, & illum diem intelligunt Parasceue Paschatis: hora igitur, qua Christus mortuus est, nondum inceperant Iudaei celebrare Pascha, sed illud tempus ante vesperam erat illis quasi tempus praeparationis.

Tertiò *Ioan. 19.* dicit diem illum sabbati, ante quem Christus mortuus est, fuisse magnum, id est, non vulgarem, aut communem, sed peculiari aliqua ratione sanctiorem, quod non potest intelligi, nisi ex peculiari solemnitate Paschatis translati in eū diem.

Quartò si Christus, & Iudaei eodem die Pascha celebrarunt, & prima dies azymorum, eadem fuit respectu Christi, & Iudaeorum; ergo Christus mortuus

E esset prima die azymorum, & tamen Iudaei dixerant non in die festo, *Matth. 26.*

Quintò *Ioan. 13.* Christus dixit Iudae, *quod facis fac citius.* quibus verbis intellexerunt discipuli Christum loqui de iis, quae necessaria erant ad celebrandum Pascha; putarunt ergo aliquod Pascha celebrandum die sequenti, & tamen die, quo Christus dixit haec verba, manducauit agnum paschale.

Sextò si Iudaei cum Christo eadem 14. luna celebrassent Pascha, & dies, quo Christus mortuus est, esset primus azymorum, non potuisset Ioseph, homo iustus, corpus Christi de cruce deponere, quod in eo die non videtur fuisse licitum Iudaeis.

Septimò probatur ex *cap.26.Matth.* vbi loquens Christus de tempore Paschatis, & passionis, dixit, *Tempus meum propè est.* quæ verba non dicerentur à Chtisto, si rempus illud ita esset ptoximum, & commune ipsi cum Iudæis..

Octauò quia *Ioann.*c3. dicitur, *ante diem festum Pascha sciens Iesus.* &c. in quo die narrat Euangelista, Christum cœnasse cum discipulis suis. vbi per diem ante festum Paschatis manifestè videtur intelligere diem immediatum Paschati sequenti: Christus ergo celebrauit luna 14. Iudæi verò luna 15.

Communiter tameo Latini contra Burgens. & alios sentiunt Christum & Iudæos eadem luna 14. celebrasse Pascha, & ita habet communis sententia Doctorum hoc tempote, & colligitur ex Ambros. *epist.*83. August. *epist.*86. pseudo-Cypr. *sermone de cœna Domini*, & ex Scholasticis communiter ita docet S.Thom. *suprà quæst.*46.*art.*9. vbi alij intetpretes, & fusè *ibi* P.Suar. Alens. 4.*p.q.*10.*membro* 4. *art.*1.§.3. Gab. *in can.lect.*34. Bonauent. & alij Scholast. communiter *in* 4.*ad dist.*11. Abul. 2.*p.defensory à cap.*1. & recentiores alij, & mihi placet & probanda est, quia traditio illa, quam refert Burg. non habet firmum fundamentum, & etiamsi aliquis concedat in summo sacerdote Hebræorum potestatem dispensandi in præcepto alicuius festi, tamen ea dispeosatio noo fieret nisi vrgente aliqua causa, quæ tamen non assignatur, vt omittam, Hebræos & eorum Magistros multa sæpe mendacia referre. legatur P.Vazq. *hic*, & Bellarm. *suprà c.*8. qui efficaciter repugnat placito Burgensis.

Deinde ex opinione Burgensis seqoitur iocommodum, quod ipse iofert contra communem seotentiam; & quidem si Iudæi eo anno, quo mortous est Christus, celebrarunt Pascha luna 15. ex prædicta dispensatione, & 1. diem azymorum luna 16. sequitur 7. diem azymorum celebratum ab ipsis feria 6. sequentis hebdomadæ, & tamen die 7. seu vltimus, habebat eandem solemnitatem cum prima, & ita in illa hebdomada occurrebant duo festa coniuncta duobus diebus, nempe die 7. azymorum, & sequenti die sabbatum, quod tamen io 1. die azymorum contendit Burg. euitare.

Vlteriùs ex Iosepho *lib.*13.*antiq.cap.*16. constat eo anno celebrata esse à Iudæis doo festa solemnia duobus diebus coniunctis; ergo sine causa Burg. reputauit illud inconueniens.

Refutari dein potest prædicta opinio ex illo Matthæi 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, expendendum enim est huiusmodi modum loquendi significare commune festum celebrandum ab omnibus, vt ibi expendunt interpretes. Rursus *Marc.*14 dicitur, *in die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha.* verba autem illa quando Pascha immolabant, communem significant celebrationem festi, & Luc.22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* particula autem illa *necesse* communem significat obligationem, & dispensationem factam excludit; ea verò quæ adducuntur pro sententia Burg. dubiis sequentibus explicabuntur.

Dubium IV.

Quis sit sensus illorum verborum Ioann. 18. Et ipsi non introierunt in prætorium, &c.

EX boc loco Ioan. sumptum est argumentum pro sententia Burg. relata *dub. præcedenti*, & ideo necessarium est locum bunc exactè explicare: sermo autem erat de Iudæis accusantibus Christum, de quibus dixit Euangelista noluisse iotrare in prætorium, ne contaminarentur, vt incontaminati possent manducare Pascha; difficultas verò est circa illud verbum *Pascha*, quod Burg. & qui illum sequontur, explicant de agno paschali, & à nobis refutatum est, ideo aliter explicanda sunt ea verba.

S.Thomas *suprà q.*46.*art.*9.*ad* 1. Bonauent. *in* 4. *dist.*11.*art.*2.*q.*1. & alij non pauci docent Iudæos noluisse intrare in prætorium, vt possent manducare Pascha, id est, panes azymos. pro qua explicatione ipse S.Thom. in catena illius loci refert Alcuinum, & docuit Innocent.III. *lib.*4.*de mysterio Missæ c.*4.*&* 5. per hanc explicationem facilè solui primum argumentum Burg.

Verùm prædicta explicatio difficilis apparet, nec placet Abul. 2.*p. defensory cap.*8. quia panes azymi in Scriptura non appellantur Pascha, licèt dies azymorum Pascha dicantur. Item, quia ex nulla certa lege Scripturæ constat necessarium esse vt panes azymi non nisi à mundis manducarentur. Vnde Ioseph. 3. *antiquit.* & Philo *de vita contemplatiua*, noo computat inter cibos sacros panes azymos.

Alij existimant, Pharisæos, qui Christum accusabant, distulisse celebrationem Paschatis io primum diem solemnem azymorum, & citant pro hac sententia Chrysost. *hom.*82 *in Ioan.* circa verba citata, & *hom.*85 *in Matth.* citat etiam Theophyl. in illa verba Ioan. & Cyrill. *lib.*12.*in Ioan.cap.*2. Verùm ex his Patribus non potest colligi prædicta explicatio, vt legenti constabit, & ostendit hic P.Vazq. qui hanc expositionem refutat, ex eo quòd credibile non est sacerdotes & iudices populi ausos fuisse legem de solemnitate Paschatis non seroasse publicitus, & coram populo suarum ceremoniarum studiosissimo. Item credibile non est Iudam, & sacerdotes Iudæorum de hora, loco, & tempore, antea contra Christum conuenisse, & cùm scirent Christum bora consueta celebraturum Pascha, aliquod habere impedimentum, propter quod sacerdotes illi Iudæorum non possent tempore debito Pascha celebrare.

Alij respondent cum Abol. *loco citato*, illud verbum *Pascha*, loco dicto, neque significare panes azymos, neque Paschale agnum, sed alia sacrificia, quæ illis diebus offerebantur, quibus non poterant vesci, nisi mundi. legatur Bellarm. *sup. cap.*9.*ad* 4. P.Suar. *tom.*2.*in* 3.*p.disp.*40.*sect.*4. P.Vazq. *hic*, & quidem illis 7. diebus plura offerri sacrificia docet Ioseph. 3. *antiquit. cap.*13. *aliàs* 10. & solet colligi ex *cap.*23.*Leuit. &* 28.*Num.* Sed Scriptura & Iosephus his locis solùm meminerunt holocausti quod igne cremabatur, & eius nihil comedebatur: meminerunt holocausti etiam hi rei, qui offerri solebant in sacrificium pro peccato; de aliis tamen sacrificiis probari potest ex *cap.*16.*Deut.* vbi dicitur præcepisse Dominum vt ei celebraretur Phase de ouibus, & bobus, & 2.*Paralip.cap.*30.*&* 35. dicitur Principes dedisse sacerdotibus multa animalia ad faciendum Pascha, seu, vt est in Hebræo, ad faciendum Paschata, & idem potest colligi ex *lib.*3.*Esdræ, cap.*1. licèt noo sit canonicus; de iis ergo sacrificiis poterant comedere qui mundi essent, *Leuit.*7. *Deut.*12. & de sacerdotibus idem affirmatur *Leuit.*6. *&* 10. & quamuis in bis locis solùm videatur esse sermo de sacrificiis offerendis luna 14. ad vesperam, tamen credibile est idem faciendum esse illis 7. diebus, id quod expressè docuit August. *lib.*5.*quæst. veteris Testamenti quæst.*24. *in fine*, & Ioseph. *suprà.* hæc autem sacrificia dicta fuisse *Phase*, manifestè constat ex *cap.*16.*Deuteronom.*

De

De iis ergo aptè intelligitur cit. locus Ioan. vt ergo hæc sacrificia comederent Iudæi, noluerunt introire in prætorium. mitto explicationes alias recentiorum, quæ parum habent probabilitatis. Ex dictis ergo solutum manet primum argumentum opinionis relatæ Burg. *dub. præcedenti.*

DVBIVM V.

Quid significet Parasceue Paschæ, Ioan. 19.

EX hoc loco sumptum est argumentum pro opinione Burg. quam retuli *dub.* 3. & ideo necessarium est ea verba explicare, aliqui enim, vt vidimus, explicant de Paschate celebrando à Iudæis, vt dixi *dub.* 3. quod tamen admittendum non est.

Alij verò docent Parasceue ex vsu significare præparationem ciborum, quæ pridie fiebat, vt notauit August. *tract.* 117. *in Ioan.* quamuis apud Græcos plura alia significet, vt notant periti linguæ Græcæ: constat deinde ex Scriptura in sabbato non licere præparare cibos. *cap.* 12. 15. *&* 35. in Paschate autem & diebus azymorum licitum erat cibos præparare, vt constat: cùm ergo dixit Euangelista *Parasceue Paschæ.* non intellexit diem antecedentem, & proximum Paschatis, sed diem ante sabbatum, & simul ille dies dicitur Paschæ, quæ erat Pascha, vnde Marcus *c.* 15. de eodem die loquens dixit, *erat autem Parasceue,* quod est ante sabbatum, ita Bellarm. *suprà cap* 7 *ad* 5. P. Vazq. *hîc*, & alij recent. Sed obiicit noster Maldon. in illud Matth. 26. *scitis quia post biduum*, &c. contra explicationem traditam, quia si dies, v. g. sancti Ioan. Baptistæ esset vigilia alterius festi, ineptè appellaremus diem illum vigiliam S. Ioan. Baptistæ, etiamsi esset vigilia, & aliàs esset festum S. Ioan. ergo non rectè dicitur Parasceue Paschæ, ex eo solùm quòd ille dies sit Paschæ.

Huic tamen obiectioni respondet P. Vazquez esse manifestum discrimen, nam Parasceue solùm dicebatur communiter respectu sabbati, secundùm communem opinionem; vigilia verò apud nos non solùm dicitur respectu alicuius festi, aut Sancti, sed respectu multorum, & ideo iuxta communem modum loquendi nomen vigiliæ alicuius Sancti solùm significat diem antecedentem, & proximum solemnitatis illius Sancti; secus verò erat de nomine *Parasceue*, vt diximus.

Verùm obiiciunt nonnulli ex Augustino *tract.* 120. *in Ioan.* circa illa verba, *illi ergo propter Parasceuem*, &c. ait enim August. acceleratam vult intelligi sepulturam Christi propter Parasceuem, quam cœnam puram Iudæi vocabant. vbi videtur significare, non fuisse licitum Iudæis aliquid circa sepulturam facere. Hunc locum August. Baron. *tom.* 1. *anno* 34. *Domini* §. 154. contendit explicare, & docet ex aliquibus cœnam puram appellari quæ sine animatis parabatur. Sed reuera non est certum aliquod testimonium, ex quo colligatur Iudæos feria 6. eum modum ieiunij obseruasse, & ideo ipse Baron. docet cœnam puram, appellatam à Iudæis quæ fiebar feria 6. intra dies azymorum, eo quòd comedebant panem azymum.

Verùm & hæc explicatio recentioribus non probatur, quia non habet idoneum fundamentum, & propter hanc rationem omnis cœna in diebus azymorum diceretur pura. Deinde Irenæus *lib. aduersus hæreses, cap.* 10. non longè à fine dixit, hominem factum, & dispositionem in sexta die, quæ est in cœna pura, & nouissimum hominem in regeneratione primi hominis apparuisse, &c. vbi absolutè

A feria 6. appellat cœnam puram; & Amalarius *lib.* 1. *de offi. in Ecclesiastico*, idem videtur sentire: non est igitur facilè assignare causam, propter quam feria 6. dicatur cœna pura; & P. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 40. *sect.* 4. existimat Iudæos eo die in honorem sabbati, aliquam cœnam solemnem instituisse, eo quòd Tertull. 5. *contra Marc. cap.* 4. inter solemnitates Iudæorum refert cœnam puram, sed non assignatur ratio ob quam diceretur à Iudæis cœna pura. P. Vazquez *hîc disp.* 172. *cap.* 7. suspicatur dici cœnam puram à Iudæis, quia pro sabbato parabatur ritè & sincerè, secundùm legem; res tamen mihi incerta est, & sufficit pro præsenti instituto ex citato loco August. non posse sumi argumentum contra nostram B sententiam.

DVBIVM VI.

Quis sit sensus illorum verborum Ioan. 19. Erat enim magnus dies ille Sabbati.

EX iis verbis sumebatur argumentum tertium pro opinione Burg. relata *dub.* 3. difficultas verò est in assignanda ratione, propter quam dies ille sabbati diceretur magnus.

Abul. & alij non pauci *suprà*, & S. Thom. *in citatum locum Ioan.* docent illum diem dici magnum peculiari ratione, non quia eodem die celebraretur C Pascha Iudæorum, sed quia erat etiam dies azymorum, & Rup. *in illum locum Ioan.* notat posse dici magnum, propter multitudinem hominum, qui venerant ad solemnitatem azymorum, & præcedentis Paschatis; sed noster Maldonat. *loco citato*, refutat hanc expositionem, eo quòd non videatur deseruire institutio Ioan. contendebat enim ibi assignare rationem, propter quam Iudæi postulabant a Pilato, vt Christi crura frangerentur, vt citiùs moreretur, & ante sabbatum deponerentur corpora de cruce. Ad hoc autem nihil videtur referre, secundum diem azymorum concurrere cum sabbato; nam secunda dies azymorum solemnis non erat, vt impediret deponere corpora de cruce.

D Alij interpretantur prædictum locum alia ratione, docent enim, manere corpora in cruce die sabbati, non fuisse expresse, & ex se prohibitum, licet non videatur decens, & conueniens, quia *Deut.* 21. præcipiebatur, vt corpora damnatorum eodem mortis die sepelirentur, & quia Christus crucifixus est feria 6. poterat toto illo die corpus eius permanere in cruce, & ineunte nocte deponi, & sepeliri; quia tamen à Solis occasu incipiebat solemnitas sabbati, iam tempus illud non videbatur conueniens officio sepeliendi. Existimant autem Doctores huius sententiæ diem illum sabbati dici magnum propter solam sabbati solemnitatem, & concedunt omne sabbatum apud Iudæos posse dici magnum. Et ita reE spondent argumento Burg. particulam *magnam* non significare peculiarem solemnitatem Paschatis, sed solam sabbati propriam solemnitatem; & particulam *ille* non referri ad solum illum diem sabbati in indiuiduo, vt ita dicam, sed ad dignitatem sabbati cuiuslibet, ita respondet & explicat P. Vazquez *disp. cit. cap.* 8. neque oppositum satis probat Burg. aut qui illum sequitur, & hæc expositio mihi maximè probatur. Nec me latet recentiores aliquos sentire dici magnum diem illum sabbati, eo quòd secundùm opinionem aliquorum respondeat diei in quo creatus est mundus, res tamen incerta est.

DVBIVM VII.

An fuerit prohibitum Iudæis accuſare aliquem, aut ius dicere prima die azymorum.

HVius difficultatis explicatio neceſſaria eſt pro ſolutione quartæ rationis allatæ *dubio* 3. pro Burg.

Abul. *loco allegato* cenſet non fuiſſe lege veteri probibitum Iudæis accuſare, vel ius dicere prima die azymorum; & aliqui recentiores fatentur in ea lege hoc non eſſe expreſſe prohibitum, ſed quia prohibitum erat eo die nihil operis facere præter ciborum præparationem, potuit colligi ſub eo præcepto prohiberi actum accuſandi, & ideo P. Vazquez B *cap* 8. *cit.* fatetur poſſe concedi, munus forenſe accuſandi prohibitum eſſe ſub prædicto præcepto; Pontifices tamen & Principes Iudæorum potuiſſe decipi, exiſtimantes licitum eſſe Chriſtum accuſare, eo quòd putabant eſſe hominem pernicioſiſſimum Reipublicæ, & ideo Matth. 26. *non in die feſto, ne fortè tumultus fiat in populo.* vbi reſpondendum eſt illos non dixiſſe, non in die feſto, quia non eſt licitum, ſed ne tumultus fiat in populo, & ſic manet ſoluta quarta ratio Burg. & P. Suarez *tomo* 2. *in* 3. *p. diſp.* 40. *ſect.* 4. *non longè à fine*, exiſtimat Iudæis non fuiſſe prohibitum die feſto cauſam, aut ius dicere, vel ſententiam mortis proferre, ſed illam executioni mandare, & in hunc ſenſum adducit illud Ioan. 18. C *Nobis non licet occidere quenquam*, quod propter diem feſtum dici à Iudæis indicant Cyrill. Chryſoſt. & Auguſt. *ibi*, quos refert P. Suarez *ſuprà*.

Quintum argumentum pro opinione Burgenſis relatum dub. 3. primus quem viderim adducit Maldon. ſed non conuincit, non enim apparet, quo pacto intelligere potuerunt diſcipuli Chriſti illis verbis, *quod facis, fac citiùs*, voluiſſe Chriſtum admonere Iudam vt emeret ea, quæ neceſſaria erant ad celebrandum Paſcha, non ab ipſo Chriſto, ſed ab aliis. legatur P. Vazquez *loco citato*.

Circa ſextum verò argumentum aliqui exiſtimant in die feſto azymorum prohibita fuiſſe Iudæis opera ſeruilia, non tamen opera miſericordiæ, D aut munus ſepeliendi, & ita potuiſſe Ioſephum ſepelire corpus Chriſti, & alij abſolutè docent opera miſericordiæ non eſſe ſabbato prohibita. legatur P. Vazquez *cap.* 8. *cit.* Bellarm. *ſuprà c.* 9. *ad* 2. & colligitur ex *Matth.* 12. *Marc.* 3. *& Luc. c.* 6. *&* 13. *& Ioan.* 7. vbi docuit Chriſtus licitum eſſe ſabbato curare: vnde prædictum argumentum deſumptum videtur ex praua intelligentia Iudæorum, qui ſiniſtrè legem interpretabantur, quod fuſiùs explicat P. Vazq.

Septimum autem argumentum minoris momenti eſt, vocat Chriſtus tempus ſuum *Matth.* 26. propter deſiderium patiendi pro hominibus, iuxta communem ſenſum interpretum eo loco.

DVBIVM VIII.

Quid ſignificent illa verba Ioan. 13. Ante diem feſtum Paſchæ.

OCtauum argumentum relatum pro opinione Burg. *dub.* 3. ſumebatur ex iis verbis Ioan. cui argumento in hoc dubio ſatisfaciendum eſt, & S. Thom. cit. *ſuprà*, Durand. *in* 4. *diſt.* 11. Bonauent. *ibi art.* 2 *quaſt.* 1. *ad* 3. Bellarm. *ſupra cap.* 9. *ad* 3. P. Suarez *tomo* 2. *in* 3. *p. diſp* 40 *ſect.* 3. §. *Ad fundamenta* P. Vazq. *hic diſp. citata cap.* 9. *&* 10. & multi alij, docent Euangeliſtam in eo cap. 13. dixiſſe, *ante diem feſtum*, A vſurpando diem feſtum non pro integro die feſtiuitatis, ſed pro die quem vocant vſualem, diſtinctum à nocte. nam feſtum incipiebat à veſpera lunæ 14. & finiebatur veſpera lunæ 15. dies autem feſtus vſualis incipiebat, vel ab ortu Solis, vel ſaltem à media nocte incipientis lunæ 15. Et quia Chriſtus Dominus celebrauit Paſcha luna 14. ad veſperam ineunte nocte, ideo, inquiunt, rectè dixit Euangeliſta, *ante diem feſtum Paſcha.* quæ explicatio mihi maximè probatur, & ſecundùm quam facile ſoluitur argumentum Burg.

Ad exactam autem explicationem eius obſeruanda ſunt nonnulla, vnum eſt apud Iudæos poſt exitum de Ægypto in primo menſe fuiſſe duo, gratia B feriarum & feſtorum, alterum dicebatur *Phaſe*, alterum verò dies azymorum, & de die azymorum legi poteſt *cap.* 12. *Exodi, &* 23. *Leuit.* Phaſe autem vt diſtinctum à diebus azymorum, colligitur ex *cap.* 12. *Exodi.*

Alterum obſeruandum eſt, feſtiuitates Iudæorum ex præcepto Domini celebrari à Iudæis à veſpera vnius diei, vſque in veſperam alterius, vt conſtat ex *cap.* 23. *Leuit.* Et ideo cùm prima dies azymorum eſſet ſolemnis, debuit incipere à veſpere lunæ 14.

Deinde obſeruandum eſt veſperam duobus præcipuè modis vſurpari in Scriptura, altero veſpera dicitur pars diei, quæ eſt poſt meridiem vergente C iam ſole ad occaſum: altero veſpera dicitur tempus illud poſt Solis occaſum. nam *Exod.* 12. *& Leuit.* 23. vbi Latinus vulgatus legit, *ad veſperam*, in Hebræo habet, *inter duas veſperas.* Rurſus obſeruandum eſt Chriſtum vnum ſecundùm opinionem multorum, de qua ſuo loco dicemus, non tantùm cœnam agni paſchalis celebraſſe, ſed etiam vnam, vel duas alias.

Ex iis ergo principiis facilè ſoluitur ratio Burg. & explicatur doctrina à S. Thom. & aliis tradita, nam Euangeliſta manifeſtè dixit, *ante diem feſtum Paſcha*, & non ſimpliciter, ante Paſcha; rectè ergo explicatur in ſenſu D. Thom. de die vſuali feſtiuo, & ſic verum habent ſenſum illa verba, *ante diem feſtum Paſcha*, etiamſi luna 14. Chriſtus & Iudæi D celebrauerint Paſcha, primus enim dies vſualis feſtiuus, erat luna 15. & ex dictis ſoluta manent argumenta Græcorum, quæ attulimus *dub.* 2. nonnulla verò alia argumenta, quæ poſſent adduci contra communem opinionem, adducemus infrà.

DVBIVM IX.

An Chriſtus celebrauerit Paſcha luna 14. *in prima veſpera illius, vel in vltima.*

DIximus feſta Iudæorum celebranda à veſpera in veſperam, & Paſcha celebrandum luna 14. ex quibus principiis non ante multos annos orta eſt E controuerſia inter viros doctos, in qua veſpera lunæ 14. Chriſtus celebrauerit Paſcha? Et quidem Oleaſter *in c.* 23. *Leuit.* circa illud, *& affligetis animas veſtras*, & Stella *in Lucam c.* 12. exiſtimarunt Chriſtum celebraſſe Paſcha, id eſt, veſpera lunæ 14. quam opinionem Luiſius Legionenſis, vir hac ætate doctiſſimus, tradidit, & ea poſteriores alij conati ſunt confirmare, & P. Azor *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 33. *q.* 3. *in fine* putat probabilem, pro qua ipſe retulit Oleaſtrum, & Stellã, quos citauimus, & eandem ſententiam Oleaſtri ſequitur Petrus Lupezius Montoyanus *lib. annot. in can. Miſſæ*; citatur etiam pro eadem ſententia Scaliger *lib. de emendatione temporum fol.* 351. Luiſius igitur Legion. libello de agni veri & typici immolatione,

&

& recent. aliquot contendunt Christum Dominum celebrasse Pascha priori vespera lunæ 14. in fine lunæ 13. Et præcipua fundamenta sunt primò quòd vespera in Scriptura dum assignatur dies festus, principium significat, v.g. cùm dicitur, *à vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra*, etiamsi iuxta sensum vulgi per vesperam intelligatur posterior pars diei; ergo cum dicitur agnus typicus immolandus ad vesperam lunæ 14. intelligitur de principio diei. Alterum fundamentum est quòd eodem tempore celebrandum erat Pascha à Iudæis, quo celebratum est primò in Ægypto: in Ægypto autem videtur celebratum in principio lunæ 14. ergo. Minorem probant ex Iosepho, qui *lib.12. antiquitatum c.5.* aliàs 13. *in fine*, iuxta translationem Geleuij loquens de celebratione Paschæ, ita scribit, *illucescente quarta decima luna omnes ad exitum animata sanctificabant*; illucescere autem 14. luna idem est, quod diem incipere, propter quod ipse Luisius Legion. vertit ex Græco, *appetente 14. die.*

Secundò principaliter probant ex Scriptura. nam Hebræi egressi sunt de Ægypto quando egressi sunt de Ramesse, iuxta illud Exod. 12. *Profecti sunt filij Israel de Ramesse in Socoth.* de Ramesse autem egressi sunt noctu post occasum Solis inchoante luna 15. ergo non potuerunt eadem nocte Pascha celebrare, & filios Israël noctu egressos de Ægypto sumitur ex 12. cap. Exod. *nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti*; egressos autem fuisse initio noctis, colligitur ex illo Deuteron. 16. *immolabis Phase ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto.*

Item noctem illam qua egressi sunt de Ægypto, fuisse initium 15. lunæ, probat ex *cap. 33. Numerorum.* vbi dicitur, *profecti sunt de Ramesse mense primo quintadecima die mensis primi*; & ex his videtur colligi Iudæos celebrasse Pascha nocte præcedenti initio 14. lunæ, quod *Numer. 33.* videtur explicatum illis verbis, *profecti de Ramesse in mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die Phase filij Israel in manu excelsa videntibus cunctis Ægyptijs*, &c. vbi apertè dicitur, *altera die post Phase.*

Item res gestæ ab immolatione agni vsque ad egressum, hoc indicare videntur. Nam post immolationem agni tota nocte manserunt intra domos suas vsque ad ortum lucis diei sequentis. Dicitur enim Exod. 12. *Nullus vestrûm egrediatur ostium domus suæ vsque manè.* & postea congregati sunt omnes in Ramesse, iuxtà illud eiusdem capitis, *Profecti sunt omnes de Ramesse.* Ad hoc verò post immolationem agni fuit aliquod tempus. Rursus, quia filij Israel petierunt vasa ab Ægyptiis, quod fieri non potuit nocturno tempore: ergo post immolationem manserunt vno die apud Ægyptios; ergo initio 14. immolauerunt.

Tertium fundamentum est, quia ex opposita sententia sequitur Christum crucifixum in primo die azymorum artificiali, quæ erat solemnis, in qua opus supplicij licitum non erat. Tandem, quia hoc modo multum veritatis resideret figuræ, quia eodem die Christus agnus verus crucifigeretur, quo typicus immolabatur; secundùm oppositam verò sententiam in diuerso die. Alia adducemus pro hac opinione infrà.

Hanc opinionem refutant ex nostris Franciscus Ribera *lib. 1. de templo c. 3.* P. Suar. *tom. 2 in 3. p. disp. 40. sect. 2* & ex instituto hìc *disp. 41. sect. 1.* P. Vazquez *in hunc art.* & optimè Serarius *in c. 5. Iosue q. 29.* Pereira *in c. 13 Ioan. disp. 6.* P. Azor. *suprà* Deinde eam etiam impugnat Sebastianus Episcopus *in præcedentem quæst. S. Thom. quæst. de azymo.* & alij *in art. 5. quæst. præcedentis.* Marcellus Franc. *de horis canonicis c. 67. n. 10.* qui docent Christum in secunda vespera lunæ 14. celebrasse Pascha. Et mihi placet hæc sententia, quæ communis est primò, quia illa verba Exod. 12. *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, de vespera, quæ est finis diei, intelligunt communiter antiqui, & recentiores interpretes. Putant enim statim incepisse lunam 15. Hugo *in Exod.* Abulensis *ibi quæst. 10. & 19. & 2. p. defensoris c. 7 & 8.* ex antiquioribus Ambros. *epist. 83.* Beda *lib. 1. de ratione temporum c. 6.* & alij. Et ipse Legionensis fatetur hanc esse communem opinionem.

Probari verò primò solet hæc sententia ex significatione nominis *vespera*, quod significare solet finem diei. & probari potest primò ex Iosepho *lib. 3. antiq. c. 10.* qui habet hæc verba, *Mense autem Martio, qui a nostris Nisan vocatur, & annum exorditur luna quintadecima, sole arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca seruitute liberati sumus, sacrificium, quod tunc exeuntes diximus Pascha nominatum, instaurare lege iubemur, celebramúsque, nihil in sequentem diem relinquentes, quæ est quintadecima, & azymorum festiuitatum prima.* ex quibus verbis colligitur, diem proximè sequentem immolationi esse decimamquintam ex mente Iosephi.

Sed dicet aliquis dici diem sequentem non proximè post immolationem, sed post lunam 14.

Sed refutatur facilè. Nam quod Iosephus dixit, *nihil relinquentes in diem sequētem*, Moyses dixit Exod. 12. *neque remanebit ex eo quidquam vsque manè.* Et ex Iosepho deducitur præceptum esse, vt nihil remaneret vsque ad decimamquintam.

Confirmatur ex modo communi loquendi Scripturæ. Cùm enim dicit *ad vesperam*, non significatur prior vespera, sed posterior. Gen. 30. *Reueuntique ad vesperam Iacobo de agro.* Leuit. 23. & aliis locis.

Item de vespera decimaquarta lunæ, in qua erat immolandus agnus, in Hebræo non dicitur, *ad vesperam, sed inter duas vesperas*, quod significat confinium duarum vesperarum, & ex modo loquendi vulgatus explicuit, sensum vertens *ad vesperam.*

Secundò principaliter refutatur contraria sententia, & communis confirmatur ex die & hora, qua filij Israel immolarunt, quando egressi sunt de Ægypto: immolarunt autem posteriori vespera lunæ decimæquartæ. Et probatur, quia *Num. 33.* expressè dicitur Iudæos exisse de Ægypto altero die post Phase secundùm vulgatam correctam Sixti. Quòd verò autores oppositæ sententiæ per *Phase* eo loco volunt intelligere non immolationem agni paschalis, sed alia sacrificia, nullo modo admittendum est. Moyses enim ibi describit tempus egressionis de Ægypto, stationes & circunstantias illius peregrinationis, & ita cùm ait, *altera die Phase*, idem est, ac si apertè dicat; altera die à Phase, hoc est, post Phase.

Idem probari potest ex *cap. 12. Exodi.* nam postquam præcepit Moyses filiis Israël, vt immolarent Pascha ad vesperam lunæ 14. assignans illis modum, quo deberent agnum edere, inquit, *& edent carnes nocte illa assas igne*, &c. vbi per noctem illam intelligit noctem lunæ 14. quam priùs vocauerat vesperam. & paulo inferiùs, *Transibo ex nocte illa*, &c. & post multa, inquit filios Israel fecisse sicut præceperat eis Dominus; & cùm Dominus percussisset primogenitos Ægyptiorum, surrexerunt Ægyptij ex lectis, vt narrat ibi Scriptura, & compellebant Iudæos vt egrederentur de Ægypto. Credibile autem non est Pharaonem, & Ægyptios expectasse per integrum diem, vt filij Israel egrederentur de Ægypto.

Tertiò principaliter probari potest ex tempore quo Christus Pascha celebrauit, & tempore quo mortuus est. nam Christus occisus est prima die azymorum,&,vt constat ex historia euangelica,nocte proximè antecedente, postquam celebrauit Pascha comprehensus est: ergo immolauit agnum posteriori vespera decimæquartæ lunæ. Assumptum de morte Christi prima die azymorum manifestè docuit Ambros. *cap.*83. Hesichius *in cap.* 23. *Leuit.* Beda *lib. de ratione temp.cap.*45. Innocent. III. *lib.*4.*de mysterio altaris c.*4.vt omittā S.Thom.suprà citatum.

Sed respondent aliqui hos Patres non loquutos iuxta phrasim Hebræorum,qui à nocte nomerabant dies, hoc est, ab occasu Solis; sed more Græcorum, ac Latinorum, qui duodecima hora diei numerabant diem, & ita potuisse appellare diem 15. tempus horæ nonæ, quando mortuus est Christus, etiamsi secundùm Iudæos non incepisset dies decimus quintus, incepturus à Solis occasu. quæ explicatio non omnino displicet nostro Azorio *suprà*. Mihi tamen non probatur, quia cùm illi Patres agnouerint annumerandi modum Hebræorum, & scioerint agnum immolandum luna decimaquarta, iuxta legem, credi non potest illos loquutos, nisi iuxta phrasim Hebræorum.

Quartam rationem adducit P.Ribera, quam de industria omitto, quia etsi veram meo iudicio contineat doctrinam, fusiori tamen eget discussione. Confirmare tamen possumus communem sententiam, quia ex sententia Legionensis videtur sequi id quod Græci contendunt,nimirum consecrasse Christum non in azymo, sed in fermentato.Si enim Christus comedit agnum paschalem in priori vespera lunæ decimæquartæ ad Solis occasum, sequitur post cœnam agni potuisse vti pane fermentato in quauis alia cœna, vel prandio ante posteriorem vesperam eiuidem lunæ, à qua incipiebat dies festus azymorum;quod tamen in communi opinione non sequitur, quia iuxta illam immolatio agni fiebat in posteriori vespera lunæ decimæquartæ, & proximè incipiebat dies prima azymorum,& ita Christus iam non poterat vti pane fermentato.

Sed dicet aliquis, per totam lunam 14. non fuisse licitum vesci fermentato; sed ex hoc sequitur fuisse octo integros dies azymorum festiuos. Cùm tamen Scriptura solùm assignet septem; verùm respondent aliqui fuisse quidem octo dies azymorum, numerari tamen septem, quia solum numerabantur à prima die post Phase. Hoc tamen nullo modo admittendum est,cùm Scriptura expresse locis, in quibus agit de diebus azymis, semper solùm nomeret septem. legantur P.Ribera, P.Suar. & P.Vazq. qui hæc omnia fusiùs persequuntur.

Tandem hanc opinionem possumus confirmare argumento, quo vtitur Perez *suprà*; quia Christus mortuus est luna decimaquinta in ipso plenilunio, vt auctor est Dionys. Areopag. nam in epistola, quam scripsit ad Polycarpum,vbi affirmat eclipsim, quæ contigit tempore passionis Christi, & quam ipse cùm esset in Ægypto, magna cum admiratione spectauit, dicit factam in ipso plenilunio, & plenilunium non potuit esse nisi à die quintodecimo illius mensis:dicit autem Dionys.eo tempore quo luna erat è diametro opposita cum sole, repressam fuisse;non autem fuit opposita è diametro nisi hora nona lunæ decimæquintæ: ergo cùm pridie sacrificaretur Christus, facta fuit agni immolatio ad posteriorem vesperam lunæ decimaquartæ.

Restat satisfacere argumētis cōtrariæ opinionis.

Ad primum respondent aliqui decimamquartam

A lunam non habuisse duas vesperas, quia non erat dies festiuus, de quo modò non disputo. Certe de festis quæ dicebantur sabbara, dixit Scriptura, à vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra. legatur P.Vazquez *hic*, & P.Suarez *sect. citata* §.1. *argumentor.* P.Ribeta *suprà*. Nobis tamen placet respondere, modum illum loquendi Scripturæ ad vesperam significare posteriorem vesperam, & finem diei,vt suprà diximus.

Ad primum Legionensis concedimus maiorem; negamus tamen Hebræos celebrasse in Ægypto prima vespera lunæ decimæquartæ. & quod adducit ex Iosepho, facilè soluitur,quia ex Græco potiùs esset vertendum, *Postquam defuit dies decimaquarta*; vel,

B vt alij transferunt,*vbi venit quartadecima*,circa quem locum alia citat Serrarius *suprà*.

Deinde quod adducitur ex Scriptura ad probandum filios Israël in Ægypto vespera decimæquartæ immolasse, variè explicatur. Aliqui respondent filios Israël ante decimamquartam lunam fuisse congregatos in eundum locum, ex quo profecturi erant,& distributos fuisse etiam ante decimamquartam diem, vt postularent ab Ægyptiis vasa & alia, & hac ratione rectè potuisse immolare hædum posteriori vespere,lunæ decimæquartæ, & egredi luna decimaquinta parum ante lucem, & secundùm hoc facilè soluitur argumentum contrarium; filios autem Israël ex præcepto Moysis fuisse congregatos

C ante decimamquartam, hoc est, in Ramesse, probant primò ex Iosepho *lib.* 2. *antiq. cap.* 5. aliàs 13. vbi de Moyse ita loquitur,ille verò instructos priùs ad profectionem, & per sodalitia distributos continebat. Item ex Hieron. *epist.*127. in prima mansione,vbi loquens de Ramesse,inquit, ad vrbem hanc, quæ in extremis Ægypti finibus erat, populus congregatus est, qui in desertum exire cupiebat.

Sed aliis non probatur quod dicitur de congregatione populi in vnum locum, difficile enim videtur tantam hominum, & iumentorum multitudinem in vnum oppidum Ramesses congregari, vel iuxta illud in tentoriis, ne Ægyptij mali aliquid suspicarentur. Item Exod. 12.præceptum fuit Israël,

D vt de sanguine agni immolati linirent & superliminaria domorum. ergo planè sentiebat Moyses permansuros intra easdem domos. Vlteriùs in eodem capite præcipiebatur, vt ea nocte post immolatum agnum non egrederentur è domibus, & ideo P.Vazquez respondet Iudæos mansisse nocte illa post immolationem in terra Iessen, in qua priùs habitauerant prope Ramessem, vt patet ex *cap.*47.*Genesis*,& ita cùm *Numerorum* 36. dicuntur filij Israël profecti de Ramesse, intelligendum est, non solùm de ciuitate illa, sed de tota terra Iessen, in qua illi habitabant, vt præcipua ciuitas erat Ramesses:profecti autem sunt versùs locum Socoth, iuxta præceptum, quod antea illis dederat Moyses;egressi verò

E intelliguntur quando Ægyptij perterriti illos compellebant exire. Nihilominus antequam egrederentur, vnusquisque postulabat à vicino suo vasa aurea & argentea, & aliam supellectilem, quod sanè non possent facere, si fuissent in vna ciuitate Ramesses congregati, quod totum fieri potuit nocte illa immolationе agni.

Iosephus autem suprà non dixit in vnum locum, aut ciuitatem congregatos, sed in vno loco contentos, quod de exigua illa prouincia Ramessea potest intelligi;& Hieronymus eodem modo potest intelligi.

Tertia ratio soluta est ex his quæ in præcedentibus diximus ad vltimum Burgensis.

Argumenta

Argumenta verò quæ sunt ex Hebr. quæque attuli pro opere Burgensis, suprà soluta sunt.

Placet hoc loco vnum, aut alterum argumentum adducere, quod solet fieri contra communem sententiam Scholasticorum probatam à nobis suprà, asserentium, Christum & Iudæos eadem decimaquarta luna immolasse agnum.

Primum est, quia ab ea die, qua offerebantur manipuli, enumerandi essent 50. dies, & in 50. esset celebrandum festum Pentecostes, sequitur eo anno fuisse translatum festum azymorum à Iudæis. nam si non est translatum, offerendi erant manipuli in die sabbati, & ita festum Pentecostes eo anno in sabbatum incideret, quod non est verum.

B Respondeo tamen, vt colligitur ex *Leuitico* 23. tunc in primo mense, id est, Martio, offerendos esse manipulos die proximo post diem primum azymorum. nam postquam Moyses in eo capite locutus est de primo die azymorum, quæ est decimaquinta illius mensis, loquens de oblatione manipulorum, subiungit, *altero die sabbati*, &c. vbi per sabbatum primam diem azymorum festiuam intelligit, iuxta Scripturæ phrasim, & ita intellexerunt Iosephus 3. *antiquitatum cap.* 10. & 13. Lyra, Abulensis, Caiet. & alij *in eum locum*. Eo autem anno, quo Christus mortuus est, manipuli oblati fuerunt die sabbati, hoc est, septimo die hebdomadæ: feria autem sexta fuerat prima dies azymorum. Quòd verò in eodem capite præcipiebatur, vt à die oblationis manipulorum septem integræ hebdomadæ numerarentur, & post 7. integras hebdomadas festum Pentecostes celebraretur, intelligi debet, exclusa die oblationis: vnde eo anno computatæ sunt hebdomadæ à die prima post sabbatum, quam modò nos appellamus Dominicam; & ita festum Pentecostes etiam incidit in Dominicam; & ex illis 7. hebdomadibus, & ex die oblationis computabantur quinquaginta dies.

Bellarm. *lib.* 4. *de Euchar. in fine*, alio modo philosophatus fuerat *tom.* 1. *lib.* 3. *de Ecclesia triumphante, circa finem*. Alij etiam aliis modis respondent, sed responsio inducta satis est.

Alterum solet obiici, quia in ipso primo die azymorum, cùm festum esset, non esset licitum metere & colligere manipulos: ergo necessarium fuit illo anno transferri primam diem azymorum in ipsum sabbatum, vt sequenti die possent colligi manipuli. Huic argumento facilè respondent recentiores, illo die non esse prohibitum manipulos colligere, eo quòd offerendi erant in cultum Dei. Neque oppositum satis probatur à Doctoribus contrariæ opinionis, P. Vazquez *disp.* 171. *c. vlt.*

Item obiiciunt recentiores aliquos Patres, qui dicunt Christum mortuum luna decimaquarta, citantur Græci, quos retuli *dub.* 2. sed illi putant Christum celebrasse Pascha luna 13. citatur Anselm. *in cap.* 27. *Matthæi*. Sed contrarium docet *cap.* 26. & *opusculo de fermentato, & azymo*, citatur Origenes *tract.* 35. *in Matthæum*. Epiphanius *heresi* 50. pseudo-August. *qq. noui & veteris Testamenti q.* 55. & 94. & alij. legatur P. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 40. *sect.* 3. Sed Francolin. *de horis canon. cap.* 67. explicat luna decimaquarta impleta. Bellarm. 4. *de Euchar. cap.* 9. alios explicat. legatur P. Vazq. *disp.* 172. *cap.* 2.

Sed aliqui recentiores refutant hunc exclusionis sensum, quia secundùm Kalendarium Hebræum, & plures Patres data est lex sexto die mensis, & secundus secundi mensis, & quindecim primi efficiunt 50. ad festum Pentecostes, quod imitatum est in memoriam datæ legis. Et ad probandum quod dicunt de sexto die mensis tertij, citant Kalendarium Hebræum, & tabulam Geneb. 1. *Chronolog. cap.* 71. P. Sà *Exod.* 19. Azor. *lib. breu. inst. tom.* 1. *cap.* 35. Bellarm. *tom.* 2. *lib.* 3. *de cultu Sanctor. cap.* 13. & alios. Sed est solutio non difficilis, nam cùm festi dies à vespera in vesperam celebrentur, dies qui præcessit ratione vesperæ per synecdochem ad sequentem pertinet solemnitatem. Ex quo fit, vt vnus dies facer duos contineat secundùm partes naturales. Quare Pentecostes optimè diei potest incidere in diem sextum, & septimum tertij mensis. Neque hic modus loquendi alienus est ab Scriptura. nam ratione vesperæ primæ decimaquarta luna dicitur dies azymorum, etiam ante vesperam, Matthæi 26. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus*, &c. & Marci 14. *Primo die azymorum quando Pascha immolabant*, &c. & Lucæ 22. idem. Neque ob aliam causam Ioseph, qui *lib.* 3. *cap.* 10. dixerat festum azymorum per 7. dies celebrari, *lib.* 2. *cap.* 5. dixit octo esse azymorum dies, & *Leuit.* 23. vbi agitur de ieiunio expiationis, cùm dictum esset, primus dies mensis huius inter dies expiationis erit celeberrimus, & paulo pòst dicitur, *affligetis animas vestras die nono mensis*. & eius ratio statim subditur, *à vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra*. Quare, si quis diceeret festum expiationis celebrari die nono & decimo Septembris, nihil diceret alienum ab Scriptura.

Potest obiici quod *Deut.* 16. dicitur immolandum

C Phase de ouibus & bobus, quod est distinctum à Phase agni paschalis, & de eodem videtur dici immolandum decimaquarta ad Solis occasum vltima vespera, quod dicitur accipiendum cùm agnus paschalis esset assatus: ergo tunc non poterat simul immolari agnus paschalis. Aliqui putant, satis esse si illud hac celebraretur ad secundam vesperam primi diei azymorum; sed non quadrat in contextum, si attente legatur.

Respondendum ergo est ex communi sensu Doctorum, qui in eo capite agnoscunt duo sacrificia diuersa, quod variis modis explicatur, vt constat ex P. Sà *ibi*, & Hugone & Carthusiano *in eum locum*, quod variis modis solet explicari. Et facilior est

D Carthusiani, & aliorum, qui in priori parte capitis *vers.* 5. per Phase intelligunt aliqua sacrificia facienda per dies azymorum. P. Vazq. *hic*, P. Rib. 5 *de festis Iudæorum, cap.* 3. *n* 38. Bellarm. 4. *de Euchar. cap.* 9. *ad* 4. *testimonium*; à versu autem septimo sermo est de agno paschali, vt Carthusianus *ibi*. & Abul. *in cap.* 12. *Exodi quæst.* 12. & licèt ibi dicatur, coquendum esse, tamen Abul. putat latè sumi pro prandio, quia assandus erat. & hoc dicit ortum habuisse ex æquiuocatione vocis Hebrææ. Tum etiam, quia Latini dicunt coqui panem, vbi non significatur coctio distincta ab assatione per solum ignem, & combustionem. Et eodem modo P. Sà & alij *in cap.* 16. *Deut.* explicant verbum *coquendi*.

E Sed quòd in cap. 16. Deuteronomij intelligatur de vtraque Phase, docuit August. q. 24. *in Deut.* 5. Abul. *supra*, & 2. *p. defensorij cap.* 8. & ideo aliter possumus dicere illa verba coquendi ad prius Phase accommodanda. Etenim dixi *ad* 2. 2. *in q.* 32. & docuit Luisius Legionensis, morem esse sanctarum Scripturarum vt expositores priùs aliquibus sententiis, mox sigillatim subiiciantur earum explicationes, non expresso quæ quibus respondeant; tamen interpretes explicent.

DISPVTA

DISPVTATIO XXIII.

METAPHYSICA, ad Theologiam sequentis disputationis vtilis.

De quidditate subsistentiæ.



AD intelligentiam multorum quæ in Theologia tradunrur, necessarium est explicare quidditatem subsistentiæ, de qua fusè disputaui *in Metaphysi.a anno* 1593. ex qua recentiores inretminata volumina transetipsere,& typis mandauete. Ego vetò de hac re hoc loco disputare decreui, non solùm,quia interpretes S.Thomæ hìc rem hanc tractant,sed & quia *loco citato* aliqua docui mious consentanea doctrinæ S.Thomæ , quæ re meliùs considerata explicanda sunt.

DVBIVM I.

Quid addat suppositum supra naturam,vt constituat personam.

QVid sit persona,supponeodum est ex 1.*parte*,in materia *de Trinitate*; quid verò sit natura singularis,satis manifestum est ex Philosophia.

Prima sentenria io præsenti dubio est , naturam, & suppositum differre ex modo concipiendi , & sic dicunt differre hominem , & humanitatem. nam humanitas significatur ex quo est aliquid,homo verò vt quod est , ita Henrieus *quodl.*4 *quæst*.4. Durandus *in* 1. *dist*.34. *quæst*.1. *num*.15. & Richardus *in* 3. *dist*.6.*art*.1.*quæst*.1.& aliqui alij,quia nihil potest realiter diuersum à nemine excogitari,quod addat suppositum,de qno infrà.

Hæc opinio plane est contra Doctores omnes infrà citandos , & eam impugnat P. Valentia *hìc puncto* 2. P.Suarex *in Metaphysica disp*.34 *sect*.2. Fonseca 5. *Metaphysicorum* , *cap*.8. *quæst*.6. & aliqui impugnant ex eo , quod Patres adducunt , hæreticos errasse circa mysterium Incarnationis , ideo quia existimarunt naturam non distingui à persona , ita videtur docete Epiphanius Diaconus *in VII. Synodo generali* , *actione* 6. *tomo* 3. *circa medium* , Vigilius *libr*. 2. *contra Eutichet*. Damascenus 3. *de fide*, *cap*.3.

Sed hæ testimonia contra Henticum , & alios non videntur habere efficacitatem , quia illi Patres non docent hæreticos errasse,eo quòd non distinxerunt naturam & petsonam plusquam ratione;deinde non loqnuntur de distinctione naturæ,& personæ in crearis , sed in diuinis : in Deo autem natura solùm differt à persona ratione.Item Patres loquuntur de Acephalis Eutichianis , quos dicunt ideo errasse, quia non distinxerunt in Deo naturam, & personam,& ideo docuerunt, natnram bumanam fuisse vnitam Deo in natura.

Mihi verò prædicta sententia non placet , quia si personalitas non differt à natura vllo modo realiter ante intellectum,vere mansisset in Christo personalitas etcata, quia manet realitas bumanitatis, atque adeò essent in Christo duo supposita,quod dici non porest cirra iniuriam fidei;& meritò P.Suar.docuit, sententiam Henrici nullo modo defendi posse,&,vt constabit ex dicendis , prædicta sententia minus consentanea est doctrinæ Patrum. Quòd si aliquis dicat pro Henrico, non manere in Christo suppositum creatum , quia præter realitatem humanitatis dicit etiam negationem , iam incidit in opinionem Scori , quæ infrà impugnabitur.Deinde opinionem Henrici bene impugnat Valentia , quia si solùm ex diuerso modo significandı differunt natura & persona , vtroque modo posset considerati bumanitas Christi,nempe & vt id quo est homo, & vt id quod est homo.

Secunda opinio est Scoti asserenris , personam supra naturam solùm addere negationem ; ita sensit *in* 3. *dist*. 1. *quæst*.1. & *dist*.6. *quæst*. 1. & *quodlib*.9. *art*.3. Basolis *quæst*.1.*art*. 1. Mayron *quæst*.11. & probabilem existimat Lichetus *quæst*.1. qui vult Scotum non omnino sequi hanc sententiam; sed fallitur Lichetus in hoc, quia, vt legenti constabit, planè Scotus hanc secundam opinionem tenet , quam etiam sequuntur Ioannes de Neapoli relarus à Caietano in hac quæstione *art*.2.

Potest verò probari hæc sententia. Primò sic ; si aliquid positiuum dicir suppositū distinctum à natura : ergo aliquid est in persona quod assumi non potuit;quod verò assumptum non est,curatum non est. nam,vt dixit Damascenus 3.*de fidı cap*.6. non est curabile quod non est assumpribile.

Secundò , vel illud positiuum est substantia , vel accidens;non accidens, vt dicemus:non substantia, quia vel esset materia , vel forma, vel compositum; aliam verò substantiam non cognouit Aristoteles, ex prædictis verò oihil est positiuum , & illa tria in Christo fuetunr.

Tertiò, quia si esset aliqnid positiuum : ergo illo careret humana natura in Christo.

Quartò,quia si dimitteretur à verbo , nouus ille modus resultaret statim in ea.

Quintò , sequeretur posse bumanitatem existere sine tali modo.

Et quidem Scotus putat suppositum supra naturam addete duas negationes , alteram actualis dependentiæ,alteram apritudinalis , putat enim naturam tunc constituere personam,quando neque actu pendet ab altero,neque pendete natura sua potest. Defectu prioris excludit ratione suppositi omnes partes existentes in toto, siue essentiales , siue integrantes : defectu posterioris , excludit animam rationalem in statu separationis. Ioannes de Neapoli verò solùm videtur meminisse actualis negationis; Henricus verò *quodl*.5. *q*. 8 solam negationem qua res est vna, videtur requirere ad rationem suppositi.

Sed hæc sententia , (vtcunque sermo sit de negatione) mihi non placet ; & primò Henricus planè decipitur, quia illa negatio conuenit naturæ humanæ assumpræ ; & tamen ibi non habet humanum suppositum ; sola verò negatio actualis dependentiæ , vt docuit Ioannes de Neapoli , non sufficir, quia anima ratiooalis persona non est , vt benè ex omnium consensu docuir P. Vaxquex 1. *parte*, *quæst*.21.

Sensum verò Scoti fusè impugnant Doctores, & ex recentioribus P.Valentia , & P.Suarez *supra* , & impugnari potest.

Primò , quia io diuinis personis subsistentia est aliquid reale , licèt non sit realiter distinctum à natura:ergo à simili in creatis est aliquid reale.

Secundò arguo contra Scotum,quia,vt suprà vidimus *disp*.10. *dub* 1. probabile putar Scotus personam creatam posse terminare alienam naturam, quod non videtur fieri posse , si personalitas non sit aliquid positiuum,quia ratione oegationis terminare non posset alienam naturam;ratio enim terminantinis aliquid reale est, & negationi nequit conuenire; quam rationem fusiùs persequitur P.Suarez.

Quòd

Quòd si dicatur esse aliquid positiuum, iam non constituitur personalitas per solam negationem; & rursus inquiri potest, an illud positiuum manserit in Christo, vel non: si non mansit, iam aliquid vltra negationem dicit personalitas, si mansit; ergo suppositum creatum realiter mansit in Christo.

Tertiò contra Scotum faciunt aliquot loquutiones Patrum; dicunt enim verbum consumpsisse personalitatem creatam, ita Innocentius III. in quadam decretali, quam refert S. Thomas *art. 2.* & Concilium Francfordiense *in Epistola ad Episcopos Hispania*; & Paschasius *lib. 2. de Spiritu sancto cap. 4.* quæ verba non possent dici de personalitate, si solùm esset negatio; item argumentum sumit contra Scotum, Valentia ex aliis locutionibus.

Quartò impugnari potest opinio Scoti, quia illa negatio debet habere fundamentum aliquod positiuum; hoc verò non est sola natura humana, quia potest esse in Christo vbi non habet personalitatem creatam: personalitas autem creata fundamentum requirit ex natura rei; ergo præter naturam ipsam requirit illa negatio aliquem alium modum positiuum, qui sit contrarius modo existendi in alio, vt in supposito. argumenta Scoti infrà soluentur.

Tertia sententia est asserentium suppositum supra naturam addere accidentia, & characteristicas proprietates, quam sententiam videtur sequutus Herueus *quodlib. 3. quæst. 6.* Iauellus *7. Metaphysicorum quæst. 17.* pro qua citatur ab aliquibus S. Thomas *1. parte, quæst. 3. artic. 3.* huius sententiæ meminerunt Henricus *quodl. 5. quæst. 8.* Durandus *in 3. dist. 34. quæst. 1. num 6.* & alij post illos.

Probari verò potest *7. Metaphysicorum cap. 11.* qui hoc modo videtur distinguere suppositum à natura singulari. Secundò ex Patribus, Damasceno *lib. 1. institutionum cap. 1. & in sua Dialectica cap. 30. & 3. de fide cap. 6.* Nissenus *lib. de differentia essentiæ, & hypostaseos.* Athanasius *tract. de definitionibus, non longè à principio.* Nicetas *lib. 3. thesauri cap. 20. & 34.* Basilius *epistol. 48.* Anselmus *de Incarnatione verbi cap. 5.* Hæc verò sententia duobus modis explicari potest, altero vt ex ipsis accidentibus & natura singulari constituatur suppositum: altero quòd ex accidentibus deriuetur quidam modus, quem aliqui sigillationem vocant, & principium indiuiduationis.

Hæc tamen sententia vtroque modo intellecta facilè potest impugnari. Et primus modus falsus est, nam ex accidenti, & substantia, non potest fieri vnum per se; suppositum verò, & natura; est vna per se substantia in prædicamento substantiæ; secundò, quia in Christi humanitate fuerunt singularia accidentia, & non fuit persona creata.

Secundus modus etiam facilè impugnatur; quia, vt bene dixit Durandus, ab accidentibus non potest formaliter oriri substantialis aliquis modus, & tamen persona est aliquid in prædicamento substantiæ: sicut ergo ab accidentibus non potest natura compleri in ratione suppositi, ita nec modo illo accidentali ementito. Secundò, quia aliàs in humanitate Christi mansisset persona creata, quia manserunt singularia accidentia.

Quarta sententia est, naturam compleri in ratione suppositi per existentiam; ita Capreolus *in 3. dist. 5. quæst. 3. art. 3.* ad argumenta contra secundam conclusionem, & sequuntur plures recentiores, qui existimant existentiam distingui ante intellectum à natura, nullúmque alium modum esse naturam ad subsistendum; & consequenter docent hanc existentiam non fuisse in humanitate Christi Domini.

Hæc autem sententia fortè ex eo probatur à suis autoribus, quòd supposita distinctione existentiæ ab essentia, sufficienter constituitur per se natura per modum substantialiter existendi, neque videtur necessarium fingere alium modum; neque ab hac sententia Capreoli videtur differre Molinæ sententia *1. parte quæst. 29. art. 2. disp. 3.* vbi docet, subsistentiam dicere existentiam per se cum negatione dependentiæ ab alio in suo esse: docuerat autem *in eadem 1. parte quæst. 3. art. 4.* existentiam distingui à natura, non vt rem à re, sed ex natura rei, & formaliter ante intellectum.

Sed hanc sententiam diuersi autores diuerso modo impugnant; mihi verò ex eo non probatur quòd putem, existentiam non distingui ab essentia ante intellectum, ac proinde mansisse humanitatem Christi cum sua existentia, & non cum personalitate creata.

Quinta sententia est asserentium, subsistentiam esse modum quendam substantialem positiuum, ita Caietanus *art. 2. huius quæstionis.* & Medina *ibi,* Antonius de Pantusia *de prædestinatione, & gratia cap. 10.* & recentiores alij Thomistæ. Præterea, hunc modum immediatè efficere naturam, & eam determinare ad rationem suppositi. Deinde supposito aduenire existentiæ, quam censet distingui realiter à natura, & subsistentia, & quod attinet ad distinctionem existentiæ naturæ, non est huius loci, sed dicetur *quæst. 17.* Quòd verò existentia supponat naturam subsistentem, probat Caietanus ex S. Thoma *infra quæst. 17. art. 2.* vbi docuit esse consequi hypostasim, sicut habentem esse.

Sed hæc doctrina Caietani mihi non probatur, & primò falsum est existentiam distingui à natura, vt docuimus in Metaphysica, & dicemus *quæst. 17.* deinde falsum est existentiam posteriorem esse subsistentiam, cùm non distinguatur à natura existentia ipsa, & subsistentia distinguatur. nam in Christo mansit natura hominis, & non mansit subsistentia.

Demum, etsi admittendæ essent existentia, & subsistentia distinctæ ab essentia, ordo ille Caietani mihi non probatur, ratio enim videtur postulare, vt natura prius afficiatur existentia, quàm subsistentia, eo quòd existentia constitueretur essentia in rerum natura; per subsistentiam verò redderetur incommunicabilis, subsistentia enim est modus peculiaris existendi per se; vnde videtur supponere ipsum existere.

Et Damascenus *3. de fide, cap. 11.* dixit subsistentiam esse modum existentiæ, & in diuinis subsistentia posterior est existentia secundùm rationem, etiamsi idem sit secundùm rem natura, & personalitas; & S. Thomas *quæst. 4. artic. 2. & 3.* docet id quod assumitur, supponi assumptioni, ex quo colligit assumi naturam, & non personam; ergo sentit naturam cum existentia esse priorem subsistentia.

Vltima sententia hoc tempore communis, multorum est, suppositum supra naturam addere modum peculiarem, quo constituatur in ratione suppositi, & personæ, ita sentit P. Vazquez *1. parte, disp. 125. & 126.* P. Suarez suprà *sect. 4.* Valentia *puncto citato.* Fonseca *5. Metaphysicorum cap. 8. quæst. 6.* & videtur tradidisse Thomas de Argentina *3o. dist 6. quæst. 1. artic. 1. conclus. 2.* & quòd sit modus positiuus

quem

quem ſuppoſitum addit ſupra naturam, planè ſentit S,Thomas.nam *q.1.art.1.ad 3.& art.5.ad* 1. dixit de ratione indiuidui eſſe, non tantùm indiuiduum, ſed eſſe etiam per ſe ſubſiſtere;& *in hac quæſt.4.art.*1. *ad* 3 plane ſentit,perſonalitatem in Angelis eſſe aliquid poſitiuum, & *art.2. in corpore*, idem ſentit de perſonalitate humanæ naturæ, docet enim, quòd ſi præintelligeretur aſſumptioni, deberet per aſſumptionem corrumpi, & indicat ad tertium quæ ſæpe aliis locis. Sed ex his locis S.Thomæ non omnino efficaciter probatur ſubſiſtentiam diſtingui ab exiſtentia.

Sed obiicies S.Thomam, qui *in 3.diſt.6. quæſt.*1. *art.2.ad* 5.docoit, coniunctum ex anima, & corpore præter animam, & corpus, & vnionem, nihil eſſe poſitiuum, ſed fieri ſubſiſteus per hoc qund alteri non adiungitur.Reſpondeo S.Thomam contrarium docuiſſe in locis citatis huius 3.partis; an verò iſte modus poſitinus diſtinguatur à natura ante intellectum, infrà dicemus.

Mihi ſanè placuit ſemper hæc vltima ſententia, quæ ex impugnatione aliarum ſatis probata manet, & eam explicare neceſſarium eſt. Et

Primò ſciendum eſt, ſubſiſtentiam à nobis non poni rem omnino diſtinctam à natura, ſed modum, vt infrà oſtendemus.

Secundò volumus iſtum modum eſſe ſubſtantialem,quia eſt de integritare ſubſtantiæ, eſt enim terminos naturæ ſubſtantialis, quo conſtituitur in eſſe perſonæ; perſona verò eſt aliquid in prædicamento ſubſtanriæ, & quòd iſte modus debeat eſſe ſubſtantialis, probari vlteriùs poteſt ex doctrina Patrum tradita *quæſt.*2. qui, vt vidimus, docent vnionem Verbi cum natura humana eſſe ſubſtantialem; ergo talis vnio facta eſt loco alicuius ſubſtantialis, ſubſtanria enim verbi ſuppleuit vim ſubſtantiæ propriæ creatæ; item accidens habet ſibi commenſum terminum accidentalem: ergo & ſubſtantia ſubſtantialem.

Tertiò notandum eſt, modnm iſtum dici modum per ſe exiſtendi,quia per illum completè terminatur natura ſubſtantialis, vt per ſe, & ſeparatim ab aliis exiſtat.

Quartò notandum, quòd talis modus ſit ponendus, ſatis conſtat ex ſupradictis contra opiniones aliorũm.

Quintò conſequenter aſſerendum eſſe, humanitatem Chriſti habituram hunc modum, niſi aſſumeretur à verbo, & illum fuiſſe impeditum per vnionem cum verbo, de qua vnione ſuprà *quæſt.*2. philoſuphati ſumus. Iuxta hæc verò optimè intelliguntur locutiones Pattum de myſterio Incarnationis.

Sextò notandum, modus iſte per ſe exiſtendi aptè intelligi poteſt per analogiam, ad modum quo accidentia exiſtunt in alio: ſicut enim præter naturam accidentalem neceſſaria eſt inhæſio, ſeu inexiſtentia, id eſt, exiſtentia in alio, ita præter naturam ſubſtantialem neceſſaria eſt perſeitas, id eſt, modus quo vltimò per ſe exiſtat natura ipſa ſubſtantialis. Plura de hoc modo dicemus in ſequentibus.

Reſtat ſoluere argumenta in contrarium.

Ad argumentum primæ ſententiæ conſtat poſſe excogitari modum ſubſtantialem, qui ſit quaſi terminus, & complementum naturæ, & conſtituere eam in ratione ſuppoſiti.

Ad primum Scoti reſpondetur, non eſſe inconueniens, eſſe aliquem modum in natura ſubſtantiali, qui aſſumi non poſſit, neque contrarium ſentit Damaſcenus ibi citatus, loquitur enim de natura, dum ait non eſſe ſanatum quod non eſt aſſumptum.

Ad ſecundum reſpondet Valentia, & alij, hunc modum includi in compoſito, eſt enim de integritate illius, ideo ad illud membrum diuiſionis pertinet.

Ad tertium fatetur illo modo carere humanitatem Chriſti, an verò patiatur violentiam, dicemus infrà.

Ad quartum reſpondetur, quòd ſi humanitas dimitteretur à verbo,ſtatim acquireret modum iſtum; an verò de potentia abſoluta poſſit eſſe ſine illo, dicemus ſtatim, quod tangitur in quinto argumento.

Ad ea quæ afferebantur pro tertia ſententia, etiam facilè reſpondetur ad locum Ariſtotelis, nihil ex eo ſumi conrta ea, quæ diximus, vt legenti conſtabit, neque ibi diſputabat de diſtinctione naturæ ſingularis à perſona, imò ipſe non cognouit talem diſtinctionem.

Ad Patres reſpondetor,eos à poſteriori explicaſſe perſonam,accidentia enim ſunt ſigna,& ideo appellarunt ea characteriſticas proprietates.

Sed reſtant nonnullæ difficultates ad exactam explicationem traditæ doctrinæ.

Prima eſt, an in Angelis diſtinguatur ſobſiſtentia à natura? Albertus *in 3.diſt.*1. *artic.*2. exiſtimauit in Angelis non differre ex natura rei modum ſubſiſtentiæ à natura, nec video quo probabili argumento.

Contrariam tamen ſententiam puto eſſe communem, vt conſtat ex dictis *diſp.*11. *dub.* 1. & planè eſt ſententia D.Thomæ *in hac quæſtione art.* 1. *ad* 3. & ſæpe aliis locis, ſeqnitur Bañes 1. *part quæſt.* 3. *artic.* 3. *dubio* 2. qui alios citat, éſtque conſentanea Paulo, & Pattibus, iuxta dicta *diſput.* 12. *citata, dub.illo* 1. &, vt dixi in Metaphyſica, probabile eſt mihi nullam eſſe creaturam poſſibilem, quæ per ſuam eſſentiam abſque aliquo modo ſuperaddito ſubſtantialiter ſubſiſtat,ita vt nulla ratione in ea differat natura, & ſubſiſtentia; quomodo verò de hac ſubſiſtentia Angeli ſit philoſophandum,ex dictis de ſubſiſtentia humana conſtat.

Secunda difficultas, quomodo differat ſubſiſtentia à natura ante intellectum. [illegible]uplex eſt dubitatio, vt aduertebam in Metaphyſica; altera modi à re cuius eſt modus, altera rei à re. Quæ[illegible]ur ergo, an ſubſiſtentia differat a natura tanquam res à re, vel ſolùm vt modus à re, cuius eſt modus; & quòd aliquo modo differat à natura ante intellectum patet, quia ſeparantur. nam manet natura in Chriſto ſine ſubſiſtentia creata.

Fonſeca 5. *Metaphyſicorum, cap.8. quæſt.6. ſect.6.* docuit, ſubſiſtentiam eſſe entitatem incompletam, & negat eſſe purum modum eſſendi; docuerat verò *quæſt.6.ſect.2.* purum modum eſſendi diſtingui à re, præciſa omni conſideratione intellectus, & natura eſſe formaliter ens, niſi ens fuſiſſime ſumatur pro eo quod eſt aliquid vt condiſtinctum à nihil; & huiuſmodi dicit eſſe modum quem habet quantitas in ſubiecto & extra ſubiectum; quòd verò ſobſiſtentia non ſit purus modus eſſendi,conſtat primò, quia cùm ſuppoſitum ſit aliquid completum, & ſubſtantiale, neceſſe eſt quòd per aliquid ſubſtantiale compleatur: eadem ferè eſt ſecunda ratio Fonſecæ.

Tertia ratio eſt, quia diuina perſonalitas, eſt ens fomaliter, & non purus modus eſſendi; quartò, quia ſi ſubſiſtentia eſſet purus modus eſſendi,

essendi non rectè diceretur suppleri, per suppositalitatem verbi, quia modus nun propriè dicitur suppleri, vnde & illud Innocentij III. *persona Dei consumpsit personam hominis*, non propriè intelligeretur: videtur ergo velle Fonsecam non sic se habere subsistentiam comparatione substantiæ, sicut inhærentiam comparatione accidentis, & ita dicet, subsistentiam aliter differre à natura, ac inhærentiam ab accidenti; & sicut aliqui putarunt, vt retuli in Metaphysica, existentiam distingui à natura, vt rem à re, ita de subsistentia philosophari posset aliquis.

Bañez 1. *part. quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 1. *conclus. vltim.* dicit probabilius esse, quòd subsistentia distinguatur à natura tãquam res à re, quamuis sit probabile, quòd distinguatur vt modus à re, id est, sicut sessio à sedente; probat verò primam partem, quia si suppositum non addit supra naturam aliquid tanquam rem à re distinctum, vix potest intelligi quo pacto Verbum diuinum assumpserit naturam humanam, & non suppositum.

Sed, vt docui in Metaphysica, probabilius longè est subsistentiam non distingui à natura, nisi vt modum à re cuius est modus, vnde, quod docuit P. Suar. *in Metaphysica quæst. citata, sect.* 4. *num.* 33. & ipse Fonseca tandem vocat subsistentiam modum essendi, docétque sic appellari à bonis autoribus, solúmque negat esse vocandam purum modum essendi. Et probaui *loco citato*, primò à simili de inhæsione accidentis, & inexistentia illius, quæ modus quidam est; secundò, quia si subsistentia est res quædam, non vniretur naturæ nisi per modum alterum, sicut materia vnitur formæ, & omnes res vniuntur inter se vinculo aliquo: & explicari potest, quia natura per modum est in alio; ergo per aliquem modum illi contrarius est per se, natura enim hominis per vnionem cum verbo, vt diximus *q.* 2. terminata est, & sustentatur à verbo, éstque in illo: sicut ergo in accidentibus esse per se, & esse in alio, sunt modi contrarij, ita esse per se & esse in alio in natura substantiali erunt modi contrarij; aliis argumentis hoc contendit probare P. Suarez, quæ de industria omitto, quia non carent difficultate.

Nostræ sententiæ sanè fauet modus concipiendi, concipimus enim subsistentiam, quasi terminum afficientem naturam, & modum essendi illius, eo quòd per illam natura est per se in rerum natura, neque existimo alio modo se habere subsistentiam comparatione substantiæ, quàm se habeat inhæsio comparatione accidentis, in quo mihi non probatur Fonseca, cuius mentem assequi non est omnino facilè, neque eius rationes aliquid probant contra ea quæ diximus.

Ad primam respondetur, subsistentiam esse modum substantialem de integritate suppositi, sicut terminus est de integritate lineæ, sed non esse necessarium suppositum compleri per aliquam rationem, vt distinctam à modo, & idem respondetur ad secundam.

Tertia nihil concludit. nam personalitas diuina identificatur realiter cum diuina essentia; personalitas verò creata differt à natura ante intellectum.

Ad quartam respondetur nihil habere efficacitatis, quia vnus modus reuera potest suppleri per aliũ, suppleri enim translatitiè sumptum, in his rebus solùm significat capacitatem rei, & indigentiam eius, quæ velut impletur ab vno, impleri ab alio per eiusdem muneris exercitium, & esse modò potest vnus modus impedire alium, quo sensu, vt suprà diximus, dixit Innocentius, personam diuinam consumpsisse naturam humanam.

A Argumentum verò, quo vsus est Bañes, nihil concludit, nam etiamsi subsistentia solum distinguatur vt modus ante intellectum à natura, facilè intelligitur, posse assumi naturam, non assumpto illo modo: sicut intelligi facilè potest, naturam existere ante intellectum sine sessione.

Tertia difficultas restat explicãda, an possit natura existere de potentia absoluta, sine subsistentia propria, vel aliena. Sorus qoidem suprà putat naturam posse existere sine substantiali, si est modus positiuus distinctus ab illa. id quod Caietanus liberaliter concedit Scoto *in hac quæst. art.* 2. §. *ad quartum*, & Valentia *in hac quæstione punct.* 2. *circa* 3. *obiectionem Scoti*, idem sentit Medina *art.* 2. ad cuiusdam eius quarti

B argumenti. Er ratio Scoti est, quia essentia & natura est prior subsistentia: si ergo illa est aliquid positiuum reale, poterit natura sine illa conseruari.

Contrariam sententiam tradit Fonseca 5 *Metaphysicorum, cap* 8. *quæst.* 6. *sect.* 3. & valde probabile putat suprà Medina, & sequitur Tapia *quæst.* 5. *artic.* 2. *ad* 4 & P. Suarez 3. *part. tom.* 1. *disp.* 8. *sect.* 3. & fusiùs *in Metaphysica, disp.* 34. *sect.* 6. *num.* 25. & hanc sententiam à fortiori tradent qui putant existentiam non distingui à subsistentia. nam res nequit existere sine existentia, & hanc sententiam iam olim tradidi in Metaphysica, vbi aduertebam decipi Fonsecam, dum putat hanc secundam sententiam traditam esse à S. Thoma 3. *dist.* 5. *quæst.* 3. *artic.* 3. *ad* 3. ibi

C enim solùm dicit, quòd si natura humana dimitteretur à verbo, subsisteret homo per se; & quidem constitutum est apud omnes, si de connaturali modo sit sermo, non esse auferendam subsistentiam propriam à natura, nisi vt terminetur aliena, natura enim sua postulat terminum suæ existentiæ: deinde de potentia absoluta etiam mihi semper probabilius visum est, non posse naturam consistere sine subsistentia propria, vel aliena; & ratio huius est arctissima connexio quæ est inter naturam, & subsistentiam tanquam inter rem, & terminum suum, quia iste modus est, quo vltimo constituitur in rerum natura: sicut ergo vt res existat in alio, præter existentiam naturæ requiratur necessariò modus aliquis, ita

D vt res existat per se, præter existentiam substantialem, requiritur modus perseitatis, & ita non potest natura existere in rerum natura sola existentia sua, nisi determinetur modo existendi in alio, vel per se, quod ampliùs explico ex eo quòd maior est connexio naturæ cum modo suo essendi, quàm sit quantitatis cum præsentia, & tamen quantitas sine aliquo modo præsentiæ esse nequit in rerum natura; & ex hac doctrina constat quid respondendum sit ad rationem oppositæ sententiæ.

E

DVBIVM II.

An materia prima habeat partialem subsistentiam.

EXplicare oportet hoc loco, an subsistentia naturæ sit aliquid indiuisibile? & certum est in Angelica natura, subsistentiam esse indiuisibilem, sicut natura ipsa indiuisibilis est. neque habet illa subsistentia, vnde sumat diuisibilitatẽ cum natura quam afficit, neque habet partes physicas essentiales, neque integrantes: difficultas ergo est de subsistentia naturæ compositæ ex materia & forma.

Vt verò res exactè explicetur, sigillatim disputandũ est de quolibet parte essentiali, an aliquã partialẽ subsistẽtiã habeat, ex quo facilè erit iudicare, an subsistentia totius sit diuisibilis, vel indiuisibilis. Primò

dicemus de materia prima: secundò de forma materiali; tertiò de anima rationali.

Circa primum, P. Suarez *in Metaphysica*, *disp.* 34. *sect.* 5. præsertim *a num.* 35. putat materiam primam habere suam partialem subsistentiam, pro qua sententia citabam ego olim Genebrardum *lib. 2. de Trinitate*, *pagina* 93. & 94. quia dixit subsistentiam interdum manare ab vno principio, vt in Angelis, interdum a duobus, vt in hominibus anima & corpore constantibus: sed hic autor nec clarè loquitur, nec rem disputabat, & quod docet, verum sensum habere potest, etiamsi subsistentia sit indiuisibilis, solum enim vult, subsistentiam sequi naturam integram. & vbi natura est simplex, vt in Angelis, dicitur oriri ex vno principio: vbi verò est compusita ex materia, & forma, dicitur ex vtroque oriri.

Aliqui recentiores putant fauere huic sententiæ Antisiodorensem 3. *sua summa*, *tract.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 2. eo quòd putat, vt dicemus *quæst.* 6. diuersa vnione vnitam fuisse materiam primam verbo, & diuersa vnione vnitam fuisse illi animam rationalem; ex quo volunt colligere, materiam habere partialem subsistentiam, & animam similiter ex mente huius Doctoris. Sed hoc rectè colligitur, quia hoc potuit hic autor existimare, etsi putauerit materiam primam non habere partialem subsistentiam; nam Caietanus, & alij, vt dicemus *quæst.* 6. qui putant materiam primam non habere subsistentiam, putant illam esse vnitam verbo independenter à toto, mansisséque illam vnionem quando dissoluta est vnio integræ humanitatis, putarunt enim quòd licèt materia prima non habeat subsistentiam propriam, est vnibilis subsistentiæ verbi, in ordine ad vnionem integræ naturæ cum verbo, de quo ibidem dicemus esse falsum, & contra S. Thomam, & ideo hæc sententia, quæ habet materiam primam, à sui propria & peculiari subsistentia, ex his qui hactenus sua scripta prælo mandarunt, auctorem nullum habet, præter P. Suarez, quem tamen plures recentiores, & ipsi docti sequuntur.

Probari potest primò, quia materia prima habet suam existentiam propriam: ergo in suo esse non pendet a forma; ergo est per se cùm sit primum subiectum, in nullo est cum dependentia; ergo habet propriam subsistentiam, hac enim ratione anima rationalis dicitur habere in corpore subsistentiam, quia non pendet a subiecto, atque adeò est per se; ergo idem erit de materia prima.

Secundò, quia existentia totius respondet partibus illius, ita vt materia habeat suam existentiam partialem, & forma similiter; ergo idem erit de subsistentia.

Tertiò, quia videtur magis consentaneum doctrinæ Patrum, materiam prius natura fuisse vnitam verbo, quàm animæ rationali, de quo *quæst.* 6. ergo quia habet natura sua partialem subsistentiam, subsistentia enim verbi eo modo afficit partes humanitatis, quo afficeret eas subsistentia humanitatis si non impediretur.

Quartò, quia nihil est quod impediat, materiam primam habere suam partialem subsistentiam, quia cùm habet suam existentiam substantialem, poterit etiam habere partialem modum per se essendi, quo fiat incommunicabilis alieno supposito. Putant verò qui hanc sententiam sequuntur, solùm pugnare cum subsistentia modum existendi in alio, per modum inhærentis cum dependentia ab illo.

Contrariam tamen sententiam videntur tradidisse expresse Scholastici antiqui, & primò Scotus

A citatus *dub.* 1. omnes partes siue integrantes, siue essentiales, excludi à ratione suppositi simpliciter, neque concedit aliquam partialem subsistentiam materiæ, vel animæ. Item Scotus non ponit hos partiales modos subsistentiæ, quia putat subsistentiam supra naturam solùm addere negationem illam duplicem, quam retuli ex mente ipsius *dubio* 1. Scotum verò sequuntur eius discipuli.

Deinde in schola S. Thomæ semper contrarium traditum est ex mente S. Thomæ, qui ex mente multorum negat materiam habere existentiam à se, sed solùm à forma, quod esse sensum S. Thomæ, docuit ipse P. Suarez *in Metaphysica*, *disp.* 15. *sect.* 8. & eam

B indicat 1. *part.* *quæst.* 66. *artic.* 1. & de potentia *quæst.* 4. *artic.* 1. & sæpe alibi, & quid sit de hoc, his locis saltem de subsistentia loquitur S. Thomas, cùm docet, materiā non habere esse nisi à forma, & idem sentiunt plures Thomistæ, qui existimant materiam non habere existentiam nisi à forma, debent enim dicere, materiam non habere subsistentiam, antequam habeat formam, putant enim nullum habere actum nisi priùs informetur. Idem de existentia sensit Argentina 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. Bonauentura *art.* 1. *quæst.* 1. & alij, qui putant materiam non posse existere sine forma, quos refert P. Suarez *sect. illa* 9. *citata*; deinde S. Thomas *in hac quæst.* 4 *artic.* 2. *ad* 3. dixit per vnionem cum verbo, non fuisse corru-

C ptam personalitatem hominis, sed impeditam ne à natura oriretur; & tamen si in materia esset aliqua subsistentia partialis, illa corrumperetur, quia præfuisset in materia; & *quæst.* 6. *art.* 4. *ad* 3. dixit S. Thomas prius carnem vniri animæ quàm verbo, quia ex vnione ad animam, habet quòd sit vnibilis verbo in persona: sentit ergo secundùm se, materiam non terminari subsistentia, quia iam ratione sui esset vnibilis verbo, & non ratione animæ: & hanc esse mentem S. Thomæ, ex multis, quæ in sequentibus dicemus, intelligetur: vnde tota Scholasticorum antiquitas, planè sentit materiam non habere partialem subsistentiam. S. Thomam secuti sunt omnes eius discipuli antiqui, & recentio-

D res, vbicumque agunt de existentia & subsistentia, hoc planè docent, & alij quos citauimus *quæstione* 6. vbi id supponit Valentia *puncto* 2. & quòd materia non habeat subsistentiam, docuit Molina 1. *parte*, *quæst.* 29. *artic.* 2. *disputat.* 3. Fonseca 5. *Metaphysicorum*, *cap.* 8. *quæst.* 5. *sect.* 4. qui pro hac sententia citat Alexandrum. P. Vazquez 1. *parte*, *disputat.* 125. *cap.* 4. *in fine*, negat subsistentiam partium.

Restat vt ratione probemus hanc conclusionem, & veram sententiam.

Notandum est primò controuersiam fuisse apud antiquos Patres de significatione nominis hypostasis, de qua in materia *de Trinitate*. 1. *parte*, *quæst.* 29. &

E legi potest Fonseca 5. *Metaphysicorum*, *cap.* 8. *quæst.* 5. *sectione* 4. & demum post sedatam controuersiam Latini vsi sunt nomine subsistentiæ pro persona, deinde Scholastici sumpserunt nomen subsistentiæ pro ipsa personalitate, & modo illo, quo natura constituitur in esse personæ, vt bene notauit P. Vazquez 1. *part.* *disp.* 125. *cap.* 4.

Secundò quod attinet ad hoc ipsum nomen subsistentiæ, subsistere si est aliquod esse verum, & reale, vt distinguitur contra inanem speciem, quo sensu Aristoteles *lib. de mundo*, ad Alexandrum dixit, ea quæ in aëre cernuntur partim specie tenus esse, partim hypostasim, & subsistentiam habere. Secundò sumitur pro eo quod est subesse, sicut

in

in ædibus fundamentum, & in columna basis dicitur subsistere, & hoc sensu *ad Hebræos* 11. dicitur, *fieret subsistentia*, id est, subsistentia & fundamentum sperandarum rerum; Scholastici verò subsistere interdum dicunt, quod non habet subiectum inhæsionis accidentalis, & hoc modo omnis substantia, & pars quælibet eius subsistit, nulla enim inest accidentaliter. Tertiò sumitur pro eo quod est esse per se siue dependentia à subiecto quolibet in suo esse, qua ratione sine controuersia anima rationalis subsistit in corpore, de quo latiùs infrà dicemus. Quarto modo, quod omnino est per se, & non alio vlla ratione, de quibus modis Fonseca *suprà*, & Molina *loco citato*.

Peculiariter ergo quærimus, an materia prima habeat in toto composito modum aliquem positiuum superadditum, ratione cuius possit dici per se subsistere, ita vt ex illo, & ex altero modo formæ componatur integra subsistentia totius.

Et qui primam sententiam sequuntur, affirmant, materiam primam habere talem aliquem modum; autores verò secundæ sententiæ negant. Probari verò potest secunda sententia primò, quia vel ponitur ista subsistentia totalis, vel partialis vt componat cum altera; sed neutro modo poni potest: ergo.

Respondent aliqui subsistentiam materiæ esse integram in compositis, ex materia, & forma corruptibili, eo quòd forma in his non subsistit, vt dicemus infrà; materia verò est maximè per se existens, quia est primum subiectum, & cui repugnat ab aliquo subiecto dependere, vel in aliquo esse vt in subiecto; huius opinionis meminit P. Suarez 3. *parte, tom.* 1. *disput.* 19. *sect.* 4. *in fine*, & postea fusiùs explicuit *in Metaphysica, disputat.* 34. *sectione* 5. *num.* 14. vbi meritò eam refutat, & dicit esse alienam à modo loquendi, & sentiendi Philosophorum, & Theologorum, & impugnari potest primò prædictus modus dicendi, quia ex eo sequitur omnem subsistentiam compositi materialis, ex materia horum inferiorum, & formæ corruptibilis esse eiusdem speciei, quia materia est eiusdem speciei; si ergo sola subsistentia illius est subsistentia, horum omnium compositorum habebunt subsistentiam eiusdem speciei, quod per se est absurdum.

Secundò, quia integra natura equi, v. g. propriissimè conuenit nullo modo esse in alio; ergo propriissimè illi conuenit subsistere, quia omnino est per se, vnde S. Thomas 1. *parte, quæst.* 75. *art.* 2. *ad* 2. dixit propriè, & per se subsistens dici, quod neque inhæret vt accidens, vel forma materialis, neque est pars; & *eadem* 1. *parte, quæst.* 29. *artic.* 2. *in corpore* docuerat ea dici subsistere, quæ per se existunt, & non in alio: quis autem neget hoc per se propriissimè conuenire integræ naturæ vt sic; & 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 5. *ad* 2. dixit quòd esse totius non est alicuius suarum partium, idémque esse formæ & materiæ.

Tertiò, quia substantia, vt dicit Damascenus 1. *de fide, cap.* 11. est modus existentiæ, quod de nulla existentia aptius, quàm de existentia integræ naturę intelligi potest.

Quartò, quia si materiæ concedit subsistentiæ modus, quia non est in subiectu cum dependentia, & anima rationalis non pendet à subiecto, & habebit hunc modum: ex quo fiet modum materiæ componere cum modo illo animæ rationalis, & ita concluditur modum materiæ esse partialem, & proinde non fore totalem subsistentiam equi, aut

A alterius similis compositi. Aliis rationibus impugnat P. Suarez prædictam sententiam, quas de industria omitto.

Alij verò putant, modum materiæ esse partialem, ad componendam integram subsistentiam, ita Pater Suarez, & communiter recentiores qui illum sequuntur.

Sed neque hoc dici potest.

Primò, quia, vt infrà dicemus, sufficit subsistentia indiuisibilis totius; ergo sine causa finguntur partiales isti modi. quod argumentum semper magnæ efficacitatis iudicatum est, ad vitandam pluralitatem entium, seu modorum.

Secundò probatur, quia, vt infrà dicemus, forma materialis substantialis non subsistit in corpore; B ergo subsistentia totius non potest componi ex subsistentiis partium: ergo non potest poni in materia modus subsistentiæ partialis. Hæc vltima consequentia videtur euidens; illa prior probatur, quia si vna ex partibus non habet subsistentiam partialem, altera non habebit cum qua componat.

Respondebit aliquis formam materialem afferre secum aliquid quod componat cum subsistentia partiali materiæ; sed contra hoc est, quòd illud non potest esse perseitas formæ, cùm sit in subiecto cum dependentia ab illo, scilicet à materia prima, vt fatetur P. Suarez *sectione illa* 5. *num.* 24. C in vltimis verbis. Si verò est inhæsio, non componet cum perseitate materiæ subsistentiam totius, hoc enim & ridiculum esset, & reuera solùm in materia esset subsistentia, & perseitas, quod suprà impugnatum est.

Item si esset aliqua perseitas formæ prout vnitæ formaliter, non posset constituere formam per se ex natura rei, vnde non esset perseitas; si verò dicatur perseitas naturæ, contra hoc est, quòd non ponitur perseitas integræ naturæ, cùm hæc includat modum ex parte materiæ; poni ergo debet perseitas partis, nempe formæ, quod dici non potest de forma dependenti à materia in suo esse.

Dices, neque esse perseitatem formæ, neque to- D tius, sed modum, cum quo modus naturæ componit integram subsistentiam totius, ita philosophatur P. Suarez *sect. illa* 5. *citata, num.* 43.

Sed hoc dici non potest, primò, quia iam subsistentia materiæ non componeret cum altera partiali subsistentia, & ita propriè non potest modus materiæ dici partialis subsistentia.

Item modus ille natura sua poterat inhærere, & pendere à sustentante subiecto, vt concedit P. Suarez; ergo per illum non determinatur forma ad existendum per se, de quo etiam dubio sequenti dicemus. Rursus, vt suprà dicebam ex Damasceno, subsistentia est modus existentiæ per se substantialis; ergo per nihil potest talis existentia de- E terminari, nisi sit perseitas; talis verò modus non ponitur perseitas, & expressè negatur ab his Doctoribus, esse partialem subsistentiam: ergo. Deinde totum hoc videtur liberè fictum, vt defendatur multiplicitas partialium subsistentiarum hactenus inuisa Theologis, & Philosophis.

Tertiò principaliter probari potest, materiam non habere partialem subsistentiam, quia, vt dicemus *quæst.* 6. ex mente Patrum, materia non est assumpta à verbo, nisi priùs vnita formæ fuerit ipsa materia; ergo secundùm se non habet subsistentiam partialem, quia subsistentia verbi subrogata est loco subsistentiæ propriæ, & eo ordine quo afficeret illam naturam.

Quartò vlteriùs, si ponitur aliqua subsistentia A propria naturæ, sequitur materiam esse causam efficientem illius, ea opinione Doctorum primæ sententiæ; putant enim subsistentiam oriri efficienter à materia. Est autem paradoxum inauditum quòd materia efficiat. quod licèt à Doctoribus primæ sententiæ concedatur, tamen id fit, non solùm sine autore, sed etiam contra ea quæ communiter docuerunt Theologi, & Philosophi.

Quintò probari potest, materiam non habere partialem illum modum, quia vel ponitur vt materia fiat incommunicabilis alteri vt subiecto, vel vt supposito. Primum dici non potest, superuacaneus enim est modus ille ad eum effectum, nam per suam existentiam habet, vt non possit esse in subiecto vllo, B quia est primum subiectum, cui repugnat in alio recipi, & est substantia, & ita non potest esse in subiecto vt accidens. Secundum & sine idoneo argumento dicitur, & fingitur contra Doctores, subsistentia partialis, & definitio illius.

Deinde, cùm materia prima natura sua vel pendeat in suo esse à forma, vel de potentia absoluta, vel saltim ex natura rei, sine illa esse non possit, sequitur secundum connaturalem ordinem non esse assumptibilem sine forma; ergo vt reddatur incommunicabilis alteri, vt supposito, sufficit subsistentia totius naturæ, quæ per se primò terminat integram naturam, secundariè verò partes, & ita illa per se primò reddit naturam incommunicabilem alie- C no supposito, quia primariè constituit illam omnino per se.

Sextò, ratio substantiæ non potest consistere in hoc quòd aliquid sit incommunicabile alteri, vt subiecto, & vt supposito. Primò, quia deitas in abstracto significata habet hoc, & vt sic non includit formaliter suppositum; secundò, quia forma materialis est per suam inhæsionem incõmunicabilis alteri, vt supposito, & vt subiecto tanquam accidens, quia est substantia; ergo ad hunc effectũ non requiritur ex parte illius altera subsistentia partialis: ergo sufficiet subsistentia materiæ, vt tota natura sit eo modo incommunicabilis. quod suprà impugnatum est. Requiritur ergo subsistentia tanquam modus, & D terminus existentiæ, vt completè res existat per se, quòd materiæ, aut alteri parti prout est in alio, siue in subiecto, siue in toto, conuenire nequit. Vnde S. Thomas 1. *part. quæst. 75. art. 2. ad* 2. dixit, propriè, & per se subsistere dici, quod neque est inhærens, neque est pars.

Vltimò, vt infrà dicemus, ex communi sensu antiquorum subsistere solùm conuenit toti, quod nullo modo est in alio, neque fas est fingere nouas definitiones subsistentiæ, vt concedantur partibus substantiæ partiales subsistentiæ.

Restat satisfacere argumentis contrariæ opinionis.

Ad primum respondetur liberè fing 'ufficere ad E hoc quòd materia habeat subsistentiam, quòd non pendeat ab alio. Et primò in opinione eorum, qui putant non habere existentiam nisi à forma, ita vt etiam de potentia absoluta non possit esse sine illa, nullam habet vim primum illud argumentum; deinde nos existimamus, saltim ex natura rei non posse esse sine forma in statu connaturali; quòd verò non pendeat in suo esse à forma simpliciter, non sufficit, vt dicatur habere partialem modum subsistentiæ, quia cùm sit pars, non potest habere subsistentiam partialem, vel totalem, vt ostensum est, & sanè vt intelligatur per se esse, quia est independens, sufficit existentia substantialis, non educta de potentia alicuius subiecti.

Ad secundum respondetur primò, non habere vim in opinione eorum qui putant, vnam esse existentiam totius, & materiæ, & formæ. Secundò, in nostra opinione respondeo existentiam esse idem cum entitate rei, & ita materiam habere suam existentiam, & formam etiam habere suam existentiam; subsistentiam verò repugnare partibus, eo quòd illa constituit rem omnino per se, quod partibus in toto existentibus nequit conuenire, & ita non est eadem ratio.

Ad tertium quæstione 6. ostendemus potiùs nostram sententiam esse magis consentaneam doctrinæ Patrum circa ordinem assumptionis, quòd si aliquid sit in illis quo abuti possint aduersarij, ibidem explicabimus.

Ad quartum ex dictis constat.

Dvbivm III.

An forma materialis substantialis habeat aliquam subsistentiam.

Recentiores putant, formas has habere suas proprias partiales subsistentias. Primò, quia subsistentia est modus existentiæ; ergo forma hæc cùm sit substantia, & habeat suam existentiam, habebit terminum suæ existentiæ perseitatem, quæ dicitur subsistentia. Secundò, quia licet non sit independens à materia, tamen reuera est substantia, quæ poterit subsistere incompletè, licèt non eo modo, quo anima rationalis. Tertiò, quia, formaliter loquendo, subsistentia non reddit rem incommunicabilem subiecto, sed supposito; ergo non pugnat cum dependentia à materia, si aliàs non sit substantialis. Antecedens probatur, quia si datur subsistentia materiæ, illa supponit materiam ex se incommunicabilem subiecto alteri; ergo, & idem est de subsistentia animæ rationalis, quæ supponit animam per se incommunicabilem cuilibet subiecto cum dependentia. Quartò, quia eùm detur subsistentia materiæ, necesse est formam hanc afferre secum alteram partialem subsistentiam, vt componat integram subsistentiam totius, cum subsistentia materiæ; pro hac sententia nullum inuenio autorem, qui sua scripta typis mandauerit, eam tamen, vt dixi, defendunt recentiores aliqui, quod etiam refert P. Suarez *sectione illa* 5. *num.* 41.

Secunda sententia est P. Suarez vbi proximè *à num.* 43. qui putat formas materiales non subsistere, quod infrà probabitur, vult tamen, formas has afferre secum modum aliquem, qui cum modo materiæ compleat subsistentiam totius, & esse modum distinctum ab inhæsione ipsius formæ. Et probari potest primò, quia natura integra assumi potest, sicut cadauer in triduo; ergo præter subsistentiam naturæ priuaretur natura integra subsistentia; ergo non sola subsistentia materiæ.

Secundò eùm dictum sit materiam habere subsistentiam partialem, & non esse illam solam subsistentiam totius, necesse est aliquid aliud addere, vt compleatur integra subsistentia totius.

Tertiò, quia nisi forma substantialis afferat aliquẽ modum, vt compleatur subsistentia totius, sed manet sola eum inhæsione, vix poterit distingui à forma accidentali; nam substantialis ab accidentali debet differre, per hoc quòd sit principium substantialiter

essendi; quòd iste modus non sit partialis subsistentia, fusè probat P. Suarez, & ex eo colligi potest, quòd forma illa non subsit per illum.

Tertia sententia est communis antiquorum, & recentiorum asserentium duo; primum est, formas materiales non subsistere: secundò nihil afferre, quod sit completiuum subsistentiæ. Et hæc sententia mihi placet, & vtrumque est sigillatim probandum. Primum docet S. Thomas 1. *parte, quæst.* 75. *artic.* 1. vbi docet, & ex professo probat animas omnes, præter rationalem, non subsistere; & *artic.* 1. *ad* 1. docuerat, subsistentiam excludere inhærentiam accidentis, & formæ materialis, quo in loco id sequuntur interpretes; & Ferrara 2. *contra Gentes, cap.* 68. §. *quantum ad secundum*, quòd si S. Thomas *quæst illa* 75. negare velit formas habere existentiam ratione sui, à fortiori negabit habere existentiam per se, & P. Molina & Fonseca, ibi citati expresse negant has formas subsistere; & P. Suarez *sect.* 5. *citata, num.* 42. idem dicit ex communi Theologorum.

Et facilè potest probari, quia subsistentia quæ est existentia cum modo perseitatis, planè pugnat cum inhæsione, & dependentia à subiecto, esse enim per se, & in alio, saltem ex natura rei, modi sunt contrarij, sicut patet in modo per se, & in alio formæ accidentalis; pugnant enim pendere, & non pendere ab alio, & ideo, quod dicitur esse per se, non est in alio cum dependentia, quia, vt suprà referebam ex S. Thoma, quæ per se existunt, & non in alio, subsistere dicimus.

Item, cùm forma illa licèt sit substantia, tamen cùm pendeat à materia, nihil habet, ratione cuius dici possit subsistere per se, quia neque est independens à subiecto, neque operatur vt quod, neque habet propriam operationem, propter quod dixit S. Thomas *quæst.* 75. *citata, art. illo* 1. formas materiales non subsistere, quia non habent propriam operationem; nulla ergo est causa ob quam præter existentiam substantialem tribuamus formis istis alium modum perseitatis. Rursus subsistentia est terminus existentiæ, sed existentia harum formarum terminata est per inhæsionem, & inexistentiam in materia; ergo non habent terminum alium per se existendi, & vt minimum superuacaneus esset talis terminus.

Vlteriùs, vel ponitur subsistentialis in his formis, vt per illam possint separatæ existere, vel non. Primum dici non potest, quia ex natura rei non possunt existere separatæ à materia; tum etiam, quia modus quo res est separata à materia, & quo est in illa dependenter, sunt contrarij, vt patet in accidenti, quando est in subiecto, & quod est per se. Confirmatur, quia modus existendi cum dependentia à subiecto, habet contrarium, & non alium quàm modum existendi per se, & sine dependentia; ergo non possunt simul afficere eandem formam.

Deinde, quia integra natura totius est, quæ per se perfectè existit; ergo habet suam propriam subsistentiam, quæ illam afficit adæquatè; ergo non est necessarius modus per se formæ, quæ ratione sui non est terminabilis subsistentia. Probatur, quia primariè nihil potest terminari subsistentia, nisi quod ex natura rei potest per se esse; sed forma materialis ex natura rei non potest per se esse: ergo primariè non est assumptibilis; ergo non indiget subsistentia vt reddatur alteri supposito incommunicabilis, sed sufficit subsistentia propria totius, vt ratione illius reddatur incommunicabilis ex natura rei.

Restat vt probemus illud alterum, quòd forma non afferat modum aliquem quo compleatur integra subsistentia totius: & primò certum est, non esse talem modum secundùm Scotum, & alios, qui dicunt, subsistentiam supra existentiam nihil addere positiuum, sed duas illas negationes, quas suprà retuli.

Item S. Thomas 1. *part. quæst.* 76. *art.* 1. *ad* 1. dixit loquens de esse in quo subsistit totum, quod in formis materialibus non est idem esse compositi, & formæ solius, & 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 5. *ad* 2. dixit idem esse ipsum esse formæ, & materiæ, & ipse Sanctus vbique putat in compositis materialibus, præter hominem, esse prius conuenire composito, & ratione illius formæ; nullibi verò posuit formam efficere modum aliquem solum partialem, & completiuum esse totius, imò semper putauit, esse vt quo, oriri à forma, nullúmque esse in materia esse, quod ego de esse vltimo & subsistentia libentiùs intelligo.

Deinde ratione probatur primò, quia liberè fingitur talis modus effectus à forma, vt defendatur diuisibilitas subsistentiæ. Secũdò, quia modus ille si est partialis, non potest esse perseitas totius; cùm tamen existentiæ modus deberet esse à subsistentia, & talis esse non possit, cùm in materia ponatur propria, & peculiaris subsistentia illius; quod facilè intelligitur ex eo quod sæpe docuimus, subsistentiã esse modum quo substantia completè per se existit, & à quo perficitur existentia, & constituitur ab altero terminata; sed per illum modum non determinatur integra existentia totius vt sic formaliter, quia materiæ existentia determinatur per suam subsistentiam, neque determinatur existentia formæ, quia hæc determinatur potiùs per inhæsionem, & dependentiam à materia: ergo ille modus non est aliquid subsistentiæ, nec potest dici esse determinatiuum formæ pro ut vnitæ, quia illa vt sic potiùs est in alio.

Restat satisfacere argumentis primæ & secundæ sententiæ. Ad primum primæ sententiæ respondetur, existentiam substantialem non terminari perseitate, quando est in materia pendens ab ea, tunc enim inhæsione terminatur, quæ est contraria modo existendi per se. Ad secundum respondetur, formam substantialem reuera esse subsistentem, partem tamen, si pendeat à materia, nequit esse cum modo per se essendi, vt explicatum est. Ad tertium respondetur, subsistentiam cùm sit modus per se, vel supponere non existentem rem in subiecto, vel facere alias res quæ sustentatur ab alio, & quæ ab alio pendet, non potest dici esse per se, quod ex vocibus ipsis videtur manifestum. Ad quartum respondetur, falsum supponere, nempe materiam habere suam partialem subsistentiam.

Ad primum secundæ sententiæ respondetur, naturam integram assumi posse, & tunc priuari integrâ subsistentia, quæ est propria totius; vnde nihil illud argumentum eoncludit contra nostram sententiam. Ad secundum supponit falsum. Ad tertium respondetur, formam substantialem afferre secum subsistentiam integram totius, quatenus est principium quo illius, & forma semel vnita sequitur integra subsistentia, quæ primariè terminat integram naturam, secundariè verò partes eius.

Circa hãc eandem materiam, de perseitate formæ materialis, an perseitas quã haberet forma materialis separata esset subsistentia. P. Suarez *disp.* 14. *sect.* 3. *tom.* 1. *tertia partis, & in Metaphysica loco citato, n* 51. putat eum modum esse subsistentiam. Primò, quia est modus per se substantialis, & ex natura rei

contrarius modo existendi in subiecto; ergo nibil illi deest ad rationem subsistentiæ. Secundò hoc explicat *sect.* 3. vt à posteriori, quia illa forma separata posset sola, & secundùm se assumi à verbo hypostaticè. Tertiò probari potest, quia modus ille constituit rem omninò per se; quæ verò per se subsistunt, & non in alio, subsistere dicimus; ergo.

Alij verò recentiores sentiunt eum modum per se non esse subsistentiam, & hanc sententiam ego tradidi in Metaphysica, vt probabiliorem: & probatur, quia sicut forma, quæ nullo modo est terminabilis primariè subsistentia, eleuari non potest vt terminetur, sicut suprà dixi de forma accidentali; ita de forma quæ ea natura sua terminabilis non est, quia requiritur arctissima proportio, propter arctissimam connexionem inter materiam, & subsistentiam, inter rem & terminum eius: vnde non videtur sufficere quòd modus sit per se, quia hoc habet modus accidentium inhærens, neque quòd sit perseitas substantialis, si non conueniat ea natura rei ipsi formæ quam afficit, eo quòd subsistentia ex natura rei debet conuenire formæ, aut naturæ, vt possit suppleri per alienam subsistentiam; per subsistentiam verò verbi potiùs impediretur inhæsio naturalis formæ materialis, ad illam enim haberet forma eam inclinationem, non autem ad perseitatem illam, quam potest solùm naturaliter habere.

Deinde ad hominem possumus arguere contra primam sententiam, quia talis subsistentia non potest esse totalis, neque partialis; ergo nullo modo est subsistentia. Primum probo, quia natura partialis non potest terminari subsistentia totali. Secundum probo, quia talis perseitas non sequitur formam in toto, vt fusè probaui in Metaphysica, & breuiter ostendo, quia talis perseitas pugnat cum inhærentia, & modo existendi in materia cum dependentia: hoc argumento impugnaui olim in Metaphysica primam sententiam, quam tradidit P. Suarez *t. tomo 3. partis suprà*; postea verò in sua Metaphysica *disp. illa* 34. *sect.* 5. *num.* 52. cùm vidisset hoc argumentum, tacitè respondet huic obiectioni,

Primò posse naturam partialem subsistere subsistentia totali, quia certum est, in triduo animam Christi fuisse terminatam subsistentia verbi, & hoc modo, inquit, posset prædicta subsistentia formæ materialis dici totalis, quia non ordinatur ad componendum cum alia.

Hæc tamen sententia mihi non placet, nam subsistentia verbi, quæ totalis erat in se comparatione animæ, solum suppleuit effectum subsistentiæ partialis, quam anima haberet si non assumeretur, nam in sententia Patris Suarez, anima rationalis habet subsistentiam in corpore, quam retinet separata, & ideo dixi suprà, me arguere ad hominem.

Secundò respondet, posse dici partialem, non quia componat, sed quia est modus rei imperfectæ; sed hoc licèt verum sit, tamen non satisfacit, quia si non potest compoonere cum altero, erit totalis, quia non est pars, quæ tamen naturæ partiali repugnat.

Sed prædictum argumentum non concludit absolutè; quia in nostra sententia, quæ est communis multorum, vt dicemus dubio sequenti, anima rationalis subsistit extra corpus, & subsistentia illa non potest componere cum alia, & ita eo sensu non potest dici partialis, sed partis, neque in his modis hoc est mirum, quia actio qua creatur forma extra subiectum, (si est actio) non est partialis, quia cum nulla alia potest componere, sed actio, qua forma ipsa producitur per modum totius, & idem est de subsistentia animæ extra corpus.

Ad primum respondetur, illi modo deesse ad rationem subsistentiæ, quòd non sit perseitas naturæ, quæ ex se postulat illum modum, solúmque dici potest latiori significatione subsistentia, quatenus constituit rem omnino per se.

Ad secundum respondetur, falsum esse talem formam posse solam assumi à verbo, & priùs quidem deberet probari, ipsam formam posse subsistere subsistentia propria, vt ea hoc inferretur posse terminari hypostaticè subsistentia aliena.

Ad tertium, ex communi ratione etiam accidentia Eucharistiæ separata à substantia subsistere, quia actu per se existunt, & non in alio, & hoc modo etiam forma separata dici potest subsistere.

Eadem difficultas posset tractari de materia prima, in opinione asserentium, posse de potentia absoluta existere sine forma substantiali, tunc enim meo iudicio habebit modum per se, sicut materialis forma, de quo sicut de modo formæ philosophandum est.

Dubium IV.

An anima rationalis existens in corpore subsistat.

Fonseca & Molina suprà citati docent, animam rationalem subsistere, quatenus *subsistere* significat habere esse independens à subiecto, & materia, non tamen simpliciter: & hoc sensu loquuntur Ferrara 2. *contra Gentes, cap.* 68. & alij interpretes S. Thomæ 1. *parte, quæst.* 75. & quòd eo sensu subsistat, est mens sancti Thomæ *ibi*, & certum, quòd non pendeat à materia; quòd verò non subsistat simpliciter, infrà dicetur, vnde isti Doctores non videntur concedere modum aliquem subsistentiæ distinctum ab anima, sed solùm existentiam cum sua dependentia inesse.

Et clarè Caietanus *in hac* 3. *part. quæst.* 6. *art.* 3. & communiter multi recentiores docent nullum habere modum subsistentiæ animam rationalem, quam infrà explicabimus, & docuit Scotus *in* 3. *dist.* 2. *q.* 2. §. *ideo*. Paludanus *quæst.* 2. P. Vazq. t. *p. disp.* 174. *art.* 4.

P. Suarez *in hac* 3. *part. disp.* 17. sæpe dicit animam rationalem simul cum modo existendi, & informandi materiam, habere subsistentiam peculiarem, & partialem, & *in Metaphysica, disput. & sect. citata, num.* 27. docet neutram partem posse demonstrari; & *num.* 30. docet, probabilius sibi videri, quòd anima rationalis habeat partialem illam subsistentiam in corpore.

Probat primò, quia quamuis sit anima in corpore, tamen non pendet ab illo; ergo verè est in se, & per se. Confirmatur, quia modus existendi in materia, & informandi illam, est longè diuersæ rationis ab vnione hypostatica; ergo non est necessarium quòd includat repugnantiam cum subsistentia.

Secundò probat ex eo quòd anima rationalis ita fuit personæ verbi vnita, vt semper eadem vnio perseuerauerit etiam in triduo; ergo quia etiam in corpore poterat terminari aliena subsistentia, sicut & propria, nisi impediretur.

Tertiò probat, quia anima rationalis fit per creationem; creari verò est subsistentium, vt docuit S. Thomas 1. *part. quæst.* 45.

Quartò, quia aliàs cùm separatur à corpore, non esset quasi violenta, quia reuera acquireret vnum modum

modum per se loco alterius, quem habebat in materia; sicut materia prima non est violenta quando acquirit vnam formam, etsi amittat aliam, aut saltim anima non esset in eo statu præter naturam, vt alij argumentantur.

Quintò probari potest ex sancto Thoma 1. *parte quæst.* 75. *citata*, vbi docet animam rationalem esse subsistentem, cæteras verò animas non subsistere.

Aduertendum tamen est P. Suarez ita concedere animam rationalem habere subsistentiam, vt tamen dicat illam esse partialem, & componere cum partiali subsistentiam materiæ.

Sed alia sententia esse posset asserentium animam rationalem habere subsistentiam, & illam esse eandem subsistentiam totius communicatam materiæ, sicut de existentia philosophantur communiter subsistere, & de esse. ita loquitur S. Thomas 1. *parte quæst.* 76. *art.* 1. *ad* 5. ait enim: Ad 5. dicendum, quòd anima illud esse in quo subsistit, communicat materiæ corporali. &c & addit ita, quòd illud esse quod est ipsius compositi, est etiam ipsius animæ, quod non accidit in formis aliis, quæ non sunt subsistentes; & 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 5. *ad* 2. dicit, in anima post destructionem corporis manere esse compositi; & simili modo loquitur aliis locis, in quibus vel loquitur de esse sumpto pro subsistentia, vel de esse existentiæ, & sumi potest argumentum, quia sic existentia formæ potest eadem communicari composito, & manere in anima, idem poterit dici de subsistentia; & certè hoc docent Capreolus, & alij, qui, vt vidimus, probant existentiam, & subsistentiam non distingui.

Dicendum verò est, sine controuersia esse apud Doctores, animam subsistere priori illo modo, id est, existere independenter à materia ita vt posset operari; hæc est etiam mens S. Thomæ 1. *p. quæst. illa* 75. vbi ex operatione colligit animam rationalem subsistere, eo quòd operatur vt quod, & cæteras formas dixit non subsistere, quia non habent propriam operationem.

Secundò dicendum est, animam rationalem in corpore non subsistere propriè, & per se. Verba S. Thomæ 1. *parte quæst.* 75. *art.* 2. *ad* 2. hæc sunt: Per se existens quandoque potest dici aliquid si non sit inhærens, vt accidens, vel vt forma materialis, etsi sit pars, sed propriè, & per se subsistens dicitur, quod neque est prædicto modo inhærens, neque est pars. hæc ille. sed anima in corpore est pars; ergo propriè, & per se non subsistit. Probatur, tum, quia est in alio vt in toto, & ita non est simpliciter per se, tum quia est in materia, licèt absque dependentia, tamen reuera est in alio; ergo simpliciter non est per se, & 1. *parte quæst.* 29. *art.* 3. ea dicit subsistere, quæ per se existunt, & non in alio, vbi existentiam per se explicuit per negationem perfectam existendi in alio.

Quod ampliùs explico. nam vt sit independens in suo esse, non requiritur subsistentia, sed sufficit sola existentia, non educta de potentia materiæ; ergo non est necessarium fingere peculiarem modum subsistentiæ superadditum.

Item, quia existentia animæ verè afficitur modo existendi in alio; ergo ille modus est verè modus existentiæ animæ; ergo non habet alium modum existendi per se, cùm habeat modum existendi in alio, isti enim modi sunt termini existentiæ substantialis; cùm ergo anima habeat vnum, non est causa ob quam dicatur egere alio.

Quod vlteriùs ostendo, quia modus ille positiuus existendi in alio, habet aliquem contrarium modum existendi per se; ergo anima quando separatur

A acquirit alium modum per se existendi distinctum ab eo, quem habebat in corpore: vnde ille quem habebat in corpore, non erat perfecte modus per se, si quidem solùm afficiebat formam existentem in alio.

Sed dices, modum illum existendi in alio, non habere modum positiuum contrarium, sed solam negationem; ita planè sentit P. Suarez, vt patet ex quarto argumento suprà posito; & ita docet, quòd cùm anima separatur à materia, non acquirit aliquem modum, sed priuatur modo existendi in alio, quo etiam modo philosophantur recentiores alij.

Sed hoc mihi non probatur, eo quòd alij modi dispositiui existendi in alio, vel vt accidens in subiecto, vel vt forma materialis in materia, habent
B modos contrarios positiuos; ergo & modus quo existit anima rationalis. nam si per solam negationem potest dici aliquid esse per se, id est, non in subiecto, vt anima rationalis, ita etiam poterit per negationem modi accidentis dici esse per se accidens, & per negationem modi formæ materialis poterit forma materialis dici esse per se. nam cùm omnes isti modi habeant negationem, seu priuationem sibi oppositam, non potest assignari ratio ob quam aliqui eorum, præter negationem, habeant aliquid positiuum contrarium, quod sit necessarium, vt forma sit omnino per se; & alius non habeat: itaque sicut esse sine dependentia à subiecto est modus positiuus,
C ita esse sine subiecto erit modus positiuus.

Dices hos modos existendi in alio esse diuersæ rationis, atque adeò mirum non esse, si vnus habeat contrarium positiuum, & non alij: sed contra hoe est, quòd licèt sint diuersæ rationis, tamen dicitur vnum habere contrarium, & non alios, & huius quæritur ratio.

Dices etiam, secundùm aliquos omnem modum existendi per se esse solam negationem cum existentia, & contra hos non probat argumentum factum? Respondeo secundùm istam doctrinam dicendum esse, etiam animam rationalem non habere in subiecto aliam subsistentiam, nisi existentiam independentem à materia, quod certum est, vt suprà dixi-
D mus; nos verò argumentamus contra hos, qui putant subsistentiam esse aliquid distinctum ab existentia.

Quòd si aliquis vellet concedere, animam quando separatur à corpore, acquirere alium modum per se distinctum à modo per se, quod habuit in corpore, & contrarium modo existendi in alio, nempe in materia; facilè possumus hoc refutare, quia tunc non videtur necessarius modus per se existendi in corpore, solùm quia est independens à corpore, solùm hoc sufficienter intelligitur per existentiam animæ non eductæ de potentia materiæ; hæc verò quæ diximus planè pugnant contra tertiam, & quartam sententiam.

E Ad argumenta verò contrariæ sententiæ non est operosum respondere.

Ad primum respondetur, animam esse in se, hoc est, independenter à corpore per suam existentiam, non tamen esse per modum superadditum. Ad confirmationem concesso antecedenti neganda est consequentia, quia esse per se, & in alio, habent repugnantiam.

Ad secundum respondetur, assumi falsum, vt diximus *quæst.* 6. & suprà iam diximus *quæst.* 2.

Ad tertium, creationem terminari ad existentiam independentem animæ rationalis, & ita subsistere idem est quod esse, cùm dicit sanctus Thomas, creari est subsistentium, sicut dixit *quæstione illa* 75.

animam subsistere, quia habet esse, & potest operari in corpore, quod facilè intelliget qui legerit sanctum Thomam 1. *parte quæst. illa* 45. *art.* 4. & ideo benè P. Vazquez *ibi disp.* 174. *cap.* 4. docuit, ad creationem animæ sufficere eam habere esse independens à materia, etsi in corpore non subsistat, & anima Christi creata est prius natura, quàm vniretur supposito diuino.

De materia quarti argumenti fusè disputaui in Metaphysica disputatione de anima separata; & antequam referam opiniones Doctorum, sciendum est ipsum P. Suarez 3. *parte tomo* 2. *disp.* 44 *sect.* 7. noluisse concedere animam separatam esse in statu violento, sed in statu imperfecto.

Doctores autem varias habent sententias de statu animæ separatæ, an sit violentus, vel præter naturam. Ferrara 2. *contra Gentes cap.* 83. *circa* 4. *rationem*, & *cap.* 94 putat statum illum esse contra naturam animæ, & S Thomas 1. *parte quæst.* 89. *art.* 1 dicentem, esse præter naturam, explicat, vt particula, *præter*, idem sit quod *contra*.

Caietanus, & Bañes circa eam quæstionem 89. existimant illum statum nec esse naturalem, neque violentum, sed præter naturam; quod verò S. Thomas 1. *parte quæst.* 118. *art.* 3. *in corpore* dixit, hunc statum esse contra naturam animæ, explicant, vt particula *contra* significet idem quod particula *præter*.

Tertia sententia, quam referunt Caietanus & Bañes, est asserentium vtrunque statum esse naturalem. Cui etiam fauet S. Thomas, qui 1. 2. *quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 2. dixit, animam habere pro hoc statu vnum modum cognoscendi connaturalem, & alium modum connaturalem pro statu separationis; ipse verò vbique putat modum connaturalem cognoscendi, commensurati modo essendi, & ita agnoscit illum modum essendi esse aliquo modo connaturalem. quod fusè explicui in Metaphysica, & ita docui adæquatè vtrunque statum esse posse naturalem; & ita quartum argumentum supra factum nihil habet efficacitatis contra meam doctrinam.

Qui verò putant animam esse in statu contra naturam, dicent ideo esse, quia licèt acquirat modum per se essendi, tamen cùm sit forma, semper quantum est ex se inclinatur in materiam, cuius inclinationis terminus non est nisi materia, nec potest suppleri per illam perseitatem. Et ad exemplum de materia sub diuersis formis facilè est respondere, esse diuersam rationem, eo quòd materia si amittit vnam formam, acquirit aliam: at verò anima cùm amittit vnam materiam, non acquirit aliam, sed omnino ab illa separatur, & ita non mirum si ex parte carentiæ materiæ, sit in statu violento, sicut si materia omnino separaretur à forma, quantumuis illi daretur modus per se, non satis fieret inclinationi materiæ ad formas. Qui verò putant, animam esse in statu præternaturali, facilè etiam poterunt soluere argumentum factum secundùm suam doctrinam, dicent enim, ex ea parte qua caret forma materia, esse in eo statu præternaturali. Ad octauum iam suprà explicuimus mentem S. Thomæ.

Restat explicare loca S. Thomæ, quæ pro vltima sententia referebamus; & dicendum est S. Thomam velle assignare discrimen inter subsistere (si de esse subsistentiæ loquitur, cuius est causa anima rationalis, & illud cuius cæteræ formæ materiales sunt causæ, quòd anima ex se habet esse eiusdem rationis cum esse totius quantum ad hoc, quod ex se potest habere esse independens ab alio, in quo dicitur subsistere, & ideo dicitur idem esse vtriusque esse: vel si loquitur de esse existentiæ independenti, dicitur in genere causæ formalis communicare illud toti, & habere illud siue in materia, siue extrà: & hoc videtur consentaneum S. Thomæ, loquitur enim de esse, in quo subsistit anima rationalis, & hoc, vt constat ex *quæst.* 75. 1. *partis*, est existere suum independens à materia, quod de aliis formis materialibus dici non potest, quia ipsæ non habent esse independens, nec subsistunt, vt ibidem dixit S. Thomas; nonnulla verò, quæ diximus, ad probandum animam rationalem in corpore non habere modum per se superadditum, locum possunt habere in materia prima, quod indicabo dubio sequenti.

Sed quærere posset aliquis, an in statu separationis anima rationalis subsistat; & secundùm nostram doctrinam dicendum est, habere in eo statu positiuum modum perseitatis, per quem redditur incommunicabilis alteri, & ita videtur habere rationem subsistentiæ; quamuis Scotus citatus *dubio* 2. excludat animam etiam separatam à ratione suppositi, eo quòd ex se habeat aptitudinem ad vnionem cum toto in quo differt à natura integra; & eodem modo philosophantur alij Scotum sequentes; sed hoc parum refert, & nullus potest negare ita animam posse per se existere, vt illa perseitas possit per vnionem hypostaticam ad solam animam terminatam impediri; vt patet de anima rationali verbo hypostaticè vnita.

Aduertendum verò est Caietanum *in hac* 3. *parte quæst.* 6. *art.* 3. §. *ad hoc dicitur*, existimasse animam etiam in corpore habituram suam subsistentiam in resurrectione, in quo meritò communiter refutatur, eo quòd non sit consequens eius ratiocinatio. nam si semel demus modum existendi in corpore pugnare cum subsistentia, non poterant ex natura rei connaturaliter esse simul. Putat verò Caietanus *loco citato* animam in corpore mortali non habere partialem subsistentiam: & ideo meritò P. Suarez *in hac* 3. *parte disp.* 17 *sect.* 1. & *in Metaphysica disp.* 34. *citata sectione illa* 5. *num.* 31. reprehendit Caietanum, quòd non loquatur consequenter; sine causa verò fingeret Caietanus nouum miraculum, vt in resurrectione simul habeat anima modum existendi per se, & in alio, vt interim omittam valde esse probabile, nullo modo posse esse simul: præterea difficile est intellectu, hominem in resurrectione habere subsistentiam totalem respondentem toti, & præter hanc aliam partialem peculiarem solius animæ.

Deinde certum est modum per se animæ separatæ esse spiritualem, & indiuisibilem, est enim modus perseitatis substantiæ spiritualis, & indiuisibilis, sicut subsistentia Angeli: item est terminus existentiæ Angeli, quæ est indiuisibilis, & spiritualis sicut natura Angeli; alia infrà dicemus, ex quibus dicta exactiùs intelligentur.

DVBIVM V.

De causis subsistentiæ.

EX dictis constat subsistentiam totius non sic esse intelligendam indiuisibilem, vt componatur ex subsistentia materiæ primæ & subsistentia formæ, quia partes istæ ante vnionem inter se non habent subsistentiam, sed postquam sunt vnitæ, natura integra terminatur subsistentia: est autem indiuisibilis essentialiter, hoc est, non constans partibus essentialibus, quia non respondet materiæ secundùm se, & formæ secundùm se, sed naturæ integræ vt sic formaliter.

Certum verò est, hanc subsistentiam in compositis

ex materia & forma materiali, esse materialem, quia est modus existentiæ materialis, neque est aliquid, ratione cuius fingi possit esse spiritualem: in Angelis autem spiritualis est, & indiuisibilis, commensuratur enim naturæ quam modificatur.

Sed dubium hoc per aliquarum difficultatum solutionem meliùs intelligetur.

Et prima difficultas sit de subsistentia hominis, an sit aliquid materiale, vel spirituale; & quidem si materia haberet suam partialem subsistentiam, & anima rationalis suam, partim esset materialis, partim spiritualis: sed modò difficultas est de indiuisibili subsistentia, & quidem, qui putant esse indiuisibilem, ita tamen vt sit propria animæ, & communicetur composito, & eadem efficiat animam, etiam separatam, dicent esse spiritualem, sic enim philosophantur de esse existentiæ qui putant, appetitum esse animæ rationali communicari composito, & animam secum illud afferre pro statu separationis, tale enim esse, afficere rem spiritualem pro statu separationis etiam, & sic esset spirituale; sed nos suprà diximus animam rationalem non habere subsistentiam vllam propriam in corpore, & ideo existimo subsistentiam hominis esse modum materialem, quia sequitur integrum compositum, & ita est proprium illius, vt non pendeat à sola anima, sed etiam à materia; res verò quæ pendet à materia, non potest non esse aliquid materiale, propter quam rationem dixi 1. *physicorum*, modum quo vniuntur materia, & forma, esse materialem.

Secunda difficultas esse posset de causa efficienti huius subsistentiæ: in quo sunt duæ opiniones, altera asserentium, produci ab ea causa quæ producit naturam; altera ab ipsa natura, & vtraque est satis probabilis, de quibus dixi *in Metaphysica*, & legi potest P. Suarez *in Metaphysica disp.* 34. *sect.* 6. qui cum communiori opinione putat fieri à natura ipsa: posset verò esse quæstio, an fiat actione interiecta, & distincta, de quo dixi *in Metaphysica*, & ex principiis generalibus philosophandum est, neque hîc aliquid peculiare occurrit.

Tertia difficultas est, an sit diuisibilis subsistentia hominis, secundùm partes integrantes; hactenus enim solùm diximus, esse indiuisibilem secundùm partes essentiales; & cùm diximus esse modum materialem, dicendum est, esse extensum, & habere partes integrantes: addendum verò est has partes non esse partiales subsistentias partium hominis, quia non sunt tales, vt quælibet illarum possit constituere partem, quam afficit natura per se, si separetur ab homine, statim acquirit aliam formam, & illam sequeretur alia subsistentia propria illius totius, & idem est de partibus subsistentiæ totius cuiuslibet animati, cuius pars si separetur acquirit statim nouam formam.

Difficilius dubium est de partibus subsistentiæ totius, cuius partes sola diuisione fiunt totum, & non amittunt formam substantialem quam habebant in toto: aliqui enim fatentur sola diuisione continui amitti perseitatem quæ erat totius propria, quia partes cùm essent in alio, nempe in toto, non poterant habere aliquam subsistentiam, quæ constitueret illas per se sula diuisione continui.

Aliis verò non probatur hæc doctrina, eo quòd licèt partes quandiu sunt in toto, non dicantur subsistere, tamen non videntur idoneo argumento probari, quòd per solam diuisionem continui amittant modum substantialem, qui est terminus existentiæ illius; & vt dicantur partes illæ subsistere, per modum substantialem, per quem in toto non diceren-

A tur subsistere, putant diuersitatem in modo essendi sufficere, quæ circa partes illas subsistentiæ contingit, disiunguntur enim per diuersitatem continui, alias valde esset incredibile totam subsistentiam maris corrumpi per separationem vnius guttulæ aquæ, & per additionem similiter guttæ totam præexistentem corrumpi, & aliam de nouo produci integram; quod secundùm primam sententiam concedi debet, de quo apud autores antiquos nihil inuenio. P. Suarez quidem *sectione illa 5. num.* 59. admittit has partes subsistere; & cùm aqua aquæ vnitur, solum amitti terminum extensionis eo quòd continuantur. Sed quod attinet ad denominationem subsistentis, S. Thomas 1. *parte quæst.* 75. *art.* 2.
B *ad* 2. dicit, oculum, aut manum, non posse dici per se & propriè subsistentem.

Sed dicet aliquis, si pars substantiæ potest habere partialem subsistentiam integrantem, etiamsi sit in alio, vt in toto; ergo pars essentialis poterit eam habere. Respondeo esse disparem rationem, quia modus existendi in alio vt in toto integranti, est diuersæ rationis à modo existendi substantialiter in alio tanquam partem essentialem substantialem, hîc enim licèt oppositionem habeat cum subsistentia, non ille. nam forma substantialis vel pendet à materia, & sic non potest esse per se, sicut idem accidens non potest esse per se, & pendere à subiecto; vel non pendet, & tunc est in materia vt sobiecto
C secreta dependentia, & cum tali modo non potest esse substantialiter per se; quòd si vna pars substantialis essentialis non habet partialem subsistentiam, neque alia habere potest, vt probatum est: & ita si forma non habet, materia non habebit, præsertim quia materia ex natura rei pendet à forma.

Iuxta hæc ergo licèt substantia separata à quantitate, habeat partes integrantes, & illæ habeant partes subsistentiæ, quæ sola diuisione possint fieri totales, tamen partes essentiales, materia nempe, & forma, eas non habent: quod exemplo fit illustrius. nam quantitas eius cùm est per se, habet modum diuisibilem perseitatis, & tamen partes sunt in alio tanquam in toto continuè; perseitas ergo partialis,
D non pugnat cum modo existendi in alio, vt in toto integranti.

Sed dicet aliquis partes illas vel non habere perseitates partiales, vel admittere omnino per solam indiuisionem; sed hoc dici non potest, quia sequeretur animam rationalem perpetuò acquirere, & amittere diuersum modum vnionis cum materia, quoties nutritur, vel diminuitur homo; & quod dici non potest, Christi humanitas amitteret, & acquireret diuersam vnionem cum Verbo. si sola additione, vel detractione alicuius totus modus totius integrantis ex toto & prorsus mutatur.

Alia quæ circa hoc possunt obiici, in Metaphysica ditimenda sunt; in præsenti verò sufficiat de partibus essentialibus dixisse, quod necessarium est, ad ea
E de quibus *quæst.* 6. disputaturi sumus.

Quarta difficultas est de subiecto huius subsistentiæ: & de subiecto subsistentiæ in communi fusè disputaui in Metaphysica: vbi fusè ostendi, quomodo philosophandum sit de subiecto subsistentiæ, in opinione disputantium, materiam, & animam rationalem habere suas partiales subsistentias; loquimur verò de subiecto quale esse potest comparatione modi substantialis.

Dicendum verò breuiter est, subsistentiam hominis afficere materiam, & formam vnitas, afficit enim integram naturam illius, eo quòd est terminus eius; facile verò intelligi potest hoc, quòd idem modus

afficiat duas partes,ſicut contingit in modo vnionis duarum partium,nempe materiæ, & formæ , neque eſt inconueniens animam rationalem eſſe ſpiritualem.nam ſicut licèt ſit ſpiritualis,poteſt vniri materiæ, ita non mirum ſi ſemel illi vnitæ, terminetur ſubſiſtentia materiali , non ſecundùm ſe, ſed vt eſt vnita,partes enim non ſecundùm ſe primariè ſubſiſtunt, ſed ratione totius.

Sed dices, ergo eodem modo poſſunt dici, accidentia materialia eſſe in toto compoſito, qoia licèt anima rationalis ſit ſpiritualis, tamen non ſunt in illa,ſed in tota natura integra. Reſpondetur primò, hoc à multis concedi : ſecundò licèt ex hoc capite non repognet accidentia eſſe in toto compoſito, tamen aliæ ſunt rationes pro opinione aſſerentium, B non eſſe omnia in toto compoſito , de quibus ſuo loco : tertiò quidquid ſit de ſubiecto accidentium, de modo vnionis negare non poſſumus, aliquo modo afficere animam & materiam,quia ſont extrema, & idem de ſubſiſtentia philoſophandum eſt.

Ex dictis poſſumus aſſignare rationem aliam, ob quam ſubſiſtentia debeat eſſe indiuiſibilis eſſentialiter,id eſt,non conſtans partibus eſſentialibus.

Et primò ſi ſubſiſtentia ſumatur pro perſona iuxta primariam vocis ſignificationem, ex vſu ſcriptorum Eccleſiaſticorum, nemo dicet, in homine eſſe duas perſonas partiales, ſicut neque duos homines partiales.

C Deinde ſi ſumatur ſecundùm vſum, quo vſi ſunt Scholaſtici pro complemento,& modo illo,quo natura terminatur, & conſtituitur in ratione ſuppoſiti,etiam debet eſſe indiuiſibilis,& in hoc ſenſu aſſerere eſſe in homine perſonalitates partiales, ante hoc tempus inauditum eſt.

Item, ex definitione perſonæ tradita à Boëtio 3.*de duabus naturis*, & Richardo *lib*.4. *de Trinitate cap*.23. de quo 1.*parte quæſt*.29. poſſumus colligere quid ſit complementum hoc; dicitur enim perſona rationalis naturæ incommunicabilis ſubſtantia, vnde ſubſiſtentia ſumpta pro complemento ipſius naturæ, eſt enim id quo natura redditur incommunicabilis actu. nam quod in alio eſt, non poteſt dici D eſſe per ſe, & hæc eſt ratio à priori ob quam partes dum ſunt in toto, non poſſunt habere partialem ſubſiſtentiam, niſi recentiores velint nouas rerum definitiones fingere.

Et ideo S.Thomas 1.*part. quæſt*.29. *art*.2. *ad* 2. dixit, propriè, & per ſe ea ſubſiſtere, quæ per ſe exiſtunt, & non in alio. & *quæſt*.75. *art*.2. *ad* 2.docuit propriè,& per ſe ſubſiſtens dici, quod neque inhæret.vt accidens,vel forma materialis,neque eſt pars, & ſic ſunt loquuti antiqui Scholaſtici, & Philoſophi;meritóque per negationem exiſtendi in alio,explicatur modus exiſtendi per ſe, qoi eſt ratio ſubſiſtentiæ.

E Vnde ſubſiſtentiam ita terminat,vt naturam omnino reddat incommunicabilem, qnia hoc ipſo quod reddit illam incommunicabilem alieno ſuppoſito, reddit omnino incommunicabilem, quia reddit illam ineptam,vt pendeat à quolibet alio, vel illi vniatur.

Dices naturam per ſe eſſe vnibilem alteri,vt partem,vel vt accidens ſubiecto;ergo à ſubſiſtentia ſolùm habet eſſe incommunicabilem ſuppoſito. Reſpondeo aſſumptum eſſe verum,& conſequutionem nullius eſſe momenti,quia modus, qui facit formaliter naturam incommunicabilem alteri vt ſuppoſito eſſentialiter facit incommunicabilem omnino modo; eſt enim terminus vltimus naturæ.

Et explicari poteſt, qoia talis modus nullum compatitur ſecum modum exiſtendi in alio, quod patet in modo exiſtendi per ſe animæ rationalis ſeparatæ,& formæ materialis ſeparatæ; hoc verò ita habet ſubſiſtentia, vt etiam conſtituat naturam interminabilem, quia eam vltimò terminat; & ideo deitas vt ſic, non intelligitur ſubſiſtens, quia non intelligitur vltimò terminata.

Dices,ſubſiſtentia non eſt neceſſaria vt faciat naturam incommunicabilem ſubiecto quod habet per ſe. Reſpondeo hoc eſſe verum,& ad hunc effectum ſolùm non eſſet neceſſarius modus ſuperadditus, ſed ad alium quem dixi, qui eſſentialiter facit omnem alium; & ita ſentit P. Suarez de perſeitate formæ materialis extra ſubiectum,& putat eſſe ſubſiſtentiam,& facit inunibilem ſubiecto.

Dices,natura per ſe eſt incommunicabilis ſubiecto;ergo vt fiat incommunicabilis ſuppoſito alieno, poterit habere partialem ſubſiſtentiam. Reſpondeo primò, vt probaui *dubio* 2. non eſſe neceſſariam ad hoc aliam ſubſiſtentiam, niſi totius quæ ſecundariè afficit partes. Secundò reſpondetur,modum perſeitatis diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ ſi verè eſt perſeitas,poſſe conſtituere ex natura rei per ſe,vt dicebam *dubio* 3. & tamen materia ex natura rei non poteſt eſſe ſeparata per ſe, vt dicebam *dubio* 4. in ſimili; materia poteſt eſſe ſeparata, per modum, qui omnino faciat illam eſſe per ſe; ergo hunc non habet in toto; & hic eſt qui illam omnino reddit incommunicabilem alteri vt ſuppoſito, ſiue vt toti demum, vt probaui, perſeitas materiæ nec poteſt eſſe totalis,quia eſt partis,neque partialis, quia forma materialis non habet perſeitatem, & tamen ſi materia in toto haberet perſeitatem, deberet eſſe partialis,quæ componeret cum altera partiali.

Munus ergo ſubſiſtentiæ eſt, reddere omnino naturam alteri incommunicabilem, & illius terminate exiſtentiam; & ideo anima rationalis non habet in corpore ſubſiſtentiam,quia eius exiſtentia terminatur per modum eſſendi in alio, licèt ſine dependentia; formæ materialis exiſtentiam per modum exiſtendi in alio cum dependentia; exiſtentia verò materiæ,per ſubſiſtentiam totius ſecundariè. Ex dictis hactenus conſtat, materiam primam, vel formam materialem aſſumi non poſſe primariè, & ſecundùm ſe tantùm à perſona diuina, eo quòd iſtæ partes, vt probauimus, non ſunt propria ſubſiſtentia terminabiles.Hic poterat diſputari,an ſubſiſtentia ſit conditio neceſſaria ad agendum ; ſed de hoc commodiùs alibi diſputabitur.

DISPVTATIO XXIV.

THEOLOGICA.

DVBIVM I.

An in Christo ſit duplex eſſe exiſtentiæ.



CONSTITVTVM eſt apud Catholicos, in Chriſto eſſe tantùm vnum eſſe perſonale,& duplex eſſe, quod vocant naturæ, & eſſentiæ, quia eſt vna perſona, & habet duas naturas:difficultas verò eſt non leuis, an ſit in Chriſto vna tantùm exiſtentia,per quam vtraque natura exiſtat,nempe exiſtentia diuina communicata naturæ humanæ.

Prima ſententia eſt aſſerentium in Chriſto tantùm eſſe exiſtentiam diuinam, per quam humanitas etiam exiſtit. ita Henricus *quodl*.6. *quæſt*.2. Dionyſ. Carthu

Carthusian. 3. *disp. 6. quæst. 5. circa finem.* Capreol. *q. 1. art. 1.* Ferrara 4. *contra Gentes cap. 35. & 41.* Caietanus, Medina & non pauci alij *in art. 2. huius quæstionis,* Vincentius *de gratia Christi, quæst. 7.* Contendunt verò probare hanc esse sententiam S. Thomæ, quia hoc articulo 2. hoc videtur sentire, & *quodl. 9. art. 3.* dixit, naturam humanam non habere in Christo proprium esse.

Deinde probari solet hæc sententia autoritate Patrum, & rationibus: adducitur verò primum testimonium Sophronij in epistola quæ habetur in VI Synodo, *actione* 11. vbi docet naturam humanam habuisse vnam existentiam cum verbo: secundò adducitur Damascenus 3. *de fide cap.* 12. qui docet humanitatem, seu carnem in verbo habuisse existentiam.

Deinde rationibus; prima, quia existentia primò conuenit supposito, quia cui conuenit primò esse, conuenit primò existentia: secundò, quia aliàs vix potest esplicari quomodo vnio duarum naturarum in Christo fuerit substantialis: tertiò, quia sequeretur, Verbum existere per existentiam humanam. nam sicut per naturam humanam est homo, ita per existentiam humanam exister, quod est absurdum: quartò, quia si humanitas in Christo existit per propriam existentiam, sequeretur B. Virginem non esse propriè matrem Dei. nam generatio terminatur ad esse; ergo si humanitatis generatio terminata est ad esse ipsius humanitatis, & non Dei, non genuit B. Virgo Deum, quia priùs natura fuit genita humanitas. nonnulla alia attingam insequentibus.

Contrariam sententiam sequuntur quàm multi graues Theologi, antiqui & recentiores, Albertus *in 3. dist. 6. art. 5.* Scotus *quæst. 1.* Durandus *quæst. 2.* Gabriel *quæst. 2. art. 2.* Aluainus *quæst. 2.* Basolis *quæst. vnica art. 1.* Richardus *art. 2. quæst. 1.* Ex Thomistis Herueus *eadem distinctione, quæst. 1.* Paludanus *quæst. 3. circa finem versic. quidam tamen*, & putat esse sententiam S. Thomæ, de qua infrà, idémque dicere debent Thomistæ, & omnes qui putant existentiam non distingui à natura, & ex Augustiniana familia ita sentit Tapia *quæst. 18. art. 2.* Ex nostris P. Valentia hîc *quæst. 7.* P. Suarez *disp. 36. sect. 1.* & in Metaphysicis *disp. 31. sect. 11. à num. 15.* & P. Vazquez 2. *libro de adoratione disp. 8. cap. 11.* vbi pollicetur se hoc confirmaturum *in hac quæst. 17. art. 2.* Aduertendum tamen est Doctores ferè omnes huius sententiæ ex eo affirmare humanitatem Christi existere propria existentia, quia putant non distingui à natura. Tapia tamen & recentiores aliqui, licèt putent existentiam differre realiter ab essentia, docent humanitatem existere propria existentia.

In præsenti ergo controuersia dicendum est primò, humanitatem Christi habuisse existentiam propriam. hæc conclusio planè colligitur ex doctrina suprà tradita, de identitate essentiæ, & existentiæ, & si semel demus illam esse veram, non potest hoc negari.

Secundò dicendum est, in Christo futuram existentiam propriam humanitatis, etiamsi existentia differret ante intellectum, à natura humanitatis illius. hanc doctrinam sequuntur graues Theologi huius ætatis, & in specie docuit Tapia *suprà*, existentiam distingui à natura, & humanitatem Christi existere propria existentia; & quidem humanitatem existere propria existentia, probant aliqui ex Damasceno 3 *de fide cap. 11.* vbi ante medium secundùm translationem Fabri de verbo Dei sic loquitur, Nec sola cogitatione contemplatam naturam sumpsit, neque in specie consideratam, sed in indiuiduo consideratam, & in eadem existente specie: sed ex hoc loco nihil potest probari. nam ad verbum sic habet in Græco Damascenus, sed eam in indiuiduo candem existentem; vbi Damascenus non agit de existentia propria humanitatis, vel aliena, sed vult assumptam fuisse naturam humanam in indiuiduo, & eiusdem speciei cum natura humana, quam abstractam contemplamur; vnde bene Bileus, seruato sensu, è Græco vertit, eam quæ in indiuiduo est, eandémque cum ea quæ est in specie.

Secundò confirmari solet ex eodem Damasceno 3. *de fide cap. 3.* vbi agens de humana natura Christi, secundùm translationem Fabri ita scribit, neque reuera humana natura in deitatis naturam versa, neque substantia existentiáque priuata.

Sed ex istis verbis non potest probari ex mente Damasceni humanitatem Christi habuisse propriam existentiam; neque enim dixit Damascenus factam fuisse vnionem humanitatis iam existentis, sic enim significaret humanitatem habere propriam existentiam, sed solùm dixit, naturam humanam in ipsa vnione non fuisse priuatam existentia, id est, non fuisse corruptam; an verò habuerit existentiam propriam, vel alienam non docuit.

Tertiò probari solet ex eodem Damasceno *lib. 3. de fide, cap. 3. 12. & 22.* eo quòd dixit naturam humanam habere existentiam in verbo: pendendum autem illud verbum, *in verbo*, non dixit per verbum; sed ex hoc loco Damasceni non potest sumi argumentum pro nostra sententia. nam secundùm verbi Græci proprietatem significat Damascenus naturam humanam esse in supposito verbi: deinde licèt loqueretur de existentia, solùm significaret eo modo loquendi naturam humanam non existere per se, sed in alio. Alia testimonia adduci solent ad idem probandum, quæ parum habent efficacitatis.

Probari ergo potest primò, sicut probant Richardus, & Scotus suprà ex Aristotele 2. *de anima cap. 4. textu 37.* qui ita ait, cunctis viuentibus causam vt sint, formam ipsam atque substantiam esse patet: at viuere viuentibus est esse, cuius sanè causa est, vt constat, atque principium anima, vbi loquitur de esse existentiæ, tandiu enim animal existit, quamdiu viuit: vita ergo idem est quod existentia in viuentibus; cùm ergo in Christo sit duplex viuere, erit duplex esse existentiæ, alterum proprium diuinitatis, alterum humanitatis.

Sed respondent aliqui, Aristotelem eo loco non vsurpasse vitam pro existentia, sed pro operatione vitæ, quam expositionem volunt colligere ex S. Thom. 1. *part. q. 54. art. 1. ad* 2. Sed neque S. Thomas ibi hunc locum interpretatur, sed alium, neque explicatio quadrat in textum Aristotelis, & quidem S. Thomas explicat locum ex 12. *Metaphysicorum cap. 7. textu 39.* vbi docuit Aristoteles, intelligere esse quoddam viuere, quem citat S. Thomas in 2. argumento ex Aristotele 11. *Metaphysicorum*, qui reuera est primus secundùm diuisionem Auerrois; secundùm communem verò diuisionem est 12. vbi docuit Aristoteles, intellectus operationem esse vitam; & eodem modo 2. *de anima, textu* 13. videtur vsurpasse vitam pro operatione.

S. Thomas verò proponit secundum argumentum, ad probandum actionem intellectus esse essentiam Angeli, ex eo quòd Philosophus 11. *Metaphysicorum* dixit intelligere esse vitam, & 2. *de anima* dixit, viuere viuentibus ipsum esse. Respondet autem ad secundum, &c. & concludit, & sic (id est, pro essentia) non accipitur à Philosopho, cùm docet

quòd

quòd actio intellectus est vita; solùm ergo explicat locum adductum ex Metaphysica.

Deinde prædicta explicatio recentiorum omnino est contra verba quæ attulimus ex 2. *de anima*, *textu illo* 39. nam inquit Aristoteles, causam cunctis vt sint formam ipsam esse atque substantiam, vt viuere viuentibus sit esse; loquitur ergo de vita substantiali. nam *textu* 36. dixerat animam esse causam efficientem motus.

Ratione etiam probari potest nostra conclusio; natura humana prius natura intelligitur producta, quàm vnita verbo; ergo priùs natura intelligitur existens, quia priùs natura intelligitur extra causas, productio enim, vt constat ex dictis disputatione præcedenti, non potest terminari ad rem sub esse possibili; ergo ad rem sub esse actuali, & humanitatem præfuisse vnioni, & assumptioni, docuit S. Thomas suprà *quæst*. 4. *art*. 2. & *quæst*. 6. *artic*. 4. id quod manifestè agnoscitur in creatione animæ rationalis. Generatio item homanitatis non potest esse eadem actio cum vnione humanitatis cum verbo, generatio enim actio est naturalis ordinis, & tamen vnio est supernaturalis ordinis, secundùm substantiam, vt *quæst*. 2 ostendebam.

Huic rationi respondet Caietanus *art*. 2. *ad* 7. Scoti, humanitatem prius natura productam esse, quàm habeat relationem vnionis cum verbo: tunc autem in illo priori solùm habere relationis fundamentum. Sed hoc non satisfacit, quia nos loquimur de vnione pro modo substantiali, & contendimus prius natura quàm humanitas vniatur verbo habere aliquod esse actuale.

Dicet aliquis eadem actione fuisse productam humanitatem, & vnitam verbo; sed hæc solutio ex dictis in hac ratione, & *quæst*. 2. refellitur.

Vincentius suprà *pagina* 915. docet humanitatem prius natura vniri verbi subsistentiæ, quàm existebat, licèt humanitas sit prior secundùm aliquod esse actuale essentiale, quod ipse putat non esse aliquod esse existentiæ. hanc solutionem fusè impugnat P. Suarez *hic disp*. 36. *sect*. 1. *in* 3. *editione*; & refutari potest, quia inuoluit falsam doctrinam, esse enim actuale extra causas, non potest distingui ab existentia, vt suprà ostendimus: deinde etiamsi existentia distingueretur à natura, tamen, vt suprà probaui, generatio, aut creatio, non potest terminari ad terminum sub esse aliquo tantùm possibili, sed ad illum vt extra causas: ergo ad eum sub forma, vel modo quo constituitur extra causas.

Secunda ratio sit, quia Angelus efficacitate natiua intellectus, nouit humanitatem actualiter existere in rerum natura, & tamen illa efficacitate non nouit existentiam verbi supernaturalem; ergo siue existentia distinguatur à natura, siue non, humanitas habuit propriam existentiam. Respondent aliqui eandem rationem esse de subsistentia, sed falluntur, vt docui disputatione præcedenti. Deinde respondent, non esse necessarium, Angelum cognoscere intuitiuè existentiam, licèt intuitiuè cognouerit essentiam actualem. Sed contra hoc est nam Angelus cognouit humanitatem Christi sub aliquo esse distinctum à puro possibili; ergo vt actus est extra causas, nouit formam, vel modum quo constituerent extra causas.

Tertia ratio sit theologica: si humanitati Christi communicata est verbi existentia, sequitur vnionem factam esse cum humanitate, ratione alicuius communis in Deo. nam existentia communis est tribus personis. Consequens verò est absurdum, vt dicebam *quæst*. 3. quæ ratio contra eos Thomistas, qui tantùm

A concedunt vnam existentiam absolutam in Deo, magni momenti est; quòd si aliquis Thomista velit, tres relationes in diuinis, esse existentias relatiuas, & relationem filij communicatam fuisse humanitati Christi, effugiet quidem prædictum absurdum. Ea tamen solutio refutari potest ex eo quòd apud Thomistas omnes ferè qui censent existentiam distingui à natura, tantum est existentiam distingui ab essentia in creatis realiter, & ita debent fateri in Deo distingui ratione, & ita cùm relatio filiationis sit substantia formaliter, non erit existentia. Item si illa dicitur existentia, quia de conceptu actualis cuiusuis entitatis est existentia; ergo essentia cuiuslibet rei secundùm esse actuale dicit existentiam, & non

B distinguetur ab essentia.

Quarta ratione vtuntur graues aliqui Theologi huius ætatis, quæ talis est, existere non minus est effectus formalis intrinsecus existentiæ, quàm esse album sit effectus formalis albedinis: sed subiectum non potest esse album sine albedine sibi inhærenti; ergo neque existere nisi forma, aut modo sibi inhærenti, si existentia differt ab ipsa natura quæ existit.

Sed existimabit aliquis rationem hanc patere calumniæ. nam subsistentiæ effectus formalis est subsistere, sicut existentiæ existere, & tamen potuit humanitati Christi communicari subsistentia aliena verbi; ergo & communicari potuit existentia aliena. Respondendum tamen est huic obiectioni, esse di-

C uersam rationem. nam si subsistere capiatur pro eo quod est per se esse, quod reuera est subsistere, sicut humanitas non potest existere nisi propria existentia, ita neque subsistere nisi subsistentia sibi propria, & intrinseca, hic enim effectus est proprius subsistentiæ, vt dixi disputatione de subsistentia; si verò subsistere sumatur pro eo quod est terminari aliena subsistentia, potest quidem illa terminari, sed tunc non dicitur per se esse, sed in alio: at verò existere semper sumitur eodem modo.

Deinde addere possumus quintam rationem theologicam, ad probandum humanitatem Christi habere propriam existentiam nam, vt docuimus *quæst*. 6. ex doctrina Patrum, verbum assumpsit ani-

D mam medio intellectu, id est, affectam intellectiua potentia, & per illam effectam idoneam fini Incarnationis priùs natura, non posset anima absque existentia recipere intellectum, causa enim materialis non potest recipere antequam existat, vt disputatione præcedenti arguebam, & contra eos qui existimant, intellectum, & voluntatem oriri efficienter ab anima, habet multum efficacitatis hoc argumentum, quia non potest intelligi, quòd anima antequam existat producat efficienter suas passiones: ex solutione etiam argumentorum contrariæ sententiæ, nostra exactiùs intelligetur.

Sexta ratio theologica sit, si humanitas Christi non habet propriam existentiam, non potest B. Vir-

E go dici mater Dei, quod est absurdum, quia si generatio qua genita est humanitas, non est actio causæ naturalis, non potest per illam dici B. Virgo mater: solùm enim esset causa instrumentalis eleuata ad supernaturalem actionem; si verò est actio naturalis, non potuit non terminari ad terminum sub forma, aut modo quo constituitur extra causas, quia debet terminari ad terminum sub esse actuali, ratione cuius est extra causas, quia iam non est in sola potentia causarum; ergo extra illas. Vt ergo B. Virgo dicatur mater Dei, necessarium fuit vt actione naturalis ordinis attingeret humanitatē; talis verò actio non posset attingere terminū sub esse puro possibili, sed sub esse actuali, vnde non satis intelligo, qua ratione

ratione Doctores aliqui oppoſitæ ſententiæ velint humanitatem exiſtere exiſtentia diuini verbi, vt hac ratione defendant B. Virginem eſſe matrem Dei, de quo plura in ſolutione quarti argumenti.

Tertiò dicendum eſt, abſolutè non poſſe dici, quòd in Chriſto ſit duplex eſſe, ſed vnum tantùm, ita ſentiunt ex Doctoribus citatis pro noſtra ſententia Albertus, Richardus, Baſolis, Durandus, Paludanus, P. Suarez *diſp.* 36. *ſect.* 2. & probari poteſt ex Sophronio epiſtola in VI. Synodo *actione* 11. Et ratione probari poteſt, quia Chriſtus eſt vnum ens; ergo ſimpliciter dicendum eſt habere vnum eſſe, licèt ſit compoſitum ex duabus naturis, vt *quæſt.* 2. dicebam. Reſtat ſatisfacere argumentis contrariæ ſententiæ.

Ad primum teſtimonium Sophronij reſpondetur primò, illam particulam *cum verbo*, additã eſſe à Medina, Sophronius enim ſolùm dixit, naturam humanam non in ſe ipſa habere vnam exiſtentiam: deinde aliqui reſpondent, Sophronium ſolùm velle humanitatem ſimul tempore extitiſſe, & vnitam fuiſſe verbo, ita vt illud verbum *vnam*, ſimultaneam ſignificet exiſtentiam. ita P. Suarez hic *diſp* 36. *ſect.* 1. & eſt probabilis expoſitio.

Sed ſi conſulamus exemplaria Græca, facilè poſſumus reſpondere, Sophronium ſolum voluiſſe, humanitatem vnam habuiſſe cum verbo ſubſiſtentiam; Græcè enim eſt nomen *ὕπαρξις*, quod nomen, vt inquit Budæus in commentariis linguæ Græcæ, C idem ferè eſt quod hypoſtaſis: & generatim Tapia ſuprà ad primum putat explicanda teſtimonia Græcorum Conciliorum & Patrum.

Ad teſtimonium Damaſceni reſpondetur eadem voce vſum fuiſſe, qua vſus eſt Sophronius, & ita & eodem modo explicandam eſſe: notare verò oportet, falsò Medinam referre verba Damaſceni, quaſi dixerit humanitatem Chriſti exiſtere per verbi exiſtentiam.

Ad primam rationem reſpondetur falſum eſſe aſſerere, exiſtentiam conuenire ſuppoſito primariè, potius enim conuenit naturæ, & licèt daremus differre à natura, dicendum eſſet potiùs efficere naturam ipſam exiſtentiam, vt probaui diſputatione D de ſubſiſtentia, quia ſubſiſtentia, vt ibi probaui, eſt vltimus terminus naturæ exiſtentis, vt in Deo manifeſtè patet. nam relatio quæ eſt ſubſiſtentia, eſt terminus deitatis exiſtentis.

Ad ſecundam conſtat ex dictis *quæſt.* 2. vnionem duarum naturarum in Chriſto eſſe ſubſtantialem, quia vnitæ ſunt in vna ſubſiſtentia verbi, vnio autem naturæ cum ſubſiſtentia ſubſtantialis eſt.

Ad tertiã reſpondori varie ſolet, ſed reſpondetur, per exiſtentiam humanitatis non poſſe dici verbum ſimpliciter exiſtere, eo quòd illa aduenit verbo exiſtenti; cum hoc tamen fieri poteſt vt dicatur, & ſit homo per illam naturam, licèt illi adueniat; ſicut paries ratione ſuperuenientis albedinis, dicitur al- E bus, & tamen dici non poteſt per albedinis exiſtentiam abſolutè exiſtere.

Ad quartam reſpondetur, propriiſſimè B. Virginem dici matrem Dei, quia licèt generatio terminata fuerit ad humanitatem, tamen non fuit neceſſarium attingere vnionem ſupernaturalem humanitatis cum Verbo, vt dicatur mater Dei, vt ſuprà docui, ſed ſatis fuiſſe dicendum eſt generaſſe eam humanitatem, quæ in eo inſtãti vnita eſt verbo Dei, & ita factum eſt, vt Deus diceretur homo, & homo Deus, ac proinde B. Virgo dicta eſt mater Dei; ita reſpondet P. Suarez, & Tapia ſuprà.

Et hanc rationem, ob quam Virgo dicatur mater

A Dei, tradiderunt nobis ſancti Patres, vt notaui iam olim, explicans hanc quæſtionem. nam in Concilio Epheſino *tom.* 6. *illius cap.* 11. Acacius Melitenſis ait, Eſt ſacra Virgo æquè verè deipara, ac ille verè eſt Deus, qui ortum ex illa traxit, non quòd diuinitatis initium ex illa ſumpſerit, ſed quòd humanæ naturæ principia inde hauſerit; & idem docuit Cyrillus citatus à S. Thoma infrà *quæſt.* 35. *art.* 4. *ad* 2. & Gregorius 9. *libro regiſtri epiſtola* 61. Nazianzenus *orat.* 51. & alij Patres in dicto Concilio, Sophronius in ſua epiſtola ſuprà citata, & S. Thomas infrà *quæſt.* 35. *art.* 4. *in corpore, & ad* 2. & in Concilio Epheſino *canone* 1. Chryſoſtomus *homilia in Domini hypopantem*, Concilium Francfordienſe in epiſtola ad Epiſcopos B Hiſpaniæ *colum.* 15. *in fine.*

Deinde in opinione etiam contraria concedendùm eſt, actionem B. Virginis prius natura fuiſſe terminatam ad humanitatem, quàm vniretur verbo. nam illa actio ex mente eorum ſolùm terminata eſt ad eſſe actuale eſſentiæ humanitatis, non autem ad exiſtentiam verbi: item illa generatio non fuit actio vnitiua eius eſſentiæ humanitatis cum verbo, actio enim naturalis virginis hoc non habet; rurſus ſi, vt B. Virgo dicatur mater Dei, ſufficit genuiſſe humanitatem, quæ in eodem inſtanti temporis terminata eſt exiſtentia verbi: cùm autem hæc ita ſint, non poſſum non mirari fidentiam aliquorum Thomiſtarum, tantum enim fi- C dunt prædictæ ratiunculæ, vt indicent contrariam ſententiam eſſe improbabilem, & doctrinæ fidei parum conſentaneam, in quod ſatis inclinationis voluntatis propendet quod dicere non vult Vincentius ſuprà, propter autoritatem Theologorum, qui noſtram ſententiam tradiderunt: & meritò, P. Suarez *in Metaphyſica, diſputat.* 31. *ſect.* 12. *num.* 17. ait, graues Theologos exiſtimaſſe noſtram ſententiam ſequi ferè euidenter ex principiis fidei, & meo iudicio ex veris principiis Philoſophiæ, & doctrinæ fidei, euidenter ſequitur, vt ſuprà oſtenſum eſt, & vt infrà dicemus, S. Thomas non ſenſit contrarium, & Medina, & Vincentius fatentur, noſtram ſententiam docuiſſe S. Thomam, D quæſtione de Verbo incarnato, *artic.* 4. quam non retractaſſe in hac quæſtione *artic.* 2. in ſequentibus oſtendemus.

Sed obiicit Vincentius, non poſſe B. Virginem dici matrem Dei, ſi generatio terminata eſt ad humanitatem cum propria exiſtentia priùs natura, ſicut ſi priùs tempore genita fuiſſet humanitas. Reſpondetur primò, eſſe diſparem rationem, quia Virgo, vt res ſe habuerunt, in primo inſtanti temporis quo genuit humanitatem, verè dicta eſt mater Dei, quia ille homo in eo inſtanti fuit verè Deus; quam rationem indicant citati Patres, & S. Thomas ſuprà, vt notauit etiam P. Suarez *tom.* 2. *diſp.* 1. *ſect.* 1. vnde veriſſimè tunc temporis dicebatur, & erat mater Dei; E & eodem modo quantum ad hoc loquendum eſt in noſtra opinione, & in opinione contraria. nam ſi in opinione contraria dicant eſſe neceſſarium vt dicatur Virgo mater Dei, quòd in primo inſtanti communicetur illi humanitati eſſe exiſtentiæ, ita dicemus nos eſſe neceſſarium quòd communicetur eſſe ſubſiſtentiæ; ſecus verò ſi humanitas generaretur cum proprio ſuppoſito.

Deinde quæſtionem habet, an ſi humanitas priùs in proprio ſuppoſito, priùs tempore produceretur, & poſtea aſſumeretur à Verbo, dici poſſit ab inſtanti vnionis mater Dei, quæ fuit mater eius hominis? negat Marſilius *in* 3 *quæſt.* 9. *art.* 3. *& quæſt.* 2. *art.* 2. *in* 4. *part. articuli*, Vincẽtius *ſuprà*, & P. Suarez *vbi proximè*,

& putat esse sententiam S. Thomæ *quæst.* 35. *art.* 4. & Patrum quos citaui, qui contra Nestorium docent B. Virginem fuisse matrem Dei, quia ab initio humanitas Christi vnita est verbo; sed his hæc diiimenda est infrà *quæst.* 35. alij verò, vt ipse P. Suarez refert, contrarium sentiunt, modò satis sit dicere, neque Patres, neque S. Thomã ita sensisse, solum enim loquebantur de eo quod necessariũ erat, vt B. Virgo ab instanti cõceptionis humanitatis Christi diceretur, & esset mater Dei, ad hoc enim, sine controuersia, fuit necessarium in eo instanti, vniri humanitatem personæ diuinæ, Vincentius Lyrinensis *in lib. aduersus hæreses, cap.* 21. ita explicat sensum Patrum dicentium B. Virginem esse matrem Dei.

Demum circa idem quartum argumentum notare oportet, aliquos Thomistas cum S. Thoma infrà *quæst.* 32. *art.* 4. existimasse B. Virginem non fuisse principium actiuum generationis Christi, sed solum passiuum, secundùm quam doctrinam si vera esset, illud quartum argumentum nullius prorsus esset momenti; si enim vt sit mater B. Virgo, sufficit ministrasse materiam, nihil referret humanitatem habere suam propriam existentiam prius natura ab efficienti, quàm vniretur verbo Dei.

Deinde contra nostram opinionem solet obiici Leo *epist.* 11. qui dixit humanitatem Christi ipsa assumptione fuisse creatam; & Fulgentius *lib. de Incarnatione cap.* 3. dixit ipsam acceptionem carnis fuisse conceptionem virginalem; videntur ergo indicare hi Patres, non prius natura extitisse humanitatem, quàm vniretur Verbo, atque adeò non prius natura fuisse, quàm vniretur Verbi existentiæ.

Hoc argumento vtuntur communiter Thomistæ; & primò planè sentiunt contra S. Thomam, qui suprà *quæst.* 4. *art.* 2. *&* *quæst.* 6. *art.* 4. docuit humanitatem præfuisse vnioni, & assumptioni; deinde planè decipiuntur dum putant, per eandem actionem vniri humanitatem, & produci, iuxta ea quæ tradidimus *quæst.* 2. secundùm doctrinam Philosophorum, & veram Philosophiam: & si mater concurrit actiuè ad generationem, hoc planè probatur, quia illa actio debet esse naturalis ordinis, ad naturalis ordinis terminum, deinde etiam si fiat à Deo, non video quomodo possit eadem actio ad humanitatem, & ad vnionem, cùm humanitas sit aliquid naturalis ordinis secundùm substantiam; vnio verò aliquid supernaturalis ordinis secundùm substantiam. Vlteriùs, cùm vnio sit modus receptus in humanitate, fieri non potest quin humanitas sit aliquid actuale prius natura, quàm vniatur; prædicti ergo Patres non disputarunt de Philosophicis prioritatibus, vt vtar terminis scholæ, quas testimonia illa redolere sine causa putarunt aliqui, sed contra hæreticos docuerunt carnem, & animam Christi non priùs tempore extitisse antequam vniretur verbo, vt legenti, etiam obiter Patres citatos, fiet manifestum.

Rursus, dicit Vincentius, fieri potuit, vt humanitati Christi tribueretur existentia verbi; ergo credendum est fuisse illi communicatam. Consecutio probatur, quia hoc decuit humanitatem illsus. Assumptum verò probatur, quia existentia solùm est terminus naturæ; sicut ergo potest humanitas terminari subsistentia aliena, ita & potuit terminari existentia verbi.

Verùm secundùm opinionem, (quam sequuti sumus, asserentium existentiam non differre à natura distinctione reali, hæc obiectio facilè euanescit, & A constat falsum esse assumptum; deinde etiamsi differat existentia à natura, dicendum est, non potuisse humanitati communicari existentiam, quia necessariò illa fuit prior, secundùm naturam, vnione producta, produci verò non potuit, nisi sub esse actuali: secus autem res se habet comparatione subsistentiæ.

Obiicit vlteriùs ex nostra sententia sequi primò, Christum non esse vnum simpliciter, quia ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se: secundò sequitur humanitatem Christi non existere in verbo, sed in ipsa, quia non existit existentia verbi; neutrum verò concedi potest.

Ad primum respondetur, Christum esse vnum B simpliciter compositum, vt explicuimus *quæst.* 2. & sicut omnes debent concedere ex esse actuali duarum naturarum componi Christum, ita nos dicimus componi ex duabus naturis existentibus, quæ tamen vna personalitate terminantur, &, vt dixit S. Thomas *quæst.* 2. *art.* 6. *ad* 2. iden natura humana non accidentaliter, sed substantialiter vnita est verbo Dei, quia assumpta est ad vnum esse, non prout est esse naturæ, sed ad vnum esse personæ: de propositione verò illa ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se, vt dixi disputatione præcedenti, & certè Aristoteles non cognouit modum quo ex duabus naturis substantialibus fieri possit vnum per se, quia non cognouit C posse naturam creatam terminari personalitate diuina; & hoc sine dicamus terminari eadem existentia, vel eadem subsistentia.

Ad secundum respondetur humanitatem verè existere in verbo, quia, vt suprà diximus, existentia illius naturæ terminatur modo substantiali, ratione cuius dicitur esse in verbo, & existere dependenter ab illo, sicut forma accidentalis, licèt habeat existentiam propriam, & non diuersam à sua natura, debet existere in subiecto, quia habet modum, ratione cuius dicitur esse in illo, & cum dependentia ab eo.

Demum obiicit, sequi ex nostra sententia, naturam humanam, prius natura quàm termine D tur subsistentia posse operari, existentia enim sufficit ad agendum. Respondetur in primis, hoc à multis viris doctis non reputari inconueniens de potentia absoluta, vt constat ex dictis disputatione de quidditate subsistentiæ: secundò in nostra doctrina vim non habet, quia ex natura rei diximus necessariam esse subsistentiam ad operandum; & ita connaturali modo non potuit natura illa operari prius quàm terminetur subsistentia verbi.

DVBIVM II.

An supposita distinctione existentiæ, & naturæ; E necessarium sit naturam assumi cum propria existentia, vel sine illa.

QVamuis ex doctrina tradita satis constet, quomodo ratiocinandum sit secundùm nostram opinionem, tamen necessarium iudicaui ostendere quomodo philosophentur nonnulli, & philosophandum sit secundùm placitum eorum, qui putant existentiam à natura distingui: primò autem dicemus, an possit assumi sine propria existentia; deinde an simul cum illa.

Circa priorem partem Vincentius suprà *quæst. illa* 7. existimat posse assumi sine propria existentia. Rationem Vincentij attuli dubio præcedenti: ea

verò

verò est, quia existentia est terminus naturæ, sicut subsistentia, ergo sicut potuit humanitati communicari subsistentia verbi, ita & existentia; & hoc esse necessarium dicunt Thomistæ, qui putant (vt infrà dicam) existentiam, & subsistentiam, eandem rem esse. nam cum subsistentia assumi non potest, vt suprà docuimus.

Ego verò iam olim contrarium docui, cùm hanc quæstionem S. Thomæ primùm explicui, & quæ tunc animo occurrebat ratio, est, quia actio productiua humanitatis non potuit non terminari ad naturam sub esse actuali existentiæ, sub quo debuit esse prius natura, quàm vniretur personæ diuinæ, quod verum est, etiamsi existentia differat à natura. Ratio autem Vincentij dubio præcedenti soluta est, & facilem habet solutionem; est enim discrimen inter existentiam, & subsistentiam, quòd actio qua producitur humanitas, non potest terminari ad humanitatem, nisi sub forma aut modo quo constituitur, in esse actuali extra causas; subsistentia verò ad hunc formalem effectum non necessaria non est.

Circa alterum, Vincentius suprà circa sextam conclusionem, refert sententiam aliquorum Thomistarum asserentium, nulla efficientia fieri posse, vt humanitas assumatur à verbo cum propria existentia: sed non omnes eandem assignant rationem huius opinionis, aliqui enim ita sentiunt, quia existimant non posse naturæ communicari existentiam, siue propriam, siue alienam, nisi priùs afficiatur aliqua subsistentia, cum subsistentia verò assumi non potest.

Alij verò putant, verbum non posse communicare solam subsistentiam, nisi simul communicet existentiam: alij demum, quia arbitrantur existentiam constituere naturam omnino incommunicabilem, non minus quàm constituat subsistentia. Si ergo cum subsistentia nequit assumi natura, neque cum existentia poterit.

Ipse autem Vincentius sentit fieri posse, vt natura cum existentia reipsa distincta assumatur à persona diuina, & probat, quia natura cum sola existentia manet cum capacitate ad subsistendum; ergo si non habet subsistentiam propriam, poterit terminari aliena supplente vicem propriæ, & admittit P. Suarez *in Metaphysica, disp.* 31. *sect.* 12 *num.* 31. & mihi maximè placet, quia existimo esse necessarium, vt hactenus docuimus.

Ratiunculæ verò contrariæ sententiæ non concludunt; & primò quidem planè assumit falsum, vt docui *disp. de subsistentia*; rursus, licet esset ille ordo naturalis inter subsistentiam, & existentiam, tamen non satis posset probari eum ordinem non posse inuerti, efficacitate diuina absoluta, & libera à legibus.

Secunda etiam ratio nihil habet momenti; nec probatur non posse verbum communicare subsistentiam, non communicata existentia; imò falsum est, vt suprà probatum relinquimus: principium etiam illud, ex quo suam opinionem colligunt Doctores tertiæ rationis, falsum est, vt constat ex dictis de natura subsistentiæ, & existentiæ.

Sed habeo quid reprehendam in Vincentio, ait enim suprà, in casu quo persona diuina assumeret humanam naturam, cum propria existentia, non fore Christum vnum simpliciter; in quo planè decipitur, nam illæ duæ naturæ haberent vnam subsistentiam, atque adeò vnum esse personale: esset ergo illud compositum vnum substantialiter, &, vt docui dubio præcedenti, S. Thomas q. 2. *art.* 6. *ad* 2.

A ex vnitate ipsius esse personalis colligit duas naturas in Christo vniri substantialiter; esset ergo vnum simpliciter, quia esset vna persona composita, iuxta ea quæ diximus *quæst.* 2.

DVBIVM III.

An S. Thomas senserit humanitatem Christi habere suam propriam existentiam.

Aliqui Thomistæ putant S. Thomam existimasse Christi humanitatem existere non propria existentia, sed existentia verbi; ita Caietanus, Medina *art.* 2. *huius quæstionis*, Vincentius *suprà*, & B Medina dicit id patere euidenter ex processu articuli, nam ex illo constat, id quod pertinet ad personalitatem alicuius non afferre secum esse; ergo vel humanitas Christi non pertinet ad personalitatem Christi, vel nō attulit secum suum esse. Alij probant ex S. Thom. 3 *dist.* 6. *q.* 2. *art.* 2. *& quodl.* 9. *q.* 2. tantùm ergo in hoc articulo de esse existentiæ loquitur.

Paludanus verò 3 *dist.* 6. *quæst.* 3. *versic. quidam tamen*, fusè probat cum aliis quibusdam ex mente S. Thomæ, humanitatem Christi habere propriam existentiam, & idem sentiunt P. Valentia *hic*, P. Suarez *disput.* 36. *sect.* 2. Tapia *quæst.* 18. *artic.* 2. P. Fonseca *lib.* 8. *Metaphysicorum, cap.* 1. *quæst.* 1. *sect* 3. & quòd nostram sententiam tradiderit S. Thomas C quæstione disputata de vnione verbi incarnati *art.* 4. vbi loquitur de esse personali totali, cùm docet esse vnum tantùm, vt concedunt Medina, Vincentius, & alij: expressè enim docet esse vnum tantùm esse in Christo, quia tantùm est vnum esse suppositi, licèt sit duplex esse naturæ: volunt autem Caietanus, Medina, & Vincentius, retractasse S. Thomam in hoc articulo 2. eam opinionem; sed planè decipiuntur, nam in hoc articulo eandem doctrinam tradit, & expressè loquitur de esse personali, & hoc vult vnum esse in Christo, vnde concludit corpus articuli his verbis *Sic igitur*, cùm humana natura coniungatur filio Dei hypostaticè, & personaliter, & non accidentaliter; consequens est D quòd secundùm humanam naturam non adueniat sibi nouum esse personale, sed solùm noua habitudo esse personalis, præexistentis ad naturam humanam, vt scilicet persona illa iam dicatur subsistere non solùm secundùm diuinam naturam, sed etiam secundùm humanam.

Scio aliquos in dubium reuocare, sitne S. Thomæ quæstio illa disputata de verbo incarnato; & alij negant, sed vtrunque sine idoneo argumento; & quamuis illud esset verum, negare tamen illi non possunt esse S. Thomæ verba huius articuli 2. nunc allata.

In 3. *dist* 6 *quæst* 2. *art.* 2. expressè loquitur de esse personali, & *quodlib.* 9. *artic.* 3. vltetiùs hanc esse E mentem S. Thomæ probatur, quia suprà *quæst.* 2. *artic.* 6. *ad* 2. dixit humanitatem esse assumptam ad vnum esse, non vt est esse naturæ, sed vt est hypostasis, vel personæ. Item S. Thomas *quæst.* 4. *artic.* 2. & *quæst.* 6. *art.* 4. docuit humanitatem præfuisse vnioni, & assumptioni.

Ex his ergo facilè est satisfacere obiectionibus contrariæ opinionis. Ad argumentum Medinæ respondetur, id quod pertinet ad personalitatem alicuius, non afferre secum esse suum, intelligendum esse de esse personali, de hoc enim in articulo 2. huius quæstionis loquitur S. Thom. sicut *in* 3 *sententiar. loco citato*, pro sententia Medinæ, *& quodl. illo* 9 *art* 3.

Sed locis quæ attulimus pro nostra sententia respon

respondere posset aliquis, S. Thomam loqui de esse personali, illud tamen esse existentiam; nam, vt retuli *disp. de subsistentia*, aliqui putant, existentiam, & subsistentiam esse eandem; verùm iam ibi refutauimus eam opinionem, & docuimus existentiam, & subsistentiam re ipsa differre.

Deinde posset aliquis obiicere ex S. Thoma *in hoc artic. 2. ad 3.* nam illud argumentum proposuit S. Thomas ad probandum, in Christo esse concedendum duplex esse, quia est in illo duplex natura, his verbis: In Trinitate quamuis sint tres personæ, est tamen vnum esse, propter vnitatem naturæ; sed in Christo sunt duæ naturæ, quamuis sit vna persona: ergo in Christo non est tantùm vnum esse. Respondet: Ad tertium dicendum, quòd persona B diuina est idem cum natura, in personis diuinis non esse personas præter esse naturæ; & ideo tres personæ non habent nisi vnum esse. Videtur ergo sanctum Thomam loqui de esse existentiæ ipsius naturæ, non de esse personali, nam si de hoc loqueretur, deberet concedere in diuinis triplex esse. Respondetur S. Thomam in hoc articulo primo non agere de esse personali vt distincto ab esse naturæ, sed de esse quatenus includit completam existẽtiam, & sic est esse totale simpliciter, & sic cùm humana natura in Christo cum diuina componat vnum esse simpliciter; ideo esse tantùm vnum esse personale in illo.

DISPVTATIO XXV.

THEOLOGICA.

DVBIVM I.

An Christus fuerit verè Propheta.



DE significatione verbi *prophetare*, & *Propheta*, legatur Salmeron *tom. 1. prologo 10. sc. 2. à can. 35. & tom. 3. tract. 17. contra petr. 4. hypoth. cap. 1.*

Prima opinio fuit Abulensis *in c. 11. Numerorum, quæst. 64.* asserentis Christum non fuisse Prophetam; primò, quia Christus erat Deus, Deus D autem Propheta non est: secũdò Ioannes Baptista dicitur plus quàm Propheta; ergo potiori ratione Christus; tertiò, quia Beati nõ sunt Prophetæ, Christus autem erat beatus: quartò, Christus non habuit cognitionem obscuram.

Pro explicatione veritatis notandum est, variis modis vsurpari nomen Prophetæ; quidam dicunt poëtam appellari Prophetam, iuxta illud *ad Titum 1.* quidam ipsorum Propheta; sed ex hoc non probatur talis vsus, nam vel ironica est loquutio Pauli, vt notauit Adamus, nec dixit Prophetam, sed propriùs ipsorum Prophetam; vel appellatus est Propheta, quia versus quem retulit Paulus, desumptus est ex libro Epimenidis, qui habebat tractatum de oracu- E lis, sicut docuit Anselmus, & vtramque affert Guilliandus, qui addit non deesse qui illud referant ad Callimachum Irenæum Sed Chrysostomus & Hieronymus ad Epimenidem referunt, licèt Callimachus illud poëma sit imitatus, & Hesiodus *in theogonia* simile dixerit.

Deinde bene P. Vazquez *1. part. disput. 14.* explicat prædictum locum Pauli, vt eo sensu dicatur Epimenides prophetasse, quia describens vitia natiua suæ gentis, quasi posterorum, etiam viderit vitia descripsisse, & prophetasse.

Noster Salmerõ, in illum locum primæ ad Titum præter dicta refert aliquos dixisse Paulum vocasse

A illum Prophetam, quia, vt refert Laërtius Cretensis, illi offerebant sacrificia vt Deo, quòd singulari vi res futuras intelligendi præditus fuerit. Cicero etiã *1. de diuinatione* memorat Epimenidem inter eos, qui per furorem sunt vaticinati, vnde Adimantus apud Platonem dixit, ex poëtis nonnullos factos Prophetas *lib. 2. de republica.*

Henr. Stephanus *in lexico*, putat, dici posse à Paulo Epimenidem Prophetá, id est, veritatis interpretem, sicut dicebantur Prophetæ. Sacerdotes phauorum, dici antistites phauorum, oraculorúmque interpretes, quo sensu Plinius *lib. 7. historiæ, cap. 30.* appellauit Platonem antistitem sapientiæ, quod placitum, licèt non satis autori suo probetur, mihi non omnino B displicet, eo quòd instituto Pauli hæc significatio nominis Prophetæ satis accommodata est, vnde & subiunxit, testimonium hoc verum est, volebat enim reprehendere Cretenses.

Secundò, Psaltes dicitur Propheta; & ita nonnulli explicant illud 1. Regum 10. *Saul cœpit prophetare*, canere scilicet, cum aliis Prophetis dicta Prophetarũ. S. Thomas ita exponit *lect. 1. in cap. 14. primæ Corinthiorum*, hanc acceptionem confirmat locus 1. *Paralipomenon, c. 15. & 25.* vbi dicitur, *qui prophetarent in citharis*, &c. & fauet locus 1. Regum 10.

Tertiò prophetare significat prophetiam exponere & docere, patet *1. Corinthior. 14.* nam qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, & exhor- C tationem, & consolationem, & ibi hunc vsum huius verbi notant interpretes. nam sicut qui futura prædicit, manifestat occulta, ita qui abscondita sensa pandit; Græcum enim verbum, προφητεύω, significat vaticinor, præsagio, interpretor, & in hac vltima significatione potest sumi. Vnde & *Exodi 7.* dixit Dominus Moysi, *constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus*, id est, interpres tuus: vlteriùs significat Antistitis officio fungi, vt docent periti linguæ Græcæ.

Quartò prophetare significat, facere opus Prophetæ, quo sensu Eccl. 48. dicitur corpus Elisei prophetasse, fecit enim miraculum, & exhibuit virtutem propheticam, quia, vt constat ex *4. Regum 13.* inie- D ctum fortè cadauer in sepulcrũ ipsius reuixit ad tactum ossium illius, ita S. Thom. *suprà. & 2. 2. q. 175. art. 1. ad 1.* & Iansenius *in illud cap. 48. Ecclesiast.* & fortè hoc est, quia verbum Græcum προφητεύω, significat interpretari, & facto ipso corpus illud Prophetæ manifestauit corpus esse Prophetæ, ideóque dicitur prophetasse; & iuxta hæc potest intelligi illud Ecclesiastici 49. *Ossa eius visitata sunt, & post mortẽ prophetauerunt*, sermo erat de ossibus Ioseph. legatur *c. 5. Genesios. & 2. Iosue.* Iansenius *in illud c. 49.* exponit, ostẽderunt Ioseph fuisse Prophetam, eodem modo Lyra.

Sed Hugo *in cap. 49.* præter dictum addit, & primò explicat, prophetasse ossa, quia sua trãslatione significabant nostram redemptionem: secundò significa- E bant, se resurrectura; refert etiam ex historia scholastica prophetasse de difficultate itineris, quod etiam *in 13. Exod.* retulit Dionysius. Salmer. tom. 3. tract. 17. citato exponit, prophetasse corpus Ioseph fortè edito aliquo miraculo, sicut dicitur de corpore Elisæi.

Demum Propheta sumitur pro eo, qui futura prædicit, nam nomen Græcum, προφήτης, hoc significat, & est frequens vsus huius vocis in Scriptura, & Patribus, etiam de hoc sensu est controuersia, quia in hac significatione negat Abulensis Christum fuisse Prophetam.

Communis sententia est Christum fuisse Prophetam, ita S. Thomas *art. 8.* P. Valentia *infrà q. 22. punct. 5.* Tapia *hic quæst. 8. art. 8.* Caietanus, Medina

in hoc artic. 8. P. Suarez *disp.* 11. *sect.* 2. & est expressa sententia S. Augustini *tract.* 15. *in Ioannem*, & 26. *contra Faustum*, *cap.* 18. Ambrosius *serm.* 8. *in Psalm.* 118. Cyrill. 8. *contra Iulianum.* Isidorus *lib.* 7. *originum cap. de filio Dei*, & *lib.* 6. *cap. de Prophetis.* Hieronymus *in cap.* 1. *Hieremiæ.* Chrysostomus *homilia* 15. *in Ioannem*, &c. vt legenti constabit, loquútur de Propheta puro, qui futura cognoscit, & prædicit. Patrum istorum verba fideliter refert P. Suarez *suprà*.

Deinde ex Scriptura possumus id colligere, quia multa futura prædixit. v. g. excidium Hierosolymitanæ vrbis, Petri negationem, &c. rursus Christus erat viator; ergo verè erat Propheta.

Dices non fuisse Prophetam, quia futura cognouit cognitione euidenti, non obscura; sed hæc conditio planè liberè assignatur, verissimè enim S. Thomas *art.* 8 (Caietanus 2. 2. *art.* 5. & interpretes citati in hoc articulo,) dixit obscuritatem non esse de ratione prophetiæ: & cõtrarium indicat Basilius præfatione in Esaiam, & Cyrillus *lib.* 3 *in Isaiam.* Augustinus verò apertè *lib.* 5. *de ciuit. Dei*, *c.* 9. dixit prophetiam luce clariorē esse, quod non est intelligendum, quasi semper sit euidens, sed quia esse potest, neque enim contẽdimus, de ratione prophetiæ esse euidentiã, sed solùm de ratione illius nõ esse obscuritatem.

Vnde sæpe definiunt Patres prophetiam, & non requirunt obscuram cognitionẽ; nam Irenæus *lib.* 4. *cap.* 37. definit hoc modo, Prophetia est eorum quæ pòst erunt, præsignificatio; Cassiodorus *in proœmio Psal* Prophetia est reuelatio diuina, quæ euentus rerum, vel perfecta, vel prædicta immobili veritate pronuntiat; idem constat ex Eusebio 5. *demonstrationis euangelicæ*, *c.* 1. ex Isidoro *lib.* 7. *originum*, *cap.* 8. ex Ambrosio *serm.* 8 *in Psalm.* 118. August. *tom.* 6. *lib.* 16. *contra Faustum*, *cap.* 18. Gregor. *homil.* 1. *in Ezechielem.*

Ad rationem autẽ prophetiæ rectè docet S. Thomas quæ requirantur 2. 2. *q.* 171. nam cùm *art.* 1. docuisset pertinere ad cognitionẽ, *art.* 3. docuit, quantum ad præsens attinet esse futurorum (licèt prætaritorum etiam dicatur, vel præsentium, quæ nõ possunt cognosci diuino lumine.) *Artic.* autem 6. docuit obiectum prophetiæ esse verum, falsum enim spiritu Dei non potest quis dicere; *quæst.* verò 174. *art.* 6. docuit ad prophetiam requiri ex parte subiecti statum viatoris. nam prophetia importat cognitionem alicuius veritatis procul existentis, & hoc maximè est, quando res est procul comparatione eius, qui illam cognoscit & prædicit; de aliis conditionibus disputat in illis quæstionibus, quæ præsenti instituto non deseruiunt.

Cùm ergo Christus habuerit cognitionem futurorum, & fuerit viator, non est causa ob quam possit negari, illum fuisse verè Prophetam, quòd enim euidenter videat quis quæ prænuntiat, non minuit, imò auget dignitatem prædictionis, meritò enim in Scriptura sæpe dicitur Christus Propheta, non solùm quia cognoscit cogitationes cordiũ, quod ex variis locis euangelicæ historiæ cõstat, sed etiam, quia futura prædicere potuit: & ita intelligitur locus Deuteronomij 18. *Prophetam sicut*, &c. quem locum de Christo exponunt Petrus, & Stephanus, *ad* 3. & 7. & eodem modo Patres, Iustinus Martyr *quæst.* 101. *ad Gentiles*, Irenæus *lib.* 3. *cap.* 12. Clemens Alexandrinus 1. *pædagogi*, *cap.* 7. Cyprianus 1. *contra Iudæos cap.* 18. Cyrillus 1. *in Ioannem*, *cap.* 14. & Ambrosius *serm.* 8. *in Psalm.* 118. sic intelligit locum Deuteronomij.

Ea verò quæ in contrarium obiiciuntur, leuioris momenti sunt.

Ad primum respondetur, Christum vt hominem fuisse Prophetam, non vt Deum.

Ad secundum respondetur, Ioannem non dici plus quàm Propheta, quia non fuerit Propheta, sed quia hoc præ aliis habuit, vt IESVM, quem alij prophetarunt, ipse digito demonstrauit, vt multi exponunt *in cap.* 11. *Matthæi*, & Medina *hic ad* 1. & P. Vazquez 1. *part. disp.* 47. *cap.* 2. Christus etiam plus quàm Propheta fuit, sed etiam fuit Propheta.

Ad tertium respondetur, Beatos non esse Prophetas, quia, vt docuit S. Thom. 2. 2. *q.* 174. *art* 6. ad prophetiam requiritur ex parte subiecti status viatoris communis his, quorũ comparatione dicitur Propheta aliquis; Christus verò, vt etiam in eo articulo docuit S. Thomas, fuit simul beatus, & viator.

Ad quartum respondetur ex S. Thoma *hic art.* 8. *ad* 1. obscuram cognitionem non esse de ratione prophetiæ, quod suprà ostendimus.

Sed obiici potest ex Paulo ad Corinth. 1. *cap.* 13. *charitas nunquam excedit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue sciẽtia destruetur*, &c. vbi Paulus videtur coniungere prophetiam cum obscuritate. nam illud, *ex parte prophetamus*, S. Thomas *ibi*, & alij, referunt ad imperfectionem cognitionis. Respondent aliqui, in eo loco per prophetiam intelligi donum interpretandi sermonem, sicut *Sapientia* 14. epistolæ eiusdem, & ita exponunt citata verba *c.* 13. Claudius Guilliãdus, Gagneius, & alij. & iuxta hanc interpretationem cessabit hæc gratia in Beatis, quia nullus alteri interpretabitur sermonem: sed cùm hoc donum fuerit in Christo viatore, non est admittendum habere adiunctam obscuritatem essentialiter, nam de hoc dono prout in Christo, non loquebatur Paulus in hoc loco. Si verò intelligamus locum de dono prophetiæ pro prædictione futurorum, vt intelligunt Anselmus, & alij; dicendum est loqui Paulum de prophetia; euacuabitur quidẽ in beatitudine quantum ad actum, & necessitatẽ, vt exponit Chrysostomus ibi *homil.* 16. & licèt in prophetia aliorum sit interdum obscuritas, tamen de prophetia Christi nihil ibi docet: demũ etiam de scientia docet, quòd destruetur, & tamen sciẽtia non dicit obscuritatem, &, vt exponit ibi S. Thomas, solùm destruetur quantum ad imperfectionem, id est, quòd non indigebit conuersione ad phantasmata. Chrysostomus ibi *homilia* 34. ad imperfectionem ita refert, quia tunc ex modo, & parte obiecti erit perfectior.

Sed obiiciunt nonnulli Christum non posse esse prophetam eo quòd per scientiam infusam non cognouit euidenter futura, per scientiam verò beatam aut non fuit Propheta, quia vt sic erat beatus, aut non cognouit futura vt futura, sed vt præsentia æternitati, quia beatitudo mensuratur æternitate participata, quia illa non cognouit vt futura, sed vt præsentia, non videtur cognitio prophetica. Occasione huius difficultatis explicandum nobis est,

DVBIVM II.

Per quam scientiam fuerit Propheta Christus.

ET primò dicendum est ratione scientiæ infusæ fuisse prophetam, quia, vt diximus *quæst.* 11. per talem scientiam cognouit futura, & ita affirmat P. Suarez, Medina, Tapia, Valentia *locis citatis.*

Maior est difficultas de scientia beata; & secundùm opinionem assentientium per hanc scientiam formaliter non cognosci futura, quia creaturæ non cognoscuntur ex vi visionis, dicendum est consequenter, non fuisse ratione illius Prophetam: secundùm contrariam verò opinionem negare etiam id

possset aliquis propter rationē dubitandi. Sed P. Suarez, Medina, & Tapia expresse affirmant, quia licèt esset scientia propria Beati, tamē erat in eo qui simul erat viator, & ita ratione illius potuit futura prædicere aliis viatoribus: & hæc pars videtur vera si semel demus, per hanc scientiam cognosci futura, & hanc indicat etiam Valentia *suprà*.

Sed dices, S. Thom. 2. 2. *q.*174. *art.*5. *ad* 3. dixisse Christum non fuisse Prophetā vt comprehensorem; ergo. Respondetur, ibi solùm requirere statum viatoris, quod verissimum est, tamen non negare cognitionem beatæ scientiæ sufficere in eo, qui est etiam viator.

Sed dices, S. Thom. dixisse *quæst.* 20. *de verit. art.* 6. *in corpore*. Christum cognouisse futura per scientiam beatam, & cognitione prophetiæ non cognouisse Christum futura, quia cognitio prophetiæ, est imperfecta participatio visionis Dei, at in Christo non fuisse imperfectā prophetiā. Respondetur ex eo loco non posse sumi argumentum, cōtra ea quæ diximus, & primò S. Thom. ibi loquebatur de scientia naturali, & ideo bene docuit, per illam non cognosci futura: secundò dum excludit à Christo cognitionem prophetiæ, loquitur de ea, quæ est in aliis hominibus; iam verò negare non possumus quin S. Thom. admittat in Christo cognitionem futurorum per scientiam distinctam à beata, hanc enim concedit infrà *quæst.* 11. *art.* 1. *ad* 3.

Ad obiectionem verò suprà factam respondendum est, primò per scientiam infusam cognouisse Christum futura, vt dicetur *quæst.* 11. cum S. Thom. vbi proximè. Secundò si per scientiam beatam cognouit futura, eodem modo ratione illius potuisset prædicere; neque obstare quod ibi dicitur de æternitate participata, quia reuera non erant illa futura realiter præsentia visioni, sed obiectiuè, vt de futuris comparatione Dei docent antiquiores Thomistæ, vt dicebam suprà *disput.* 19. *dub.* 1. In fine hujus quæstionis placet aduertere aliquos huius ætatis asserere sententiam Abulensis planè esse temerariam.

DISPVTATIO XXVI.

THEOLOGICA.

DVBIVM VNICVM.

An præter fidem catholicam requiratur ad iustificationem aliqua fides priuata.



DE fide catholica necessaria ad iustificationem, diximus in materia *de Gratia opuscul.* 4. *disp.* 2. nunc verò solùm volumus explicare, an requiratur aliqua fides priuata. Et certum est apud Catholicos, non esse necessariam priuatam, & peculiarem fidei diuinæ, quæ habeat pro obiecto formali testimonium Dei, & sit deriuata à fide catholica, quam omnes Theologi putant necessariam ad iustificationem, de qua diximus *loco citato*, & in materia *de fide*, agentes de eius obiecto, & actu.

Difficultas ergo præsens est de iudicio quo quis prudenter credat, Deum collaturum sibi gratiam efficacem ad iustificationem, & ad consequutionem veniæ, & remissionem peccatorum. Et in hoc sensu P. Vazquez 1. 2. *disputat.* 210. *cap.* 5. fatentur hanc fidem, id est, hoc iudicium prudens, esse neces-

A sarium ad iustificationem, & hoc appellat fidem peculiarem, & *cap.* 4. *præcedenti num.* 25. expresse dixit, hanc fidem non habere pro formali testimonium Dei, neque pertinere ad habitum fidei infusæ; eandem opinionem defendit in materia *de Gratia*.

Probat verò *cap. illo* 5. hoc iudicium esse necessarium, quia etiam si quis credat Deum promisisse veniam peccatorum, & iustificationem verè pœnitentibus, tamen nisi habeat iudicium quo iudicet sibi Deum daturum auxilium efficax ad opera necessaria ad iustificationem, non posset procedere ad satisfactionem; quod facilè intelligitur, si haberet contrarium iudicium quo iudicaret Deum sibi negaturum auxilium efficax necessarium.

B Secundò, quia ad iustificationem necessaria est spes veniæ, & tamen sine iudicio de collatione futura auxilij efficacis, non posset quis habere talem spem, iuxta ea quæ diximus 2. 2. agentes de iudicio necessario ad actum spei infusæ supernaturalis, & in hoc sensu dicit *in eo cap.* 5. necessariam esse fidem particularem promissionis, de qua fide loquutus fuerat *cap.* 4. præcedenti, & dixerat non esse fidem quæ habet testimonium Dei pro obiecto formali.

Aliqui recentiores docent sufficere ad iustificationem actum fidei catholicæ infusæ, & solùm esse necessarium ne quis iudicet, Deum sibi negaturum auxilium efficax, non tamen positiuum iudicium de futura collatione auxilij.

C Alij docent sufficere fidem catholicam, cum iudicio quòd Deus ex sua parte dabit quidquid necessarium est ad opera iustificationis, si per ipsum hominem non steterit, hoc est, nisi ipse homo posuerit impedimentum, & eodem modo philosophatur de iudicio necessario ad actum spei.

Alij ausi sunt reprehendere sententiam P. Vazquez, qui putant fauere hæreticis nostri temporis, qui docent fidem peculiarem esse necessariam ad iustificationem. Sed isti recentiores ignorant sensum hæreticorum, de quo dicam infrà, vbi ostendam opinionem P. Vazquez posse habere verum sensum, & longissimè differre ab hæreticis.

P. Vazquez *lib.* 8. *de Gratia, cap.* 18. *n.* 7. refert sen-
D tentiam P. Suarez, quam habet *cap.* 4. *&* 5. & ipse P. Suarez *num.* 9. dicit fidem illam particularem esse possibilem, postea probabiliter defendi. *n.* autem 10. dicit talem fidem non esse necessariam ad iustificationem, & sententiā P. Vazquez quantum ad hanc partem sibi displicere valde. Et probat, quia ex natura rei sufficit credere fide catholica vniuersales promissiones de dando auxilio ad iustificationem cuilibet homini, si per ipsum non steterit.

Secundò probat, quia non est absoluta promissio Dei de dando auxilio efficaci cuilibet homini in particulari; ergo non potest homo habere fidem illam particularem ad futuram collationem auxilij efficacis.

E Tertiò, quia si haberet talem fidem de futura iustificatione, etiam post iustificationem posset eadem fide credere se esse iustificatum, quod nō potest dici.

Sed oportet explicare ipsam rem, & postea explicabo sententiam P. Vazquez, quam multi viri doctissimi laudauerunt, & probarunt autorem, qui rem exactissimè explicauit, quæ ante illum non erat satis explicata.

Primò ergo notandum est id quod diximus in materia *de fide*, agentes de fide iustificante, nempe fidem miraculorum includere fidem catholicam, & iudicium prudens, quo homo iudicat, Deum hîc, & nunc facturum miraculum. nam sola fides catholica est fides miraculorum, omnes enim fideles

habent

habent fidem catholicam , & non omnes habent fidem miraculorum.

Item in materia de spe, diximus , ad actum spei esse necessariam fidem catholicam , & iudicium prudens de futuritione rei speratæ ; & explicatur, quia ex eo solùm , quòd quis fide diuina credat Deum posse facere miracnla , & promisisse se facturum,occurrentibus circunstantiis moueri ad faciendum miraculum,nisi prudenter iudicet hîc, & nunc Deum facturum miraculum : deinde etiam si quis credat Deum promisisse gratiam ad iustificationem, tamen nisi prudenter iudicaret Deum sibi collaturum auxilium efficax , non poterit sperare iustificationem,& remissionem peccati. Quod amplius declaro;quia licèt sit certum omnino, Deum daturum auxilium sufficiens ad instificationem , tamen non est absolutè certum quòd dabit auxilium efficax;ergo ex fide diuina non potest homo illud certò sperare.

Dices, potest esse certus quòd dabit auxilium efficax si per ipsum hominem non steterit.Sed contrà est quòd illud , si per hominem non steterit , vel significat , si non posuerit impedimentum peccati, & hoc dici non potest, quia etiamsi quis non faciat peccatum,potest Deux negare auxilium efficax,quia non promisit illud absolutè pro omni occasione:ergo ex fide diuina non potest homo absolutè illud sperare;vel solùm significar, quòd Deus dabit auxilium sufficienx , quo possit homo operari , & hoc non est dare auxilium efficax , id est, quo homo reuera operaturux sit; ergo homo non potest esse certus ex fide diuina quòd sit iustificandus , quia fide diuina nescit an Deus certò sit daturus auxilium, quo reuera sit operaturus ; ergo vt possit procedere in progressu iustificationis , necessarium est iudicium prudens quo possit erigi ad sperandum , quòd Deus dabit auxilium efficax ; nec sufficiet fides illa vniuersalis, quòd Deus dablt mihi auxilium efficax, si per me non steterit.

Dices,non est necessarium tale iudicium,sed sufficit non habere contrarium iudicium , neque de hoc cogitare,sed quasi negatiuè se habere. Sed contra hoc est , quòd in huc casu non potest homo negatiuè se habere,quia procedit ad executionem , & consequutionem tei grauissimæ ; item ad iustificationem necessaria est spes veniæ:hæc autem ex sola fide diuina sub conditione , non potest esse spes absoluta,vt explicuimus.

Rursus spem quam Sancti sæpe habuerunt,in peculiari euenru de futuro miraculo , non potuit oriri ex sola vniuersali cognitione , quod Deus faciet si fuerit conueniens : ergo certitudo illa oriebatur ex peculiari alio indicio prudenti quo iudicauetat, Deum hîc , & nunc facturum miraculum , & licèt hoc iudicium aliquando potuerit oriri ex reuelatione peculiari Dei, non tamen credendum est semper fuisse talem reuelationem,sed iudicium prudens ex gratia ortum;& propter hanc rationem,in materia de fide miraculorum , & in materia de spe dixi esse necessarium tale iudicium prudens ; & idem existimo de iustificatione,vt communiter fit. Quod aduerto , quia aliquando posset subitò fieri supposita fide Dei super omnia diligendi , ex quo posset moueri voluntas ad actum dilectionis supernaturalix , & sic homines iustificati subitò , in quo nihil apparet repugnantiæ, aut contradictionis.

Deinde declato quod suprà dixi,quia potest quis peccare peccato desperationis , & non esse hæreticus; ergo non peccat contra fidem catholicam , sed contra iudicium prudens , quod debuit habere de A futura collatione boni , circa quod peccat peccato desperationis.Consequutio videtur efficax,& antecedenx est certum apud Catholicos. Ex dictis possunt solui argumenta P.Suarez , quatenus videntur esse contra nostram sententiam.

Ad primum respondendum est ex doctrina tradita , fidem catholicam vniuersalium promissionum non sufficere ad iustificationem , & spem veniæ , vt explicatum est.

Ad secundum respondeo , verissimum esse , non esse absolutam promissionem de dando auxilio efficaci : ex hoc autem solùm sequitur hominem non habere actum fidei catholicæ de futura collatione auxilij efficacis ; sed potest homo habere iudicium B prudens quòd Deus dabit motus ex ipsiux bonitate, & quia est promissio conditionalis de dando illo, & potest homo prudenter iudicare , quòd hîc,& nunc dabit , præsertim quando illuminatur homo per internam specialem gratiæ illuminationem,non quòd sit reuelatio , sed quòd sit cognitio mouens ad prudens illud iudicium. quod declaratur, qui non speraret , non peccaret contra fidem catholicam , sed contra iudicium prudens.

Ad tertium dicendum est posse hominem habere prudens iudicium de sua iustificatione,iuxta ea quæ diximus in materia *de Gratia*,non tamen potest esse certux certitudine fidei , cui non potest subesse falsum, vt diximus *loco citato de Gratia*.

C Ex dictis possumus explicare P. Vszquez, & primò in illo cap.4. manifestè docet fidem illam priuatam , nôn esse fidem quæ habet pro obiecto testimonium Dei Secundò appellat illam cognitionem, & illud iudicium fidem , quia non est cognitio euidens , sed fundatum in variis circunstantiis. Tertiò sppellat priuatam , quia non est de obiecto vniuersali , sed de obiecto respectu hominis particularis. Quartò dicit esse necessariam ob rationem à nobis assignatam, de necessitate prudentis iudicij,de quo nos loquuti sumus.

Argumenta verò facta contra P. Vazquez solui possunt iuxta ea quæ diximus : & de materia tertij argumenti quomodo possit quis habere aliqualem D certitudinem de sua iustificatione , fusè disputat P. Vazquez in materia *de Gratia* : & vt antea dicebam,bene intellecta mens P. Vazquez placuit viris doctissimis huius temporis , neque video in ea aliquid quod viris piis,& doctis possit displicere.

De erroribus verò hæreticorum circa fidem iustificantem,legantur P.Suarez & Vazquez *locis citatis*,& quæ ego tradidi in materia *de Gratia*.Occasione doctrinæ traditæ posset aliquis quærere,quumodo actus spei sit necessarius ad iustificationem , de quo dixi in materia *de Gratia opusc.4.disp.3*.

E

DISPVTATIO XXVII.

THEOLOGICA.

DVBIVM VNICVM.

An virtus humilitatis fuerit cognita à Philosophis Gentilibus.



LIQVI interdum solent affirmare, & docere virtutem humilitatis nullo modo fuisse cognitam Philosophis Gentilibus , sed esse virtutem Christianam.

Alij verò docent virtutem humilitatis quantum

ad substantiam, licèt sub alio nomine cognitam A fuisse à Philosophis Gentilibus, & Origenes *tom.3. homil.8. super Lucam*, dixit humilitatem esse virtutem, quæ à Philosophis dicitur mensuratio, vel modestia. Et hunc locum Origenis citat S. Thom. 2.2. *quæst.161. art.4.* vbi docet humilitatem esse partem modestiæ, vel temperantiæ. Et in corpore de hac virtute loquitur, & docet de eadem fuisse locutum Tullium *lib.2. de Inuent.* Ergo Origenes & S. Thomas manifestè supponunt humilitatem, licèt sub alio nomine, cognitam fuisse Philosophis Gentilibus, & D. Thom. *art.2.* citat Andronicum Philosophum Peripateticum explicantem officia humilitatis. Et eam videtur cognouisse Menander *in Empimprament* apud Stobæum *tom.1. serm.22.* dum ait, *Humilitas* B *tua, si qua grauitas accesserit, pulchra apud alios videbitur, ô chare vir.*

Deinde P. Vazquez *1. part. disp.235. cap.4. in fine* sentit humilitatem non distingui à virtute magnanimitatis; & ita concedit humilitatem cognitam fuisse à Philosophis Gentilibus, licèt illi non cognouerint causas humilitatis Christianæ. Et pro eadem doctrina citat etiam P. Vazquez Martinum de Magistris existimantem humilitatem non distingui à magnanimitate. Et idem docuit Ægidius Romanus *2. part. lib.1. cap.25.* & alij recentiores. Qui omnes necessariò debent concedere Philosophos Gentiles agnouisse virtutem humilitatis: manifestum enim est agnouisse virtutem magnanimitatis. C Et potest probari, quia Philosophi docti planè cognouerunt virtutes & vitia, quæ versantur circa honores, tanquam circa propriam materiam: ergo licèt non cognouerint virtutem humilitatis sub hoc nomine; naturam tamen, & materiam illius videntur agnouisse.

In hac controuersia certum est Philosophos Gentiles non agnouisse aliquas causas, & materias huius virtutis, quia non cognouerunt necessitatem Gratiæ ad opera humilitatis Christianæ: & ita constat non agnouisse propriam hominis insufficientiam ad bene operandum. Item non cognouerunt peccatum, vt est materia humilitatis. Rursus non cognouerunt motiua humilitatis, quæ sumi possunt D ex imitatione Christi; & multo minus multos & eximios gradus huius virtutis, qui numerantur à Patribus. Vlterius non agnouerunt magnam & illustrem necessitatem huius virtutis commendatam à Christo Domino. Et iuxta hæc explicari possunt si quæ interdum occurrant testimonia asserentium virtutem humilitatis non fuisse cognitam Gentilibus, sed manifestatam in lege noua.

Cum hoc tamen existimo aliquos Philosophos Gentiles cognouisse virtutem humilitatis quantum ad essentiam & materiam, siue humilitas sit eadem virtus cum magnanimitate, siue illi annexa: & siue appelletur modestia, siue moderatio, quod intelligendum est de moderatione appetitus circa honorem. Et hoc probat ratio suprà facta. E

Certum autem est Philosophos Gentiles ex solo lumine naturali non cognouisse humilitatem infusam, & supernaturalem, quia non cognouerunt obiectum & rationem formalem supernaturalem, ex qua specificatur prædicta virtus infusa.

Addendum est aliquos Philosophos Gentiles, qui communicationem habuerunt cum Christianis fidelibus, potuisse ex fide humana cognoscere aliquas circunstantias humilitatis Christianæ; sicut & quædam alia obiecta, quamuis non habuerint fidem supernaturalem illorum, quod per se facilè intelligitur.

De mente S. Thomæ variæ possunt esse opiniones. Et aliqui indicant S. Thom. in hac controuersia nihil expressè affirmasse, quia solùm retulit suprà citatum locum Origenis in argumento, sed contrà: nihil tamen affirmauit, vel negauit. Item dum refert locum Tullij, non videtur explicare mentem illius, sed solùm videtur accommodare illum doctrinæ, quam tradebat.

Alij non obscurè indicant, licèt breuiter, sanctum Thom. existimasse humilitatem non fuisse cognitam à Philosophis; quia multa docet *quæst. de humilit.* quæ non fuerunt cognita à Gentilibus; & *art.1. ad vlt.* videtur concedere S. Thom. Aristotelem non fuisse locutum de humilitate, quæ respicit subiectionem hominis ad Deum, quia locutus est de virtutibus, secundùm quas vnus homo subiicitur alteri. & *art.2.* in argumento adducit Augustinum *tom.6. lib. de Virginitate cap.3.* vbi dixit Augustinus humilitatem esse ferè totam disciplinam Christianam. Quod tamen Philosophi non potuerunt cognoscere, sicut neque quæ docet *artic.3.* de subiectione hominis ad Deum. Vlteriùs S. Thom. in tota hac quæst. loquitur de humilitate Christiana, quæ est fundamentum virtutum supernaturalium infusarum, quod non potest conuenire humilitati acquisitæ & naturali, cuius solùm potuerunt habere cognitionem Philosophi.

Mihi tamen placet, S. Thom. existimasse humilitatem acquisitam, quantum ad naturam & materiam, cognitam fuisse ab aliquibus Philosophis Gentilibus. Quod potest colligi ex eo quòd refert testimonium suprà citatum Origenis, id apertè concedentis; & tamen in tota hac quæstione non refutat opinionem Origenis. Item si rectè consideretur quod dicit de testimonio Tullij, facilè intelligetur S. Thom. explicasse mentem Tullij. Rursus *art.2.* refert testimonium Philosophi Gentilis, & explicuit in quo constitueret humilitatem; ac proinde non possumus dubitare de mente sancti Thomæ.

Quæ verò in contrarium obiiciuntur facilem habent solutionem. Concedendum enim est S. Thom. multa docere de humilitate Christiana & infusa, quæ non fuerunt cognita à Philosophis Gentilibus ex solo naturæ lumine. Cum hoc tamen potuit concedere S. Thom. Philosophos Gentiles agnouisse naturam & materiam humilitatis acquisitæ, licèt non cognouerint naturam formalem & circunstantias aliquas humilitatis infusæ & Christianæ, vt paulo antea dicebamus. Et hoc sensu possunt explicari aliqui dum indicant Philosophos Gentiles non cognouisse virtutem humilitatis.

DISPVTATIO XXVIII.

THEOLOGICA.

De causa meritoria resurrectionis Christi.



IN hac disputatione præcipuè intendimus explicare, an B. Virgo meruerit resurrectionem filij sui, de quo dicemus dubiis sequentibus; in primo autem dubio dicemus de ipso Christo. In secundo verò, & reliquis de B. Virgine.

DVBIVM I.

An Christus meruerit suam resurrectionem.

IN præsenti quæstione priùs explicandum est, an Christus meruerit gloriam sui corporis, si enim hanc meruit, consequens est meruisse suam resurrectionem, necessariam vt glorificaretur corpus. Refert autem noster Bellarminus *tom.1.lib.5.de Christo cap.9.* Caluinum sensisse Christum non meruisse gloriam sui corporis, seu nominis exaltationem, & eundem errorem refert Adamus in illud ad Philippens. 2. *humiliauit semetipsum.* legatur Vazquez *infrà.*

Veritas tamen catholica est Christum meruisse gloriam sui corporis, & exaltationem nominis. ita S.Thom. *3.part. quæst* 19. *art.* 3. & Scholastici *in 3. dist.*18. Et solet probari ex aliquibus locis, quæ parum habent efficacitatis: & præcipuè probanda est ex illo ad Philippens.2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit*, &c. vbi particula, *propter*, significat causam meritoriam, vt docent Patres, pseudo-Ambrosius *ibi*, Basilius 4. *contra Eunomium*, explicans citata verba Pauli, Chrysost. *homil.7. in epistola ad Philippens.* August. *tract.* 164. *in Ioann. & lib.2. contra Maximinum cap.5. lib* 3. *cap.*2. Cyrillus *lib.3. thesauri cap.* 22. & alij relati à recentioribus 3. *part. ad quæstionem* 19. quam doctrinam ego ibidem tradidi: argumenta verò Caluini leuioris momenti sunt, & ea refert, & soluit Bellarminus *loco citato.*

Hoc posito dicendum est Christum meruisse suam resurrectionem, ita docuit Augustinus *in Psalmum* 109. circa illa verba, *de torrente in via bibet, & tract.19. in Ioannem non longè à fine.* S. Thomas 3. *parte quæst.*53. *art.4. ad* 2. & interpretes *ibi*, & *ad quæst.*19. P.Suarez *tom.*1. *in 3. partem disp.39. sect.3. & ad q.*33. *tomo* 2. *in 3. partem disp.* 45. *sect.*2. P. Valentia 3. *parte ad quæst.*19. *puncto* 3. P. Vazquez *tomo 1. in 3. partem disp.* 79. *cap.*1. Et potest probari, quia homo iustus meretur gloriam sui corporis, vt diximus in materia *de Gratia, & opusculo contra Baium*; ergo multo magis meritum Christi viatoris erit meritorium gloriæ corporis; ad hoc autem vt corpus glorificetur, necessaria est resurrectio.

Cùm autem dicimus, Christum meruisse suam resurrectionem, non solùm loquimur de resurrectione quantum ad substantiam, sed etiam de resurrectione quantum ad accelerationem, meritum enim eius fuit infinitum, & potuit vtrunque mereri, & nihil est ob quod dicamus contrarium; rectè autem aduertit P. Suarez *disputatione illa* 45. *sect.* 2. Christum meruisse suam resurrectionem, per opera facta in statu viæ, quod probandum est ex principiis generalibus traditis in materia *de merito.*

DVBIVM II.

An B. Virgo meruerit resurrectionem Christi.

POnendum est, B. Virginem non meruisse de condigno resurrectionem Christi, imò nec mereri potuisse, vt probaui 3. *parte ad quæstionem* 2. cum communi Theologorum sensu.

Secundò ponendum est controuersiam esse inter Doctores. an B. Virgo meruerit de congruo substantiam Incarnationis, saltem quantum ad executionem, de quo diximus *loco proximè allegato.*

Tertiò ponendum est certum esse apud Theo-
A logos, B. Virginem meruisse de congruo aliquas circunstantias Incarnationis.

In præsenti verò dubio difficultas potest esse & de acceleratione resurrectionis, & de resurrectione quantum ad substantiam: & existimare posset aliquis, B. Virginem non meruisse resurrectionem Christi.

Primò, quia non apparet idoneum argumentum ad hoc asserendum; ergo in re graui non est aliquid affirmandum leuiter. Antecedens probatur, quia non apparet testimonium aliquod Scripturæ, nec Patrum, ex quo possit colligi B. Virginem meruisse resurrectionem Christi.

Secundò, quia ex Doctoribus Scholasticis nullus
B videtur id tradidisse, cùm tamen disputauerint de aliis circunstantiis Incarnationis; demum, non apparet aliqua efficax ratio ad constituendum in Virgine tale meritum.

Sciendum verò est errasse Michaëlem Baium in eo quòd existimauit, purum hominem propriè non meruisse sibi gloriam corporis, ac proinde nec resurrectionem; ex quo errore videtur sequi, etiam non posse mereri resurrectionem alterius: sed hunc errorem refutaui opusculo contra errores Michaëlis Baij, & in materia *de merito.*

Nihilominus, si sermo sit de merito resurrectionis, quantum ad accelerationem, mihi est valde probabile B. Virginem meruisse de congruo resur-
C rectionem Christi; hoc autem explicari potest. quia negare non possumus B. Virginem potuisse habere tale meritum ex gratia Christi, in hoc enim nulla apparet repugnantia, meruisse autem de facto decet dignitatẽ matris Dei; propter quam rationem Doctores constituunt in Virgine meritum de congruo aliquarum circunstantiarum Incarnationis, vt retuli 3. *parte ad quæstionem illam secundam*, & declaratur vlteriùs, quia Christus per opera in statu viæ meruit gratiam aliis conferendam; ergo potuit illam conferre B. Virgini, vt per opus ex illa factum mereretur accelerationem resurrectionis.

Ad exactiorem verò intelligentiam huius doctrinæ sciendum est,

D Primò opinionem hanc non posse efficaciter probari ex Scriptura, quia non apparet testimonium aliquod, quod viderim, ex quo possit id colligi.

Secundò hactenus non legi aliquem sanctorum Patrum, qui in specie aliquid dixerit circa hanc controuersiam; ex his tamen solùm sequitur nostram conclusionem non habere certitudinem, quæ possit sumi ex Scriptura, & Patribus.

Tertiò quantum attinet ad Doctores Scholasticos, non inuenio qui id docuerint exprefse, quamuis ex his quæ docent de merito B. Virginis circa aliquas circunstantias Incarnationis possit à simili probabilis ratiocinatio deduci.

Quartò notandum est, non esse dubium. posse ali-
E quam opinionem esse probabilem, propter probabilem aliquam rationem; etiam si non probetur ex Scriptura, vel Patribus, vt ex materiis Theologicis passim constare potest, & de B. Virgine plura docent Theologi probabili ratiocinatione ducti absque expresso Scripturæ testimonio, vel Patrum.

Quintò, illud semper obseruandum est, ne aliquid dicatur contra testimonium, vel ad argumentum efficaciter deductum, ex Scriptura, vel Patribus, quod tamen in materia præsentis dubij non contingit, imò valde consentaneum est dignitati matris Dei meruisse prædictam accelerationem resurrectionis modo explicato.

Argumenta

Argumenta verò adducta in contrarium facilem habent solutionem, concedimus enim conclusionem nostram non posse efficaciter probari ex Scriptura, vel Patribus: sed, vt dixi, hoc non est necessarium ad solam probabilitatem opinionis, quando nihil dicitur contrarium, vel dissonum illis.

Quod verò attinet ad Doctores Scholasticos iam diximus quid res habeat, & non pauci, qui hanc doctrinam audierunt, probabilem & veram iudicarunt: demum ratio pro nostra sententia sumpta ex dignitate matris Dei in materia de B. Virgine multum habet ponderis apud cordatos viros. de merito autem B. Virginis resurrectionis Christi quantum ad substantiam, iamiam dicemus.

Dubium III.

An B. Virgo meruerit resurrectionem Christi quantum ad substantiam.

In hac controuersia possunt esse contrariæ opiniones, sicut in præcedenti dubio, & rationes ibi relatæ possunt proportione seruata in hoc habere locum. Posset autem aliquis existimare, B. Virginem non meruisse resurrectionem Christi quantum ad substantiam, propter peculiarem rationem, nempe quia ex opposita sententia sequeretur, Christum non resurrecturum ex vi præsentis decreti, nisi B. Virgo habuisset meritum resurrectionis illius. Sequela probatur, quia si de facto resurrectio Christi facta est propter meritum B. Virginis, deficiente tali merito, erat necessarium aliud decretum, iuxta communem doctrinam Theologorum, in materia de voluntate Dei; & tamen non apparet idoneum fundamentum ad hoc asserendum.

Deinde quilibet homo iustus per opera ex gratia, & in gratia facta meretur suam resurrectionem; ergo multo magis Christus merebitur per opera infiniti valoris independenter à merito B. Virginis, quæ ratiocinatio satis probabilem reddit hanc opinionem.

Nihilominus suppositis quæ diximus dubio præcedenti de Patribus, & Doctoribus Scholasticis, probabiliter potest dici B. Virginem meruisse resurrectionem Christi quantum ad substantiam, & explico, quia negare non possumus, absolutè loquendo, hoc esse possibile. quia nulla apparet repugnantia, aut implicatio, potuit enim Christus mereri gratiam B. Virgini ad tale meritum, hoc est, ad merendum de congruo resurrectionem ipsius Christi: cùm autem hoc sit possibile, maximè decet B. Virginis dignitatem de facto habuisse hoc meritum, ex qua dignitate mouentur Theologi ad tribuendum multa B. Virginis dignitati consentanea, quod per sese videtur conueniens rationi, & amori Christi erga propriam matrem.

Ad ea verò, quæ pro contraria parte obiecta sunt, dicendum est, secundùm nostram doctrinam, ita esse philosophandum, vt dicamus Christum de facto non resurrecturum, deficiente merito B. Virginis, ex vi præsentis decreti, in quo nullum apparet absurdum, si dicamus Christum non ita celeriter resurrecturum deficiente B. Virginis merito respectu accelerationis resurrectionis Christi, quod etiam respectu aliarum circunstantiarum Incarnationis, quas B. Virgo, & sancti Patres meruerunt, concedendum est.

Ad aliud, concedendum etiam est, Christum Dominum per propria merita meruisse suam resurrectionem de condigno, voluisse tamen vt mater eius illam mereretur de congruo, quod non fuit ex indigentia proprij meriti, sed ex indigentia erga matrem; sicut etiam concedendum est de merito erga accelerationem resurrectionis, & aliarum circunstantiarum Incarnationis.

Dubium IV.

Per quæ opera meruerit B. Virgo resurrectionem Christi.

Certum est in omnibus operibus B. Virginis factis ex gratia, fuisse sufficientem, & fundamentalem proportionem ad merendum de congruo resurrectionem sui filij, sicut & ad merendum alias circunstantias: & ita potuit B. Virgo illa ordinare; specialiter tamen credi potest ordinasse opera quæ fecit post mortem filij, quando petebat, & desiderabat resurrectionem eius, sciebat enim Christum dixisse se resurrecturum tertia die post mortem; & ita potuit B. Virgo illam petere, quam sciebat & dignitati filij, & vtilitati, & consolationi discipulorum valde conuenientem, & consentaneam, & hoc meritum decebat dignitatem matris Dei, vt iam diximus.

Restant nonnulla dubiola explicanda, vnum est, an sit licitum negare tale meritum B. Virgini? Et dicendum est, talem assertionem negatiuam non mereri grauem aliquam censuram, quia non est contra doctrinam aliquam Patrum, vel Scholasticorum.

Nihilominus dicendum est, eam opinionem, præsertim de merito resurrectionis, quantum ad accelerationem parum habere probabilitatis, quia non possumus probabiliter negare, in B. Virgine fuisse desiderium resurrectionis Christi filij modo explicato, quod desiderium ortum ex gratia sufficiens fuit ad meritum de congruo; & idem iudicium est de petitione, & oratione, quæ potuit esse in B. Virgine pro resurrectione filij.

Alterum est, an Apostoli, vel Discipuli, qui Christi mortem agnouerunt, meruerint resurrectionem Christi de congruo, petendo, & desiderando illam; & dubium potest intelligi de resurrectione quantum ad substantiam, & quantum ad accelerationem. Et certum est hoc fuisse possibile; quod verò ad factum attinet, mihi est probabile aliquem, vel aliquos ex dictis, meruisse accelerationem per desiderium, seu petitionem ex gratia factam.

De resurrectione verò quantum ad substantiam, non ita apparet probabile, quod de B. Virgine diximus, propter eius dignitatem. Vlteriùs posset aliquis dubitare, an iusti existentes in sinu Abrahæ meruerint resurrectionem Christi de congruo, saltem quantum ad accelerationem: hoc autem pendet ex altera quæstione, circa illum statum, an fuerit status merendi de congruo, de quo Doctores in materia de merito; & facile est vnicuique secundùm suam opinionem philosophari; & idem iudicium est de Elia, & Enoch. pendet enim ex eadem quæstione de statu illo, de quo satis diximus in materia *de merito*; & iuxta hæc principia respondendum est, si aliquis quærat, an Angeli beati meruerint Christi resurrectionem ex amore erga Christum, & beneuolentia erga homines, solutio enim pendet ex quæstione de statu, nobis satis sit indicasse ratiocinationis initia.

DISPVTATIO XXIX.

MORALIS.

DVBIVM I.

An sit licita concessio futuræ successionis, in aliquo officio facta alicui.



VÆSTIO potest intelligi, & considerato iure naturali & considerato iure positiuo: item potest intelligi, & de officio seculari, & de dignitate, aut beneficio Ecclesiastico. Prius dicemus de officiis secularibus, deinde de beneficiis Ecclesiasticis.

Circa primum in Hispania receptum est vsu, vt Rex concedat futuram successionem alicuius officij, v.g. successionem in dignitate Proregis, aut alio officio inferioris momenti, aut in commenda. Et aliqui putant non esse licitam talem concessionem.

Primò, quia videtur contra ius futuri Regis, ad quem pertinet electio officij tempore quo vacat, quo iure priuatur per anticipatam concessionem futuræ successionis.

Secundò, quia fieri potest, quòd sit cum damno possessoris, qui est periculo mortis intendendæ ab eo C qui assignatus est futurus successor, & apud aliquas nationes affirmant viri docti, hoc periculum esse valde probabile; & propter hæc pericula prohibentur istæ concessiones. *l. 13. tit. 5. lib. 7.*

Tertiò hæc concessio potest esse contra commune bonum, quia contingere potest, vt tempore vacationis officij variæ circumstantiæ occurrant, ob quas non sit conueniens vt ille recipiat officium, qui fuerat assignatus futurus successor. v. g. vel quia alij sunt longè digniores ad gubernandum regnum, vel ad gubernandum exercitum, si esset officium militare, quod magni momenti est.

D Quartò hæc concessio videtur contra bonum ipsius Regis concedentis, quia manet ligatus, ne tempore vacationis officij possit eligere, quem iudicauerit esse magis idoneum.

Quintò, poterit esse contra bonum eius cui conceditur, quia potest contingere, vt sit dignus præmio de præsenti, & solùm recipit eam futuram successionem officij, quod fortè non obtinebit ob vitæ incertitudinem. Et ita sentiunt aliqui viri docti huius temporis de hac re interrogati.

Ex altero verò videtur, quòd prædicta concessio non sit contra ius naturale, si fiat cum certis circumstantiis.

E Et primò non est contra ius successoris Principis quia ipse quando regnat, poterit facere eandem concessionem futuræ successionis: item poterit contingere vt concessio officij sit pro determinato tempore, & ita successor non tenebitur in conscientia conseruare electum in officio, vel quia vacare solet, vel quia ex causa, potest alium eligere.

Secundò fieri potest absque aliquo periculo possessoris, si ille cui conceditur futura successio, talis sit, vt de illo non possit prudenter iudicari quòd procurabit mortem præsentis successoris, quod est facile iudicare, & quotidie videmus ita contingere.

A Tertiò fieri potest vt officium tale sit, & persona cui conceditur futura successio, vt valde sit conueniens talis concessio, sicut si electio fieret tempore vacationis officij.

Quartò non est contra bonum Regis concedentis successionem futuram, sicut neque est contra bonum ipsius, concedere alia dona, licèt post concessionem iustè factam non possit illam reuocare.

Quintò per se loquendo non est contra bonum eius cui conceditur, quia licèt sit dignus maiori pretio, tamen interim aliquid recipit, & fortè non est aliud quod ita facilè possit consequi, & hæc est communior sententia hoc tempore.

B In hac quæstione obseruandum est necessarium esse vt iustè fiat, quòd concessio officij detur homini digno, sicut si daretur officium tempore vacationis, alias concessio esset iniusta, & contra ius naturale: neque in hoc potest esse controuersia, nam ius naturale requirit, vt officium detur idoneo, vt bene fiat meritis illius; quomodo verò sit iudicandum aliquem esse idoneum ad officium aliquod, facile est consideratis circunstantiis officij, & personæ cui conceditur futura successio.

Secundò certum est, in concedente requiri potestatem, sine qua concessio illa, & donum, non est valida ex defectu potestatis.

C Tertiò notandum est, secluso iure positiuo, ad concedendam hanc futuram successionem alicuius officij, non esse necessariam causam ex parte concedentis, sed dignitatem ex parte eius, cui conceditur futura successio quia si nulla esset lex positiua, non esset necessaria causa ad electionem, quia non esset necessaria vlla dispensatio.

Vlteriùs notandum est, hanc concessionem futuræ successionis, posse fieri duobus modis, altero ita vt obligetur promittens, altero vt expressè dicat nolle se obligari ex iustitia, sed solum ex vrbanitate. Et in priori casu, non potest amittens officium vacans in futurum non conferre illud, D nisi grauissima causa occurrat, ob quam ab obligatione promissionis acceptatæ excusetur; in posteriori autem casu pro sua libertate potest non implere verbum sine peccato, quia non mansit obligatus sub peccato.

His præmissis existimo, has concessiones futuræ successionis, neque absolutè approbandas, neque absolutè reprobandas esse, secundum ius naturæ.

Et primò dico, licitam esse concessionem futuræ successionis, si fiat debitis quibusdam circunstantiis: hæc potest probari primò ex vsu Regum in Hispania, qui ante aliquot annos fecerunt, & modò faciunt aliquas concessiones, credendum verè est, E illas prudenter, & maturo consilio fieri à Christianissimis Regibus & temeritate non carere illas audaciter condemnare.

Secundò potest probari, & explicari qui fieri potest, vt persona cui conceditur futura successio, sit idonea ad tale officium, ita vt si in præsenti tempore vacaret, posse illi iustè conferri; ergo ex hac parte nihil repugnat, quominus rectè posset fieri talis concessio; item contingere potest vt persona sit digna, & dignissima aliquo præmio, neque possit facilè Princeps aliud præmium de præsenti conferre: decet autem maiestatem Principum quantum fas est, præmia subditis conferre, quando digni sunt remuneratione.

Vlteriùs sæpe fieri potest talis concessio absque vllo periculo ipsius, qui in præsenti possidet officium, quia is qui eligitur in futuram successionem, potest esse vir bonæ conscientiæ, nec facilis ad agendum de morte alterius, præsertim, quia talis machinatio mortis, non potest fieri sine periculo ipsius electi in futuram successionem; & eodem modo possunt cessare alia inconuenientia quæ prò contraria parte solent afferri.

Secundò existimo, has concessiones posse fieri contra rectam rationem; & probari potest, quia possunt occurrere aliqua inconuenientia ex suprà adductis: & ideo Rex noster non vult facilè has concessiones facere; & mihi constat Regem nostrum Philippum IV. aliquot decreta misisse ad Senatum supremum Hispaniæ in hac curia, ne ipsi Regi proponant consultationem de futura successione alicuius; item propter eandem rationem, vt infrà dicemus, lex huius Regni prohibet facere has concessiones futuras, vnde & quando officium fuerit maioris momenti, tanto difficilius debet fieri eius futuræ successionis concessio, & maximè considerandæ sunt qualitates, & concessiones personæ in ordine ad officium.

Item ex talibus concessionibus oriri posset magnum detrimentum, nempe quòd plures alij segnes efficiantur ad laborandum in obsequium Principis, cùm videant iam esse alteri concessum præmium quod ipsi poterant sperare, & cuius spe excitabantur ad laborandum, quod poterit esse contra bonum commune reipublicæ.

Illud etiam est magni momenti, quòd etiam experientia compertum est, Principem aliter electurum officium tempore vacationis, si antea non esset concessa futura successio propter varias circunstantias occurrentes.

Concludamus ergo, non esse conueniens frequenter concedere has futuras successiones in officiis secularibus, v. g. officiis scribæ, procuratoris, Proregis, aut Ducis alicuius exercitus in terra, vel in mari; & idem iudicium est de officio Secretarij sanctæ Inquisitionis, & idem de similibus.

Peculiaris autem difficultas est de quodam genere officiorum, qui non tam ordinantur ad publicam gubernationem, quàm ad priuatum obsequium domus alicuius domini, aut Principis, v. g. in officio præfecti domus, equorum, aut similium, aut serui alicuius, qui habet curam negotiorum alicuius domini; & de his interrogatus sum aliquando, an sit licitum concedere futuras successiones. Et certè non videtur eadem ratio in officiis prioris ordinis, quia officia posterioris ordinis, solùm pertinent ad ordinem seruorum, & potest seruum hunc, vel illum eligere, neque est necessarium vt eligat digniorem, neque vt consideret tot circunstantias, sicut in electione officij prioris ordinis.

Et in dominis principalibus faciliùs hoc intelligitur; quis enim neget, posse Ducem, aut Marchionem concedere alicui successionem futuram officij præfecti domus suæ, pro tempore vitæ domini concedentis? licèt successor in Marchionatu non obligetur ex tali promissione, & idem est de officio Secretarij alicuius domini, siue secularis, siue Ecclesiastici, ipse enim potest sibi eligere seruum ad hoc, vel illud munus, quando idoneus est; quod intelligo de Secretario personæ ipsius; nam si sit Secretarius officij ipsius domini, pertinet ad officia prioris ordinis.

Dubium II.

Quid sit statutum iure Castellæ circa futuras successiones officiorum.

Sciendum est quòd lib. 7. nouæ recopilationis *tit. 3. l. 3.* habentur hæc verba: *Mandamos que no se puedan facer mercedes, ni dar para esso especatiuas de officios, alcaldias, regimientos, ni escriuanias, aunque sean de las de nuestras audiencias, ni de otros qualesquier oficios, que estan por vacar, fasta que sean finadas las personas que los tienen, por euitar los grandes peligros, que dello podian naçer, y si alguna merçed vbieremos fechos en esta razon, la reuocamos, y declaramos por ninguna, y queremos que no valgan (excepto las de Padres a hijos) no enbargante qualesquier firmezas que tengan abrogaçiones, y dispensaçiones, aunque aya segunda jusion, y que los nuestro Presidente, y oydores, en lo tocante a los oficios de las audiençias obedezcan y en quanto al cumplimiento supliquen antenos, y hagan relaçion dello, para que nos probeamos lo que conuenga.*

Circa quam legem notandum est,

Primò, prohibitionem esse generalem officij scribæ, rectoris ciuitatum, & similium, quod intelligitur de officiis secularibus.

Secundò planè videtur loqui de officiis perpetuis pro tota vita eius, qui exercet illud officium, quia legislator præcipit ne fiat concessio futuræ successionis antea quàm sit mortua persona quæ habet officium, vnde ex vi huius legis, non existimo esse prohibitum officium Proregis, aut simile aliud, quod solùm durat pro tempore aliquo determinato. Vnde his casibus obseruanda est doctrina tradita suprà, de obligatione iuris naturalis circa has concessiones. Ex qua doctrina possunt plura dubia in specie solui.

Tertiò existimo solùm loqui legem hanc de officiis, quæ pertinent ad publicam gubernationem.

Quartò, ex vi huius legis non prohibentur concessiones futuræ successionis officij, cuius electio pertinet ad priuatos dominos, non ad Regem, sermo enim est in lege de his officiis, quorum concessio fit autoritate Regis, & illas reuocat, vt constat ex illis verbis, *y si algunas mercedes vuieremos fecho en esta razon, las reuocamos.*

Quintò certum est, & existimo in hac lege non prohiberi concessionem futuræ successionis legati Regis, quia non est officium perpetuum, quod pro similibus obseruandum est.

Deinde certum est, ex causa posse Principem in hac lege dispensare, iuxta generalem doctrinam autorum in materia de legibus.

Deinde sciendum est, esse aliam legem, qua prohibetur electio officij antequam vacet, *lib. 5. nouæ recopilationis tit. 10. l. 13.* *Es nuestra merçed, y mandamos que no se pueda hazer ny haga merçed ninguna de oficio, antes quel tal ofiçio vaque*; quæ est lex Caroli V. lata Valisoleti, quæ lex vniuersalis est de omni officio, siue perpetuo, siue temporali, quia verba vniuersalia sunt. legatur Azeuedo in eam legem, Marienzo *ibidem.*

Dvbivm

Dvbivm III.

Quid sit iure communi statutum, circa concessiones futuræ successionis.

DE Iure commoni certum est, has concessiones, & electiooes esse prohibitas, *l. ius singulare, ff. de legibus. l. stipulatio. ff. de verborum obligationibus, & l. finali, C. de pactis*, vbi assignatur ratio propter votum captandæ mortis, & Doctores io hæc loca, quod dispositum est propter votum captandæ mortis, legatur Mastrilus *lib. 5. de magistratibus. cap. 25. à num.* 7. Vbi Ius ciuile habet vim, & receptum est, & intelligi debet, nisi Princeps vellet ex causa dispensare, vt potest; & ideo aliqui iuris periti dicunt ios prædictum intelligendum esse de potentia ordinaria, oon de potentia absoluta Principis, vt suprà *num.* 27. docuit Mastrilos; in regno tamen Castellæ leges Imperiales non babent vim legis, sed recipiuntur vt consilia sapientium, secundùm opinionem communem Doctorum in materia *de legibus*.

Deinde dubitant aliqui, an qoando probibita est concessio futuræ successionis, sit prohibita promissio officij: & affirmant esse prohibitam, iuxta *l. oratio. ff. de despensatione*, supra *num.* 25.

Sed oportet explicare rem hanc., quia concessio futuræ successionis non videtur distingui à promissione dandi officium illud quando vacauerit, & licèt coocedens officium in tempus vacationis vtatur verbis de præsenti, dicēs, Concedo tibi tale officium, tamen cùm concessio referatur ad futurum tempus, planè concessio est de futuro, sicut si fieret verbis promissionis expressis, & ego non dubito, quòd si prohibeatur concessio futuræ successionis, sit prohibita promissio nfficij, quia talis promissio idem est cum concessione futuræ successionis; quòd si promissio distinguatur à coocessione illa, etiam erit prohibita, quia promissio de obiecto prohibito oon obligat, quia non potest impleri.

Ex dictis potest intelligi, an sit prohibita concessio purè facta, id est, sine conditiooe. nam quæ fit cum conditione, si vacauerit, probibita est, vt diximus, & faciliùs intelligitor concessionem porè factam esse prohibitam, qnia vel habet impletam conditionem, *si vacauerit*, vel non habet: si habet, constat esse prohibitam, si non habet, verba videntur inutilia, & nullius effectus, quia vel referuntor ad tempus, in quo nondum vacauit officium, & hoc non valet; vel refertor ad tempus vacationis, & sic innoloit conditionem, si vacauerit, & quòd concessio purè facta sit nulla, colligitur ex *cap. 1. qui successor*, & tradunt ibi Doctores, ex illis verbis, *si quis fuerit inuestitus purè de alieno feudo, non valet.*

Dvbivm IV.

An quando fit concessio futuræ successionis in aliquo officio post mortem possidentis, censeatur facta, si alio modo vacauerit officium.

IN hac quæstione aliquorum sententia est negās, & probant ex *cap. suscepturum, de rescriptis in 6.* Vbi mandatur, vt conferatur beneficium in casu quo vacet per resignationem, non extenditur ad casum

A quo vacet per mortem, qnod ibi amplectuntur Doctores iurisperiti, & plura in confirmationem huiua opinionis adducit Mastrilos suprà *cap. 26. à num.* 2.

Alij verò Doctores contrarium docent, & sequitur Mastrilus *cap. citato à num.* 26. & eam fusè probat, & ego existimo hanc sententiam veriorem. Pro cuius explicatiooe notandum est, coocessionem futuræ successionis posse fieri solùm referendo illam ad tempus futuræ vacationis, vel expresè referendo illam ad tempus mortis possidentis; & si primo modo fiat, non potest esse dubium quin officio vacante ex qualiber causa, aut modo concessionis facta pro tempore vacationis habeat vim.

B Deinde si fiat posteriori modo, etiam existimo concessionem habere locum vacante officio, siue per mortem, siue per promotionem, aut remotionem, & in hoc casu loquitur Mastrilus, & probat à simili ex aliquibus textibus, & Doctoribus, quos de industria omitto, quia non videtur ex illis efficax omnino argumentum. Probanda ergo est hæc seotentia ex eo qoòd licèt concessio expresè referatur ad tempus mortis, tamen communiter intentio concedentis fertur ad tempus futuræ vacationis, quando aliud contrarium non exprimitur, & ita sentiunt viri docti huius ætatis de hoc interrogati, & facit textus *in l. 1. C. de primicerijs lib.* 2.

Neque obstat textus in contrarium adductus, C quia ibi est sermo de beneficio vacante, nos aotem loquimur de officio vacaturo, & per expressionem huiusmodi vacationis non excluditur alius módus vacandi, vt explicatum est, & ex aliis docuit suprà Mastrilus à *num.* 55.

Sed potest esse difficultas, an quando concessio est officij temporalis, non perpetui, & conceditur futora successio pro tempore vacationis, ab ipso tempore quo durasset tale officium, & tamen vacat prios, ex aliqua causa, an electus pro futura successione debeat illud suscipere statim ac vacat; & quidem si concessio facta fuerit verbis generalibus pro tempore vacationis, mihi videtur statim conferendum esse illud officium illi cui facta D fuerat concessio futuræ successionis, quia hæc videtur fuisse intentio concedentis, quando aliud non est expressum; si verò concessio fiat expresè pro tempore vacationis, post triennium, v. g. ab ipso triennio; in quo casu possunt esse contrariæ opiniones; verùm si aliud non exprimatur, vel constet ex circunstantiis, existimo assignationem illam temporis solum significare tempus vacationis, eo quòd regulariter ita solet vacare.

E

Dvbivm V.

An concessio futuræ successionis expiret, si concedens moriatur antequam officium vacet.

QVæstionis causa est, quia ea promissio concedentis acceptata inducit obligationem iustitiæ, secundùm veriorem opinionem, vt diximus 2. 2. *tomo* 2. agentes de efficacitate promissionis humanæ ad obligandum; transit ergo ad successorem, & bætedem, sicut in debitis iustitiæ solet contingere. Sed eam concessionem expirare motte concedentis, docent communiter Doctores, & mibi placet, quia talis obligatio personalis est, neque cadit supra bona, & diuitias concedentis, & ideo non transit ad hætedem, sicut ratione bonorum solet obligatio soluendi debita transire ad hæredes,

quod etiam est verum, quamuis promissio fuerit A confirmata iuramento. nam iuramenti obligatio est personalis, vt diximus in materia *de iuramento*, ex quo manet sulcata ratio facta pro contraria parte. Sed quæres, quid dicendum sit quando ante mortem concedentis vacauit officium, & alius accipit, an successor teneatur illum in officio conseruare. In hoc considerandum est, an officium tale sit, vt soleat concedi pro vita eius cui conceditur, vel solùm ad tempus longius, vel breuius, vt Regi placuerit, & in hoc posteriori casu mihi videtur successorem non obligari ad conseruandum hominem in illo officio, quia non obligatur ex concessione sui antecessoris, iuxta dicta. In priori autem casu aliqui putant, posse successorem reuocare concessionem officij illius, neque B obligari ad conseruandum illum in tali officio, quia antecessor non potuit illum successorem obligare ex sola sua concessione; deinde successor non obligatur ex lege, vel consuetudine, quia ex causa potest reuocare. Alij putant, sine causa non posse successorem reuocare illam concessionem officij, quia esset contra bonum publicum, & rectam gubernationem, sicut neque ipse qui concessit, potest absque iusta causa reuocare officialem priùs creatũ.

DVBIVM VI.

An possit Princeps reuocare concessionem C factam futuræ successionis.

IN hac quæstione ponendum est, promissionem factam, & acceptatam à promissario, obligare promittentem, vt multis in locis diximus, præsertim 2.2. *tomo* 2. agentes de efficacitate promissionis humanæ ad obligandum, & talem promissionem obligare ex iustitia, & non ex sola fidelitate, ibi à nobis ostensum est: & propter hanc doctrinam aliqui putant, non posse Principem concessionem de futura successione acceptatam reuocare, & per se videtur contra Principis dignitatem suam promissionem non implere. Alij verò docent posse Principem talem concessionem reuocare, & D etiam promissionem; & probatur ex *l.3.tit.3.lib.7. noua recopilationis*, vbi Reges reuocant concessiones tales factas, vt suprà retulimus.

Meum in hac re iudicium est Principem absque graui causa non posse reuocare concessionem semel factam, & acceptatam, vt probat ratio primæ opinionis. Secundò existimo ex graui causa, ob commune bonum posse Principem reuocare prædictam concessionem, & semper considerandа est intentio Principis concedentis, ex circunstantiis enim facilè erit iudicare, an voluerit se obligare in conscientia, vel non.

DVBIVM VII.

An sint prohibitæ concessiones futuræ successionis alicuius officij in illo viuentis expresso nomine.

DOctores disputant, an sint prohibitæ generales concessiones officiorum, nullo expresso viuentis nomine, & debet intelligi dubium de concessione officij quæ prohibita est, quando fit expresso nomine singulari viuentis personæ, & possidentis officium. Et aliqui existimant, non esse prohibitam talem concessionem generalem factam, quia leges communiter intelliguntur de concessione in singulari facta.

Sed communior est Iurisperitorum sententia, asserentium prohibitam esse talem concessionem generalem factam; & mihi placet, quia leges absolutè intendunt, ne fiat electio officij antequam vacet, vt tunc temporis, consideratis circunstantiis, possit fieri electio rectè, & vt conueniat communi bono reipublicæ.

Sciendum autem est, in hoc regno fieri aliquando concessionem generalem alicuius officij, vel quia est concessio officij non prohibita, iuxta ea quæ suprà diximus, vel quia Rex potest ex causa in suis legibus dispensare.

DISPVTATIO XXX.

THEOLOGICA.

De qualitate propositionum.

DVBIVM I.

Quæ sint propositionum censuræ.

DE hac materia disputāt interpretes 2.2.*quæst.*11 *in art.*2. & Canus *lib.* 12.*de locis,cap.*11.sciendumverò est, assignari à Doctoribus varios gradus propositionum, & in Concilio Constantiensi *sess.*8. & 15. vbi damnantur propositiones VVicleph, & dicit Concilium, quasdam esse hæreticas, quasdam erroneas, alias scandalosas, alias blasphemas, quasdam piarum aurium offensiuas, alias temerarias, & seditiosas.

Hæretica dici solet, quæ est contra veritatem fidei primariè. Secundò solet dici hæretica, quæ est contra propositionem, quæ euidenter colligitur ex principiis fidei; ab aliis autem dicitur erronea hæc. Et ratio differentiæ oritur ex variis opinionibus: nam aliqui putant propositionem quæ euidenter colligitur ex principiis fidei, esse de fide, & ita docent contrariam esse hæreticam; alij verò putant propositionem quæ per discursum colligitur, non esse de fide, & ita docent contrariam non esse hæreticam, sed erroneam, de qua controuersia suprà diximus, explicantes an fidei habitus sit discursiuus.

Item Canus, & alij erroneam appellant eam, quæ est contra communem doctrinam Ecclesiæ, etiamsi talis doctrina non sit de fide. Secundò docent esse erroneam eam, quæ est contra doctrinam, quam communiter viri docti existimant ita certam, vt vehementer habeant suspicionem de ea quòd sit de fide, vel saltem pertineat ad fidem. Tertiò docent esse erroneam E eam propositionem, quæ est contra doctrinam, quæ valde probabiliter iudicatur pertinere ad fidem. Recentiores verò 2.2. *quæst.*11. *in art.*2. appellant erroneam, primò eam, quæ est contra conclusionem euidenter deductam ex principiis fidei. Deinde eam, quæ est contra propositionem probabilissimè deductam ex principiis fidei. Et certè communiter solùm dicitur erronea quæ est contra conclusionem euidenter deductam ex principiis fidei: ea verò quæ est contra conclusionem probabilissimè deductam ex principiis fidei, rectiùs dicitur proxima errori propter maximã connexionem,

&

& propinquitatem, similitudinémque cum propositione erronea.

Alia dicitur propositio sapiens hæresim, quam recentiores 2. 2. *quæst.* 11. *in artic.* 2. dicunt esse eam quæ primo aspectu videtur significare hæresim. Canus verò & alij meliùs id explicant, dicentes eam propositionem sapere hæresim, quæ licèt absolutè possit habere catholicum sensum, ex circunstantiis tamen proferentis prudenter possumus iudicare habere speciem hæresis.

Rursus dicitur propositio temeraria communiter à Theologis ea, quæ est contra communem Doctorum sententiam, sine graui fundamento autoritatis, vel rationis, quod maximè considerandum est, non enim sufficit esse contra communem sensum Scholasticorum: vt notauit P. Vazquez 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 3. *num.* 15. Sed considerandum est, an habeat efficacem rationem, aut magni momenti testimonium prioribus Doctoribus non cognitum, in quo non pauci, neque indocti Theologi errare solent, qui non satis consideratis fundamentis alicuius sententiæ eam damnant vt temerariam, quòd ad censuras procliues sint. Alio autem sensu solet dici temeraria propositio, quando quis rem affirmat vt valde certam sine certo fundamento. Audiui etiam ego viros doctos dicentes temerariam esse propositionem, quando quis tradit aliquem sensum loci Scripturæ, vel Concilij alicuius, leui ductus ratione contra eum sensum, quem verba præ se ferre videntur, in hoc enim audacia est, & temeritas.

Vlteriùs dicitur propositio scandalosa, quæ in graui materia ad fidem, aut mores pertinenti generat scandalum, vel potest esse ruinæ causa: seditiosa dicitur, quæ est causa seditionis, aut contentionis: piarum aurium offensiua dicitur, quæ doctorum hominum, & piorum aures offendit: propositio blasphema dicitur, quæ vel blasphemiam continet, vel sapit.

Notandum autem est, ad ferendum iudicium de qualitate, vel censura propositionum, necessarium esse maximam notitiam, non solùm propositionis de qua agitur, sed autorum qui de ea vel cursim, vel ex instituto susceperunt disputationem. Vlteriùs propositio malè sonans ab aliquibus dicitur ea, quæ pias aures offendit, sed bene potest esse malè sonans, etiamsi non offendat piorum aures, & iudicandum est ex materia, & circunstantiis. Exempla prædictarum propositionum afferunt Canus *suprà*, & Bañes *in art.* 2. sed pertinet huc ad peculiares materias.

Deinde aliquid dicendum est de opinione quæ dicitur improbabilis. Et quæ sit improbabilis colligi debet ex his, quæ de probabili tradunt Doctores in materia de conscientia 1. 2. & legi possunt Summistæ *verb. opinio.* Nauarrus *in summa cap.* 23. *à n.* 285. Henric. *quodl.* 4 *quæst.* 33. Adrianus *quodl.* 2. Conrad. *de contractibus quæst. vlt.* Antoninus 1. *part. tract.* 3. *cap.* 10. §. 10. Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 13. *&* 17. P. Vazquez 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 4 P. Azor *lib.* 2. *Institutionum moralium, à cap.* 9 vbi non solùm agunt de opinione probabili, & improbabili, sed de magis, aut minus probabili, & aliquid dicit P. Thomas Sanchez *lib.* 3 *de matrimonio, disp.* 44. *num.* 2.

Attingam autem aliqua ad præsens institutum pertinentia. Et

Primò certum est contra legem diuinam positiuam, vel naturalem, non posse esse opinionem probabilem, quamuis ex ignorantia possit quis excusari à peccato operans contra aliquam legem, quam non agnouit, de quo in materia *de legibus*, & in peculiaribus materiis solet disputari à Doctoribus.

Secundò, contra legem aliquam positiuam Ecclesiæ, aut Pontificis decretum manifestum non potest esse opinio probabilis, nulli enim Doctores habent autoritatem contra Pontificem; sed si sensus decreti sit obscurus, poterunt esse opiniones circa illius explicationem. Ex quo fit vt opinio antiquorum, quæ aliquo tempore potuit esse probabilis, non maneat probabilis post decretum aliquod, aut declarationem Pontificis. Vnde recentiorum interdum opinio potest esse longè probabilis opinione antiquorum, si antiqui nun legerunt decretum, aut explicationem Pontificis, quam recentiores agnouerunt, imò fieri potest vt antiquorum sententia post tale decretum careat probabilitate; secus quando antiqui agnouerunt decretum, aut definitionem, & conati sunt illam explicare, neque eo decreto conuicti fuerunt ad contrarium sentiendum, vt suprà *cap. illo* 4. *in fine*, notauit P. Vazquez.

Tertiò non est probabilitas colligenda ex sola multitudine autorum, qui eam opinionem sequuntur, sed etiam ex pondere argumentorum quibus opinio probatur. Sæpe enim pauciores Doctores poterunt vti ratione maioris momenti ad confirmandam suam opinionem, præsertim quando multi re non satis examinata vnius Magistri sententiam sequuntur, &, sicut suprà diximus, non esse temerariam quæ est contra communem, quando habet grauem rationem, aut expressum testimonium, aut doctrinam Patrum ex qua deducatur; ita non erit opinio improbabilis, licèt sit contra aliquos, & eam solùm inuenerit vnus, vel alter, quando probabilem habet rationem deductã ex principiis probabilibus, & communiter receptis apparenti ratiocinatione.

Sed hoc loco posset quærere aliquis, in quo differat improbabilis propositio à temeraria: Et quæstionis causa est, quia improbabilis est quæ non habet idoneum fundamentum, quod etiam conuenit temerariæ. Respondeo discrimen esse, quam temeraria dicitur quæ est contra communem Doctorum sine graui fundamento: at improbabilis potest esse etiam si non sit contra omnes, quia pauci eam quæstionem tractarunt; & dicitur improbabilis, quia non habet apparens argumentum.

Deinde sciendum est, ad probabilitatem alicuius opinionis considerãda esse multa, nempe an aliqui Doctores eam videantur amplecti, an habeat graues rationes, an modo apparenti satisfaciat iis, quæ contra illam obiiciuntur. Propter quod cursim placet aduertere, probabilem esse opinionem quam tradit P. Vazquez 1 2. *disp.* 203. probabile esse actum perfectæ contritionis supernaturalis ex obiecto formali charitatis posse de potentia absoluta iustificare hominem, si ab habitu charitatis separetur, habet enim grauissima fundamenta, & rationes magni momenti, & Doctores qui illam sequuntur, & scripta sua typis mandarunt, & alios viros doctissimos quos ipse citat, & alios plures quos ego agnoui, & nunc eam opinionem aut veram, aut saltem probabilem multi iudicant, non solùm in Hispaniæ Academiis, sed apud Italos, Gallos, Flandros, Germanos, Indos Orientis, & Occidentis, ad quos autores doctrina cum gloria & fructu peruenit; satisfacit etiam prædictus autor satis acute his quæ contra illam obiiciuntur ab aliquibus recentioribus; sed quid res habeat dicemus suo loco. Et eodem modo probabilissima est, (quã ego puto veram) opinio asserentium, Beatissimam Virginem conceptam fuisse sine pecca-

ro originali, quia habet multos autores antiquos, & recentiores tradunt aliqui Patres, & alia habet fundamenta, quæ adducunt interpretes S. Thomæ 3. *part. ad quæst.* 2. 1. vbi legi potest P. Suarez, & P. Vazquez, & hoc tempore plures circunferuntur tractantes de hac materia.

A

Erit autem aliqua opinio improbabilis, quando neque habet plures autores, nec Doctorem aliquem magnæ autoritatis, vel rationem apparenti ratiocinatione deductam à principiis communiter receptis, vt veris, vel saltem probabilibus.

Sed difficultas potest esse, an probabilis possit esse vnius Doctoris opinio. P. Azor *lib. citato cap.* 14. *in principio*. planè sentit vnius Doctoris classici posse esse probabilem, & idem colligitur ex P. Vazquez *cap. illo* 4. *citato num.* 13. vnde cùm *num.* 17. dicit vnius Doctoris tantùm non esse probabilem opinionem, ipse se explicat; intelligit enim ad hunc effectum, vt alius possit eam amplecti contra propriam opinionem, de quo in materia *de conscientia*.

B

Mihi sanè placet, vnius Doctoris opinionem posse esse probabilem, quia sciri potest vt habeat magni momenti argumenta ex autoritate deducta, & ex aliis principiis communiter receptis. Potest etiam ad hanc probabilitatem iuuare magna illius Doctoris autoritas, & scientia, vt per se se constat, præsertim quia plures, qui contrariam sequuti sunt, absque delectu eam receperint rationibus minus exactè consideratis.

C

Secus tamen iudicandum est, quando opinio vnius Doctoris non habet fundamentum graue, neque autor ipse autoritatem magnam nactus est in scholis. Vt verò dicamus opinionem aliquam esse singularem, necessarium est habere exactam notitiam autorum, si fortè de illa materia disputarunt, in quo non rarò deficiunt aliqui viri docti iudicantes aliquam opinionem singularem esse qui abstinuissent à censura, si autores sedulò lectitassent; in his ergo omnibus maturo iudicio procedendum est, ita vt neque leuibus fundamentis eligamus singulares opiniones, neque iudicemus esse singulares ante exactam lectionem Doctorum, quorum scripta sedulò si euoluamus, sæpe inueniemus opinionem neque esse nouam, nec singularem, & certè circa opinionum probabilitatem seriò consideranda sunt rationes, quia probabile, si vim vocis expendamus, est, quod probari potest, & ideo Iulius primus de inuentione dixit: Probabile est quod in opinione positum est, vel quod ad hoc habet in se quandam similitudinem, siue id sit verum, siue falsum. Plura alia quæ hic poterant dici, pertinent ad materiam de conscientia; dicta verò sufficiant, ad iudicandum de probabilitate opinionum.

D

DVBIVM II.

Quomodo ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæresis.

E

MAgister Cano *lib.* 12. *de locis cap.* 9. *ad* 3. dixit, se vix vnquam assensisse illi vulgari dicto: Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. quia licèt tribuatur Hieronymo, tamen in illo non inuenitor, imò Hieronymus contrarium videtur docere Epistola ad Damasum de nomine hypostasis, ait enim hæresim ex sensu, & non ex verbis iudicandam esse; & Hilarius *lib.* 2. *de Trinitate*, loquens de hæresi ait: Sensus, non sermo fit crimen. & ideo docet Canus prædictam propositionem solùm esse veram quantum ad præsumptionem audientium.

Bañes verò 2. 2. *quæst.* 11. *in art.* 2. docet duobus modis posse aliquem proferre verba inordinate, altero quando licet re vera sentiat cum Catholicis, tamen non loquuntur sicut Catholici, & hac ratione poterit errare in modo loquendi; altero quando præceptum est latum ab Ecclesia de modo loquendi, & aliquis non vult obseruare tale præceptum, quia existimat Ecclesiam in eo falli; & tunc ex tali modo loquendi incurritur hæresis; quia Ecclesia habet infallibilem autoritatem, non solum ad definiendas res fidei, sed ad definiendum modum loquendi, quia talis modus loquendi potest ad res fidei pertinere.

Sed sciendum est prædictam propositionem non reperiri in Hieronymo, licèt eam illi tribuat Magister 4. *dist.* 13. *in fine*, ita notauit Canus *suprà*. P. Valentia *hic puncto* 2. & alij; quod verò ad sensum attinet, S. Thomas *in art.* 2. *ad* 2. explicat quòd ex verbis inordinate prolatis potest sequi corruptio fidei; & adducit verba Leonis in quadam epistola dicentis: Inimici crucis Christi omnibus Sanctis, & verbis nostris insidiantur, vt si vllam illis vel tenuem occasionem demus, nos Nestoriano sensui etiam congruere. Et hanc expositionem sequitur P. Valentia *loco allegato*, & mihi placet hæc explicatio S. Thomæ. Et licèt doctrina quam tradit Bañes, vera sit, tamen non est necessaria ad explicandam prædictam propositionem. Et ex dictis facilè potest intelligi quid probent quæ adduxit Canus, & iuxta sensum traditum etiam ex verbis inordinatè prolatis potest oriri error, vel temeritas, aut quid simile, & suspicio hæresis non semel.

Tractant verò aliqui, contra quam virtutem peccet qui culpabiliter docet aliquam propositionem erroneam, aut errori proximam, scandalosam, aut similem. Et recentiores aliqui docent primò, talem hominem peccare contra præcepta fidei. Secundò docent peccare contra charitatem ratione damni quod inferunt proximis. Tertiò contra præceptum obedientiæ prohibentis talem doctrinam.

Sciendum autem est, quæstionem esse de eo, qui scienter absque ignorantia errat: nam de eo, qui ex ignorantia affectata, vel vincibili errat, supra diximus. Et primò dicendum est peccare contra fidei præceptum, & quidem si doceat hæresim, peccat malitia hæresis, quia est causa illius, vt docuit P. Vazquez 1. 2. *disp.* 116. *in fine*, & probat, quia qui inuitat ad peccatum, peccat eodem genere peccati, sicut qui inuitat ad homicidium, peccat peccato homicidij. quæ ratio verissima est, & mihi certa, quando quis iuuat ad peccatum quod consummatur exteriùs, quia tale peccatum non requirit directum voluntarium, neque expressum aliquem peculiarem respectum attingendi obiectum, & ita non mirum si quæuis causa voluntaria illius peccet eadem malitia peccati; an verò qui ad peccatum inuitat quod consummatur interiùs, peccet eadem malitia peccati, examinandum est in materia de bonitate & malitia, vel in materia de peccatis. Peccatum verò hæresis exteriùs consummatur, id est, extra voluntatem, & ita prædicta ratio efficax est. Docet autem *ibidem* P. Vazquez posse hominem peccare peccato hæresis, quando scit esse hæresim, & iuuare ad illam, etiamsi ipse non habeat actum hæresis in intellectu, in quo casu non amittet habitum fidei infusum, quia iste non amittitur, nisi per actum internum modo suprà à nobis explicato.

Deinde si doceat errorem, aut doctrinam aliam errori proximam, vel ex qua posset deduci aliquid contra fidem licèt remotè, etiam peccabit contra

præceptum fidei, licèt non peccet peccato hæresis. A hæc secunda pars facti intelligitur, quia non docet hæresim, neque ad illam iuuat. Prior pars probatur, quia præceptum fidei prohibet non solùm hæresim, aut errorem, sed quidquid illi potest esse dissonum. Peccatum verò hæresis, aut erroris contra fidem, vt est vitium morale opponitur affectui credendi Deo, & ita opponitur fidei, quatenus est materia moralis affectus, vt docuit P. Vaazquez 1.2.*disp.*119. *cap* 3.

Deinde mihi non probatur quod dixerunt recentiores, eum qui docet hæresim, aut errorem, peccare contra charitatem: nam vel loquuntur de peculiari peccato contra charitatem virtutem theologicam, & hoc est falsum, quia licèt omne peccatum mortiferum generali ratione sit contra charitatem, tamen peculiare peccatum contra charitatis præceptum solùm committitur vel peccato commissionis per odium Dei, vel omissionis, quando omittitur actus amoris tempore debito. In præsenti verò potest quis peccare contra fidem absque eo quòd committat peccatum aliquod speciale contra charitatem theologicam, quia potest docere errorem quando non est obligatio eliciendi actum amoris Dei. Item potest docere ex fine vanæ gloriæ, & non ex odio, & displicentia Dei.

Vel loquuntur prædicti Theologi de peccato contra charitatem proximi, & idem argumentum fieri potest: nam si sermo sit de speciali peccato contra charitatem proximi, solùm committitur vel per odium proximi, vel per omissionem dilectionis, quando obligat præceptum illius. In præsenti verò quæstione potest contingere, vt quis doceat errorem, non ex odio proximi, sed ex alio fine vanæ gloriæ, aut vtilitatis alicuius, & hoc quando non vrget præceptum affirmatiuum dilectionis proximi. Aut nomine charitatis intelligunt misericordiam erga proximum, quæ, vt dicemus suo loco, est virtus distincta à charitate theologica, & à charitate & amicitia erga proximum: sed præceptum misericordiæ solùm obligat ad succurrendum miseriæ temporali, seu spirituali proximi, vt dicemus infrà agentes de eleemosyna, & correctione fraterna: fieri autem potest vt quis doceat aliquem errorem quando proximus non patitur miseriam. Item hoc peccatum est commissionis, & tamen præceptum misericordiæ est affirmatiuum, contra quod solum peccatum fit per omissionem.

Tandem quod illi Theologi dixerunt de peccato inobedientiæ, admittendum non est: nam vel loquuntur de inobedientia generali, & tunc assignanda erat peculiaris species peccati: vel loquitur de inobedientia speciali, & falluntur, quia contra obedientiam specialem nullus peccat, nisi violet præceptum ex contemptu, vt in materia *de obedientia* docuit S. Thom. & communiter Theologi. Potest autem quis violare præceptum fidei, sed non ex contemptu, sed ex aliquo alio fine, vt constat.

Dubium III.

An Ecclesia possit errare in assignandis censuris propositionum.

Nomine censuræ in hac materia vsu Scholasticorum intelligimus qualitatem propositionũ, v.g. an sit hæretica, aut erronea, vel an sit de fide. Constat verò sæpe Pontificem Summum damnare aliquam propositionem vt hæreticam, aut tanquam erroneam, vel temerariam: aliquando declarat propositionem esse de fide, interdum opinionem esse probabilem. Vocamus ergo in quæstionem, an in his censuris assignandis possit Ecclesia errare. Constat autem ex dictis, ad quæstionem primam Pontificem non posse errare in definitionibus fidei; quærimus ergo an possit errare assignans alias censuras.

Bañes 2.2.q 11.*in fine art.*2. docet esse errorem, vel proximum errori, asserere Ecclesiam posse errare in his censuris assignandis. Mihi sanè valde certum est Pontificem non posse errare in his censuris: nam certum est in definiendis fidei veritatibus non posse errare, vt dixi; assignare autem has censuras pertinet B ad veritates fidei: ergo nullo modo admittendum est posse errare. Et explicatur, quia quando declarat aliquam propositionem esse erroneam, plane definitio pertinet ad fidei veritates proximè, quia propositio erronea est contraria conclusioni deductæ euidenter ex principiis fidei; ergo non posset Pontifex errare in hac censura, nisi errans aliquo modo circa fidei veritates; & idem iudicium est si declaret aliquam propositionem esse proximam errori, vel sapientem hæresim.

Deinde in aliis censuris propositionis, quæ non ita proximè videtur pertinere ad doctrinam fidei, vt cùm dicitur aliqua propositio temeraria, etiam dicendum est non posse errare Pontificem, quia C pertinet ad doctrinam, & veritatem rerum religionis Christianæ: quòd si in hoc posset errare, non esset omnino certa definitio circa veritatem fidei, quia posset contingere vt damnaret aliquam propositionem, vt temerariam, quæ magis consentanea principiis fidei, quàm contraria, quod nullo modo est admittendum, & ita existimo esse errorem asserere in his censuris posse Pontificem errare.

Peculiaris difficultas potest esse de censura qua Pontifex iudicat aliquam propositionem esse probabilem, vt olim definiuit Clemens *Clementina vnica. de summa Trinitate*, in qua approbat, vt probabiliorem opinionem asserentium, in Ba- D ptismo infundi paruulis habitum virtutum theologicarum, de qua materia diximus *ad quæst.* 6. & legi potest P. Vaazquez 1. 2. *disput.* 86. Difficultas autem est, an possit Pontifex in hoc errare, de quo aliquid diximus suprà *disput.* 114. *in fine.*

Et ego existimo, Pontificem in hac censura assignanda non posse errare, posset enim hoc vergere in detrimentum fidei, quia opinionem quam Pontifex approbat, vt probabilem, vel probabiliorem tota Ecclesia debet vt talem amplecti, & ex illa ad alia discurrere, vnde posset contingere circa res fidei grauis error.

Restat verò explicare, an possit Pontifex opi- E nionem falsam approbare vt probabiliorem. Quæstionis causa est, quia, absolutè, loquendo, non repugnat aliquam opinionem esse probabiliorem, & reipsa esse falsam; ergo poterit Pontifex verissimè decernere aliquam opinionem esse probabiliorem, & reipsa esse falsam; ergo poterit Pontifex verissimè decernere aliquam opinionem esse probabiliorem, & non errare, etiamsi aliàs opinio illa sit falsa.

Nihilominus existimo, non posse Pontificem errare circa veritatem propositionis quam declarat esse probabiliorem; loquimur enim semper in materia, quæ possit ad mores, vel fidem pertinere, licèt res non sit de fide: nam si in hoc

possent Pontifex errare, magnum detrimentum possent A sequi in Ecclesia, omnes enim amplecterentur, & defenderent eam opinionem, & putarent veram, & eius probabilitas in dies cresceret, ac proinde tota Ecclesia falleretur, quod nulla ratione admittendum est.

Aliquando autem Pontifex solùm permittit, vt duæ aliquæ opiniones probabiles possint defendi, ita vt fas sit cuilibet vnam earum defendere, sine censura alterius, quod prudenter fit sæpe à Pontifice tum ad sedandas controuersias, tum vt successu temporis ampliùs & ampliùs explicetur veritas, donec Ecclesia aliud decernat.

Huic disputationi annexa sunt, quæ adducentur in sequenti censura de qualitate in specie aliquarum propositionum, de quibus aliquando interrogatus fui.

CENSVRA THEOLOGICA, per dubiorum centurias digesta, id est, de qualitate quarundam propositionum.

CENTVRIA I.

DVBIVM I.

An sit probabilis opinio asserentium esse possibilem speciem impressam Dei.



NON defuerunt, qui ante aliquot annos audacter pronunciarunt eam opinionem esse improbabilem.

Sed, vt diximus suo loco, hoc tempore ea opinio plures habet autores, & doctissimos, & argumenta magni momenti, ac proinde sine temeritate non potest dici eam opinionem esse improbabilem, quam ego vt veram tradidi *opusculo de hac re tom. opuscul. theologicorum.*

DVBIVM II.

An sit probabile prædictam speciem impressam dari de facto in Beatis.

DE materia huius dubij diximus *opusculo nuper citato.* Vbi ex instituto tradidimus hanc opinionem, & autores illius retulimus, quam hoc tempore posteriores alij sequuti sunt, aliqui vt probabilem, alij vt veram.

DVBIVM III.

An sit probabile lumen gloriæ non distingui ab specie impressa.

RECentiores aliqui senserunt non esse probabile. Sed vehementer decepti sunt; & potius affectu prauo, quàm ratione recta videntur loquuti. legantur quæ pro affirmante sententia attulimus *tom. opuscul. citato, opusculo de lumine gloriæ.*

DVBIVM IV.

An sit probabile Beatos non videre creaturas in Verbo ex vi visionis essentiæ diuinæ.

SEnsus dubij est de visione ex vi essentiæ diuinæ tanquam rationis formalis; & non defuit hac A ætate vnus, vel alter, qui grauiter reprehenderet tale assertum. Qui tamen vt temerarius ipse reprehendendus est: cum opinio negans creaturas videri ex vi visionis essentiæ formaliter, & quamplurimos habeat Doctores antiquos &, recentiores, & argumenta efficacissima; quæ attulimus *opusculo de visione tomo citato.*

DVBIVM V.

An sit probabilis sententia eorum, qui in materia de visione per denarium in parabola de operarijs intelligunt gratiam.

B DE materia huius dubij *in Topicis sacris dub. 3.* dixi: & in materia *de visione* contra aliquos recentiores ostendimus prædictum sensum habere graues Doctores Scholasticos, & aliquos ex Sanctis Patribus, & rationis fundamentum non leue; & ideo non posse sine audacia dici talem explicationem esse improbabilem.

DVBIVM VI.

An mereatur censuram asserere quod aliqui Patres existimarunt Deum non videri clarè à Beatis.

C ALiqui existimarunt non carere temeritate hunc errorem tribuere aliquibus ex Sanctis Patribus. Sed, vt dixi in materia *de visione*, nullam meretur censuram asserere Patres aliquos in eo fuisse deceptos, vt dixit P. Vazq. *1. part. ad quæst. 12.* quia efficacissimè arguit ad hoc probandum; vt multi viri huius ætatis iudicarunt; &, vt diximus *in Topicis sacris*, Patres aliqui in quibusdam materiis errarunt. Semper tamen multi alij Patres catholicam doctrinam in eisdem materiis tradiderunt. Et quantum fieri potest curandum est, vt Patres in bonum sensum explicemus.

DVBIVM VII.

D *An mereatur censuram aliquam asserere Deum esse incomprehensibilem à Beatis de potentia absoluta.*

IN hoc existimo in aliquo sensu de fide esse Deum esse incomprehensibilem, vt dixi in materia *de visione.* Deinde non est de fide Deum esse incomprehensibilem in sensu aliquorum asserentium comprehensionem consistere in hoc quòd omnes creaturæ cognoscantur ex vi essentiæ diuinæ formaliter: hoc, inquam, non est de fide, quia circa naturam comprehensionis variæ sunt opiniones Theologorum, vt retuli *loco allegato*, & constat ex interpretibus S. Thom. *1. part. ad quæst. 12.* & in hoc sensu loquun- E tur aliqui dicentes non esse de fide Deum esse incomprehensibilem, propter assignatam rationem, in quo non merentur censuram.

DVBIVM VIII.

An sit probabilis sententia asserentium actum liberum diuinæ voluntatis supra essentiam diuinam addere modum quendam realem, qui potuit ab æterno adesse & abesse essentiæ diuinæ.

DE hac sententia dixi *opusculo de voluntate Dei*, & multi censent esse dignam graui censura. Mihi semper visa est plusquam improbabilis, quæ manife-

stè

ftè videtur pugnare cum simplicitate Dei, & alia A
habet absurda, de quibus loco citato.

Dvbivm IX.

Quantam habeat probabilitatem opinio asserentium voluntatem efficacem Dei dandi gloriam esse post praeuisa merita ex auxilio gratiae.

Audaces aliqui, & ad censuras procliues dixerunt non esse probabilem. In quo planè sunt temerarij, quia, vt dixi *opusculo de hac re*, ea sententia plures habet & grauissimos Doctores, qui illam sequuntur vt veram. Et satis probabiliter ostendunt B esse mentem Augustini, & mihi videtur verissima; nec prudens aliquis poterit iudicare non habere insignem probabilitatem.

Dvbivm X.

An sit probabile placitum asserentium in Deo voluntatem efficacem excludendi aliquos à gloria esse ante praeuisa peccata.

De hoc dixi in materia *de praedestinatione*. Et non desunt qui autores illius grauiter reprehendant, & plane parum conuenit bonitati Dei, & mihi C nunquam visa est probabilis.

Dvbivm XI.

An sit probabile placitum aliquorum asserentium Verbum diuinum non procedere per se ex cognitione primae personae vt talis.

De hac materia aliquid dixi *suo loco*, & existimo non esse probabilem, quia secundùm communem sensum Patrum, Verbum diuinum est imago Patris; ad hoc autem requiritur, vt per se procedat D ex cognitione primae personae, vt explicabam in materia *de Trinitate*. & ita non desunt qui dicant illud placitum non carere temeritate.

Dvbivm XII.

An mereatur censuram placitum asserentium personas diuinas constitui proprietatibus absolutis.

Meritò multi Scholastici censent praedictum placitum non solùm esse dignum nota temeritatis, sed errorem sapere, de quo dixi in materia *de Trinitate*. E

Scite autem oportet recentiores aliquos re ipsa non differre ab his, qui docent, personas diuinas constitui proprietatibus absolutis, quia censent constitui ratione quadam absoluta peculiari, quam dicunt conuerti cum relatione, quia talis proprietas ex mente istorum, singularis est in qualibet persona; & hoc ipsum dicunt, qui putant personas constitui proprietatibus absolutis. Et non solùm est temerarium, sed errorem sapit asserere quòd in Patre, v.g. sit proprietas aliqua omnino absoluta, quae concertatur cum paternitate: nam ex communi sensu Patrum, & Scholasticorum absoluta in Deo, communia sunt tribus personis.

Dvbivm XIII.

An mereatur censuram opinio asserentium Angelos creatos fuisse ante mundum corporalem.

Recentiores aliqui in materia *de Angelis* senserunt praedictam opinionem iam non posse defendi, & mereri censuram grauem. Meritò tamen P. Vazq. 1. *part. ad quaest* 61. *disp.* 224. *cap.* 4. excusat à censura praedictam opinionem, de quo ego etiam dixi ad eandem quaestionem.

Dvbivm XIV.

An sit probabilis opinio aliquorum recentiorum asserentium primum peccatum Angeli fuisse appetitum superbiae circa vnionem hypostaticam.

De hoc varij variè sentiunt: mihi sanè non est probabilis, quia non habet firmum fundamentum, vt dixi in materia *de Angelis*.

Dvbivm XV.

An sit probabilis opinio asserentium, actum imperantem internum, non sumere ab imperato bonitatem eiusdem speciei.

Aliqui ausi sunt dicere, eam doctrinam esse improbabilem, & absurdam, sed falluntur; quia reuera est probabilis, & rationem habet magni ponderis; neque contra illam est argumentum ita efficax, quòd non possit probabiliter solui. legatur P. Vazquez in materia *de bonitate, & malitia humanorum actuum*.

Dvbivm XVI.

An sit probabilis opinio asserentium non posse actum habere duas honestates, alteram ex fine imperantis, alteram ex materia.

Non desunt recentiores, qui putent, eam opinionem non esse probabilem; quia absurdum videtur dicere, martyrium passum ex amore Dei non habere bonitatem charitatis simul, & fortitudinis. Sed quidquid sit de veritate huius controuersiae, opinio illa est satis probabilis, neque est vllum testimonium Scripturae, aut Patrum, aut ratio efficax, ad dicendum eam opinionem esse improbabilem, quia licet sit eredendum, magis honestum esse pati martyrium propter charitatem, quàm dare eleemosynam ob charitatem, tamen hoc quidem arguit inclytam martyrij honestatem formalem fortitudinis ex sola materia, sed posse actum charitatis esse meliorem, quoties materia ex se est difficilior, ex difficultate enim crescit bonitas actus.

Deinde fundamentum eius opinionis valde efficax est, nititur enim duobus principiis valde probabilibus, alterum est, ad honestatem actus esse necessarium, vt voluntas tendat in bonum honestum, propter Christum. Alterum est, honestum vt honestum, non posse ad alterum ordinari, quia ordinari ad alterum conuenit solùm bono vtili.

DVBIVM XVII.

An sit probabilis opinio asserentium, essentiam peccati commissionis consistere in aliquo reali positiuo.

CErtè multi viri docti putant esse dignam graui censura, ita vt non solùm sit temeraria, sed etiam proxima errori, quia videtur facere Deum autorem peccati; mihi verò ea opinio est prorsus improbabilis, & absolutè releganda est, & relinquenda.

DVBIVM XVIII.

An mereatur censuram opinio asserentium, essentiam peccati omissionis consistere in relatione rationis.

NOn defuerunt qui putent mereri censuram temeritatis, quia nullum habet autorem. Sed licèt sit falsa, mihi tamen non videtur digna censura temeritatis, quia rationem habet satis probabilem, de quo diximus in materia *de peccatis*, & *opusculo de essentia peccati.*

DVBIVM XIX.

An sit probabilis noua opinio asserentium, solùm peccare venialiter qui peccat cum dubio de malitia obiecti, non oblata cognitione mortalis, vel venialis.

MIhi sanè opinio videtur omnino improbabilis, quia qui cum illo dubio operatur, manifestè exponitur periculo peccandi mortaliter, & violandi legem in materia graui, de quo dixi in materia *de peccatis.*

DVBIVM XX.

An sit probabilis opinio asserentium, essentiam peccati originalis consistere in aliquo modo reali, & positiuo producto in anima.

DE hac parte dixi, agens de peccato originali; & est opinio omnino improbabilis, contra communem Doctorum sine idoneo fundamento.

DVBIVM XXI.

An sit probabilis opinio asserentium, B. Virginem non habuisse debitum contrahendi peccatum originale.

ALiqui Doctores graues putarunt sententiam esse dignam censura; sed hoc tempore in Hispania, quàm multi viri doctissimi putant esse veram, alij quàm multi esse probabilem, de qua controuersia multi multa typis mandarunt.

DVBIVM XXII.

An sit probabile asserere peccatum mortiferum habere malitiam infinitam simpliciter.

CErtè si rationem consultemus, mihi non est probabilis; habet tamen aliquos graues Theologos non vulgariter doctos.

DVBIVM XXIII.

An sit probabilis opinio asserentium delectationem morosam simpliciter distinctam à voluntate efficaci, solùm specificari, quam recipiunt in actu externo, ita vt non semper habeat omnes malitias obiecti.

ALiqui recentiores putant, non esse probabilem: sed opinio est non solùm probabilis, sed vera; & habet multos autores, quos recitaui in materia *de peccatis*, & *opusculo de delectatione morosa*, & rationes habet valde efficaces.

DVBIVM XXIV.

An sit probabilis noua opinio asserentium de potentia absoluta ex solo peccato veniali primi Parentis posse deriuari peccatum originale in posteros eius.

OPinio est omnino improbabilis, & parum consentanea doctrinæ catholicæ de peccato originali; iuxta ea quæ dixi *de peccato originali* in propria materia: & *opusculo de essentia peccati*: vbi etiam diximus, improbabilius esse asserere, posse de potentia absoluta deriuari peccatum originale in posteros, ex actu honesto primi Parentis.

DVBIVM XXV.

An mereatur censuram opinio asserentium essentiam peccati actualis consistere in solo reatu ad pœnam.

ALiqui putant hanc opinionem esse decretam à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra errores Michaelis Baij. Sed hoc non colligi ex Bulla dixi in opusculo contra errores Michaelis Baij, habetur inter opuscula *de gratia.*

DVBIVM XXVI.

An mereatur censuram grauem, asserere, homini in statu viæ nullum auxilium sufficiens naturalis ordinis esse debitum, sed omnia esse gratia per Christum.

DE hoc dixi nonnulla *opusculo 2. de necessitate gratiæ*, vbi retuli censuram aliquorum, & sanè talis propositio digna est graui censura; nullùmque habet autorem alicuius momenti: neque solùm est temeraria, sed errorem sapit manifestè.

DVBIVM XXVII.

An sit probabile asserere, nullam esse gratiam præuenientem supernaturalem secundùm substantiam, etiamsi dentur alij actus intellectus, & voluntatis supernaturalis secundùm substantiam.

CErtè si aliquis sequatur opinionem asserentium, nullum actum esse supernaturalem quantum ad substantiam, sed solùm quantum ad modum, habent plures autores pro sua opinione, vt alibi diximus

diximus agentes de actu fidei, spei, & charitatis. A
Verùm concedere actus aliquos supernaturales secundùm substantiam, & asserere, nullam gratiam præuenientem, aut excitantem, esse supernaturalem secundùm substantiam, res est planè noua, & autorem non habet; de qua difficultate diximus in disputatione de hac re, vbi fusiùs hoc explicuimus.

Dubium XXVIII.

An mereatur censuram dicere, dari meritum de congruo, vel dispositionem ex viribus naturæ respectu primi auxilij gratiæ. B

Respondeo, siue de merito loquamur, siue de dispositione aliqua proxima, vel remota, est error Massiliensium asserere dari tale meritum, vel dispositionem, vt ostendimus in materia *de gratia*, & in materia *de prædestinatione*, contra aliquos Doctores; & fusè ostendit P. Vazquez in materia *de prædestinatione*, & in materia *de gratia*, agens de errore Massiliensium, & ideo manifestè errant quidam recentiores, qui dicunt, quòd Massilienses, & semi-Pelagiani solùm errarunt circa primam voluntatem credendi, quam diximus esse ex viribus naturæ, & hoc solùm damnasse Concilia in illis. Et putant posse concedi aliquod opus ex viribus na- C
turæ, quod sit meritum de congruo imperfectum, vel dispositio remota respectu primi auxilij gratiæ. Sed falluntur, quia, vt ostendit P. Vazquez *locis citatis*, & P. Suarez in materia *de gratia*, damnati sunt asserentes, dari talem dispositionem, vel motum respectu primi auxilij gratiæ, siue respectu fidei, siue respectu alterius gratiæ. & quòd in Angelis non possit concedi meritum, aut dispositio ex viribus naturæ respectu primi auxilij gratiæ, diximus in materia *de Angelis*.

Dubium XXIX.

An sit probabile dari meritum de congruo ex auxilio gratiæ respectu gratiæ sanctificantis formaliter. D

Respondeo, non solùm esse probabilem opinionem, sed veram, de qua disputaui in materia *de gratia*, & in materia *de fide*.

Dubium XXX.

An mereatur censuram asserere, dari meritum de congruo primæ gratiæ habitualis. E

De hoc disputaui in materia *de merito*: nunc breuiter dico mereri censuram asserere dari meritum de congruo primæ gratiæ sanctificantis; quia hoc meritum requirit statum sanctitatis, & contrarium decretum est à Pio V. & Gregorio XIII. In Bulla contra Michaelem Baium, & nos diximus explicantes illam Bullam, opusculo contra errores Michaelis Baij, & in materia *de merito*.

Deinde, non est damnatum asserere, dari meritum de congruo primæ gratiæ habitualis, quia probabile est, perfectum actum contritionis supernaturalis esse priorem formaliter; & probabile est esse priorem ipsu habitu gratiæ: ergo non est damnatum; licèt ego existimem eam propositionem esse falsam.

Sed obiiciunt aliqui, damnatum esse dari meritum primæ gratiæ. Respondetur hoc intelligi de primo auxilio gratiæ, & de merito ex viribus naturæ. Sed qui dicunt dari meritum primæ gratiæ habitualis, loquuntur non de auxilio, sed de habitu, & supponunt actum contritionis perfectum procedere ex auxilio gratiæ. Vnde noui ego doctissimos Theologos huius temporis, qui dixerunt dari meritum condignum primæ gratiæ habitualis, quod etsi non amplector, damnare non audeo.

Dubium XXXI.

An mereatur censuram, opinio asserentium, actus remissos iustorum non mereri augmentum gratiæ, & gloriæ.

De hoc diximus in materia *de charitate*, & in materia *de gratia*: & reuera meretur censuram, non solùm temeritatis, sed ferè erroris; est enim ea doctrina proxima errori.

Dubium XXXII.

An mereatur censuram asserere, opera iustorum non mereri præmium essentiale nisi ratione charitatis, ita vt si ex hac parte sint opera æqualia, æquale meritum habeant, licèt sint inæqualia ex alijs circunstantijs difficultatis, intensionis, aut durationis.

Doctrina hæc multis Theologis visa est impia, scandalosa, & temeraria, & est valde absurda, & omnino improbabilis.

Dubium XXXIII.

An mereatur censuram asserere, omnes fœminas veteris Testamenti meruisse de congruo maternitatem Dei.

Aliqui Theologi existimantes, ad meritum de congruo non requiri aliquam ordinationem Dei, sed solùm opus ex gratia factum, compulsi sunt concedere prædictum absurdum: imò fatentur, in nouo Testamento fœminas iustas per sua opera mereri maternitatem Dei possibilem.

Sed ego contrarium docui in materia *de fide*, & in materia *de merito*. Et prædicta assertio quantum ad modum loquendi est temeraria contra omnes Scholasticos, & contra sensum fidelium.

Dubium XXXIV.

An mereatur censuram asserere in purgatorio dari meritum de condigno augmenti gratiæ, & gloriæ, licèt Deus non velit illud præmium dare.

Respondeo, hanc propositionem primò esse temerariam, quia omnes Doctores hactenus dixerunt, in purgatorio non esse tale meritum, siue hoc referant in legem Dei, siue in naturam status, dicenda est erronea, vel proxima errori; quia Scholastici, & Patres consectariè è Scripturis docent, post mortem non esse statum merendi; & intelligunt

telligunt de congruo. nam circa meritum de congruo respectu præmij accidentalis,est diuersitas opinionum;licet ego existimem, nullum esse meritum, siue de condigno,siue de congruo. A

Dubium XXXV.

An mereatur censuram asserere,in purgatorio opera iustorum esse satisfactoria pro pœna temporaria, licèt Deus non velit pœnam remittere, nisi per satispaßionem.

Respondeo hanc assertionem esse temerariam, quia est contra omnes Doctores: deinde est error, quia si esset satisfactoria formaliter, redderet hominem dignum remissione pœnæ: neque esset in voluntate Dei non remittere pœnam ablata dignitate pœnæ;& non requiritur pactum, aut lex Dei. vt diximus in materia *de satisfactione*, & in materia *de merito*, agens de conditionibus ad satisfaciendum. B

Dubium XXXVI.

An mereatur censuram asserere, Beatos in statu beatitudinis mereri augmentum gratiæ, & gloriæ essentialis de condigno, licèt Deus non vellet tale præmium tribuere.

Respondeo, assertionem esse temerariam, quia omnes Doctores docent,post mortem non esse statum merendi de condigno: deinde est error, vel proximum errori;quia Patres docent iuxta Scripturam,post mortem non esse statum merendi gratiam, & gloriam essentialem. C

Dubium XXXVII.

An mereatur censuram asserere, Beatos in statu beatitudinis satisfacere de condigno pro pœna temporaria eorum qui sunt in statu via. D

Respondeo, assertum esse temerarium contra omnes Scholasticos,qui docent ibi non esse talem satisfactionem,siue hoc referant in legem Dei, siue in naturam status, de quo dixi in materia *de satisfactione*,de requisitis ad satisfaciendum.

Dubium XXXVIII.

An sit probabile in statu beatitudinis posse Beatum de congruo aliquid sibi, vel alteri mereri. E

De hoc dixi in materia *de Angelis*, & in materia *de merito*, & ego docui non esse tale meritum; sed retuli ibi plures Doctores,& graues, sentientes oppositum, & ideo iudico eam opinionem non carere probabilitate.

Dubium XXXIX.

An mereatur censuram grauem, asserere de facto gratiam,& peccatum mortiferum esse simul in eodem subiecto.

Respondeo, hoc assertum damnatum esse à Pio V.& Gregor.XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, & nos diximus opusculo contra Michaëlem Baium. Vbi etiam diximus, quid sentiendum sit de nouo placito cuiusdam recentioris, asserentis, peccatum mortale posse esse cum gratia habituali, pro vno instanti temporis, quam propositionem multi recentiores docuerunt esse dignam graui censura, temeritatis, aut erroris, aut errori proximam esse dixerunt.

Dubium XL.

An sit probabilis opinio asserentium, posse iustum mereri ex gratia reparationem post Baptismum.

De hoc dixi in materia *de merito*, & tenenda est opinio probabilis, quam docuit Bellarmin. & alij,& S.Thomas aliquando,vt retuli *loco citato*.

Dubium XLI.

An sit probabilis opinio asserentium, B.Virginem non meruisse maiorem gratiam & gloriam, quàm haberent omnes Beati simul.

Respondeo esse valde probabilem, quam hoc tempore sequuntur multi Theologi, & etiam mihi semper visa est vera & pia.

Dubium XLII.

An sit vera opinio asserentium, B.Virginem meruisse maternitatem suam.

Non defuit vnus, vel alter Theologus hoc tempore,qui dixerit B.Virginem non meruisse maternitatem. Sed communis opinio est omnium Theologorum, in materia de Incarnatione, meruisse maternitatem,de qua P.Suarez, & P.Vazquez 3.*part.ad quæstionem* 2. Et priùs placitum relegatum est ab Scholasticis, & meo iudicio, nullam habet probabilitatem:nam si res exactè consideretur, pauci sunt, qui ita sentiunt contra communem Theologorum. Deinde ratio illius opinionis facillimè soluitur à Doctoribus secundùm veriorem opinionem.

Ratio verò est, quòd principium meriti non cadit sub meritum;ergo mater non potest mereri maternitatem Christi, à quo oritur omnis gratia merendi. Huic argumento respondet, vt notat ibi P.Suarez, & alio modo diuerso P.Vazquez, qui legi possunt, de quibus ego fusè dixi in materia *de Incarnatione* 3. *parte, ad quæst.* 2. postea verò tradidi solutionem, quæ à multis viris doctis probata est.

Pro cuius intelligentia sciendum est secundùm opinionem S.Thomæ, & multorum Philosophorum, fœminam solùm concurrere passiuè ad generationem. Secundò notandum est, B.Mariam concurrisse ad generationem humanitatis Christi,sicut aliæ fœminæ concurrere solent ministrando materiam

tiam proximam, quæ disponatur vt recipiat animam rationalem; & secundùm hoc in mente Dei, & ordine potuit præuideri materia, ex qua formanda erat humanitas Christi, & deinde ipsa humanitas vt principium meritorum, & postea potuit ordinari, vt hæc materia esser in ipsa Virgine, ex cuius purissimo sanguine desumpta est materia hæc ad formandam humanitatem Christi, & secundùm hunc ordinem, Virgo non fuit principium efficiens sui filij: materialis autem potuit esse modo explicato; & ita principium meriti non cadit sub meritum, de quo fusiùs alibi. Hoc autem loco sufficiat ratiocinationem indicasse, vt ostendamus propter prædictum argumentum, non esse cedendum à communi opinione.

A

B

Dvbivm XLIII.

An sit probabile asserere, B. Virginem non meruisse de condigno maternitatem.

Respondeo, si rationem consideremus, non est mihi probabile; quia ex natura rei, ex sola natura gratiæ habitualis, hoc modo potest esse, ex voluntate autem, aut promissione Dei non sit meritum de condigno, vt probaui in materia *de merito*.

Dvbivm XLIV.

An sit probabilis opinio asserentium, B. Virginem in hac vita vidisse clarè diuinam essentiam.

Respondeo rem esse valde probabilem, & piam, & cõmunis est sensus Theologorum, qui eam amplectuntur; neque oppositum potest dici probabiliter. legantur recentiores Theologi materia *de visione*. Difficilius est

Dvbivm XLV.

An B. Virgo viderit clarè diuinam essentiam in primo instanti conceptionis.

Hanc excitauit pietas aliquorum Theologorum hoc tempore. Et quidam homines difficiles putant, non posse dici B. Virginem inprimo instanti vidisse diuinam essentiam, & assertionem talem esse dignam censura graui.

Sed quidquid sit de veritate eius opinionis, de quo alibi dicam ex professo, nunc solùm pronuntio eam sententiam non esse dignam censura aliqua; & illi fauet magna autoritas Theologorum, qui ita senserunt hoc tempore, fauet pietas, fauet dignitas matris Dei, fauent quæ pro ea sententia adducuntur fundamenta, fauent multi viri docti huius ætatis, qui saltum probabilem iudicauerunt.

Dvbivm XLVI.

An esset probabile asserere B. Virginem oculis corporeis vidisse Christum sub speciebus sacramentalibus Eucharistiæ.

Respondeo hoc esse probabile, docui in materia *de Eucharistia*, ita fuisse concessum Virgini, docuit Alensis 3. *part. quæst.* 10. *membr.* 7. *art.* 3. & §. 8. & pro eadem sententia refertur S. Amadeus *in suis reuelationibus*, & multi viri docti huius ætatis putarunt probabile.

Dvbivm XLVII.

An mereatur censuram asserere, merita mortificata non reuiuiscere per subsequentem iustificationem ad præmium essentiale.

Respondeo grauem mereri censuram saltim temeritatis, de qua controuersia dixi agens de reuiuiscentia meritorum.

Dvbivm XLVIII.

An sit probabile, naturam diuinam sanctificare humanitatem Christi.

Quidam recentior in materia de Incarnatione ausus est dicere, non esse probabilem opinionem asserentium humanitatem Christi sanctificari per naturam diuinam.

Sed hic autor dignus est censura temeritatis; quia ea opinio est grauissimorum Scholasticorum, & consentanea doctrinæ Patrum, & argumenta habet magni momenti, & licet Scotus, & eius discipuli dixerint humanitatem Christi non sanctificari diuinitate tanquam forma, tamen non dixerunt contrariam sententiam esse improbabilem; de hac autem sanctificatione dixi in materia *de gratia, opusculo de forma sanctificante*, & *in* 3. *parte S. Thomæ, ad quæstionem* 7. & 15 & legi possunt P. Vasquez & P. Suarez 3. *parte in quæstionem* 7. & 15.

C

Alius recentior in controuersiis super Ecclesiast. dixit probabilem esse sententiam asserentium, humanitatem sanctificari per diuinitatem: sed non esse veram, qui impugnandus est ex dictis *in locis allegatis*, & affirmandum est, eam sententiam esse verissimam.

D

Dvbivm XLIX.

An sit probabilis opinio asserentium, non dari duos amores amicitiæ erga Deum, alterum naturalem, alterum supernaturalem.

Non defuerunt, qui dixerunt, hanc opinionem esse improbabilem. Sed falluntur, quia nullum est firmum fundamentum, ad dicendum esse improbabilem, vt constat ex his quæ diximus in materia *de gratia, opusculo de amore erga Deum*.

E

Dvbivm L.

An sit probabilis opinio asserentium, prædestinationem esse duplicem, alteram completam, alteram incompletam.

Non defuit vnus, vel alter recentior, qui hoc modo loquendi sit vsus, sed modus est alienus à modo loquendi Patrum, & Scholasticorum, & ideo reiciendus tanquam non habens probabilitatem.

Dvbivm

DVBIVM LI.

An sit probabilis opinio asserentium, Christum in cælo non orare verbis expressis, sed solùm repræsentatione vulnerum.

TOletus *in cap. 16. super Ioannem, in annotatione capitis*, dixit esse improbabilem: sed fallitur, quia ea opinio habet plures Doctores, & videtur communis multorum Patrum, vt constat ex his quæ adducit P. Vasquez 3. *part. tom. 1. ad quæstionem 21.*

DVBIVM LII.

An mereatur censuram asserere Angelos esse corporeos.

REspondeo hoc tempore non posse talem doctrinam defendi sine nota temeritatis.

DVBIVM LIII.

An sit dignum censura asserere Angelos non peccasse peccato superbiæ.

REspondeo esse dignissimum graui censura, saltem temeritatis; quia Patres communiter, & Scholastici, docent fuisse peccatum superbiæ, licèt circa materiam huius superbiæ sit varietas opinionis, vt constat ex his quæ diximus in materia *de Angelis*, & tradunt Doctores 1. *parte ad quæstionem 63.*

DVBIVM LIV.

An sit probabilis opinio asserentium Christum non esse seruum.

NOn defuit aliquis qui dixerit non esse probabilem. Sed dicendum est esse probabilissimam, ita vt nollo modo sit seruus, seruitute distincta à subiectione, de qua controuersia optimè P. Vasquez 3. *parte ad quæstionem 20.* Et sequitur Bellarm. *de Incarnatione cap. 16.* Deinde quòd non sit seruus seruitute mancipij, est vera sententia, vt dixi disputatione de hac re, opusculo circa Concilium Francfordiense.

DVBIVM LV.

An mereatur grauem censuram asserere, quòd post consecrationem panis maneat cum speciebus existentia panis.

DE hoc dixi in materia *de Eucharistia*, vbi possunt legi P. Vasquez, & P. Suarez. Mihi placet, eam doctrinam mereri grauem censuram, quia non solùm temeraria, contra omnes Doctores, sed errori proxima, propter Concilium Tridentinum, quod docet post consecrationem panis nihil remanere substantiæ panis.

DVBIVM LVI.

An sit probabilis opinio asserentium circumcisionem non causare gratiam.

ALiqui putarunt, eam sententiam non esse probabilem, sed falluntur, quia habet plures Doctores, & fauent P. Græci. legatur P. Vasquez *prima secunda*, in materia *de legibus*.

DVBIVM LVII.

An sit probabile asserere habitum gratiæ habere diuersas differentias indiuiduales distinctas ab intensione.

ALiqui recentiores docuerunt, in gratia habituali posse considerari, non solùm intensionem graduum, sed etiam diuersas differentias indiuiduales, ratione quarum dicunt opponi peccatis venialibus, vt hoc modo defendant peccatum veniale posse remitti in sacramento, vel extra sacramentum, per infusionem talis, vel talis gratiæ habitualis. Sed de remissione peccati venialis in sacramento, vel extra sacramentum, diximus in materia *de gratia*, & in materia *de pœnitentia*; nunc verò solum placet dicere, eam opinionem fictitiam esse & improbabilem, sine vllo autore graui, & sine firma ratione, & idem iudicium est de habitu charitatis; in actibus verò intelligitur facilè ea differentia indiuidualis diuersa per ordinem ad diuersa obiecta, etiam solo numero differentia; tamen in ipso habitu charitatis, vel gratiæ, non intelligitur tale discrimen.

DVBIVM LVIII.

An possit concedi Christum in cælo mereri pro nobis.

REspondeo non posse sine temeritate concedi, quis Doctores omnes concedunt post mortem non esse statum merendi, quamuis differant, quia aliqui hoc reducunt in naturam rei, alij in legem, & ordinationem Dei.

DVBIVM LIX.

An possit concedi, Resurrectionem Christi, & eius Ascensionem fuisse opera redemptionis.

ALiqui viri docti de hoc interrogati dixerunt, talem loquutionem esse dignam graui censura, quia videbitur significare Christum post mortem meruisse. Alij verò dixerunt, talem loquutionem non mereri vllam censuram, quia solùm significant, illa opera aliquo modo ordinata esse ad exequutionem effectus nostræ redemptionis. Vt multi docent Christum nunc in cælo pro hominibus orare, & tamen non volunt significare, quòd pro nobis mereatur, & in hoc sensu his subscribo.

DVBIVM LX.

An mereatur censuram asserere sola facultate petita à superiori, & non obtenta, posse subditum absolui à reseruatis à quolibet Sacerdote approbato.

NOn defuit hac ætate qui ita sentiret, sed, vt dixi in materia *de pœnitentia*, non est probabilis opinio, neque tuta in praxi, sed est temeraria, sine idoneo fundamento, & periculosa quantum ad mores, & hac ratione ferè nullius vtilitatis esset reseruatio.

DVBIVM

DUBIUM LXI.

An sit probabile placitum asserentium, nouitios religionis non obligari casibus reseruatis sua religionis.

RESpondeo, est opinio magis communis, ac proinde probabilis est, licèt mihi opposita magis probetur, vt docui in materia *de pœnitentia*.

DUBIUM LXII.

An mereatur grauem censuram asserere, quòd Pontifex possit errare in approbatione religionis.

REspondeo mereri grauem censuram, non solùm temeritatis, sed etiam erroris, iuxta doctrinam quam tradidimus 2. 2. *ad quæst. 1. tractat. de regulis orthodoxis.*

DUBIUM LXIII.

An mereatur grauem censuram asserere, quòd Pontifex possit errare declarando, aliquem contractum esse iustum, vel declarando talem esse iniustum.

REspondeo mereri censuram temeritatis, & erroris, iuxta doctrinam traditam loco proximè allegato.

DUBIUM LXIV.

An mereatur censuram asserere, ad iustificationem non esse necessarium actum fidei, qui habeat pro obiecto formali Dei testimonium.

REspondeo mereri grauem censuram, iuxta ea quæ diximus 2. 2. *ad quæstionem 2. de actu fidei.* Et primò de fide est certum, ad iustificationem adultorum, esse necessarium actum fidei, vt diximus *loco allegato*, & in materia *de gratia*; deinde, quòd iste actus fidei debeat habere testimonium Dei pro obiecto formali, ducent omnes Scholastici; & aliter non haberet certitudinem quam requirunt Patres, & ideo sine temeritate & errore hoc non potest negari.

DUBIUM LXV.

An mereatur censuram asserere, Pontificem posse errare approbando aliquam specialem regulam de speciali quadam actu in religione.

REspundeo, mereri censuram temeritatis, & erroris, quia non potest approbare, vel falsam doctrinam pro vera doctrina, neque actum turpem pro honesto.

DUBIUM LXVI.

An mereatur censuram asserere, Pontificem posse errare circa censuras propositionum.

REspondeo certum esse Pontificem non posse errare in assignando censuram alicuius propositionis, quia in rebus pertinentibus ad doctrinam, non potest errare, & oppositum asserere est impium, scandalosum, temerarium, & erroneum.

DUBIUM LXVII.

An mereatur censuram asserere, nostram satisfactionem ex gratia efficaciorem esse ad sanctificationem nostram, quàm satisfactionem Christi.

CErtè propositio absolutè prolata non est admittenda, sed explicanda est per distinctionem; si enim comparatio fiat in genere meriti, & quasi in genere causæ efficientis, de fide est satisfactionem Christi esse efficaciorem; si verò fiat comparatio in genere causæ formalis, non est apta comparatio, quia satisfactio Christi, vt est actus Christi, non sanctificat nos formaliter, sed in genere causæ meritoriæ.

DUBIUM LXVIII.

An possint concedi in diuinis tres essentiæ relatiuæ metaphysicæ.

REspondetur, non defuerunt, qui ita ausi sunt loqui, quia asserunt metaphysicè sumpta solùm dici gradum metaphysicum, siue sit absolutus, siue sit relatiuus, quo sensu solet concedi in creatis essentiam relationis distingui ab essentia rei absolutæ; sed nihilominus ea distinctio admittenda non est in diuinis, quia in diuinis iuxta vsum sanctorum Patrum essentia sumitur pro natura deitatis, & tanquam aliquid distinctum secundùm rationem à relationibus, & modus loquendi est dignus graui censura temeritatis.

DUBIUM LXIX.

An mereatur censuram opinio asserentium in consecratione calicis, aliquando aquam conuerti immediatè in sanguinem.

REspondetur falsam esse opinionem, vt diximus in materia *de Eucharistia.* Dico secundò, non mereri censuram, quia eam defendit Cardinalis Azor, Cardinalis Venetus, Cardinalis Toletus, & alij viri docti, vt dixi in materia *de Eucharistia.* Et legi potest ex nostris P. Ægidius in materia *de Eucharistia*, qui eam amplectitur.

DUBIUM LXX.

An mereatur censuram opinio asserentium, formam consecrationis calicis esse solùm illa verba, Hic est calix sanguinis mei.

NOn defuerunt, qui putarent, eam opinionem non esse probabilem; sed falluntur, quia non solùm est probabilis, sed vera, & eam amplectuntur multi viri docti, vt diximus suo loco, & legi potest P. Vazquez, & P. Suarez in materia de Eucharistia.

Dvbivm LXXI.

An sit probabilis opinio asserentium transsubstantiationem consistere in ordine substantiæ corporis Christi succedentis substantiæ panis sub speciebus.

Homines quidem difficiles, & parum docti dixerunt eam opinionem esse temerariam, & erroneã, sed falluntur manifestè, quia ea opinio habet grauissima fundamenta, & graues Doctores Deinde alij non vulgariter docti, & ad censuram proclives, dixerunt, non esse probabilem: sed isti etiam falluntur propter dicta, nempe, quia ea opinio habet graues Doctores, & argumenta magnæ efficacitatis; & tandem ea opinio est vera, & vt veram sequuntur hoc B tempore viri doctissimi ex familia Scoti, & ex familia Augustiniana plures Magistri, sicut & ex aliis familiis. Et ex nostra Societate quàm multi, vt omittã multos viros doctos seculares, qui ante aliquot annos de hac re interrogati, eam approbarũt vt veram, vel saltem vt probabilem. Ego autem vt veram eam tradidi in materia *de Eucharistia*, & opusculo de hac controuersia.

Dvbivm LXXII.

An mereatur censuram asserere, Eucharistiam etiam per accidens non conferre primam gratiam.

Respondeo non mereri censuram, quia viri docti eam defendunt, & ex Scriptura, vel Patribus non potest efficaciter probari. Legatur P. Vazquez in materia *de Eucharistia*.

Dvbivm LXXIII.

An mereatur censuram asserere, in Patre æterno distingui realiter spirationem actiuam, & paternitatem.

Hoc sensit Durandus, & aliqui Scotistæ; sed multi viri docti in Hispania iudicarunt de D hoc interrogati, talem propositionem dignam esse grauissima censura, & mihi visa est semper valde falsa, improbabilis, & temeraria vt minimum, quam impugnaui in materia *de Trinitate*. Legantur P. Suarez, & P. Vazquez in materia *de Trinitate*, disputantes, an Spiritus sanctus posset distingui à Filio, si non procederet ab illo.

Dvbivm LXXIV.

An mereatur censuram asserere quòd pro labore intrinseco Sacramentorum potest minister accipere pretium.

E Respondeo, propositionem esse contra communem Doctorum, iuxta ea quæ diximus in materia *de Simonia*. & ideo censeo esse non solùm falsam, sed improbabilem, & temerariam.

Dvbivm LXXV.

An sit probabile asserere, quòd pro intercessione beneficij spiritualis comparandi potest dari pretium.

Aliqui referuntur ita sentire; mihi tamen hæc doctrina displicet, & eam refutaui in mate- A tia *de Simonia*, neque audeo dicere, esse probabile placitum.

Dvbivm LXXVI.

An sit probabilis opinio asserentium species vini consecrati in Eucharistia conferre gratiam distinctam à gratia, quam causant species panis consecratæ.

Respondeo esse probabilem, de qua quæstione diximus in materia *de Eucharistia*, & legi potest P. Vazquez, & recentiores interpretes S. Thomæ in materia *de Eucharistia*.

Dvbivm LXXVII.

An sit probabilis opinio asserentium, in confessione posse explicari personam complicis quando vrget necessitas confitendi, & non potest pænitens aliter confiteri integrè.

Non defuerunt hoc tempore homines inquieti, qui dicant non esse probabilem, sed perniciosam, in quo planè decipiuntur, vt diximus in materia *de confessione*, & eam vt veram amplectuntur C grauissimi Theologi huius ætatis.

Dvbivm LXXVIII.

An mereatur censuram asserere, vnionem duarum naturarum in Christo esse essentialem.

Aliqui recentiores in materia *de Incarnatione*, 3. *parte*, *ad quæstionem* 2. docuerunt hanc loquutionem mereri censuram doctrinæ sapientis errorem: sed falluntur, quia, vt ostendit P. Vazquez 3. *part. ad quæst.* 2. illa est loquutio sanctorum Patrum, & habet optimum sensum, nempe eam vnionem esse veram, & realem, non phantasticam, vel apparentem.

Dvbivm LXXIX.

An mereatur censuram opinio asserentium vnionem humanitatis cum Verbo diuino esse accidentalem.

Respondeo, ita loquuti sunt aliqui Catholici, & licet ipsi non errent, tamen modus loquendi non videtur admittendus, quia verba fauent errori hæreticorum negantium vnionem duarum naturarum in vna persona.

Dvbivm LXXX.

An mereatur censuram opinio asserentium, non fuisse de fide, fuisse in Christo gratiam habitualem.

Licèt non possit negari sine temeritate, aliqui tamen Doctores 3. *parte, ad quæst.* 7. dixerunt mereri censuram; sed falluntur, & vt veram doctrinam sequuntur multi, nempè quòd non sit de fide, & sequitur P. Vazquez *in eam quæst.* 7. & alij multi dixerunt esse probabilem.

Dubium LXXXI.

An sit probabile asserere Christum de facto meruisse suam beatitudinem animæ essentialem.

ALiqui ita senserunt, vt docerent, Christum meruisse suam beatitudinem essentialem: sed mihi non est probabilis, de quo 3. *p. ad q.* 19. diximus.

Dubium LXXXII.

An mereatur censuram asserere, perfectionem euangelicam esse de necessitate salutis.

PRo huius intelligentia notandum est cum S. Thoma in illud Matthæi 5. *Estote perfecti*, esse duplicem perfectionem euangelicam; alteram consiliorum, quæ consistit in adimpletione rerum, quæ sunt in consilio euangelico. Altera quæ dicitur perfectio etiam euangelica, & est perfectio charitatis erga Deum, & proximum, & hæc consistit in adimpletione omnium præceptorum, quæ necessaria sunt ad talem perfectionem, & dicitur perfectio euangelica, quia in Euangelio expressè tradita sunt aliqua præcepta, quæ Gentiles non cognouerunt, vt præceptum virtutis humilitatis, de qua diait Christus, *nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.*

Hoc præmisso certum est, primam perfectionem non esse de necessitate salutis, quia sine impletione consiliorum, potest quis consequi vitam æternā; iuxta illud Christi, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes*, &c. Deinde si sermo sit de secunda perfectione euangelica, dicendum est illam esse de necessitate salutis, quia ad comparandam salutem necessaria est impletio omnium præceptorum. Vnde si in aliquo autore docto, & pio reperiatur prædicta loquutio, explicanda est de sensu huius secundæ perfectionis euangelicæ; curandum tamen est vt in hac materia clarè loquantur ne detur occasio errandi in dictis.

Dubium LXXXIII.

An sit probabilis opinio asserentium dispensationem sine causa in lege humana esse nullam.

REspondetur eam opinionem traditam à viris doctis, & habere efficacem rationem, & ideo dicendum est esse probabilem, de quo legi potest P. Vazquez in materia *de legibus*, qui citat autores pro ea opinione, quam ipse sequitur, & hoc tempore sequuntur viri valdè docti Iurisperiti in Complutensi Academia, & aliis locis.

Dubium LXXXIV.

An sit probabilis opinio asserentium posse aliquid exigi vltra sortem pro recipiendo mutuo, quod est periculum recuperandi.

DE hac quæstione dixi in materia *de vsuris* 2.2. *tom.* 2. & aliqui existimarunt esse vsuram, & ita esse definitum a Pontificibus, sed loco allegato docuimus opinionem contrariam esse veram, quam tradunt multi, & graues Scholastici, & nullum est caput ex quo probetur esse vsuram, vt ibidè ostendi.

Dubium LXXXV.

An sit probabilis opinio asserentium reum iuridicè interrogatum in causa sanguinis posse negare veritatem.

ITa senserunt aliqui viri docti hac ætate, sed non auderem asserere eam esse probabilem, de qua dixi 2.2. *tom.* 2. agentes de reo.

Dubium LXXXVI.

An sit probabilis opinio asserentium, in extrema necessitate satisfieri præcepto eleemosynæ per mutuum.

DE hoc dixi 2.2. *tom.* 1. *ad quæst.* 32. & ea opinio habet plures autores, & graues. legatur P. Vazquez *opusculo de eleemosyna.* est autem opinio cum certis conditionibus probabilis, quam explicui *loco allegato.*

Dubium LXXXVII.

An sit probabile asserere posse eligere Principem dignum, ad officium seculare sine peccato, relicto digniori.

AFfirmat P. Vazquez in materia *de beneficijs*, de qua quæstione ego dixi 2. 2. *tom.* 2. agendo de acceptione personarum, & est ea opinio probabilis, & in praxi recepta.

Dubium LXXXVIII.

An sit probabile asserere posse ex commissione sacerdotem conferre Sacramentum ordinis.

DE quo doctissimè P. Vazquez in materia *de ordine*, qui pro hac opinione tam magna fundamenta adducit, vt nullus possit negare eam opinionem esse probabilem, si syncerè considerentur quæ ibi adducit P. Vazquez.

Dubium LXXXIX.

An sit probabile placitum asserentium, habitum gratiæ, & habitum charitatis, non distingui realiter.

NOn defuerunt hac ætate homines obstinati qui ita sequantur opinionem S. Thomæ de distinctione horum habituum, vt cōtrariam dixerint non esse probabilem: alij putant sententiā S. Thomæ esse magis consonam Concilio Tridentino. Ego de hac controuersia dixi in materia *de charitate*, & in materia *de gratia*, vbi sequutus sum sentētiam S. Thomæ. existimo tamen sententiam contrariam esse probabilissimam, quam sequitur Scotus, & eius discipuli, & graues alij Theologi, quos retuli *locis allegatis.* Secundò existimo ex Concil. Tridentino, aut Patribus, non posse efficaciter probari sententia S. Thomæ, vt constat ex his quæ diximus *locis cit.* Tertiò addo, ita esse defendendam opinionem S. Thomæ de distinctione reali horum habituum, vt dicamus, habitum charitatis habere vim faciendi hominem sanctū formaliter, etiamsi solus reperiretur sine habitu gratiæ, vt dixi *locis citatis.* Et fateor hanc doctrinam de habitu charitatis habente vim sanctificandi, probabiliorem mihi plus videri, quo magis eam considero.

Dubium XC.

An sit probabile placitum asserentium, etiam de potentia absoluta non posse electionem efficacem ad gloriam fieri, ante præuisa merita, si gloria danda est propter merita.

Non defuerunt viri aliqui graues, qui dicerent, eam opinionem non esse probabilem, de qua diximus 1.p. *ad quæst.* 23. *& opusculo de voluntate efficaci dandi gloriam*. Sed falluntur, quia rationes aliquæ quæ probant de facto, electionem ad gloriam factam fuisse post præuisa merita, idem probant de possibili, si res perseueraturæ essent eodem modo, iuxta doctrinam traditam *loco citato*. An verò variatis rebus posset fieri ea electio ante aliqua opera præuisa, diximus *ibidem*.

Dubium XCI.

An sit probabilis opinio asserentium, in confessione non esse obligationem, per se loquendo, explicandi circumstantias aggrauantes intra eandem speciem.

Non defuit vnus, vel alter, qui diceret eam opinionem non esse probabilem post Concilium Tridentinum. Sed de hac controuersia diximus in materia *de confessione*, & legi possunt P. Suarez, & P. Vazquez in materia *de pœnitentia*; & dicendum est esse valdè probabilem; nam multi Doctores eam sequuntur vt veram, alij iudicant probabilem, & rationes habent magni momenti.

Dubium XCII.

Quam censuram mereatur asserere, quòd reprobi non habent Angelum custodem.

Respondeo talē propositionem saltem esse temerariam, contra communem sensum Scholasticorum, & Patrum loquentium de hac materia.

Dubium XCIII.

An sit probabilis opinio asserentium homines sexaginta annorum non obligari lege ieiunij.

Respondeo esse probabilem, quia, vt retuli in materia *de ieiunio*, plures, & graues Doctores habet.

Dubium XCIV.

An sit censura dignum asserere in die ieiunij posse pro collatione, seu refectiuncula sumi duo oua.

Respondeo, doctrina est scandalosa, temeraria & contraria bonis moribus.

Dubium XCV.

An sit probabilis opinio asserentium hominem peccare quando non seruat præceptum, etiamsi non aduertat esse tempus obligationis.

Aliqui antiqui, & recentiores ita loquuntur, vt dicant illum peccare, quia etiamsi nō aduertat, A teneretur aduertere. Sed longè probabilius est, & verius, istum non peccare, quando nulla occurrit cogitatio de præcepti obseruatione, vel saltim dubitatio de illa, vt dixi in materia *de peccatis*, vbi id docui cum multis Doctoribus.

Dubium XCVI.

An sit digna graui censura doctrina asserentium osculum, vel amplexum impudicum, non esse peccatum mortale per se ex sua materia, sed solùm veniale.

Respondeo, ita refertur sensisse nonnullos, vt dixi 2. 2. *ad quæst.* 154. Sed doctrina est contraria bonis moribus, perniciosaque, & temeraria, B omni carens probabilitate, & alias censuras *retuli loco citato*.

Dubium XCVII.

An sit probabilis opinio asserentium, Baptismum susceptum cum fictione, conferre gratiam recedente fictione.

Ita sentiunt graues Theologi, & legi potest P. Vazquez in materia *de Baptismo*; & existimo non esse dignam graui censura. Pono enim contrarium C non colligi manifestè ex Augustino, vt ostendit P. Vazquez *loco citato*, licèt de hoc etiam sit controuersia apud Doctores circa mentem diui Augustini.

Dubium XCVIII.

An sit probabile asserere, non esse peculiare præceptum orationis, sed præcepta esse plura de oratione, pertinentia ad diuersas virtutes.

Aliqui referuntur existimasse, non esse peculiare vnum præceptum de oratione; quia D eùm illa sit necessaria propter materiam aliarum virtutum, v. g. si oratio est necessaria ad vincendam tentationem, in materia superbiæ, præceptum prohibens superbiam obligat ad orationem, & sic in alijs materiis, & ita explicant testimonia Scripturæ, & Patrum loquentium de necessitate orationis. Scio aliquos ita sensisse, noui nonnullos dicentes hanc sententiam falsam, esse probabilem, tamen alij de hoc interrogati, solùm dixerunt non mereri censuram vllam, his subscribo; ego sanè 2. 2. de hoc tractans in materia *de oratione* docui, esse speciale præceptum orationis.

Dubium XCIX.

E *An mereatur censuram opinio asserentium characterem esse relationem rationis & denominationem.*

Aliqui putarunt talem opinionem mereri censuram., sed P. Vazquez in materia *de Sacramentis in genere*, rectè ostendit non mereri censuram; falsa tamen est illa opinio, & verissima contraria asserentium esse aliquid reale.

Dubium

DVBIVM C.

An mereatur censuram asserere, posse rem carius vendi credita pecunia, quàm valet de præsenti.

RESpondeo, seclusò damno emergenti, aut lucro cessante ratione solius debitæ solutionis, non potest res vendi carius, quàm venderetur pecunia de præsenti, & oppositum est vsura manifesta, & meretur censuram temeritatis & erroris asserere illud esse licitum.

CENTVRIA II.

DVBIVM I.

An mereatur censuram asserere, quartum votum obedientiæ Summi Pontificis, quod emittunt professi in nostra Societate, non distingui à communi voto obedientiæ solemni religiosorum.



NOn defuit hoc tempore qui ausus fuerit hoc asserere. Sed dignum est censura temeritatis, & erroris, quia est contra Bullas Pontificum, in quibus approbatur institutum Societatis, & appellatur quartum votum solemne distinctum ab aliis tribus, de quo alibi.

DVBIVM II.

An mereatur grauem censuram asserere, quòd aliquis Sanctus præter B. Virginem fuerit conceptus sine peccato originali.

NOn defuerunt, qui id ausi sunt dicere, vt testantur viri fide digni; sed res est grauissima censura digna, est enim non solùm grauis temeritas, sed error.

DVBIVM III.

An sit probabilis opinio asserentium, actus meritorios Christi esse liberos quantum ad substantiam.

ESse liberos, quantum ad circunstantias dixi 3. *p. ad quæst.* 19. & aliqui homines audaces pariter & indocti reprehendunt hanc sententiam, & dixerunt non esse probabilem; in quo satis ostendunt suam ignorantiam, & prauum affectum. Ego autem dico, eam sententiam esse veram, quam sequuntur grauissimi Theologi huius temporis, & defendit P. Vazquez 3. *part. ad quæst.* 19. qui legi potest.

DVBIVM IV.

An mereatur censuram opinio asserentium, in Christo fuisse habitum spei, & manere in Beatis quantum ad substantiam.

ALiqui existimant non esse probabilem; alij mereri censuram. Sed omnes isti falluntur. Et primò quòd non mereatur censuram intelligi potest ex eo quòd non sit contraria testimonio Scripturæ, aut Patrum, neque contra grauem aliquam rationem,

A vt constat ex his quæ docet P. Suarez 3. *part. ad q.* 7. & 2. 2. in materia *de spe.*

DVBIVM V.

An mereatur censuram asserere, quòd iudex secularis potest iudicare de aliquo crimine, an pertineat, vel non pertineat ad officium sanctæ Inquisitionis.

REspondeo talem doctrinam esse temerariam, & scandalosam, & omnino falsam, quia sicut delicta, de quibus cognoscit tribunal sanctæ Inquisitionis, non pertinet ad iudicem secularem, ita quando B est dubium, an sit tale delictum aliquod, iudicari debet ab eodem tribunali, quod vsus satis ostēdit; quia quando dubitatur de aliqua propositione, an sit erronea, vel temeraria, non iudicat de hoc iudex secularis, etiamsi res sit dubia, & idem est de similibus: neque defuerunt in Hispania, qui prædictam doctrinam iudicent dignam grauiori censura.

DVBIVM VI.

An mereatur censuram opinio asserentium non dari virtutes morales per se infusas essentialiter diuersas ab acquisitis.

C NOn desunt qui existimant mereri censuram, hominis proclinis ad censuras: sed certius est eam opinionem non mereri censuram, licèt sit falsa, nullo enim certo argumento potest ea opinio refutari, ita vt sit digna censura. legatur P. Vazquez 1. 2. in materia *de virtutibus.*

DVBIVM VII.

An mereatur censuram opinio asserentium habitum Theologiæ esse per se infusum.

DE hac controuersia dixi in materia *de fide*, 2. 2. *ad quæst.* 6. vbi hanc opinionem retuli, & re-D futaui; existimo tamen non mereri censuram aliquam, non enim est ratio ad probandum talem censuram.

DVBIVM VIII.

An mereatur censuram aliquam opinio asserentium Eliam, & Enoch non esse in statu merendi.

DE hoc dixi in materia *de gratia. opusculo* 8. *disp.* 2. *dub.* 7. vbi retuli quendam recentiorem asserentem opinionem esse nouam, & non esse consentaneam sacris literis: sed excessit hic autor, vt ibi-E dem notaui, eaque opinio sine dubio est probabilis, & grauissimos habet autores, quos ibi retuli.

DVBIVM IX.

An mereatur censuram asserere Eliam, & Enoch superaturos in sanctitate omnes Apostolos & Sanctos, excepta B. Virgine.

NOn defuit qui diceret Eliam, & Enoch superaturos in sanctitate Apostolos: sed opinio est improbabilis omnino, & insignis audaciæ plena & nullo modo admittenda in scholis, vt disi disputatione, & dubio citato.

DVBIVM X.

An mereatur censuram, asserere, iustum per opus præceptum non mereri gratiam & gloriam.

DE hoc dixi *opusculo citato, disp.* 1. *dub.* 9. & prædictum placitum non solùm est improbabile, & temerarium, sed etiam errori proximum, propter ea quæ attuli *loco proximè citato.*

DVBIVM XI.

An sit probabilis opinio asserentium præmium gratiæ quod meretur actus remissus iusti, dari statim.

NOn parum audaces homines sunt, qui dicerent sententiam illam esse improbabilem; sed meritò reprehenduntur à recentioribus, quia illa opinio est multorum Theologorum, & habet graue fundamentum, de qua diximus in materia *de charitate*, & in materia *de gratia.*

DVBIVM XII.

An sit probabilis opinio asserentium primum auxilium gratiæ de potentia absoluta posse cadere sub meritum per opera subsequentia facta ex gratia.

ALiqui recentiores vehementer reprehendunt eam opinionem, & docent non solùm esse falsam, sed plus quàm improbabilem. Sed licèt ea opinio mihi non probetur, existimo tamen nullam mereri censuram; de ea autem controuersia diximus in materia *de gratia*, & multis aliis locis.

DVBIVM XIII.

An sit probabilis opinio asserentium, actus supernaturales generare habitus qui iuuent ad facilè operandum, naturales, vel etiam supernaturales.

DE his sunt opiniones, vt retuli suo loco, & 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 46. *dub.* 8. & 9. vbi docui actum supernaturalem nullum producere habitum, siue naturalem, siue supernaturalem. Sed contraria non meretur censuram, neque caret aliquali probabilitate, iudicio grauissimorum hominum.

DVBIVM XIV.

An sit probabilis opinio asserentium, humilitatem non esse virtutem distinctam à magnanimitate.

DE hac quæstione dixi 2. 2. *ad quæst.* 161. & prædicta opinio est probabilis, quidquid aliqui contradicant.

DVBIVM XV.

An sit probabile placitum asserentium lumen gloriæ esse potentiam vitalem.

DE hoc dixi *opusculo de lumine gloriæ*, & meo iudicio ea philosophia omnino est improbabilis, propter ea, quæ dixi *loco citato.* & non agnosco Theologum aliquem alicuius autoritatis, qui ita senserit.

A DVBIVM XVI.

An mereatur censuram asserere, posse aliquem accedere ad Eucharistiam cum sola attritione cognita vt tali.

NOn defuit Doctor aliquis, qui ante aliquos annos ita docuit in Academia Complutensi, sed opinio est digna graui censura temeritatis, vt multi viri doctissimi in Hispania iudicarunt de hac re interrogati, & aliqui maiori censura dignam pronuntiarunt, de quo in materia *de Eucharistia.*

DVBIVM XVII.

B *An sit probabile placitum asserentium, posse per visionem beatam cognosci essentiam, & omnia possibilia & futura ex vi visionis, & non apprehendi essentiam diuinam.*

MVlti hoc modo philosophantur hoc tempore. Sed controuersia est dirimenda in materia de visione, & pendet ex variis modis assignandi definitionem comprehensionis, & prædictam doctrinam multi putant improbabilē, alij parum consentaneam doctrinæ Augustini de comprehensione, alij grauiori censura dignam affirmant; ego verò quid sentiam

C facilè dicam interrogatus ab Ecclesia.

DVBIVM XVIII.

An sit probabilis opinio asserentium, personas diuinas constitui ipsis originibus, neque distingui ratione à relationibus.

DE hoc diximus in materia *de Trinitate*; & meo iudicio, si ratio consideretur, ea doctrina parum habet probabilitatis; si tamen consideretur grauis autoritas Doctorum aliquorum, qui illam docent, non caret probabilitate.

D DVBIVM XIX.

An mereatur censuram asserere, Angelos in via non habuisse fidem ad sui iustificationem.

REspondetur, propositionem esse vt minimum temerariam, contra communem sensum Scholasticorum in re graui, absque idonea ratione.

DVBIVM XX.

An mereatur censuram asserere Angelos non fuisse creatos in gratia.

E ALiqui seuerè notant eam opinionem, sed multi Doctores ex antiquis eam docuerunt. Verùm ea sententia mihi non est probabilis, & hoc tempore non caret temeritate illam defendere. legatur Vazquez 1. *part. disp.* 227.

DVBIVM XXI.

An mereatur censuram asserere Angelos ante peccatum non habuisse gratiam.

CErtè hæc doctrina temeraria esset vt minimum, Ita sentiunt multi viri docti in materia *de Angelis.*

DVBIVM

DVBIVM XXII.

An mereatur censuram asserere Christum non habuisse praeceptum moriendi.

DE hoc disputant Theologi 3. *parte ad quaest.* 20. & multi huius aetatis censent talem doctrinam mereri grauem censuram saltem temeritatis; alij grauiori censura notant; alij iudicant eam opinionem esse parum piam; alij improbabilem appellant,& mihi certè non est probabilis, neque admittenda in scholis.

DVBIVM XXIII.

An sit probabile asserere, non esse obligationem denuntiandi haereticum, postquam recitauit haeresim.

NOn defuerunt,qui ita sentirent,ego tamen nec probabile, nec totum in praxi auderem iudicare.

DVBIVM XXIV.

An sit probabile, quòd in peccatis ob haeresim sit seruandus ordo correctionis fraternae antequam denuncietur quis Sanctae Inquisitioni.

NOn desunt qui affirment, quorum sententia multis videtur improbabilis, & mihi apparet nullo modo admittenda in praxi, sed obseruandum praeceptum Sanctae Inquisitionis, quod valde conducit ad commune bonum.

DVBIVM XXV.

An sit probabile placitum asserentium, primum peccatum primorum parentum non fuisse superbiam.

NOn desunt qui existiment esse probabile. Ego tamen contrarium sentio,quia illud est parum consentaneum sanctis Patribus.

DVBIVM XXVI.

An mereatur censuram,asserere, vulgatam lectionem Latinam habere aliquem errorem in rebus quae non pertinent ad fidem,vel mores.

NOn defuerunt,qui ita sentirent, vt dixi suo loco. Existimo tamen esse temerariam,& improbabilem, si sermo sit de errore ipsius autoris,neque facilè admittendum est si quis dicat esse errorem librariorum, vel impressorum, quia ex hoc potest aperiri via periculosa corrigendi lectionem Latinam,sine idoneo,& graui fundamento,quod requiritur in re tam graui.

DVBIVM XXVII.

An sit probabilis opinio asserentium ecclesiasticas personas non habere dominium bonorum ecclesiasticorum.

REspondeo,aliquos ita sensisse:sed mihi esse improbabile, de quo dixi suo loco.

A DVBIVM XXVIII.

An sit probabile personas ecclesiasticas obligari ex iustitia ad faciendam eleemosynam.

NOonulli ita senserunt, de quo suo loco diximus in materia *de eleemosyna*, & ego existimo, eas personas obligari ad faciendam eleemosynam ex stricta misericordiae obligatione, non tamen ex iustitia; quod mihi est ita certum, vt oppositum sit improbabile,vt multi sentiunt hac aetate.

DVBIVM XXIX.

B *An sit probabile per Bullam Cruciatae posse absolui ab irregularitate orta ex delicto.*

NOn desunt qui affirment. Ego tamen semper existimaui eam opinionem non esse probabilem, neque tutam in praxi, de quo dixi in materia *de censuris* satis.

DVBIVM XXX.

An mereatur censuram, docere aliquem sensum Scripturae nouum, & singularem.

REspondeo si sit contra vnanimem sanctorum Patrum sensum, fore temerarium, vt minimum;si verò Patres diuisi sint, & eius sensus sit graue fundamentum, non erit dignum censura. Item C considerandum est, an talis sensus non sit contra eos,qui à Patribus traditi sunt, sed praeter illos, & hoc etiam non est dignum censura si alij non excludantur.

DVBIVM XXXI.

An mereatur censuram asserere in Deo attributa distingui ante intellectum.

MVlti putant mereri grauem censuram; alij excusant à censura propter multos viros pios ac doctos, qui illam defendunt, licèt sit falsa.

D DVBIVM XXXII.

An mereatur censuram asserere Christum in quantum hominem esse filium adoptiuum.

MVlti putant mereri grauem censuram. legatur P.Vazqoez, & P. Suarez in materia *de Incarnatione*;non desunt tamen,qui illam excusent à censura,propter graues religiosos qui illam defendunt. Mihi valde falsa & improbabilis est.

DVBIVM XXXIII.

E *An sit probabile placitum asserentium, votum castitatis, aut religionis poenale non esse reseruatum Pontifici.*

MVlti hanc sententiam docent, vt veram; alij saltim vt probabilem. Opinio est minus probabilis de voto conditionali impleta conditione.

DVBIVM XXXIV.

An possit concedi haec propositio, Christus est persona humana.

ALiqui dixerunt esse veram, quia subsistentia, & personalitas Verbi denominatur à natura humana.

humana. Existimo tamen hanc loquutionem non esse admittendam,& dignam esse graui censura,quia significat duas personalitates esse in Christo, quod est hæresis.

Dubium XXXV.

An mereatur censuram asserere hominem cognoscere euidenter suam fidem diuinam.

De hoc diximus in materia de gratia, & licèt ea opinio sit falsa, non meretur tamen grauem censuram.

Dubium XXXVI.

B

An sit probabilis opinio asserentium fidelem obligari ad credendum fide diuina, se credere fide diuina.

De hac controuersia diximus in materia *de Gratia*,opinio illa est sanè falsa, sed graues habet Doctores, & ideo non caret probabilitate.

Dubium XXXVII.

An mereatur censuram asserere Concilium aliquando adducere aliquem locum Scripturæ ad probandam suam doctrinam, & non in sensu literali.

C

Respondeo si Concilium sit Prouinciale, & non confirmatum à Pontifice, sine vllo inconuenienti potest illud dici, cùm Doctores affirment tale Concilium errare posse, & aliquando errasse, de quo in materia de Conciliis. Deinde si sit Concilium Generale,adhuc considerandum est,an definiat sensum illius loci, & confirmetur à Pontifice, tunc enim error esset dicere, non esse illum sensum literalem. Si verò Concilium non definiat talem sensum loci, sed solùm illum locum adducat, fieri potest,vt non adducat in sensu literali certo,sed iuxta sensum aliquem Patrum, vel in sensu morali, vel mystico,quod sæpe fit, vt notarunt viri docti in diuersis materiis.

D

Dubium XXXVIII.

An mereatur censuram dicere, aliquam rationem Concilij, non esse efficacem.

De ratione Concilij Prouincialis non est difficultas: deinde si Concilium sit Generale, & confirmatum, fieri potest vt ratio non sit omnino efficax. Illud tamen considerandum est, quod notare soleo,an ratio illa sit vnica definitionis,ita vt definitio non possit esse vera, nisi ratio illa sit efficax, tunc enim temerarium esset, & errori proximum, negare efficacitatem rationis illius. quæ doctrina notanda etiam est, pro definitionibus Pontificum. Addendum est,valde esse consentaneum rationi, vt viri docti laborent in explicanda ratione Concilij, aut Pontificia, quæ sæpe magni momenti esse solet, licèt ab aliquibus contemnetur facilè, quod notaueeim,quia recentiores aliqui,in materia *de adoptione, seu ingenuitate Christi*, licèt fateantur Christum, non esse filium adoptiuum,putant tamen, rationem Concilij Fra..ofordiésis,& Adriani non esse efficacem; & tamen defendunt rationem S. Thomæ. Ego verò in ea controuersia ostendi efficacissimam esse

E

rationem Concilij & Adriani,& efficaciorem ratione S.Thomæ, nisi explicetur per rationem Concilij. In ea autem disputatione, & disputatione *de seruitute*,fusè declaraui Adrianum,& Concilium rectè vsum fuisse locis Scripturæ pro sua doctrina confirmanda,& est res digna Theologo, nec semper difficilis si quis labori non pareeret.

Dubium XXXIX.

An mereatur censuram si quis dicat, Patrum aliquem, aut Doctorem Ecclesiæ vsum fuisse ratione inefficaci, vel loco Scripturæ, in sensu morali.

Ex dictis colligitur non mereri censuram, quia frequenter fit,sed curandum est semper cum reuerentia tanti Patris loqui, vbi nihil docet contra fidem sanámque doctrinam, vel sensum in Ecclesia receptum.

Dubium XL.

An mereatur censuram asserere, Christum quatuor clauis fuisse affixum cruci.

Non desunt qui ita senserint, de quo interpretes sancti Thomæ *in 3.parte*, agentes de crucifixione,& multi putant satis probabile. Et placitum videtur non mereri censuram; curandum tamen est, ne id dicatur cum vulgi scandalo, propter communem vsum Ecclesiæ,in pingendis,vel faciendis imaginem crucifixi.

Dubium XLI.

An mereatur censuram asserere, non esse de fide, matrimonium in lege euangelica conferre gratiam.

Non defuerunt aliqui sic docentes, sed post Concilium Tridentinum existimo non posse defendi, & esse doctrinam dignam graui censura erroris, quia Concilium Tridentinum definiuit, omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam, & matrimonium refert inter septem Sacramenta nouæ legis,de quo dixi in materia *de matrimonio*.

Dubium XLII.

An sit probabilis opinio asserentium, iure naturali esse validum matrimonium Eunuchorum.

De quæstione secundùm se, seclusa censura,diximus in materia *de matrimonio*. Sermo verò potest esse de matrimonio contracto ex fine copulæ inanis, & vacuæ, & de matrimonio ad castè viuendum. Et de matrimonio hoc posteriori modo contractum P. Vazquez,& alij graues Theologi, existimarunt, considerato solo iure naturæ esse validum, licèt non sit iure positiuo annullatum, & est sensus probabilis, neque meretur censuram. De matrimonio contracto priori modo, etiam non pauci dixerunt esse naturæ iure validum,licèt iam sit nullum iure positiuo, & licèt hanc opinionem existimem falsam, non auderem damnare illam.

Dubium

DVBIVM XLIII.

An sit probabilis opinio asserentium, peccatum simoniæ consideratο solo iure naturali, tantùm esse contra religionem solùm, & non contra iustitiam.

DE hac quæstione diximus 2. 2. *ad quæst.* 100. & non defuerunt aliqui ex vulgo Theologorum, qui dicerent, eam sententiam non esse probabilem; sed falluntur. nam & Doctores graues illam docuerunt, vt veram, & argumenta pro illa multam habent efficacitatem, vt constat ex his quæ attulimus *loco citato*, vbi nos eam opinionem tanquam veram sequuti sumus.

DVBIVM XLIV.

An sit probabilis opinio asserentium, humanitatem Christi habere propriam existentiam.

NOn defuerunt recentiores aliqui & homines malè cum Scoto compositi, qui ausi sint dicere, eam opinionem non esse probabilem, sed longa est, vt assolet, istorum licentia, & opinio illa non solùm est probabilis, sed vera, de qua diximus 3. *part. ad quæst.* 17. & possunt legi ibi P. Vazq. & P. Suarez.

DVBIVM XLV.

An possit concedi, vnionem humanitatis cum Verbo, esse naturalem.

ALiqui moderni putant, non posse concedi, quia illa vnio est supernaturalis, sed rectè potest concedi, quia est loquutio aliquorum sanctorum Patrum, vt refert P. Vazquez 3. *part. ad quæst.* 2. & nomen, *naturalis*, in ea loquutione, significat eam vnionem esse veram, & non phantasticam, aut apparentem.

DVBIVM XLVI.

An possit concedi, vnionem humanitatis cum Verbo esse essentialem.

ALiqui non audent concedere; sed loqutio est sanctorum Patrum, vt *loco cit.* ostendit P. Vazquez, & loquutio habet bonum sensum, nempe esse veram, & realem, vnde non significat vnionem illam factam esse in essentia primarie, quæ re vera facta est in personalitate.

DVBIVM XLVII.

An sit probabilis opinio asserentium, fœminam corruptam posse se fingere virginem, & occultare veritatem, vt contrahat matrimonium.

ALiqui putarunt, non esse licitam talem dissimulationem, & occultationem, quia decipitur homo, qui vult contrahere matrimonium cum virgine; sed hoc tempore communiter viri docti putant fœminam non obligari cum detrimento suæ famæ ad manifestandam veritatem, & mihi hæc opinio placet, non solùm vt probabilis, quod concedunt multi, sed vt vera.

A

DVBIVM XLVIII.

An mereatur censuram hæc propositio, humanitas Christi inhæret diuinitati.

REspondeo Catholicum sic loquentem non errare in re circa mysterium incarnationis, modum tamen loquendi falsum esse, & improprium, quia *inhærere* solùm dicitur de accidenti, & respectu subiecti; humanitas verò non est accidens, neque diuinitas capax subiectum accidentis. Item talis modus est singularis, contra communem vsum loquendi Doctorum in re graui sine fundamento, & ideo temerarius. Vlteriùs talis locutio fauet errori asse-
B rentium, vnionem humanitatis cum Verbo esse accidentalem, & ideo talis modus loquendi reprobandus est. Et idem iudicium est de hac propositione, diuinitas inhæret humanitati, in qua etiam est maior proprietas, propter diuinitatis immutabilitatem.

DVBIVM XLIX.

An mereatur censuram hæc propositio, si quis moriatur cum leui peccato veniali, intrabit in regnum cælorum sine transitu per purgatorium.

REspondeo propositionem esse erroneam, quia certum est nullum intrare in gloriam, nisi
C priùs mundetur à culpa, & pœna illi debita, & contra hanc doctrinam sine idoneo fundamento fingeret quis dispensationem Dei.

DVBIVM L.

An mereatur censuram asserere, quòd mendacium sit licitum in aliquo casu.

DE hoc agitur in materia *de mendacio*, & error est asserere mendacium esse licitum, licèt aliqui ex antiquis videantur id sensisse, & fortè solùm voluerunt aliquando licitum esse occultare veritatem, de quo diximus in materia *de mendacio*.

D

DVBIVM LI.

An mereatur censuram opinio asserentium species sacramentales maiorem gratiam conferre quando maioris temporis spatio perseuerant in stomacho.

OPinio asserentium hoc, est mihi improbabilis, sed non videtur mereri aliam grauiorem censuram, vt bene docent graues Theologi huius temporis.

DVBIVM LII.

E *An mereatur censuram asserere, quòd Christus, in instanti mortis, id est, in instanti separationis animæ à corpore, non satisfecerit.*

NOn defuerunt, qui putauerunt, hanc propositionem mereri aliquam censuram, eo quòd redemptio nostra tribuatur morti Christi. Verùm ea propositio verissima est. nam certa est doctrina asserentium, tempus merendi, & demerendi esse spatium vitæ, non tamen instans mortis, & separationis animæ à corpore, de quo dixi in materia *de Gratia, opusculo* 8. *disp.* 2. *dub.* 4. *in fine*, vbi retuli P. Vazq. & Suarez, & eorum loca citaui, quibus refutant

sententiam

sententiam Caietani 1.*part. quæst.* 64. *ad art.* 2. de merito in instanti mortis, quam cæteri Scholastici communiter refutant 1. *parte loco citato*. Et mihi videtur digna graui censura, quia ex Scriptura & Patribus constat hominem iudicandum secundùm id quod gessit in corpore, non in instanti separationis à corpore; quod verò adducitur de satisfactione per mortem, solùm probat, Christum meruisse per voluntatem ferendi mortem, & causas illius toto tempore, ante instans separationis animæ à corpore, vt tradunt interpretes 3. *part. ad quæst.* 19. A

DVBIVM LIII.

An mereatur censuram asserere iudicem laicum per potestatem laicam posse cognoscere causas ecclesiasticas. B

Respondeo propositionem absolutè prolatam esse errorem hæreticorum nostri temporis; si verò addatur aliqua limitatio, vel explicatio, iuxta illam erit iudicandum, an sapiat, vel non sapiat errorem, vel habeat aliquid temeritatis.

DVBIVM LIV.

An quando præceptum est, ne vllus imponat censuram alicui opinioni, sit contra tale præceptum impugnare talem opinionem testimoniis Scripturæ & Patrum. C

Aliqui seuerè loquuntur, sed sine causa, quia ea testimonia adducere, vt ex eis sumatur argumentum probabile, & ideo si nihil aliud faciat, vel dicatur, non fit contra præceptum, vt constat ex eo quòd Scholastici probant, immaculatam beatissimæ Virginis conceptionem ex testimoniis Scripturæ, & Patrum, & putant non esse contra præcepta Pontificum, & constitutiones eorum in hac materia, vt docet Scholastici, qui hoc tempore de hac re disputarunt fusè, & feliciter. legantur quæ diximus in materia *de Gratia. opusculo* 15. *cap.* 3. §. 2. vbi plura notauimus quæ ad materiam huius dubij pertinent. D Illud placet hoc loco notare, quòd licèt Pontifex præcipiat, ne aliquis priuata autoritate imponat censuram alicui propositioni, non sequitur Pontificem probare illam propositionem vt veram, quia successu temporis potest contraria definiri, autoritate Pontificis, & tunc illa alia manet damnata graui censura propter definitionem Pontificis.

DVBIVM LV.

An si quis dicat, vnam opinionem videri sibi probabiliter de fide, sit dicendum, illum imponere censuram contrariæ opinioni. E

Aliqui affirmant hoc tempore, sed falluntur, quia ex priori modo loquendi dicitur probabile esse quòd sit de fide, ex quo non sequitur contrariam esse hæreticam, quia hæresis debet esse contra id quod autoritate Ecclesiæ definitum est, non contra priuati hominis opinionem, contra quam potest esse probabilis contraria opinio, & nulla digna censura.

DVBIVM LVI.

An sit probabilis opinio asserentium, in Deo esse subsistentiam absolutam.

Non defuerunt qui dicant sententiam esse improbabilem, sed licèt mihi videatur falsa, vt docui suo loco, tamen non est improbabilis, quia graues Theologi illam sequuntur, & argumenta habet non contemnenda.

DVBIVM LVII.

An mereatur censuram asserere, quòd potest quis sumere Eucharistiam, non præuia confessione peccati mortalis quod habet.

Respondeo, hanc propositionem absolutè prolatam, esse contra Concilium Tridentinum *sessione* 13. *cap.* 7. & ita est manifestus error. Secundò dicendum est Doctores 3. *part. ad quæst.* 80. assignare aliquos casus, in quibus potest quis cum contritione sumere Eucharistiam, non præuia confessione, propter causas aliquas assignatas à Doctoribus; prædicta tamen propositio absolutè prolata, & vbi nulla assignatur causa excusans, est error.

DVBIVM LVIII.

An mereatur censuram asserere, quòd peccatum veniale de congruo mereatur pœnam æternam.

Non defuit, qui concederet hanc loquutionem, sed modus loquendi est inusus Scholasticis, neque hactenus aliquem vidi sic loquentem ex Doctoribus, qui sua scripta typis mandauerunt, & est contra rationem, quia sicut non potest esse propriè pœna, nisi propter culpam, ita neque grauis pœna potest imponi iustè propter leuem culpam; neque est congruum, vt Deus puniat veniale peccatum per se pœna æterna, modo non debito, prædictam propositionem esse plus quàm temerariam, impiam, & scandalosam, & fauet errori Michaëlis Baij asserentis peccatum veniale mereri pœnam æternam, de quo dixi opusculo contra errores Michaëlis Baij.

Sed dicet aliquis, datur meritum de congruo respectu præmij; ergo poterit dari meritum de congruo respectu pœnæ. Respondeo esse disparem rationem, quia maximè consentaneum est liberalitati Dei vt det maius præmium quàm opus meretur de condigno, & hoc dicitur meritum de congruo; iustitiæ verò Dei non congruit quòd puniat Deus maiori pœna quàm quæ opus meretur.

Iustitia postulat æqualitatem inter peccatum, & pœnam, vnde conferre pœnam maiorem quàm culpa meretur, videtur ad crudelitatem pertinere, quæ in Deo esse non potest.

DVBIVM LIX.

An mereatur censuram asserere, cæteris paribus, malitiam peccati esse maiorem in maiori peccatore, ita vt ex indignitate personæ crescat demeritum, sicut dici solet crescere meritum ex dignitate personæ.

Audiui ego aliquando virum doctum ita sentientem. Sed doctissimis viris Hispaniæ vehementer displicuit ea doctrina, & sine dubio est temeraria

temeraria, contra communem sensum Doctorum, & impugnari potest, quia vt aliquid sit peccatum mortale, non requiritur præcedens indignitas personæ, vt constat in primo peccato Angelorum, & tamen vt opus sit meritorium, requiritur præcedens dignitas personæ, ex quo non est eadem ratio vtriusque; ergo non mirum si ex indignitate personæ, non crescat indignitas peccati. Item peccatum veniale non requirit indignitatem personæ, quia in homine iusto, & sancto esse potest. Errat prætetea prædictus vir existimans hoc pendere ex voluntate libera Dei: sed fallitur, quia si ea indignitas influeret in opus, ex natura rei influeret, sicut dignitas personæ influit in opus bonum.

Dubium LX.

An sit probabile asserere, lumen gloriæ habere vim iustificandi formaliter.

DE hoc dixi in materia *de Gratia*, opusculo de forma sanctificante, & posito quòd visio beata sanctificet formaliter, mihi est valde probabile ipsum lumen gloriæ habere vim iustificandi formaliter, vt tradidi *loco citato*, quidquid reclament aliqui parum docti, ad quos ea doctrina nondum peruenerat, vnde non mirum si insolentia quæstionis offendantur.

Dubium LXI.

An mereatur censuram asserere quòd fœmina ex dispensatione Pontificis possit suscipere ordinem sacrum.

NOn defuit qui hoc doceret, & omnes viri docti in Hispania iudicarunt doctrinam esse dignam censura grauissimæ temeritatis, & scandali, traditio enim, vt vsus Ecclesiæ ostendit, iure diuino fœminam esse ordinis sacri incapacem, de quo in materia *de ordine*.

Dubium LXII.

An mereatur censuram asserere, in Patre æterno, non esse integram potentiam spirandi.

NOn defuit aliquis, qui interdum docuit non esse in Patre æterno integram potentiam spirandi: sed prædicta propositio est error iudicio bonorum Theologorum, quia, vt affirmant politiores Theologi in materia *de Trinitate*, paternitas, & filiatio non sunt de ratione personæ spiratiuæ, sed comitantur aliquo modo vt conditiones tenentes se ex parte principij.

Dubium LXIII.

An post motus proprios Pontificum prohibentium, vt Religiosi ne intersint agitationi taurorum, sit probabilis opinio asserentium posse religiosos interesse tali ludo sine peccato mortali.

REspondeo, iudicio sapientum placitum esse omnino improbabile, scandalosum, & parum tutum in praxi, quod nullum habet probabile fundamentum, contra apertum præceptum Pontificum.

A

Dubium LXIV.

An mereatur censuram asserere, quòd delectatio venerea in materia graui non sit peccatum mortale, nisi ratione periculi in consensu, ad faciendum opus.

REspondeo mereri grauem censuram, & damnatam esse in vltimo expurgatorio sanctæ Inquisitionis, in Indice autorum Catholicorum, quibus cautio, aut explicatio adhibetur *pagina* 29. & notatur contra Cordubam *libro* 1. *quæstionarij quæst.* 23. *dub.* 11. qui deceptus existimauit esse probabilem, & non solùm est improbabilis, sed scandalosa, & temeraria, & proxima errori, vel erronea, quia est contra B omnes Doctores. Secundò, quia Scriptura & Patres docent, in actu voluntatis esse peccatum graue in hac materia, sicut in actu externo.

Dubium LXV.

An mereatur censuram asserere religionem S. Francisci quantum ad existentiam, esse de iure diuino.

DOcuit hoc aliquando quidam recens autor, sed notata est in expurgatorio vltimo sanctæ Inquisitionis, & multi viri docti in Hispania iudicarunt vt minimum esse temerariam, fingit enim ius C diuinum nouum sine fundamento.

Dubium LXVI.

An mereatur censuram opinio asserentium, matrimonium per procuratorem, inter homines baptizatos, non esse Sacramentum.

DE hac controuersia diximus in materia *de matrimonio*, & multi existimant non solùm esse improbabilem, sed planè temerariam, contra communem sensum, sine vllo probabili fundamento, & D quia recens autor dixit esse probabilem, notatur in expurgatorio sanctæ Inquisitionis, cautè legendus.

Dubium LXVII.

An mereatur censuram placitum asserentium in sacramento matrimony formam esse verba sacerdotis.

DE hoc diximus in materia *de matrimonio*, & retuli Bellarminum *tomo* 2. agentem de matrimonio, *à cap.* 6. qui dixit esse temerarium placitum, & hæresim 2. *part. quæst.* 42. *art.* 1. *definitione* 4. vbi dixit post Concilium Tridentinum non esse probabi- E lem sententiam, & recentiores in materia *de matrimonio* grauiter reprehendunt illam sententiam, & plus est quàm temeraria, quia ex sensu Ecclesiæ post Concilium Tridentinum iudicatur matrimonium validum, si cætera adsint, & parochus sit præsens, etiamsi nihil loquatur. Alia attulimus in materia *de matrimonio*: solùm aduerto recentiorem Thomistam quendam, notatum esse in materia *de matrimonio*, quòd dixerit sententiam relatam esse probabilem; & in margine dicitur, cautè legendum.

Dubium

DVBIVM LXVIII.

An possit probabiliter negari auxilium gratiæ ordinis naturalis secundùm substantiam ad bene operandum opera moralia virtutis acquisita.

DE hoc auxilio tractaui in materia *de Gratia, opusculo* 11. & ostendi sensum esse multorum Scholasticorum, concedendum esse tale auxilium, quod probaui autoritate & ratione, propter quæ aliqui viri docti docuerunt oppositam sententiam non esse probabilem, & mihi videtur absurda, & aliena à sensu Patrum, & multorum Scholasticorum; nec desunt qui putent, eam opinionem dignam esse nota non leui.

Sciendum autem est, aliquos recentiores concedere, esse auxilium naturale secundùm substantiam, iuuátque ad bene operandum; qui tamen nolunt concedere esse gratiam per Christum, sed appellari posse fauorem Dei; verùm, vt alibi dixi, auxilium ad bene operandum communiter appellatur à Patribus gratia per Christum. legantur quæ diximus *opusculo citato dubio* 3.

DVBIVM LXIX.

An mereatur censuram asserere, quòd Deus erga seipsum non habeat actum amoris.

NOn defuit aliquis, qui ita loquéretur, ex eo quòd amor abstrahit à præsentia obiecti. nam de bono præsenti potius dicitur delectatio, & gaudium, quàm amor: sed propositio absolutè prolata erronea visa est multis, propter testimonia Patrum, & Scholasticorum, qui dicunt Deum seipsum amare, & diligere, & creaturas velle propter seipsum, & manifesta ratione probaui suo loco Deum se amare, & habere amorem sui, etiamsi voluntas Dei versetur circa ipsum vt existentem, sicut & nos possumus Deum diligere, vt existentem.

DVBIVM LXX.

An sit probabilis opinio asserentium, simoniam formaliter non opponi iustitiæ, sed religioni.

DE boc diximus 2.2 *ad quæstionem* 100. & ea opinio non solùm iudicata est probabilis, sed vera, contra aliquos recentiores; potest tamen simonia habere admixtam maliriam iniustitiæ, cum obligatione restituendi.

DVBIVM LXXI.

An mereatur censuram asserere, quòd iustus per bona opera non mereatur de congruo gloriam corporis.

REspondeo hunc fuisse errorem Michaëlis Baij damnatum à Pio V. & Gregor. XIII in Bulla contra errores eius autoris, de qua diximus in materia *de merito*, & opusculo contra errores Baij, vbi assignamus determinatam censuram.

DVBIVM LXXII.

An mereatur censuram placitum asserentium, in purgatorio detineri aliquando animam, cum sola pœna damni, absque vlla sensus.

LEgantur de hoc Bellarmin. & alij agentes de purgatorio, & propositio est digna graui censura, non solùm temeritatis, sed erroris, iudicio multorum, quia est contra commonem sensum fidelium.

DVBIVM LXXIII.

An sit probabile placitum asserentium Christum non fuisse verè, & propriè Prophetam.

DE hoc diximus 3. *part.* in materia *de Incarnatione*, & multi huius ætatis meritò docuerunt illud placitum non esse probabile, est enim sine idoneo fundamento, contra communem sensum Scholasticorum, & parum consentaneum modo loquendi Patrum, imò aliqui seuerè reprehendunt illam sententiam.

DVBIVM LXXIV.

An mereatur censuram asserere licitum esse sumere, vel applicare medicinam prouocatiuam effusionis seminis.

DE hac quæstione alibi diximus; & primò, si nullum alium habeat effectum, non est illicitum, & oppositum asserere est improbabile, & dignum graui censura, temeritatis saltem, quia illicitum est procurare pollutionem, per medium contra naturæ ordinem. Secundò si medicina habeat alium effectum vtilem quem ius intendit, licitum est applicare talem medicinam, non intendens pollutionem. Multa sunt exempla in materia de peccatis, legantur Doctores agentes de delectatione morosa, vel de præcepto fornicationis. Et hæc opinio non solùm est probabilis, sed vera, & idem iudicium est de alia causa pollutionis, quæ de se non est intrinsece mala. Et ex hac doctrina possunt excusari à censura multa quæ docuit P. Thomas Sanchez in materia *de matrimonio*, agens de actu coniugali, quæ homines aliqui non bene cum illo compositi reprehendunt iniustè, quæ multi viri docti, & pij à censura liberant.

DVBIVM LXXV.

An sit probabilis opinio asserentium posse vnum locum Scripturæ habere plures sensus literales.

NOn defuerunt, qui negarent; sed reuera est opinio probabilis, ita tamen intelligenda, vt vterque sensus quadret in contextum, & non sint contrarij, de quo alibi, de quo rectè philosophatur P. Vazquez 1. *part.* agens de sensibus Scripturæ, tomo 1.

DVBIVM LXXVI.

An sit probabilis opinio asserentium, non peccare mortaliter illum, qui in primo instanti vsus rationis non conuertitur in Deum.

ALiqui ita defendunt contrariam opinionem, vt dicant hanc esse improbabilem: sed falluntur sanè, & non solùm est probabilis, sed vera, vt recentiores multi probant in materia *de peccatis*. Vnde etiam est probabile posse esse peccatum veniale cum originali sine peccato mortali actionis.

DVBIVM LXXVII.

An sit probabile placitum asserentium, in articulo mortis præsente parocho, posse quemlibet sacerdotem absoluere hominem moribundum.

REspondeo, non defuit qui diceret id esse licitum. Sed communis opinio contrarium docet, & P. Molina 4. *tomo de iustitia, disp* 63. dicit contrariam esse damnatam à Gregorio XIII. & ego existimo eam opinionem non esse probabilem; & quod dixit Concilium Tridentinum in articulo mortis posse quemlibet sacerdotem absoluere, intelligendum est de articulo mortis, & necessitatis, quando non est ibi proprius parochus, huic enim necessitati, voluit Ecclesia succurrere, vt putant communiter Doctores, & propter tale periculum mortis, probabilior opinio est eligenda, ne homo damnetur in æternum, si minus probabilis sit falsa opinio.

DVBIVM LXXVIII.

An mereatur censuram asserere, posse per Astrologiam cognosci futura contingentia.

REspondeo, de hoc diximus suo loco ex instituto, & est placitum plenum erroris, vnde & seuerè sunt puniendi, qui putant posse Astrologum per astra diuinare quis fecerit furtum, aut vbi sit qui fecit, in quo valde deceptus est vulgus, cui tale genus diuinandi multum placet, res est iam quæ pertinet ad iudicium sanctæ Inquisitionis.

DVBIVM LXXIX.

An mereatur censuram asserere, carnem Christi desumptam esse ex semine B Virginis.

NOn defuit qui diceret, esse placitum probabile; sed meritò multi graues Theologi hac ætate docuerunt omnino esse improbabile, imò aliqui grauiori censura illam sententiam notarunt, quibus pluries repugnat.

DVBIVM LXXX.

An sit probabilis opinio negantium, Deum esse in spacijs imaginarijs extra cœlum.

NOn defuerunt, qui audacter dicerent, opinionem esse improbabilem. Sed decipiuntur, cùm sit grauissimorum Theologorum, de qua controuersia disputant interpretes S. Thomæ *in principio primæ partis, ad q.* 8o. de existentia Dei in rebus.

DVBIVM LXXXI.

An sit probabilis opinio asserentium, quantitatem necessariam ad peccatum mortale furti, esse quantitatem 12. argenteorum.

DE hac quæstione dixi in materia *de furto*, & multis placet eam opinionem non esse probabilem, neque tutam in praxi, quibus ego subscribo.

DVBIVM LXXXII.

An sit probabile concedere, Angelum quando non operatur esse nullibi.

ALiquibus videtur hoc improbabile, sed licèt mihi videatur falsum, tamen improbabile dici non potest, quia est multorum Theologorum existimantium, Angelum non esse in loco, nisi per operationem transeuntem, de qua controuersia in materia *de Angelis*, à nobis disputatum est.

DVBIVM LXXXIII.

An mereatur censuram asserere, quòd compositio ex diuina & humana natura in Christo, non sit propriè compositio.

DE hoc disputatur 3. *part. S. Thomæ, ad quæstionem* 2. & non defuerunt, qui negarent esse propriè compositionem; alij eam doctrinam seuerè reprehendunt. Ego existimo esse compositionem verè & propriè, vt probaui 3. *parte ad quæst.* 2. & opposita sententia mihi est omnino improbabilis, propter ea quæ adduxi *loco citato*.

DVBIVM LXXXIV.

An sit probabilis opinio asserentium, personam diuinam posse hypostaticè assumere immediatè formam accidentalem separatam à substantia.

NOn desunt, qui ita sentiant, vt retuli in materia *de Incarnatione*, & si rationem, quam ibi attulimus, consideremus, parum habet probabilitatis, secus si consideremus autoritatem Doctorum, qui illam defendunt, nec meretur censuram, quid aliqui velint.

DVBIVM LXXXV.

Quam mensuram mereatur asserere, aliquem sanctum habere tantam gratiam, quam habuit B. Virgo.

DE hoc legantur Doctores agentes de sanctitate Virginis 3. *part. ad quæstionem* 27. ego existimo hanc propositionem esse manifestum errorem, contra communem doctrinam omnium Sanctorum agentium de sanctitate Virginis, qui docent B. Virginem habuisse maiorem gratiam, quàm quælibet pura creatura, & sequuntur Scholastici sine controuersia, & idem iudicium est de quantitate gloriæ.

Dvbivm LXXXVI.

Quam censuram mereatur asserere, quòd seclusa vnione hypostatica Maria Magdalena haberet tantam gratiam, quantam habuit anima Christi.

SIc fertur dixisse quidam concionator, & si de facto intelligatur, est hæretica propositio: si de possibili, licèt esset possibile, tamen sine fundamento idoneo diceretur, & esset temeraria vt minimum.

Dvbivm LXXXVII.

An mereatur censuram opinio asserentium, aliquibus paruulis, qui moriuntur ante vsum rationis, non concessisse Deum auxilia sufficientia.

REspondeo, opinionem esse grauissimorum Doctorum. legatur P. Vazquez 1. *parte*, in materia *de prædestinatione*, & existimo non mereri censuram: in materia autem *de prædestinatione*, ego contrariam opinionem docui. Addendum est priorem opinionem non posse defendi, vt concedamus Christnm pro omnibus fuisse mortuum, quantum ad sufficientiam.

Dvbivm LXXXVIII.

An mereatur censuram asserere propter peccatum primi parentis amisisse nos auxilia omnia sufficientia.

DE hoc in materia *de gratia*, disputant Doctores. & dicendum est, non amisisse nos omnia auxilia sufficientia naturalis ordinis, & sequeretur quòd quodlibet auxilium sufficiens naturalis ordinis esset gratia per Christum, quod concedi non potest, vt suprà diximus.

Dvbivm LXXXIX.

An mereatur censuram asserere, gratiam Christi fuisse finitam.

ALiqui putant, non mereri censuram talem propositionem, quia gratia habitualis Christi est finita, & multi cum Scoto docent, vnionem hypostaticam non sanctificare humanitatem Christi. Ex quo sequitur humanitatem Christi non habuisse aliquam gratiam infinitam. Ego verò existimo, primò, non mereri censuram si quis dicat gratiam habitualem Christi fuisse finitam secundùm intentionem, est enim hæc commu- E
nis opinio Doctorum in materia *de Incarnatione 3 part. ad quæst.* 7. Secundò existimo non esse absolutè concedendum gratiam Christi esse finitam, quia etiamsi aliqui dicant vnionem hypostaticam non sanctificare, tamen docent gratiam habitualem Christi saltem ex ordinatione Dei esse infinitam, sicut & eius meritum. Tertiò existimo propositionem illam absolutè prolatam, non esse admittendam, quia est contra communem sensum Patrum & Scholasticorum, neque caret aliqua temeritate, nisi ex circunstantiis explicetur.

A

Dvbivm XC.

An mereatur censuram asserere, Paulum in raptu cognouisse, animam suam non fuisse separatam à corpore.

REspondeo, Athanasium *sermone* 4. *contra Arrianos*, sic fuisse locutum, putant enim Saulum dixisse 2. ad Corinth. 12. *siue in corpore, siue extra corpus, nescio*, non quia illud ignorauerit, sed quia nesciebat illud ad hoc vt reuelaret. Ego tamen existimo sensum Athanasij esse contra communem sensum Pauli interpretum, neque ab aliquo esse vsurpandam in sensu Athanasij, neque
B absolutè proferendam contra textum citatum Pauli, absolutè enim prolata esset scandalosa, & temeraria, & in specie contra Paulum, de cuius sensu dixi 2. 2. *ad quæstionem* 175. legatur S. Thomas *ibi artic.* 6.

Dvbivm XCI.

An sit probabilis opinio asserentium, matrimonium infidelium quando conuertuntur ad fidem non conferre gratiam ex opere operato.

DE hac controuersia diximus in materia *de*
C *matrimonio*, & non defuerunt hac ætate viri audaces, qui dicerent hanc opinionem esse dignam censura graui, sed loquuntur sine fundamento aliquo idoneo, & multi viri docti dixerunt esse probabilem sententiam, alij docuerunt esse veram, & hoc placitum probaui ego in materia *de matrimonio*.

Dvbivm XCII.

An sit probabilis opinio asserentium iuramentum seruandi castitatem non esse reseruatum Pontifici, licèt votum sit reseruatum.

D

NOn desunt, qui ita sentiant, sed mihi falsa, & improbabilis est opinio, quia tale iuramentum planè includit promissionem factam Deo, ac proinde includit votum quod est reseruatum, quæ ratio manifestè refutat contrarium placitum.

Dvbivm XCIII.

Quam censuram mereatur asserere, donum linguarum concessum Apostolis, solùm in eo consistere, vt quando ipsi vnam linguam loquebantur, alij omnes intelligerent, licèt essent gentes diuersarum linguarum.

DE hoc dixi 2. 2. agens de dono linguarum, & dicendum est esse errorem in fide negare Apostolos habuisse donum ad loquendum in qualibet gentium lingua, & intelligendi gentes loquentes in propriis linguis, in hoc enim propriè consistit donum linguarum.

* * *

Dubium XCIV.

An sit probabile asserere, quòd non sit beatificatus ille de quo potest dici Missa; & recitari officium de confessore non Pontifice, si in Breui concedatur hoc, & fiat mentio de appellatione Beati.

NOn defuit in Hispania quidam Archiepiscopus, cum nostra Societate non bene compositus, qui diceret Patrem nostrum Franciscum de Borja non esse beatificatum, etiamsi concessisset Pontifex, vt Patres Sacerdotes in die obitus illius possint dicere Missam, & recitare officium de confessore non Pontifice, quia in tali Breui, & concessione Pontifex non fecit mentionem appellationis Beati.

Sed placitum est omnino improbabile contra communem sensum Ecclesiæ, & doctissimorum curiæ Romanæ. Et ratio est, quia beatificatio præcipuè consistit in facultate deferendi homini cultum sacrum autoritate Ecclesiæ, iuxta ea quæ diximus *a. 2. ad quæstionem 1.* agentes de beatificatione. Deinde si conceditur facultas dicendi Missam, & officium confessoris non Pontificis, in orationibus illius, quibus vtitur Ecclesia, in Missa, & in officio ille appellatur Beatus; ergo ex hac parte non deficit ratio beatificationis, quamuis, vt dixi, non sit necessarium hoc concedere expressè, sed satis est concedere facultatem dicendi officium diuinum, & Missam modo prædicto, & facta ea concessione, sequitur vt possit appellari Beatus. Et prædictum placitum non solùm est improbabile, sed scandalosum, & temerarium, & Romæ viris doctis visum est nullum habere fundamentum.

Dubium XCV.

An sit probabilis opinio asserentium, non esse peccatum mortale, quòd Sacerdos existens in mortali, ministret sacramentum Eucharistiæ, quod in gratia consecrauerat.

DE hoc agunt Doctores in materia *de sacramentis in genere*, & docent necessarium esse, vt ministrans Sacramentum sit in statu gratiæ, aliàs peccare mortaliter, quod P. Vazquez in materia *de Sacramentis in genere* intelligit, quòd ministrans Sacramentum faciat illud, non tamen quando solùm administrat Sacramentum priùs factum, quod potest contingere in administratione sacramenti Eucharistiæ. quam doctrinam non solùm probabilem, sed verani existimo. legatur P. Vazquez *loco citato*.

Dubium XCVI.

An sit probabilis opinio asserentium, non esse peccatum accedere ad Eucharistiam, illum qui cum vxore habuit copulam coniugalem honestam.

MVlti putant esse peccatum veniale irreuerentiæ, sed hoc non satis efficaciter probant, considerato solo iure naturali, & ideo contrarium non solùm est probabile, sed verum, de quo in materia *de Eucharistia*.

Dubium XCVII.

An sit probabilis opinio asserentium, testamentum minus solemne esse validum in foro conscientiæ.

GRauis est controuersia in materia *de testamentis*; sed negare non possumus eam opinionem non esse probabilem, quia & graues habet Doctores, & probabiliter satisfit argumentis contrariæ opinionis. legatur P. Molina in materia *de testamentis*.

Dubium XCVIII.

An sit probabile, pragmaticam tritici taxantem pretium, non obligare tempore quo est magna inopia tritici.

SCio aliquos existimare non esse probabile. Ego tamen non audeo id affirmare, quia hoc esset dicere legem esse iniustam, quod non caret temeritate, præsertim cùm legislator, & eius consiliarij agnoscentes vim statuti, & conditionem temporum, velit eam legem obseruari, & decernat violatores esse puniendos.

Dubium XCIX.

An mereatur censuram asserere, aliquem præter Moysem, & Paulum vidisse diuinam essentiam in hac vita.

DE qualitate huius doctrinæ controuersia est hoc tempore inter graues viros. Mihi videtur non esse hoc asserendum sine grauissimo fundamento, quia de Paulo, & Moysi negant multi Patres, & viri grauissimi. Et quia in aliis non erit facilè inuenire graue fundamentum ad hoc asserendum, quod pendet ex sola voluntate Dei, & res est magni momenti, legatur Ægidius *libro 12. de beatitudine, quæstion. 8. articul. 4. numer. 13. in fine*, vbi refert aliquos sensisse esse dignum censura asserere, quòd sanctus Benedictus viderit diuinam essentiam; ipse tamen Ægidius cum P. Salas ibi citato docet, non esse eam opinionem dignam censura.

Dubium C.

An mereatur censuram asserere, quòd quando Christus descendit ad inferos, per eius præsentiam aliqui sint liberati à pœna.

NOn defuit hoc tempore vnus, vel alter, qui ausus fuerit hoc dicere, quod multi viri docti huius ætatis grauiter reprehendunt, & putant dignum esse grauissima censura; alij docent excusari non posse à censura temeritatis grauissimæ. Et sanè necessarium est seueritate theologica in his, & similibus placitis in genere coërcere.

A

CENTVRIA III.

DVBIVM I.

An sit probabile placitum aliquorum asserentium, non posse confessorem pro pœnitentia sacramentali imponere pœnitenti, vt faciat opus aliquod pœnale pro animabus purgatorij.



NON defuit hoc tempore qui ita sentiret, & probat, quia satisfactio sacramentalis debet esse satisfactio pœnitentis pro suis peccatis: ergo non potest esse satisfactio pro alio, ac proinde neque pro anima purgatorij. Ego existimo primò, remissionem pœnæ quæ fit ex opere operato, non posse alteri applicari, quia est effectus Sacramenti, & solùm datur recipienti Sacramentum. Secundò existimo, remissionem pœnæ quæ respondet satisfactioni ex opere operantis, posse applicari alteri, sicut in quolibet alio opere satisfactorio, quia ex institutione Sacramenti non est applicata soli operanti, neque obligatur operans ad non applicandum illam alteri, non enim constat de tali institutione, & voluntate Christi; quòd verò dicitur satisfactionem illam ordinari in bonum pœnitentis, verum est in hoc sensu, quòd ipse debet pati, quam opus pœnale causat, non tamen ita, vt non possit applicare præmium illius satisfactionis, quod est remissio pœnæ temporariæ ex opere operantis, & licèt obligetur pœnitens ad faciendam satisfactionem illam, & ferendam aliquam pœnam, tamen non obligatur ad faciendum illud in statu gratiæ, & sanctitatis.

B

C

Sed obiiciunt, illud opus esse partem Sacramenti; ergo nihil illius potest pœnitens applicare pro alio. Respondeo, antecedens esse verum, & consequutionem inefficacem, quia illud opus habet aliquid ex opere operantis pro præmio, quod non datur intuitu satisfactionis, vt est pars Sacramenti, & illud potest alteri applicare. Item ex eo quòd sit pars Sacramenti, non est institutum, quòd pœna illius ex opere operantis sit effectus Sacramenti, primò, quia non constat de tali institutione, secundò, quia aliàs sequeretur illud opus non habiturum talem effectum, si non præextitisset Sacramentum, quod non potest sine errore concedi.

D

Dices, aliquos sentire, opus satisfactorium quod imponitur pro pœnitentia, non habere aliam remissionem pœnæ ex opere operato, nisi illam quam habet ex opere operantis. Respondeo hanc doctrinam esse improbabilem, & contra communem sensum Doctorum, qui in effectibus Sacramentorum semper cognoscunt aliquid pro effectu ex opere operato ex institutione distincta ab effectu ex opere operantis, & oppositum non dicitur sine aliqua temeritate.

E

Ex his omnibus colligitur, parum habere probabilitatis opinionem relatam in principio huius quæstionis asserentium, non posse pro pœnitentia sacramentali imponi pœnitenti recitationem Rosarij, aut aliud opus pœnale applicandum pro anima purgatorij.

DVBIVM II.

An sit probabilis opinio asserentium, satisfactionem sacramentalem ex opere operato non habere alium effectum remissionis pœnæ, nisi quem habet ex opere operantis.

NON defuerunt qui dicerent, hanc opinionem esse probabilem, licèt sit falsa. Ego verò existimo, esse plusquam improbabilem, quia in omnibus Sacramentis effectus qui respondet illis ex opere operato, est distinctus ab eo, qui respondet ex opere operantis, siue loquantur de effectu gratiæ, siue de effectu remissionis pœnæ temporariæ; ergo sine idoneo fundamento, & contra communem sensum dicitur contrariũ de satisfactione sacramentali quando impletur in statu gratiæ & sanctitatis. Vnde semper mihi visum est eam opinionem non carere temeritate, & sic censuranda est.

DVBIVM III.

An sit probabilis opinio asserentium, solùm esse peccatum veniale iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali.

DE hac quæstione diximus in materia *de iuramento*, neque desunt qui eam opinionem amplectantur, sed alij putant improbabilem, quia si adducitur Deus vt fideiussor peccati faciendi, grauis iniuria illi infertur, contra summam bonitatem illius. quæ ratio efficacissima est contra illam opinionem, neque video pro illa opinione aliquod idoneum fundamentum, vnde mihi non est probabilis.

DVBIVM IV.

An possit concedi hæc propositio: Qui manducat Eucharistiam, manducat Trinitatem.

NOn defuit concionator qui ita loqueretur, & probabat ex opinione aliquorum, qui ducunt in materia *de Eucharistia*, Patrem, & Spiritum sanctum, aliquo modo esse præsentes speciebus consecratis, propter identitatem essentiæ cum filio. Sed multi viri docti existimant, eam propositionem non posse concedi, quia licèt Pater & Spiritus sanctus, sint aliquando præsentes speciebus sacramentalibus, tamen non sunt ibi tanquam aliquid pertinens ad integritatem Christi, propter quod existimo nullo modo esse probabilem talem modum loquendi, & esse contra communem sensum Doctorum in re grauissima.

DVBIVM V.

An mereatur censuram opinio asserentium, actum fidei diuinæ esse necessarium quantum ad specificationem.

NOn defuerunt, qui ita sentirent, de qua controuersia dixi in materia *de fide* a. 2. *ad q.*2. Multi censent eam opinionem mereri censuram grauem, quia sancti Patres docent actum fidei esse licitum propter obscuritatem, & ideo Concilium Arausicanum requirit pium affectum voluntatis ad credendum, & ideo non auderem excusare eam opinionem à censura temeritatis, vt minimum.

DVBIVM

Dvbivm VI.

An mereatur censuram, qui graui censura notat propositionem, quæ illam non meretur.

VAriis modis potest hoc contingere; & Primò si propositionem de fide appellet quis hæreticam, ipse est hæreticus, & meretur talem censuram.

Secundò si quis propositionem veram, certam, & traditam communiter à Doctoribus appellet temerariam, ipse est temerarius fine dubio, & ex his facile est de similibus iudicare. Et tales censuras posse esse scandalosas, & vt tales damnari, constat ex his, quæ diximus contra errores Michaeliis Baij inter opuscula *de gratia*.

Tertiò fieri potest, vt quæstio sit de aliqua propositione, an mereatur, vel non mereatur censurá, quia est controuersia apud Doctores, & tunc bene potest aliquis probabiliter docere eam opinionem esse dignam censura, licèt alij dicant talem propositionem non mereri censuram, quod frequenter contingit, & idem iudicium est, si omnes sentiant, aliquam propositionem mereri censuram, & controuersia sit circa gradum censuræ, maiorem, vel minorem.

Dvbivm VII.

An mereatur censuram asserere, quòd potestas & iurisdictio Ecclesiastica sit radicata in potestate Regia seculari.

NOn defuit hoc tempore quidam Iurista, qui ita loqueretur; sed propositio est, quæ grauem censuram meretur, nam significat, potestatem & iurisdictionem ecclesiasticam originem ducere ex potestate Regia seculari, quod est erroneum. nam potestas ecclesiastica ita diuersa est à seculari, vt originem ducat à Christo instituente illam in Ecclesia, quando instituit Apostolos, Pontifices, & Episcopos, & Sacerdotes, & ita nullus Rex habet potestatem instituendi iurisdictionem ecclesiasticam, neque iurisdictio ecclesiastica est subiecta potestati Regiæ, neque vllus catholicus ita sensit, vel loquutus est.

Dvbivm VIII.

An mereatur censuram qui diceret, quæro, & desidero inuenire dictamen, docens, fornicationem simplicem non esse peccatum.

NOn defuit Sacerdos parum honestus, qui ita loqueretur, & sanè si hoc dixit non ioci causa, sed grauiter, & seriò, suspectus est de recta fide in hac materia, quia non iudicet certum, quòd simplex fornicatio sit peccatum, & tamen res est certissima secundùm catholicam doctrinam.

Dvbivm IX.

An sit probabilis opinio asserentium, posse Sacerdotem sacrificium Missæ pro vno in primo loco, & pro alio in secundo loco offerre? & pro quolibet proprium stipendium, seu eleemosynam accipere.

SVppono probabilem opinionem, quam sequuntur P. Vazquez *tomo 3. in 3. partem*, in materia *P. Luisij de Torres select. disp. Pars I.*

A *de sacrificio Missæ*, quod sacrificium oblatum pro pluribus, tantum prodest cuilibet, sicut si pro vno tantùm offeretur. Hac doctrina præmissa multi viri docti, & pij eam sententiam putant veram, alij probabilem, & multi religiosi eam amplectuntur in praxi, vt testantur viri fide digni. Sed P. Vazquez *tomo 3. citato, disputat 234, cap. 4. num. 15.* dicit eam sententiam omni prorsus probabilitate carere. Ego sanè illam neque consulerem, neque auderem amplecti in praxi.

Dvbivm X.

B *An sit probabile, posse aliquem obligari offerendi vnum sacrificium per secundam intentionem, quando pro illo non accipit stipendium, sed solùm pro prima intentione.*

IN hoc casu multis videtur probabile id posse fieri, qui contrarium docent, loquuntur in eo sensu, vt non possit quis plura stipendia petere & accipere. Sed in hoc considerandum est, an obligatio illa offerendi sacrificium oriatur ex voto, & consideranda est intentio vouentis, vel oritur ex præcepto confessarij imponentis pœnitentiam sacramentalem, & videnda est intentio confessarij, vel oritur ex præcepto superioris, & ponderanda est intentio illius, ex circumstantiis materiæ, & C personarum.

Dvbivm XI.

An mereatur censuram asserere, quòd qui obseruat legem naturalem, saluabitur.

ALiqui ex antiquis ita loquuti sunt, & propositio potest ita intelligi, vt qui seruauerit legem naturæ ex viribus naturæ saluabitur, & in hoc sensu est manifestus error. Alio modo potest intelligi, vt obseruata lege naturæ, id est, obseruatis solis præceptis, quæ lumine naturæ cognoscun- D tur absque aliquo actu supernaturali, saluabitur quis, & hic sensus etiam est error, quia sine fide impossibile est placere Deo, *ad Hebreos 13. cap.* ex quo in materia *de fide*, & in materia *de gratia*, diximus.

Alio modo potest intelligi de lege naturali, vt distincta à positiua, ita vt seruatis præceptis Decalogi, & præcepto fidei, spei, & charitatis supernaturalis potest quis saluari, ex gratia Christi, si habeat ignorantiam præceptorum, quæ positiua sunt, & hic sensus verus est, & catholicus.

Dvbivm XII.

E *An mereatur censuram asserere, quòd in lege naturali, ante legem scriptam potuerit aliquis saluari sine actu charitatis.*

REspondeo, mereri censuram erroris, quia tunc pro adultis non fuit Sacramentum causantis gratiam cum sola attritione, sicut est in lege euangelica: ex opere autem operantis nullus potest saluari sine actu contritionis perfectæ, quia est actus charitatis, vt alibi diximus.

***

Dubium XIII.

An mereatur censuram opinio asserentium B. Virginem non habuisse vsum rationis in primo instanti sua conceptionis.

Respondeo, ea opinio grauissimorum Doctorum est, nullámque meretur censuram. Sed contraria est probabilior, de qno alibi dictum est, & tractant Theologi *ad 1. part. sancti Thomæ*, agentes de B. Virgine.

Dubium XIV.

An sit probabile B. Virginem habuisse scientiam euidentem, & claram supernaturalem infusam.

Aliqui dixerunt rem esse incertam, alij non esse satis probabilem, sed reuera est valde probabilis, & mihi videtur vera, de quo legi potest P. Suarez *tom. 2. in 3. part.* agens de hac re.

Dubium XV.

An mereatur censuram asserere, quòd Christus venit in mundum solùm propter docendam humilitatem, vel paupertatem, aut obedientiam.

Ita solent loqui antiqui Magistri vitæ spiritualis, aut Patres, dum de speciali aliqua virtute sermonem fecerunt. legatur Ambrosius in illud Psal. 118. *Adolescentulus sum ego.* Respódeo tales propositiones ex contextu explicandas esse, & sæpe significant exaggerationem aliquam de excelléntia alicuius virtutis, aliàs absolutè falsam continent doctrinam, & existimo Patres piè explicandos, eas tamen loquutiones à nobis vitandas, in quo sępe delinquunt concionatores, seuerè reprehendendi.

Dubium XVI.

An sit probabilis opinio asserentium, posse vendi habitum militarem D. Iacobi, Alcantara, & Calatraua fine peccato simonia.

De hac controuersia dixi in materia *de Simonia.* Pro præsenti instituto dico, multos viros pios, & doctos nostræ Societatis existimare non esse simoniam talem venditionem, & ita sentire aliquos, refert P. Azor *tom. 1. lib. 13. cap. 6. quæst. 3.* & plane sequitur ex eo quod docet Sarmiento cum aliis *in 1. parte, defensionum monito 56.* & pro hac opinione refert Panormitan. *in rubrica de regularibus, num. 1. colum. penult. in fine*, hos milites neque propriè, neque impropriè esse personas ecclesiasticas, nec religiosos, sed laicos, & seculares.

Alij verò viri docti huius ætatis, licèt eam opinionem existiment falsam, putant tamen probabilem, & ideo non andere damnare vsum, quo Reges solent concedere habitum alicui, vt det filiæ suæ in dotem, qui habitus censetur pretio æstimabilis, vt detur vel pro integra dote, vel pro parte dotis.

***

A

Dubium XVII.

An sit probabilis opinio asserentium, posse vendi commendas sine simonia.

Affirmant multi, qui putant veram opinionem asserentium tales commendas non esse aliquid spirituale, de qua quæstione dixi in materia *de Simonia*, & tenent prædictam opinionem multi viri doctissimi huius temporis, quos retuli *loco citato*, & plures alij, & ita negare non possumus esse probabilem, & securam in praxi.

B

Dubium XVIII.

An sit probabile asserere, milites S. Ioannis non esse Religiosos.

Non defuit, qui ita sentiret; sed omnino improbabile est, vt multi sentiunt, & constabit ex dicendis infrà de essentia status religiosi.

Dubium XIX.

An mereatur censuram qui diceret, historiam alicuius Sancti receptam ab Ecclesia, in Breuiario approbato, non esse certam.

C

Respondeo primò non mereri censuram si quis dicat eam historiam non esse omnino certam, quia satis est si dicamus, eam historiam esse probabilem, & propterea vt talem referri ab Ecclesia. Secundò existimo, mereri censuram temeritatis, si quis diceret, eam historiam nullum habere probabile fundamentum, hoc enim esset reprehendere Ecclesiam, tanquam imprudentem, quæ in Breuiario proponit legendam historiam, quæ nullum habet fundamentum.

Dubium XX.

D *An mereatur censuram qui diceret, non Christum in propria persona, sed Angelum in figura Christi crucifixi apparuisse beato Francisco quando illi impressit vulnera in manibus, pedibus, & latere.*

Aliqui putant eam opinionem mereri grauem censuram, quia in historia ab Ecclesia recepta dicitur Christum apparuisse Beato Francisco, & illi sua vulnera impressisse. Alij verò multi putant hoc tempore non mereri censuram, quia licèt dicatur Christus apparuisse, potest intelligi de Angelo in figura Christi. Et explicant, quia, vt diximus in materia *de Angelis*, iuxta multorum Patrum sensum,
E cùm dicitur in veteri Testamento, Deum apparuisse, explicatur de Angelo loquente nomine ipsius Dei; ergo à simili, poterunt prædicta verba explicari fine vlla nota censuræ.

Dubium XXI.

An mereatur censuram, qui diceret, reliquias qua ex Vrbe Romana adducuntur, non esse certas.

Ratio dubij est, quia antiquitus non solùm Sancti insignes, & Martyres, sed omnes fideles, in eisdem locis sepeliebantur, & ita mixtim, & confusè

confusè habētur eorum omnium ossa. Aliqui nimia A facilitate, sub specie pietatis omnes reliquias probant. Alij nimia seueritate omnes reprobant non sine detrimento Christianæ pietatis. Ego verò existimo, nec facilè omnes probandas, nec facilè omnes reprobandas, par est vtriusque periculum, sed consideranda esse fundamenta, ex quibus colligatur eas esse reliquias Sanctorum, consideratis historiis, & vrbis traditione.

DVBIVM XXII.

An mereatur censuram opinio asserentium Iephthe non occidisse filiam suam.

DE hoc diximus in materia *de voto*, & multi putant eam opinionem mereri censuram, quia non videtur consentanea lectioni vulgatæ Latinæ, & est contra communem expositionem Patrum. Alij eam opinionem putant omnino improbabilem, & non mereri grauem censuram. Non desunt tamen viri docti, qui velint eam opinionem esse probabilem; ego non auderem eam amplecti.

DVBIVM XXIII.

An sit probabilis opinio aliquorum recentiorum asserentium, esse validum votum, de peccato omni veniali vitando.

NOn desunt, qui velint eam opinionem carere omni probabilitate, alij censent falsam, sed non improbabilem.

DVBIVM XXIV.

Quam censuram mereatur asserere, propter vitandam mortem posse reuelari secretum Confessionis sacramentalis.

REspondeo, esse apertum errorem contra communem sensum Ecclesiæ, quæ sentit nullum esse casum in quo liceat reuelatio Confessionis sacramentalis, & hoc requirit votum confessionis, & eodem modo est sentiendum, non esse licitam talem reuelationem, etiam propter vitandum damnum ciuitatis, aut regni.

DVBIVM XXV.

An mereatur censuram asserere esse impossibile considerare bonitatem, & amabilitatem Dei, & simul peccare.

ITa loquutus est aliquando quidam concionator parum doctus, & multi sentiunt propositionem absolutè prolatam esse errorem, quia damnum continet contra fidem. Alij explicant dictum per exaggerationem, sed scandalosum esse. Alij volunt explicare de consideratione, & cogitatione congrua in sensu composito. Explicatio hæc veram continet doctrinam, sed propositio prædicta prolata est sine tali restrictione, & vix potest liberari ab specie temeritatis, & erroris quantum ad verba inordinatè prolata.

DVBIVM XXVI.

An mereatur censuram opinio asserentium, in omni peccato esse specialem malitiam iniustitiæ specialis contra Deum.

ITa senserunt aliqui viri docti, agentes de satisfactione Christi pro peccatis hominum. Alij existimarunt opinionem esse improbabilem. Ego verò non puto improbabilem, propter auctoritatem eorum, qui illam docuerunt, existimo tamen esse falsam.

B

DVBIVM XXVII.

An mereatur censuram asserere, quòd pro refectiuncula, seu cœnula in die ieiunij, potest sumi quarta, vel quinta pars comestionis.

ITa sentit quidam recentior, & probat, quia quarta pars comestionis non censetur magna quantitas, sicut neque in Missa, aut horis canonicis. Secundò, quia quantitas quæ fieri solet, non est minor quàm sit quarta pars; tertiò, quia ita, inquit, iudicatum est in celebri.

C Sed doctrina est omnino improbabilis, & temeraria iudicata est à viris doctis Hispaniæ, neque est tuta in praxi, quia vel per comestionem intelligit meridianam, vel cœnam vespertinam, & quidquid intelligat est falsissimum, quia in his comestionibus communiter homines ita magnam quantitatem assumunt, vt quarta pars sit quantitas notabilis, testes appello Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos. Item non dicitur quarta pars alicuius totius non censeri magna, non est enim consideranda quantitas relatà ad totum, sed secundùm se, vnde constat ad primam rationem. Ad secundam respondetur assumptum esse manifestè falsum secundùm communem consuetudinem Hispanorum, & eadem refertur apud alias nationes ab his, qui in eis habitarunt. Tertium

D nullius est momenti. Obseruanda ergo est doctrina à nobis tradita in materia *de Ieiunio*, vbi quantitatem cœnulæ assignauimus iuxta communem consuetudinem piorum hominum.

DVBIVM XXVIII.

An mereatur censuram opinio asserentium species sacramentales toto tempore quo durant in stomacho, causare gratiam.

DE hac quæstione agunt Doctores in materia *de Eucharistia*, & interpretes sancti Thomæ *3. parte ad quæstionem 79. ad art. 2.* vbi licèt communi-

E ter omnes refutent sententiam hanc, tamen nullus quem viderim, dixit esse dignam censura; circa eā verò quibus impugnari solet ea opinio, legatur P. Vazquez, & P. Suarez *in eam quæstionem*.

DVBIVM XXIX.

An mereatur censuram placitum asserentium licitum esse dare & sumere plures formas consecratas ad communicandum.

ALiqui sentiunt hoc esse licitum, secluso scandalo, vel quia putant probabilem sententiam

Caietani asserentis species sacramentales causare gratiam toto tempore quo in stomacho perseuerant, vel saltem, quia licet non causent gratiam toto illo tempore, tamen certum est perseuerare ibi Christum toto illo tempore, quod est magnæ consolationis.

Alij verò grauiter reprehendunt eam doctrinam, & vsum aliquarum fœminarum, quæ secretò sumunt plures formas consecratas ad communicandum, nulla causa subsistente. Et ego existimo esse contra communem vsum Ecclesiæ, & consuetudinem, quæ habet vim præcepti, & ideo referunt viri graues, quòd Inquisitores solent punire fœminas istas, & eos qui illis plures formas tribuunt.

Dubium XXX.

An mereatur censuram asserere, quòd seruus non peccat, etiamsi concubinæ domini deferat internuntia prouocatiua ad actum turpem expressè.

Referuntur aliqui ita sentientes. Sed communiter viri docti, & pij grauiter reprehendunt hanc doctrinam, & ego existimo esse improbabilem, scandalosam, & contra bonos mores.

Dubium XXXI.

An sit probabile asserere, quòd seruus potest deferre ad concubinam domini litteras amatorias prouocantes ad actum turpem, quando seruus scit hoc.

Aliqui referuntur asserentes hoc posse seruum facere sine peccato ob causam aliquam suæ vtilitatis. Mihi tamen sententia illa est improbabilis, quia iste venit ad actum, qui non est indifferens, sed intrinsecè malum, & ita sentiunt viri docti huius ætatis de hac re interrogati.

Dubium XXXII.

An mereatur censuram asserere, quòd præceptum aliquod affirmatiuum obligat pro semper.

Quæstionis causa est communis, & recepta sententia Doctorum, circa distinctionem præcepti affirmatiui, & negatiui, quod præceptum negatiuum obligat semper, & pro semper, id est, ita obligat vt nullo tempore sit licitum facere actum prohibitum, præceptum verò affirmatiuum, licèt obliget semper, non tamen pro semper, id est, non pro quolibet tempore, sed seruatis circunstantiis, &c. ita nunquam licet prosequi odio Deum, quod est probatum præcepto negatiuo, & tamen præceptum affirmatiuum diligendi Deum nón ita obligat, vt quolibet momento sit faciendus actus dilectionis Dei.

Sed non defuit vnus, vel alter recentior, qui dicat præceptum affirmatiuum posse obligare pro semper; mouetur, quia putat præceptum restitutionis esse affirmatiuum, & obligare pro semper Sed quod dicitur de præcepto restitutionis, refutatum est à nobis 2.2. *tomo* 2. in materia *de restitutione*; deinde quod dicitur posse præceptum affirmatiuum obligare pro semper, mihi videtur omnino improbabile contra communem sententiam Doctorum, vt dixi, & absque probabili fundamento, propter quod aliqui putant, prædictam sententiam non carere aliqua temeritate, mihi satis est dicere esse improbabilem.

Dubium XXXIII.

An mereatur censuram asserere, quòd comedere lacticinia in Quadragesima, vbi est prohibitio, solùm sit peccatum veniale.

Quidam recentiores dicunt, talem violationem præcepti solum esse peccatum veniale, quorum fundamenta infrà adducemus. Aliquibus visa est improbabilis, & fideles docti putant esse peccatum graue. Et probari potest, quia materia est grauis, iudicio prudentum; ergo posito præcepto violatio erit graue peccatum. Respondent aliqui, legislatorem noluisse obligare suo præcepto ad culpam mortalem. Sed hoc dicitur sine fundamento. Rursus secundùm veriorem doctrinam traditam in materia *de legibus*, quando materia est grauis, non est in potestate legislatoris obligare sub culpa veniali tantùm. Explicatur, quia Romæ & in tota Italia est magna difficultas dispensandi cum aliquo, vt comedat oua & lacticinia tempore prohibito, & tamen si solùm esset obligatio sub veniali, facillimè concederetur dispensatio, & ex facili causa.

Vnde non sunt audiendi recentiores aliqui, qui dicunt prædictum peccatum solum esse veniale. Oportet nunc soluere nonnulla quæ putant validissima argumenta pro sua opinione. Vnum est, non esse credibile Summos Pontifices voluisse sub obligatione peccati mortalis prohibere lacticinia in diebus Quadragesimæ. Sed hoc in primis dicitur sine fundamento, deinde secundùm veriorem doctrinam, in materia *de legibus*, obligatio ad veniale, vel mortale, non pendet ex voluntate legislatoris, sed ex leuitate materiæ, vel grauitate illius.

Secundò obiiciunt *cap. denique. dist.* 4. sed, vt legenti constabit, in eo nihil dicitur de peccato veniali, vel mortali, sed solùm prohibetur vsus lacticiniorum.

Tertiò expendunt, Pontifices facilè dispensant in esu lacticiniorum, & ouorum, quia lex prohibens solùm obligat sub veniali. Sed hoc parum habet efficacitatis, quia ex causa iusta etiam dispensant Pontifices in legibus ecclesiasticis, quæ obligant sub mortali. Et in Italia difficilè dispensant Pontifices in prædicta lege de esu ouorum, vt testantur viri docti per multos annos Romæ commorati.

Meum iudicium est, prædictam opinionem non mereri censura vllam, sed esse probabilem, vt iudicarunt multi in Academiis Lusitaniæ & Castellæ: an autem sit vera, dicemus suo loco.

Dubium XXXIV.

An mereatur censuram asserere, si consideretur ius positiuum, non probari efficaciter præceptum prohibens lacticinia in die Quadragesima obligare sub mortali, licèt ex consuetudine obliget sub mortali.

Et difficultas est solùm de priori parte, an mereatur censuram, & non desunt, qui putent, illud non carere aliqua temeritate: sed probabilius est non mereri censuram, licèt opinio sit improbabilis, quia est contra communem sensum, sine graui aliquo fundamento.

***

DVBIVM XXXV.

An sit probabilis opinio asserentium, Verbum æternum non procedere ex cognitione Patris vt Pater est.

DE qua quæstione diximus in materia *de Trinitate*, & viri docti huius ætatis putant rem esse dignam censura temeritatis. Mihi opinio videtur hoc tempore parum habere probabilitatis.

DVBIVM XXXVI.

An mereatur censuram asserere, quòd B. Virgo habuit ius transferendi gratiam in Christum.

NOn defuit vnus, vel alter recentior, qui hoc modo loqueretur, quod meritò displicuit doctissimis viris huius ætatis, & non defuerunt qui dicerent mereri grauem censuram. Me sanè modus loquendi vehementer offendit, eo quòd hoc pendet ex decreto diuinæ prouidentiæ & voluntatis, & pacto Dei: fuisse autem tale decretum, falsum est, & dicitur sine fundamēto, imò videtur non obscurè contra Dei decretum, quo statuitur Christum esse causam gratiarum omnium hominum, & etiam gratiæ suæ matris, non econtrario, neque aliquis sanctorum Patrum, aut grauium Doctorum ausus est docere, B. Mariam fuisse causam gratiæ Christi Domini.

DVBIVM XXXVII.

An mereatur censuram asserere, quòd aqua mixta vino in calice conuertatur immediatè in sanguinem Christi.

DE hoc dixi in materia *de Eucharistia*, vbi retuli tres Cardinales pro hac opinione, & alios viros doctos, & sequitur noster Ægidius *tomo de Sacramentis*, in materia *de Eucharistia*, & multi viri docti huius temporis, & ideo licèt mihi videatur falsa, tamen iudico non mereri censuram, & etiam alij iudicant in Hispania de hac re interrogati: quod dixerim, quia recens autor opusculo de hac re, quod habetur in fine tomi primi *de Gratia*, in fine opusculi refert aliquos qui dixerunt hanc doctrinam mereri censuram, quamuis ipse hoc relinquat aliis iudicandum: sed audiendi non sunt censores isti difficiles, quia illa opinio grauissimos habet Doctores, & fundamenta non leuia, & hoc tempore multi Theologi eam sequuntur vt veram. Admoneo tamen cauendum esse ne pro defendenda illa opinione, aliqua obscura improbabiliáque concedantur.

DVBIVM XXXVIII.

An mereatur censuram asserere, quòd in filio & Spiritu sancto non dantur origines passiua.

QVæstionis causa esse potest, quia in creatis eadem actio quæ respectu agentis dicitur productio actiua, respectu termini dicitur productio passiua; ergo cùm in Patre, v.g. sit generatio actiua filij, eadem erit generatio passiua respectu filij, licèt non sit in filio. Sed talis assertio planè est contra communem sensum Theologorum in re grauissima, qui licèt non eodem modo explicent eas origines,

A tamen omnes admittunt illas, legatur P. Vazquez 1. *parte tomo* 2. *ad quæst.* 41. *ad art.* 1. *num.* 41. *& tota disp.* 158. ex quo constabit, omnes Scholasticos agnouisse distinctionem realem, inter origines actiuam, & passiuam in diuinis.

Item hæc assertio est contra communem sensum Patrum, qui ex distinctione originum colligunt pluralitatem personarum. Ambrosius *lib.* 1. *de fide, ad Gaudem. cap.* 2. Fulgent. *lib.* 1 *de fide, ad Petrum cap.* 1. Athanasius *dialogo* 1. *contra Arrianos*. Richardus de sancto Victore *lib.* 4. *de Trinitate cap.* 15. Besarion *oratione pro vnione Græcorum, & Latinorum, cap.* 6. *post medium*, habetur in Concilio Florentino.

Et ideo ea assertio non solùm est temeraria, sed B etiam erronea, & Catholica doctrina difficultatem non habet, quia origo passiua solùm est relatio filij, vel Spiritus sancti, concepta per modum viæ, secundùm multorum Theologorum opinionem, legatur P. Vazquez *locis citatis*.

DVBIVM XXXIX.

Quam censuram mereatur asserere, quòd sit fides danda Dæmoni, qui in aliqua persona loquatur, & dicit se loqui ex præcepto Dei.

REspondeo, si absolutè hoc dicatur, sine aliqui- C bus circunstantiis, est manifestus error in fide, contra doctrinam Scholasticorum & Patrum. Si verò hoc dicatur ab aliquibus, qui mouentur aliquibus rationibus, consideranda sunt rationes, & argumenta, & si leuia sunt, res erit errori proxima, & fortè error manifestus, quia Patres sæpè docent non esse audiendum Angelum quando est dubium an sit Beatus Angelus, vel an transfiguret se in Angelum lucis. Et quando manifestè constat esse Angelum damnatum, non est illi danda fides, propter periculum deceptionis, quia semper intendit dæmon decipere nos, & obseruandæ sunt regulæ, quas tradunt Patres ad cognoscendas reuelationes, an sint, vel D non sint ab vno spiritu.

DVBIVM XL.

An mereatur censuram hæc locutio: Intelligere essentiale in Deo producitur virtualiter ab essentia diuina.

CIrca hanc loquutionem notandum est, quòd ponere virtualem distinctionem in Deo inter attributa, & essentiam, est multorum opinio, & per talem distinctionem intelligunt distinctionem quam alij appellant rationis habentis fundamentum in re, & hæc doctrina probabilis est, nec meretur censuram. Deinde sensus prædictæ locutionis E videtur esse quòd intelligere essentiale videtur produci ab essentia, non formaliter, seu physicè, sed quasi nostro modo intelligendi. Nihilominùs prædicta locutio valde est impropria, & contra communem sensum Theologorum, neque vllus est qui ita loquatur, quem viderim, & ideo relegandus est ab Scholasticis, vt temerarius in re grauissima, & S. Thomas 1. *part. quæst.* 18. *art.* 3. *ad* 2. absolutè, & sine distinctione dixit viuere in Deo non habere principium, & rationem assignat, quia est suum intelligere, & suum viuere.

DVBIVM

Dubium XLI.

An mereatur censuram hac propositio: Quantitas Eucharistia per consecrationem creatur de nouo.

Respondeo hanc propositionem posse habere duplicem sensum, vnus est, quòd non remanet post consecrationem quantitas quæ præfuit, & hic sensus est erroneus contra manifestam doctrinam Patrum & Conciliorum. Alter sensus est, quantitas, quæ priùs erat in substantia panis, & per actionem eductiuam conseruabatur in subiecto, facta consecratione conseruatur extra subiectum actione creatiua, & hic sensus nullam meretur censuram. Et ad vitandam æquiuocationem oportet clariùs loqui, & cum distinctione. Et sciendum est, quòd aliqui viri docti prædictam propositionem damnant, quia visum est illis absolutè prolatam, habere sensum erroneum.

Dubium XLII.

An sit probabile asserere, Christum prædestinatum vt redemptorem ante prouisionem originalis peccati.

Aliqui huius ætatis docuerunt Christum, vt redemptorem prædefinitum ante peccatum, vt defenderent B. Virginem præseruatam à debito incurrendi peccatum originale. Verùm de illa controuersia, an B. Virgo habuerit debitum contrahendi peccatum originale, alibi diximus; quod verò dicitur de prædestinatione Christi ante peccatum originale vt redemptoris, multi docent esse omnino improbabile, quia sancti Patres, quos retuli 3. *parte ad quæst.* 1. manifestè docent Christum vt redemptorem in carne passibili prædefinitum post præuisum peccatum originale, quod sequuntur discipuli sancti Thomæ & Scoti, etiam si inter illos sit controuersia. De prædefinitione Christi secundùm se an fuerit, vel non ante præuisum peccatum? & ideo mihi illa opinio non solùm est improbabilis, sed parum consentanea doctrinæ Patrum, & contra omnes antiquos Scholasticos, & P. Vazquez dicebat, esse piarum aurium offensiuam.

Dubium XLIII.

An sit probabilis opinio asserentium, humanitatem Christi prius natura quàm vniretur potuisse mereri de congruo Incarnationem.

Non defuerunt qui dixerint, non esse probabilem, quia si potuisset mereri, vix posset assignari ratio, ob quam non meruerit illam, & Doctores communiter docent de facto illam non meruisse: sed quidquid sit de veritate, vel falsitate eius opinionis, tamen non videtur improbabilis, si rectè explicetur.

Dubium XLIV.

An sit probabile asserere quòd de facto Christus meruerit beatitudinem animæ suæ.

Multi putant hoc placitum esse improbabile, sed de hac controuersia diximus 3. *parte ad quæstionem* 19.

Dubium XLV.

An sit probabile placitum asserentium, humanitatem Christi de potentia absoluta potuisse peccare.

De hoc diximus in materia *de Incarnatione*, & aliqui vehementer reprehendunt talem doctrinam, quia supponunt humanitatem Christi non sanctificari diuinitate, vel personalitate diuina, quod est parum consentaneum doctrinæ Patrum, quos retuli in materia *de Incarnatione*, *ad quæstionem* 7. & 15. & opusculo de forma sanctificante in materia *de Gratia*, & ideo prædicta opinio mihi est improbabilis, patrúmq; consentanea doctrinæ Patrũ.

Dubium XLVI.

An mereatur censuram opinio asserentium non esse tutum ponere in humanitate Christi propriam existentiam creatam.

Non defuerunt aliqui existimantes in Christi humanitate non esse existentiam creatam, quod est probabile: addiderunt tamen contrariam opinionem non esse tutam, in qua censura ipsi sunt temerarij, quia opinio asserentium in Christi humanitate mansisse propriam existentiam, est multorum, & grauissimorum Doctorum, & veræ metaphysicæ magis consentanea, & absolutè vera, neque est contra illam ratio, vel testimonium magnæ efficacitatis, de qua controuersia diximus suo loco.

Dubium XLVII.

An sit probabile placitum asserentium, in dæmonibus mansisse fidem supernaturalem, ex parte actus, & habitus.

De materia ista dixi 2. 2. in materia *de fide*, & multi meritò sentiunt illam opinionem non esse probabilem, neque desunt qui grauiori censura illam dignam iudicent.

Dubium XLVIII.

An mereatur censuram aliquorum opinio asserentium, habitum charitatis, & gratia non distingui realiter.

Non desunt aliqui recentiores in materia *de Gratia*, qui valde certum putent habitum gratiæ distingui ab habitu charitatis, & contrariam sententiam videntur notare, sed decipiuntur planè, quia opinio illa vt vera iudicatur ab omnibus discipulis Scoti, & multis aliis grauissimis Doctoribus, quos retuli in materia *de Gratia*. Et alij putant sententiam Scoti probabilem, & negare non possumus illam sententiam esse valde probabilem, legatur P. Vazq. in materia *de Gratia*, tractãs hãc quæstionẽ.

Dubium XLIX.

An sit probabile dicere, non esse peccatum mortale retinere magnam quantitatem pecuniæ, quando desumpta est à pluribus personis, & à qualibet solùm sumpta est paruissima quantitas.

De hac quæstione diximus 2. 2. in materia *de furto*; quod verò ad præsens dubium attinet, non

non defuit vnus, vel alter qui diceret non esse improbabile prædictum placitum. Meritò tamen Doctores huius temporis communiter docent opinionem esse improbabilem, & in praxi perniciosam,& nullo modo tutam in conscientia, & via aperitur multis furtis.

Dubium L.

An sit probabilis opinio asserentium violationem iustitiæ distributiuæ non inducere obligationem restituendi.

Non defuerunt qui dicerent eam opinionem esse improbabilem.

Dubium LI.

An sit probabilis opinio asserentium, scientiam infusam Christi, præter species infusas supernaturales includere duos habitus luminis supernaturalis distinctos ab speciebus.

Ita sensit quidam autor recens in materia *de beatitudine*, agens de scientia infusa. Respondeo tamen, plures Theologos in scientia infusa Christi constituere habitum supernaturalem distinctum ab speciebus supernaturalibus, vt retuli in materia *de Incarnatione*,& est opinio probabilis: sed constituere duos habitus distinctos ab speciebus, opinio est improbabilis, neque habet vllum fundamentum idoneum, neque possumus probabiliter assignare officia diuersa,ad quæ sint necessarij diuersi habitus distincti ab speciebus.

Dubium LII.

An mereatur censuram asserere, quòd in die assumptionis beatissimæ Virginis Deus remittat aliquid pœnæ damnatis in inferno, ita vt minus puniantur.

Aliqui enim ausi sunt hoc affirmare propter quoddam testimonium S. Ildefonsi, de quo non semel interrogatus sum à diuersis Doctoribus, & semper iudicaui doctrinam esse improbabilem, temerariam, contra sensum Ecclesiæ, & errori proximam, & vnius Doctoris autoritas non excusat à censura, quia potest facilè errare, vt in materia de locis theologicis docent autores, & ex Patribus nonnulli errarunt in aliquibus materiis, circa quas successu temporis Ecclesia declarauit veritatem; legantur quæ de locis theologicis docuit D. Thomas 1.*part.quæst.*1.*art.*8.& ibi interpretes.

Dubium LIII.

An sit probabile asserere, B.Virginem in primo instanti conceptionis habuisse gloriam corporis.

Pro qua propositione citatur Gerson, & S. Bernardinus Senensis. Multi seuerè damnant hanc propositionem,& contraria videtur communis sensus Scholasticorum. Et primò omnes qui putant B.Virginem conceptam cum peccato originali,contrarium sentiunt. Secundò omnes qui putant non fuisse conceptam cum gloria animæ, supponunt non habuisse gloriam corporis, quæ non communicatur nisi habenti gloriam animæ, & ante hoc tempos res fuit inaudita; neque sufficit dictum vnius, vel alterius Doctoris, vt id tam nouum, & speciale affirmemus. Vnde ego rem iudico improbabilem, neque autorem illum excusari à censura, quia conceditur priuilegium Virgini, quod pro primo instanti Incarnationis non fuit concessum Christo Domino, quod est alienum à sensu Patrum dum de priuilegiis B.Virginis loquuntur.

Dubium LIV.

An sit probabile asserere, non peccare mortaliter sacerdotem, quando existens in peccato absolutionem sacramentalem tribuit.

Communis sensus Doctorum est,istum peccare mortaliter, de quo in materia de Sacramentis in genere, & ideo prædictam propositionem iudico temerariam in re graui sine idoneo fundamento, contra communem sensum Doctorum.

Dubium LV.

An mereatur censuram hæc propositio, si species sacramentales Eucharistiæ non continerent Christum, non essent dignæ veneratione, etiam si Christum significarent.

Respondeo hanc propositionem esse erroneam, quia si tales species ex institutione Christi significant Christum, essent aliquid sacrum, etiamsi non continerent illum, & ita essent dignæ veneratione,sicut Sacramenta veteris legis instituta à Deo ad significandam gratiam dandam per Christum erant Sacramentum, & veneratione digna.

Dubium LVI.

An mereatur censuram negare, virtutes morales infusas distinctas à virtutibus moralibus acquisitis.

De hac quæstione tractant Doctores in materia de virtutibus, & interpretes S. Thomæ 1.2.in materia *de virtutibus*,& aliqui putant non posse negare tales virtutes sine errore, vel temeritate. Sed illam doctrinam defendunt omnes discipuli Scoti in omnibus collegiis mundi vbi Franciscani Magistri docent Theologiam, & ideo quidquid sit de veritate eius doctrinæ, existimo illam propositionem non esse erroneam, nec temerariam, & ita sentiunt multi viri docti huius ætatis. legatur P. Vazquez 1. 2. in materia *de virtutibus*, neque video testimonium aliquod Scripturæ,vel Patrum, propter quod opinio posset dici erronea, ad quod intelligendum noto quòd licèt Scripturæ & Patres ad virtutes morales requirant auxilium gratiæ, tamen hoc rectè potest intelligi de gratia requisita ad opera virtutis moralis acquisitæ, iuxta ea quæ docuimus in materia *de gratia*.

Dubium LVII.

An mereatur censuram opinio asserentium, maculam peccati transacto actu peccati, non esse reatum, & ordinationem ad pœnam.

Aliqui Doctores in materia *de peccatis* putant hanc opinionem damnatam esse à Pio V. & Gregorio

Gregorio XIII. inter alias propositiones Michaëlis Baij; sed quomodo possit explicari damnatio horum Pontificum, vt non damnetur hæc propositio in sensu Scholasticorum, dixi in opusculo contra errores Michaëlis Baij *tomo opusculorum de gratia*, & prædicta propositio defenditur à multis Magistris ordinis S. Francisci, licèt non desint hoc tempore discipuli Scoti, qui velint eam doctrinam non esse Scoti, quæ controuersia non est huius loci. A

DVBIVM LVIII.

An sit probabilis opinio asserentium, artem pingendi non esse prohibitam in die festo.

DE hac re diximus suo loco, & aliqui putant hanc artem non esse prohibitam, alij esse probabile quòd non sit prohibita, autores retuli suo loco, non auderem dicere opinionem esse improbabilem, licèt existimem falsam.

DVBIVM LIX.

An sit probabilis opinio asserentium accepta propter simoniam, in collatione Sacramentorum non esse restituenda.

DE hoc diximus in materia *de simonia* 2. 2. *ad quæstionem* 100. & P. Vazquez aliique viri docti huius ætatis senserunt non esse obligationem restituendi pretium acceptum pro collatione Sacramentorum, supponunt enim simoniam non obligare ad restitutionem ex iure naturali, sed ex iure positiuo. Secundò docet ius positiuum non loqui de hac simonia quantum ad restitutionem, sed de simonia in beneficiis, & multi viri de hoc interrogati in Hispania senserunt esse probabile, quibus ego subscribo. C

DVBIVM XL.

Quam censuram mereatur asserere, sacrificium agni paschalis in veteri lege non fuisse propriè sacrificium. D

ITa referuntur loqui nonnulli recentiores, sed reuera error videtur contra modum loquendi Scripturæ, & Patrum, quando loquuntur de immolatione agni paschalis, neque apparet causa aliqua, ob quam ea immolatio non sit propriè sacrificium veteris legis.

DVBIVM XLI.

An sit probabilis opinio asserentium, non incurri irregularitatem ob peccatum externum omnino occultum, quod in iudicio non potest probari. E

ITa sensit Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. vlt. conclus.* 3. sed meritò multi viri docti contrarium docuerunt, vt tradidi in materia de irregularitate, & contraria opinio mihi est improbabilis, vt docuit P. Suarez *disp.* 31. *de censuris, sect.* 1. & meo iudicio, non est tuta, nec secura in praxi, & est contra communem Doctorum sensum sine idoneo fundamento.

***

DVBIVM XLII.

An mereatur censuram asserere, peccata ante Baptismum commissa, esse materiam liberam sacramenti pœnitentiæ, in homine baptizato.

DE hac quæstione diximus in materia *de pœnitentia*, & Angelus *verbo confessio* 2. *num.* 2. sensit ea peccata esse materiam liberam Sacramenti pœnitentiæ. Sed Doctores communiter refutant hoc placitum, & P. Suarez *disput.* 18. *de pœnitentia, sect.* 1. dixit, Angelum loquutum sine fundamento in re graui contra communem sensum Theologorum, est
B temerarium, vnde prædicta opinio multis videtur temeraria, & mihi plus quàm temeraria videtur, quia est contra communem sensum fidelium. legatur Medina *tract.* 2. *de confessione, in principio*. Deinde quod dixit Angelus in articulo mortis obligari infidelem ad confitenda omnia peccata, etiam commissa ante Baptismum, est error manifestus, vt docuit P. Vazquez *tomo de pœnitentia quæst.* 90. *art.* 3. *dub.* 1.

DVBIVM XLIII.

An sit probabile quod aliqui dixerunt, per renouationem priuilegiorum factam hoc anno 1615. *Iubilas sanctis, non reuocari facultates, & priuilegia religiosorum, ad absoluendum à peccatis Pontifici reseruatis.*

NOn defuerunt, qui ita sentirent, sed manifestè in reuocatione fit mentio priuilegiorum, & facultatum religiosorum, tam aperta, vt illa opinio sit improbabilis omnino, iudicio multorum virorum hoc tempore in Hispania.

DVBIVM XLIV.

An sit probabile quod aliqui dixerunt, quantitatem refectiuncula, & collationis in die ieiunij esse posse tertiam partem prandij principalis.

REspondetur placitum esse omnino improbabile, neque tutum in praxi, quia prandium potest adeò magnum esse, vt tertia illius pars adeò magna sit, & valde pro collatione facienda, vt constat; quæ verò quantitas sit assignanda, diximus in materia *de ieiunio*.

DVBIVM XLV.

Quam censuram mereatur hæc propositio: Vitiosum, & impium est frequentius quàm in solemnioribus festis suscipere Eucharistiam.

ITa docuit quidam autor. Sed respondeo in primis, talem propositionem esse temerariam, quia vsus Ecclesiæ admittit frequentiorem vsum susceptionis Eucharistiæ; deinde scandalosa est hæc propositio contra vsum Ecclesiæ: vlteriùs, dicere quòd est vitiosum & impium id quod Ecclesia iudicat honestum, errorem manifestè continet.

DVBIVM

DVBIVM LXVI.

An mereatur aliquam censuram opinio asserentium, per receptionem Eucharistiæ fieri ex recipiente, & corpore Christi unionem quandam naturalem, substantialem, & realem.

DE hac controuersia diximus in materia *de Eucharistia*, & est hæc propositio vera, & explicat, & sequitur bene P. Vazquez *tomo 3. in 3. partem disput.* 204. vnde ex ignorantia ortum est, quòd aliquis putauerit, eam doctrinam esse dignam censura.

DVBIVM LXVII.

Quam censuram mereatur, appellare Sanctum autorem aliquem, qui ab Ecclesia censetur hæreticus.

REspondeo eam appellationem esse temerariam, & scandalosam, quia est contra communem sensum Ecclesiæ, imò multi putant sapere errorem.

DVBIVM LXVIII.

Quam censuram mereatur asserere, quòd Angelus custos quodammodo habet curam maiorem nostri, quam habet Deus ipse.

ITa loquutus est aliquando qnidam Concionator, & propositio est hæretica, quia nullo modo potest habere sensum verum aliquem, aut probabilem, & huiusmodi exaggerationes vehementer sunt reprehendendæ in Concionatoribus, & propter illas puniendi sunt, & priuandi officio concionandi.

DVBIVM LXIX.

An sit probabilis opinio aliquorum asserentium, posse hominem obligari ad ieiunium ex voto obligatione religionis, & obligatione temperantiæ.

NOn defuerunt recentiores aliqui asserentes, posse hominem quando fecit votum ieiunij, v.g. obligari ex virtute religionis, & virtute temperantiæ propria voluntate, quæ est priuata lex, & sicut legislator potest subditum obligare in materia temperantiæ, & alias ex potestate faciendi legem. ita P. Thomas Sanchez *in summa lib.* 4. *à cap.* 11. *n.* 6. citátque Valentiam 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 4. *quæst.* 1. *conclus.* 2.

Hæc tamen sententia omnino falsa est, & probari potest primò, quia si quis non faceret votum, non maneret obligatus ex religione, neque maneret obligatus ex alia virtute; ergo signum est totam obligationem esse ex voto, siue sit in hac materia, siue in alia, si loquamur de obligatione quæ oritur ex voluntate priuata hominis. Secundò, quia si secludas votum, non potest homo imponere sibi peculiarem obligationem temperantiæ, ex sola virtute temperantiæ, & præcepti, quia nullus potest sibi imponere præceptum, quia nullus est seipso superior, vnde homo non potest sibi imponere nouam obligationem, nisi vel voto erga Deum, vel ex promissione, aut contractu erga ho-

A mines, potest quidem homo obligare seipsum ex voto, ad faciendum actum eleemosynæ, v. g. ex honestate misericordiæ, si tamen non faciat ex tali honestate, solùm peccat contra votum, quando aliàs non esset præceptum superioris de tali honestate.

Ratio verò contrariæ opinionis nullam habet vim, quia legislator est superior respectu subditorum: at nulla priuata persona est superior seipsa, & ita non potest sibi imponere præceptum, neque obligationem, nisi ex voto erga Deum, vel ex promissione, aut contractu erga homines, & propter hæc existimo contrariam sententiam non esse probabilem, si rationem consideremus,

B seclusa autoritate.

DVBIVM LXX.

An sit probabilis opinio asserentium, voluntatem non amplecti bonum honestum, nisi cogitatio boni sit efficacior cogitatione mali contrarij.

DE hac opinione dixi in materia *de prædestinatione*, & in materia *de peccatis*, quibus in locis eam tradidit P. Vazquez. Ego existimo veram, licèt multi sentiant contrarium. Sciendum autem est quemdam recentiorem docuisse prædictam opinio-

C nem parum habere probabilitatis, in quo manifestè fallitur, tum quia grauiores Doctores illam sequuntur, quorum autoritas facit illam probabilem, tum quia habet argumenta magni momenti, vt *locus citatus* tradidi, & legi potest P. Vazquez: item argumenta quæ faciunt contra eam opinionem, non sunt ita efficacia, vt propter illa possit audacter dici eam opinionem parum habere probabilitatis, de qua controuersia plura alibi dicemus.

DVBIVM LXXI.

Quam censuram mereatur placitum asserentium, actionem non posse esse honestam, vel vi-

D *tiosam sine actuali aduertentia vltimi finis.*

NOn defuit aliquis recentior, qui ita sentiret libello quodam Hispanè conscripto. Et ratio eius est, quia necessaria est ad peccandum, vel bene operandum cognitio bonitatis, & malitiæ: hæc autem sumitur per ordinem ad vltimum finem; ergo deficiente cognitione actuali vltimi finis actio non potest esse honesta, vel vitiosa.

Sed prædictam propositionem viri docti huius ætatis appellant temerariam, & errori proximam, & esse temerariam constat, quia est contra communem sensum Doctorum. nam, vt potest colligi ex

E materia de bonitate & malitia, Theologi non requirunt talem cognitionem, ad hoc vt actus sit bonus, vel malus. Item ex ea opinione sequeretur, furtum, aut fornicationem in multis non esse peccatum, quia non habent actualem considerationem vltimi finis.

Vlteriùs ad bonitatem, vel malitiam actus humani sufficit ex parte cognitionis cognoscere bonitatem, & malitiam obiecti, & ex parte voluntatis liberè operari, quod est valde certum; & tamen malitia, vel bonitas non consistit, nisi vel in priuatione rectitudinis actus in peculiari materia, vel in relatione contrarietatis cum natura rationali, priuatio verò, vel contrarietas in vltimo fine;

est quid consequens, de qua quæstione fusè diximus A in materia *de peccatis*, & in Gentilibus non facile esset peccatum si esset necessaria actualis cognitio vltimi finis; meritò ergo ea opinio dicitur errori proxima, & damnata est à supremo Senatu sanctæ Inquisitionis.

Dubium LXXII.

Quam censuram mereatur asserere, in iusto non esse meritorium actum spei.

Respondeo esse errorem, quia ex Concilio Tridentino, & Patribus certum est licitum esse operari propter retributionem, & ita actus spei, qui B respicit retributionem, si habeat alias conditiones requisitas, ad meritum erit meritorius. Et eodem modo est error asserere, actum spei non posse in homine iusto imperari à charitate, propter quod hæc propositio damnata est à supremo Senatu sanctæ Inquisitionis.

Dubium LXXIII.

Quam censuram mereatur placitum asserentium, non esse obligationem explicandi in confessione circumstantiam adultery distinctam à simplici fornicatione.

Ita sensit Angelus *in summa, verbo, luxuria, num.* 2. & respondeo, esse talem sententiam erroneam, quia adulterium ex communi sententia Doctorum addit supra malitiam fornicationis simplicis, aliam malitiam iniustitiæ, quæ est distincta secundùm speciem à malitia contra temperantiam; circunstantiæ verò specie distinctæ explicandæ sunt in confessione, vt definiuit Concilium Tridentinum, de qua quæstione diximus in materia *de pœnitentia*. Sed obiicit Angelus, in adulterio tantùm esse vnam malitiam, quia tantùm est contra vnam prohibitionem, *non concupisces vxorem proximi tui*. Hoc tamen argumentum nullius momenti est, nam per illam prohibitionem prohibentur duæ malitiæ, intemperantiæ scilicet, & iniustitiæ.

Dubium LXXIV.

Quam censuram mereatur asserere, quòd Beatissima Virgo, & Sanctus Ioannes Euangelista dormiebant in eodem lectulo.

Ita loquutus est aliquando quidam Concionator, deceptus quodam testimonio cuiusdam Patris. Sed propositio est plena impietatis, scandali, temeritatis, & erroris iudicio sapientium huius ætatis.

Dubium LXXV.

An mereatur censuram asserere, quòd in die Assumptionis Beatissimæ Virginis damnati liberantur ab aliqua pœna accidentali.

Aliqui huius ætatis putarunt esse pium, & probabile. Ego tamen existimo doctrinam esse temerariam, quia est contra communem sensum fidelium, absque idoneo vllo fundamento, & quæ nullum habet autorem.

Dubium LXXVI.

An sit probabile asserere, quòd Sacerdos non teneatur esse in statu gratiæ ad administrandum sacramentum pœnitentiæ.

De hac materia disputant Theologi agentes de sacramentis in genere. Et hactenus communis opinio fuit, peccare mortaliter sacerdotem, qui ministrat sacramentum pœnitentiæ, in statu peccati mortalis. Referuntur tamen hoc tempore aliqui recentiores asserentes non esse peccatum mortale, talem administrationem in peccato mortali. Mihi autem doctrina hæc non solùm improbabilis videtur, sed etiam temeraria, contra communem sensum Doctorum, sine idoneo fundamento. Et multis etiam apparet scandalosa, & quæ parum fauet sanctitati ministrorum.

Dubium LXXVII.

An mereatur aliquam censuram asserere, quòd opus præceptum non sit magis meritorium ex eo quòd sit præceptum.

De hac quæstione disputaui in materia de voto, & Doctores quidam docent, opus ex voto esse magis meritorium, quàm sine voto. Occasione verò C huius disputant breuiter de opere præcepto, & loco citato retuli sententiam aliquorum recentiorum asserentium ex præcepto non augeri meritum, & opus factum sine præcepto esse magis meritorium, quam sententiam *ibidem* impugnaui, & satisfeci argumentis factis pro illa. Nunc verò sciendum est plures Doctores hoc tempore sentire, eam opinionem esse temerariam, & contra communem sensum Doctorum; alij verò docent esse improbabilem.

Sed oportet distinguere in hac materia varias propositiones. Vna potest esse hæc: Opus potest non esse minus meritorium si fiat sine præcepto, quàm si fieret cum illo, & hæc potest esse vera, si non sint cætera paria, quia meritum sumitur ex multis capitibus, & potest opus factum sine præcepto esse per- D fectius ex illis, nempe ex obiecto, & intensione, ex duratione, ex voluntarij ratione. Et idem iudicium est de secunda alia propositione, opus sine præcepto potest esse magis meritorium, quam si fiat ex præcepto, si non sint cætera paria. Tertia propositio est, cæteris paribus, non est magis meritorium opus factum ex præcepto, quàm sine illo, si non fiat ex motiuo obedientiæ, quia est opus præceptum, & hæc non meretur censuram temeritatis, quia, vt retuli *loco citato*, graues Theologi existimant, opus ex præcepto tunc solùm esse magis meritorium, quando fit ex fine obedientiæ, & sic alij philosophantur de opere facto ex voto, id est, ex fine religionis. Quarta propositio E est, opus factum ex præcepto, nullo modo ratione præcepti est magis meritorium quàm si fieret sine præcepto, & hæc videtur contra communem sensum Doctorum, & ideo non caret aliqua temeritate.

Dubium LXXVIII.

An mereatur aliquam censuram hac propositio: Solutio pœna fit in purgatorio, quia fit per meram satisfactionem, non nititur propriè meritis Christi.

Hanc habet P. Suarez *tomo* 4. *in* 3. *partem disp.* 27. *sect.* 7. *num.* 10. hæc propositio multis visa est difficilis,

difficilis, quia indicat eam solutionem pœnæ non A esse ex meritis Christi; si enim proprie non est ex illis, videtur non esse ex illis, si est per solam metaphoram. Item talis modus loquendi in materia de meritis Christi, non est in vsu apud Scholasticos. Vlteriùs videtur falsus, quia satisfactio vt placeat Deo supponit sanctitatem, & iustitiam in anima, quæ est ex meritis Christi. Propter quæ aliqui putant, eam propositionem non esse probabilem. Et ego sanè non auderem illam propositionem defendere, nam per illam solutionem aufertur dignitas pœnæ, quæ impediebat ingressum beatitudinis; auferre verò impedimenta talia, pertinet ad merita Christi Domini; de censura verò nolo ferre iudicium, propter insignem autoritatem tanti Docto- B ris, quæ apud omnes est magna, & apud me quamplurimum maxima.

Dvbivm LXXIX.

An mereatur censuram hac propositio: Persona humana conuersa est in personam Verbi, per Incarnationem.

Hanc defendit quidam Magister hoc tempore, & aliqui docuerunt esse errorem, alij temerariam, alij dixerunt posse habere sensum aliquem, qui non mereretur censuram. Explicationis gratia notandum est, quòd secundùm certam doctrinam, C humanitas Christi nunquam fuit cum personalitate propria, & ita si autor illius propositionis voluit humanitatem illam priùs tempore, vel natura habuisse propriam personalitatem, errat contra fidem. Si verò dicat, ideo personalitatem humanitatis non conuersam fuisse in personalitatem Verbi, quia per Verbi personalitatem impedita est personalitas humanitatis, nihil dicit contra fidem, sed defendit falsam philosophiam, quia conuersio est à termino positiuo, qui fuit in alterum positiuum. Addo eam propositionem esse alienam à modo loquendi Patrum, & Scholasticorum, & ideo non esse absolutè proferendam.

Dvbivm LXXX.

An mereatur censuram aliquam asserere, quòd Pontifex non possit concedere priuilegium vt quis satisfaciat obligationi dicendi plures Missas, applicando vnam pro multis illis.

De hac quæstione disputant Doctores in materia *de sacrificio Missæ*, & ponenda est doctrina communis, quòd non sit licitum plura stipendia iusta accipere pro vna Missâ, de quo legi potest P. Vazquez *tomo 3. in 3. partem disput. vlt. de sacrificio Missæ*; difficultas tamen est, an possit Pontifex E concedere priuilegium alicui religioni, vt eius sacerdotes possint eandem Missam pluribus applicare, & plura iusta stipendia accipere, sicut si pro quolibet tantùm diceretur. Et viri docti fide digni affirmant se vidisse tale priuilegium, & ideo docent posse Pontificem illud concedere, & potest explicari, quia Pontifex potest recompensare illud detrimentum per concessionem indulgentiarum; & explicatur, quia potest amplecti opinionem asserentium, sacrificium Missæ pro pluribus oblatum prodesse cuilibet, sicut si pro vno tantùm offeratur; quæ verò sunt minutæ ex opere operantis, possunt recompensari per indulgentias. Item hoc potest facere Pontifex causâ boni communis alicuius religionis, vel monasterij.

Alij verò existimant Pontificem non posse tale priuilegium concedere, quia esset contra voluntatem eius, qui dat eleemosynam pro certo numero Missarum, qui si sciret in ea religione esse tale priuilegium, nollet suam eleemosynam illi dare, neque Pontifex potest contra voluntatem eius disponere de pecunia illius.

Notandum verò est, sine periculo posse esse controuersiam circa potestatem Pontificis, respectu alicuius actus, & posse esse opiniones contrarias Doctorum; sicut est quæstio, an possit Pontifex dispensare in matrimonio rato, & in voto solemni. Et sunt contrariæ opiniones Doctorum, & Pontifex potest sequi in suo facto opinionem probabilem, qualis est opinio asserentium posse Pontificem dispensare in matrimonio rato, & in voto solemni propter grauissimam causam. Et eodem modo in præsenti quæstione possunt esse contrariæ opiniones.

Et probabilis videtur opinio asserentium, posse Pontificem concedere tale priuilegium, ob grauem causam boni communis, & facile intelligitur posse Pontificem circa Missas relictas ex testamento defuncti commutationem facere ex causa, quia habet potestatem commutandi vltimas voluntates ex causa secundùm certam doctrinam.

Item facilè intelligitur, ex causa posse Pontificem assignare aliquod stipendium, & eleemosynam pro Missa celebranda à religiosis alicuius monasterij, si manifestet priuilegium fidelibus, quia tunc nulla iniuria fit fidelibus, qui scientes, & volentes illi darent, ob deuotionem peculiarem erga tale monasterium.

Tota difficultas est, quando priuilegium conceditur religioni alicui, aut monasterio, & tamen non cognoscitur à fidelibus; & certè si grauissima occurreret causa, ego concederem posse Pontificem tale priuilegium concedere modo explicato à prima opinione: sed quia res est difficilis, & non facilè occurret grauissima causa, meritò Congregatio Cardinalium facultate Vrbani VIII. reuocauit omnia priuilegia similia, si quæ sunt hactenus concessa. legatur P. Suarez in materia *de sacrificio Missæ*. Reginaldus, Villalobos, Vega.

Dvbivm LXXXI.

An sit probabilis opinio asserentium, posse Episcopum dispensare in iuramento castitatis, & religionis.

De hoc dixi in materia *de iuramento*, & legi potest P. Thomas Sanchez *in summa lib. 3. cap. 19. & lib. 8. de matrimonio disput. 13.* qui alios citat, & P. Suarez *lib. 2. de iuramento cap. 30.* Aliqui putant esse veram eam opinionem asserentium iuramentum prædictum non esse reseruatum Pontifici, & Episcopum posse in illo dispensare; alij esse probabilem. Sed P. Suarez dicit se non audere illam opinionem sequi, neque consulere. Alij putant non esse probabile, neque tutam, & securam in praxi, & ego sentio nullo modo esse consulendam in praxi, vt dixit P. Suarez, propter multa quæ ibi dicit, & certè si rationes considerentur, parum habet probabilitatis, & in re tam graui tutius est recurrere ad Summum Pontificem, si petenda est dispensatio, & relaxatio.

DVBIVM LXXXII.

An mereatur censuram asserere, quòd in hæretico sit actus fidei infusæ supernaturalis ob testimonium Dei.

DE hac materia legendi sunt interpretes S. Thomæ 2.2. *ad quæst.* 5 *circa art.* 3. Et

Primò certum est, vt *ibidem* docui, in hæretico non manere habitum infusum fidei theologicæ, & oppositum graui censura dignum iudicant antores.

Secundò sciendum est, Doctores Theologos, (vno excepto Durando,) docere actus fidei infusæ supernaturales theologicæ prupter testimonium Dei, non posse esse in hæretico secundùm legem ordinariam, quamuis diuersitas opinionum in assignanda ratione huius, sicut est diuersitas opioionum in assignanda ratiooe, propter quam per peccatum hæresis corrumpatur habitus infusus fidei supernaturalis & theologicæ.

Tertiò ego docui *loco citato disp.* 44. *dub.* 2. actum fidei theologicæ supernaturalem oon posse esse in hæretico, & rationem ibi assignaui, & contrarium nullus hactenus docuit, excepto Durando.

Quartò multi Theologi huius temporis opinionem Durandi de actu fidei infusæ in hæretico iudicant dignam graui censura, & aliqui dicunt saltem esse temerariam, quia io re graui est contra omnes Theologos, sine vllo probabili fundamento. Alij docent esse plus quàm temerariam, & sapere errorem, quia si ex communi lege potest esse in hæretico actus fidei supernaturalis, & theologicæ, non potest assignari ratio, ob quam in hæretico non maneat habitus fidei ad eliciendum talem actum, & ita errauit consequenter Durandus, concedens, actum, & habitum fidei infusum, & supernaturalem manere in hæretico.

Et explicari potest, quia vel habitus dicitur corrumpi ex natura rei per peccatum hæresis, quia aufertur obiectum habitos illius, & tunc non poterat esse actus, quia non manet obiectum. Vel dicitur corrumpi ex libera ordinatione Dei, & de hac non magis constat de habitu, quàm de actu, nullum enim apparet testimonium Scripturæ, vel Patrum, ex quo possit colligi, per hæresim corrumpi habitum infusum fidei, & posse manere actum fidei in hæretico.

Deinde, si dicatur corrumpi habitus demeritoriè, eodem modo etiam demeretur hæreticus auxilium ad actum fidei, sicut demeretur habitum: ergo neque manebit habitus, oeque erit actus in hæretico, quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. Ex quo intelligitur quod antea dicebam, quòd si actus posset esse in hæretico, non esset argumentum ad dicendum, per peccatum hæresis corrumpi actum fidei infusum supernaturalem, & ideo existimo prædictam opinionem esse valde absurdam, & vt minimum temerariam, & parum consentaneam doctrinæ Patrum, qui in hæretico noo agnoscunt verum aliquem actum fidei.

Quod ampliùs explico, quia secundùm prædictam doctrinam sequitur in hæretico posse esse aliquem actum virtutis infusæ, & supernaturalem, quamuis talis actus solùm requirat actum fidei supernaturalem talis obiecti, v.g. actus spei, vel temperantiæ, quia obiectum huius actus poterit proponi per actum fidei. ergo nihil deest ad talem actum virtutis, & tamen Patres cómuniter in hæretico non agnoscunt veros actus virtutum supernaturalium.

A Sed dicet aliquis, posse prædictam propositionem excusari à censura temeritatis. Primò, quia eam docuit Durandus. Secundò, quia alij Doctores contra Durandum solùm videntur loqui de habitu fidei, non de actu. Tertiò, quia quando Patres docent in hæretico non esse veram virturem, loquuntur de illo hæretico, qui nullum habet actum fidei infusæ. Quartò, quia, vt opinio sit temeraria, necessum est, vt non habeat graue aliquod fundamentum, & tameo pro prædicta senrenria satis graue fundamentum est, quod non videtur implicare, hominem circa vnum obiectum fidei habere assensum, & circa aliud dissensum, vt constat in fide acquisita, neque videtur referre assensum esse supernaturalem, quia
B ex opinione multorum, actus naturalis, & supernaturalis, solùm differunt ex parte principij efficientis. Quintò, quia ex antiquis Theologis nullos docuit, prædictam opinionem dignam esse graui censura.

Nihilominus hæc omnia non sufficiunt ad excusandum eam opinionem à graui censura.

Ad primum respondetur, autoritatem Durandi parum esse contra commuoem sensum Scholasticorum, præsertim cùm errauerit non solùm circa actum fidei infusæ, sed etiam circa babitum, in quo excusari non potest à censura.

Ad secundum respondetur, Doctores loquentes de habitu contra Durandum sumere argumentum ab actu, ita vt probent, non manere in hæretico ha-
C bitum, quia potest facere actum, & ita manifestè loquitur etiam de actu, imò hoc videtur vt certum supponere, & ex hoc intulerunt, non manere babitum in hæretico.

Ad tertium dicendum est, Patres ita loqui de hæretico, vt absolutè docerent, in illo non esse veram fidem, neque veram aliquam virtutem, quod absolutè nun esset verum secundùm placitum illod quod refutauimus. Et certè si Patres agnoscerent in hæretico aliquem actum fidei infusæ, & catholicæ, aliquando id dixissent, vel indicassent, vnde sine dubio prædicta propositio est parum consentanea doctrinæ Patrum.

Ad quartum constat, eam opinionem non habe-
D re efficax argumentum, & potiùs contra eam militat ratio facta, nempe qnòd si actus fidei infusæ esset in hæretico, non posset probari efficaciter, non manere in illo habitum; neque refert quod adducitur de actu fidei acquisitæ naturali, nam & ea opinio est falsa, vt probaui in materia *de gratia*, & Doctores qui illam sequuntur, docent in hæretico non manere actum fidei infusæ supernaturalem; ergo Doctores illi non fauent prædictæ opinioni.

Ad quintum respondent Doctores, disputantes de aliqua córrouersia, & quæstione, non semper agere de censura quam meretur, vel non meretur opinio, quam impugnant, vt constat lege paulò infrà.

E

DVBIVM LXXXIII.

An mereatur censuram opinio asserentium Episcopatum non esse sacramentum.

DE hoc disputaui in materia *de ordine*, & legi potest P. Vaxqnez *tom.* 3. *in* 3. *partem disp.* 240. qui meritò docet iam hoc tempore non posse negari, Episcopatum esse sacramentum, sine graui nota, & licèt non explicet censnram quam meretur ea opinio, tamen mihi videtur non solùm esse temetariam sententiam, sed errori proximam, qoia, vt docet P. Vazq. *loco cit.* non obscurè colligitur ex Conc. Trid. Episcopatum esse sacramentum nouæ legis.

DUBIUM LXXXIV.

An mereatur censuram asserere, per sacramentum Episcopatus non conferri gratiam.

DE hoc legi potest P. Vazquez *loco citato*, & aliqui dixerunt, Episcopatum imprimere characterem, sed non conferre gratiam; verùm si velit non esse sacramentum, iam diximus eam sententiam non posse defendi post Concilium Tridentinum: si autem velit esse sacramentum, & non conferre gratiam, non solùm est temeraria sententia hoc tempore, sed errori proxima, quia in Concilio Tridentino definitum est, sacramenta nouæ legis conferre gratiam, & ex alia parte ex eodem Conciliò colligitur Episcopatum esse sacramentum; ergo non potest negari quòd conferat gratiam.

DUBIUM LXXXV.

An possit sine censura concedi Angelos aliquando in via vidisse clarè diuinam essentiam.

DE hoc disputant Theologi in materia *de Angelis*, & communis opinio est, illos non fuisse creatos cum beatitudine supernaturali essentiali: asserere autem quòd licèt non fuerint creati cum ea beatitudine, tamen aliquando viderunt diuinam essentiam in via, non solùm improbabile, sed temerarium est, vt docuit P. Suarez in materia *de Angelis*, dicitur enim hoc sine fundamento in re graui contra communem sensum Doctorum, & idem iudicium est etiam, si de vno, vel altero Angelo tantùm dicatur, præsertim si sermo sit de Angelis his qui ceciderunt.

DUBIUM LXXXVI.

An mereatur censuram asserere, in hæretico manere posse actum fidei propter testimonium Dei circa aliquem articulum, loquendo de actu naturali secundùm substantiam.

ALiqui putant esse probabilem talem opinionem, quia existimant posse esse talem actum naturalem circa idem obiectum formale quod habet actus fidei supernaturalis secundùm substantiam, & simul existimant, quòd licet in hæretico non possit esse actus fidei supernaturalis secundùm substantiam, potest tamen esse actus naturalis secundùm substantiam, & docent etiam Theologos negantes actum fidei diuinæ in hæretico, loqui de actu supernaturali.

Mihi tamen hæc opinio vehementer displicet, quia licèt circa supernaturalem actum sint diuersæ opiniones grauissimorum Theologorum, tamen in præsenti controuersia difficultas est, an qui propter testimonium Dei propositum ab Ecclesia non vult credere vnum articulum, possit propter idem testimonium credere alios: hæc autem non pendet ex supernaturalitate actuum, sed ex propositione Ecclesiæ, & obiecto formali, &, vt diximus suo loco in materia *de fide*, communis sensus Doctorum est, (excepto Durando) id non posse fieri, propter rationem quam ibi assignaui, & ideo existimo eam opinionem non carere temeritate, propter ea quæ suprà paulo antea diximus, & explicatur ampliùs, quia si hæreticus posset propter tale obiectum credere, vix posset assignari ratio, ob quam non posset di-cere actum supernaturalem ex auxilio Dei, quod aliqui concedunt, sed errant apertè.

Addendum est falsam esse eam opinionem asserentium, circa idem obiectum formale posse esse actum naturalem secundùm substantiam, & alium supernaturalem secundùm substantiam. Item notandum est, modò nos non disputare, an ad prædictum actum naturalem requiratur aliquod auxilium gratiæ per Christum, vel non, de quo obseruanda est generalis doctrina tradita in materia *de gratia*.

DUBIUM LXXXVII.

An mereatur censuram asserere, aliquod auxilium requiri ad peccatum.

REspondeo, si sermo sit de auxilio gratiæ, non esse eam propositionem admittendam, de qua diximus in materia *de gratia*; si verò solùm sit de aliquo alio auxilio, quòd non sit gratia, sed concursus generalis primæ causæ, non meretur censuram, sed habet sensum verum, & talem concursum multi Doctores in materia *de gratia* appellant auxilium, vnde non est causa ob quam tale nomen offendat Theologum.

DUBIUM LXXXVIII.

An mereatur censuram asserere, Beatum in patria posse diligere Deum amore amicitiæ naturali, viribus naturæ.

IN schola Scoti communis doctrina est hæc, & eum amorem appellant fruitionem; hæc verò sententia oritur ex principiis Scoti, ipse enim existimat posse esse circa Deum in via duos amores, alterum naturalem, supernaturalem alterum, & videtur sentire versari circa idem obiectum formale, quia ipse naturalem, & supernaturalem actum solùm distinguit ex parte principij, & non ex parte obiecti, & cùm hos actus concedat in viatore, voluit etiam eos concedere in Beato.

Non defuerunt aliqui hoc tempore, qui putarunt prædictam propositionem damnatam esse in Clementina *ad nostrum, de hæreticis*, vbi damnatur error asserentium, posse Deum clarè videri viribus naturæ sine lumine gloriæ.

Sed hæc censura non cadit in opinionem Scoti, ipse enim non negat lumen gloriæ in intellectu Beati, de cuius mente legi potest P. Vazquez 1. *part. ad quæstionem* 12. agens de lumine gloriæ. Deinde licèt Scotus constituat beatitudinem in actu voluntatis, tamen non negat ad beatitudinem supernaturalem, & amorem, quem ille appellat fruitionem, esse necessarium habitum, vel auxilium supernaturale; sed præter istum amorem, ponit alium naturalem, sicut multi Theologi illum ponunt in materia *de gratia*. legatur P. Vazquez 1. *part*. in materia *de visione*, & 1. 2. in materia *de beatitudine*, & in materia *de gratia*.

In præsenti autem controuersia ego existimo, beatitudinem consistere in actu intellectus, & ad illum requiri lumen gloriæ. Secundò ad actum amoris naturalis erga Deum in via necessarium esse gratiam per Christum. Tertiò si talis amor est in beatitudine, de quo modò non disputo, existimo ad illum esse necessariam gratiam, & oppositum mihi vehementer displicet, sed existimo non esse damnatam priuata autoritate sententiam Scoti, quam eius

eius discipuli sequuntur in religione Franciscana A multi viri & valde docti, in omnibus vniuersitatibus Ecclesiæ

Dvbivm LXXXIX.

An mereatur censuram asserere, Spiritum sanctum non requirere ad sui productionem duo supposita ex parte principij.

De hac controuersia disputant Doctores in materia *de Trinitate*, & aliqui hoc tempore ausi sunt dicere eam doctrinam mereri grauem censuram; sed licèt ea opinio mihi videatur falsa, tamen nullo modo est digna censura, & eam facit probabilem Scotus, & eius discipuli, qui eam tradiderunt. B

Dvbivm XC.

An mereatur censuram asserere, Angelos in via non habuisse fidem supernaturalem.

De hac controuersia dixi 1. 2. *tomo* 1. *disp*.43. *dubio* 1. vbi retuli existimantes sententiam Durandi esse temerariam; & sententiam asserentium sententiam Durandi non mereri censuram, & fundamenta vtriusque opinionis, & argumenta pro secunda opinione efficaciora sunt, & ideo existimo illam opinionem Durandi non mereri censuram, C licèt sit falsa, & quæ non habet firmum aliquod fundamentum, & non mereri censuram eam opinionem, senserunt multi viri docti in Hispania de hac re interrogati.

Dvbivm XCI.

An sit probabilis opinio asserentium, ex commissione Pontificis posse Sacerdotem qui non est Episcopus, conferre Ordinem sacrum.

Hanc quæstionem eruditè tractat P. Vazquez *tomo* 3. *in* 3. *partem*, & prædictam opinionem D efficaciter confirmat ex Bullis Pontificum, & ex ordine S. Bernardi multi eam opinionem defendunt vt veram, propter concessionem Pontificum factam Abbatibus Cisterciensibus, & ita nullus potest dubitare de probabilitate eius opinionis.

Dvbivm XCII.

An mereatur censuram asserere, quòd ex Augustino non colligatur, Baptismum recedente fictione conferre gratiam.

Respondeo, quòd de hac materia eruditè tractat P. Vazquez *tomo* 2. *in* 3. *partem disp*. 159. vbi ex- E plicationes Scholasticorum fideliter refert, qui legi potest, & ex eius doctrina satis constat de veritate.

Dvbivm XCIII.

An mereatur censuram asserere, quòd alia sacramenta distincta à Baptismo non conferant gratiam recedente fictione.

Respondeo nullam mereri, quia multi viri docti in materia *de pœnitentia*, & aliis sacramentis, ita sentiunt, & quia non est idoneum fundamentum ad huc asserendum, quod pendet ex institutione Christi; de Baptismo verò sentiunt multi Scholastici habere illum effectum, propter testimonium Augustini, de quo P. Vazquez *loco proximè citato*.

Dvbivm XCIV.

An mereatur censuram asserere, quòd aliquis Sanctus distinctus à B. Virgine non habuerit peccatum veniale.

Respondeo, de hoc tractant Theologi in materia *de gratia*, & communiter sentiunt doctrinam esse dignam graui censura, quia tale priuilegium non potest affirmari nisi grauissimo fundamento.

Dvbivm XCV.

An mereatur censuram asserere, quòd quoties aliquis recitat officium S. Mariæ, compararet indulgentiam plenariam.

Refert quidam auctor libello sermone Hispano conscripto, quemdam Sanctum habuisse reuelationem, qua affirmabatur prædicta propositio; sed est contra sensum Ecclesiæ, & ea reuelatio non est admittenda, sed, vt suprà, reiicienda.

Dvbivm XCVI.

An mereatur asserere, quòd Angelus custos cognoscat cogitationes cordium eius hominis cuius est custos.

Respondeo, si sermo sit de cognitione ex solis viribus naturæ Angelicæ, res est falsa, vt diximus in materia *de Angelis*. Si verò sit sermo de cogitatione ex speciali reuelatione Dei, doctrina est possibilis. An verò talis reuelatio concedatur aliquando Angelo custodi, probabiliter potest affirmari, vt pium, & conueniens officio Angeli custodis.

Dvbivm XCVII.

An mereatur censuram asserere, quòd vnus Angelus custos simul tempore exerceat officium custodiæ respectu plurium hominum.

Respondeo mereri grauem censuram, quia est contra communem sensum Sanctorum, & Scholasticorum, & Ecclesiæ, & est doctrina plus quàm temeraria, & viri docti existimant sapere errorem.

Dvbivm XCVIII.

Quam censuram mereatur asserere, quòd non sint in Deo, voluntas arcana, & reuelata.

Sciendum est fuisse errorem Caluini asserere in Deo esse voluntatem arcanam, & reuelatam; ipse verò ita explicabat hanc doctrinam, vt diceret voluntatem Dei reuelatam esse in Scripturis, qua prohibet peccata; voluntatem verò arcanam esse secretam, qua vult peccata. ita refert Becanus 1. *parte cap*. 18. *quæst*. 1 *in fine*. Sed est hæresis manifesta; prædicta verò distinctio potest habere catholicum sensum, si dicamus Deum aliqua reuelasse, & voluisse fieri; multa verò nõn reuelasse, siue velit fieri, siue velit non fieri. Vnde si quis diceret in Deo non esse voluntatem arcanam, & reuelatam, dicet verum

contra

contra Caluinum; in altero verò posteriori sensu A errarer aperte.

Dvbivm XCIX.

Quam censuram mereatur asserere, Spiritum sanctum habere perfectionem, qua posset esse Pater Christi eodem modo qua B. Virgo fuit mater.

Respondeo esse manifestum errorem in fide, quia secundùm diuinitatem Christus non est filius Spiritus sancti; secundùm humanitatem verò non potest dici Spiritus sanctus Pater Christi, sicut B. Virgo fuit mater, quia non potest esse pater, sicut B homo est pater alterius, vnde prædicta locutio ex seipsa videtur locutio Doctoris indocti.

Dvbivm C.

Quam censuram mereatur asserere, quòd non est actus virtutis si superior puniat hominem superbum, & pauperem.

Respondeo esse errorem manifestum, si quis velit istum actum non posse esse actum honestum in materia iustitiæ punitiuæ, possunt enim esse tales circunstantiæ, vt iste actus sit honestissimus.

Centvria IV.

Dvbivm I.

An mereatur censuram, qui profert sensum aliquem nouum Scripturæ.

Respondeo, si talis sensus sit contra communem sensum Patrum, & quis velit excludere, & refutare sensum Patrum, meretur censurã temeritatis. Secundò, si sit contra vnanimem sensum Patrum, erit manifestus error, vel hæresis. Tertiò, si D ita quis proferat nouum sensum, vt non velit excludere sensum Patrum, sed intendit in eodem loco Scripturæ esse duos sensus litterales, non erit doctrina digna censura, licèt interdum sit assertio improbabilis, vel parum habens probabilitatis. habenda sunt præ oculis, quæ Doctores tradunt in materia *de sensibus Scriptura*, 1.*part.ad quæst.*1. & circa sensus morales cauendum est, ne aliquis dicat aliquid contra sensum litteralem, in quo non rarò errant concionatores, præsertim indocti. Secus, quando solùm loquuntur præter sensum litteralem, non contra illum. Deinde, si Patres sint diuisi circa sensum litteralem, & vir doctus cum graui fundamento tradat alium sensum distinctum, & nouum, non E erit dignus censura, præsertim si cum modestia loquatur, & iudicium relinquat aliis, quod recentiores aliqui Scripturæ interpretes non semel faciunt, & certè cum fructu.

Dvbivm II.

Quam censuram mereatur asserere, S. Ioannem Baptistam fuisse conceptum sine peccato originali.

Respondeo propositionem esse erroneam, contra Scripturam, & Patres, qui vniuersaliter loquuntur, & non est idoneum argumentum, ad excipiendum Ioannem Baptistam ab illis propositionibus, sicut est fundamentum grauissimum ad excipiendam B. Virginem.

Dvbivm III.

An mereatur censuran qui diceret, non esse propriam loquutionem illam, Pater, & filius diligunt se Spiritu sancto.

De hac quæstione variæ sunt sententiæ, & explicationes, legatur P. Suarez, & Vazquez in materia *de Trinitate*, qui referunt varia placita, quæ & ego retuli *ibidem*, & non video firmum fundamentum, vel rationem, ad dicendum mereri censuram, qua diceret illam propositionem esse impropriam. Ego tamen in sensu proprio explicui illam in citata materia *de Trinitate*.

Dvbivm IV.

An mereatur censuram opinio aliquorum asserentium, non peccare mortaliter religiosum contra votum paupertatis, qui sæpe sumeret rem, vel pecuniam sufficientem ad veniale, & furtum mortale, etiamsi sæpiùs contraheret furtum leue. C

De sæcularibus dixi in materia *de furto*, & in materia *de peccatis*, fore graue peccatum, quando ex pluribus furtis resultaret retentio magnæ quantitatis, quia ea materia formaliter constat ex pluribus paruis materiis: sed quia religiosus non videtur obligari ad restitutionem, quia non habet bona ex quibus possit restituere, ideo aliqui hoc tempore dixerunt, plures materias paruas furti non continuari, & ideo religiosum non peccare mortaliter.

Sed mihi hæc sententia vehementer displicet, neque auderem dicere, esse probabilem; & primò si religiosus habeat aliqua ex quibus licitè possit disponere, peccabit mortaliter, sicut de feculari diximus. Deinde ex impotentia restituendi non excusatur a peccato graui, sicut peccat mortaliter quando sumit quantitatem grauem, etiamsi ex impotentia excusetur à restitutione facienda; ergo etiamsi sigillatim sumat plures materias paruas.

Deinde, quod dicitur de paruis materiis, quòd non continuantur, quia religiosus non habet bona ex quibus restituat, nullius est momenti, quia iste verè retinet materiam grauem, & intulit graue damnum, licèt paulatim, & oppositum non censeo tutum in praxi. Et explicatur ampliùs, quia aliàs plures religiosi possent grauissimum damnum inferre religioni, si vnusquisque sigillatim, & seorsim plures sumerent paruas materias, quod per sese apparet absurdum, si quis dicat hoc posse fieri sine peccato mortali.

Dvbivm V.

An mereatur censuram opinio asserentium per peccatum veniale amitti aliquam partem intensionis gratiæ habitualis.

De hoc disputant aliqui in materia *de gratia*, alij in materia *de charitate*, & communis sensus est peccatum veniale non tollere aliquid gratiæ habi-

tualis, & opposita sententia meretur grauem censuram, ex mente multorum doctissimorum virorum, & mihi videtur temeraria, quia est contra communem sensum Scholasticorum sine graui fundamento.

Dubium VI.

An sit probabile placitum asserentium, gratiam habitualem opponi peccato veniali per differentiam indiuidualem physicam ipsius habitus.

De hoc disputant aliqui recentiores in materia *de gratia*, alij in materia *de charitate*, & modò solùm promitto placitum esse omnino improbabile, refutaui in prædictis locis, & idem iudicium est de gratia habituali, quæ collata est per sacramenta.

Dubium VII.

An mereatur censuram asserere, quòd pœnitens non tenetur explicare in confessione, an peccata quæ confitetur, sint præsentis temporis, vel vitæ præteritæ.

Audio hoc tempore ita sensisse aliquos recentiores, & probant, quia hoc solùm videtur pertinere ad circunstantiam aggrauantem; & tamen probabilis est opinio asserentium circunstantias aggrauantes intra eandem speciem non esse explicandas ex obligatione præcepti.

Notandum est primò, eam opinionem non habere locum, quando peccatum vitæ præsentis est reseruatum, & hoc est explicandum in confessione, vt confessor videat, an habeat facultatem absoluendi à reseruatis, vel non habeat.

Secundò, si pœnitens in præsenti tempore confessionis sit in proxima occasione peccādi, explicandum est, vt confessor iudicet an sit in statu in quo pœnitens possit, vel non possit absolui.

Tertiò, si pœnitens habeat consuetudinem præsentem peccandi, debet illam explicare, vt sacerdos distribuat illi medicinam, & iudicare possit, an sit rectè dispositus ad absolutionem.

Ex his colligo, vix posse dari casum in quo non sit necessarium explicare, an peccatum quod pœnitens confitetur, sit vitæ præsentis, vel præteritæ, & ideo iudico prædictam opinionem esse improbabilem, & in praxi non esse tutam, sed potiùs perniciosam bonis moribus, & multi iudicant esse grauiori censura dignam, & ex doctrina tradita constat, non esse eandem rationem de hac & aliis circunstantiis aggrauantibus.

Dubium VIII.

An mereatur censuram, qui in rebus philosophicis, nouas, & singulares opiniones docet.

Dico primò, si tales opiniones habeant connexionem cum rebus fidei, considerandum est, an ex illis opinionibus sequatur aliquid proximè, vel remotè contrarium doctrinæ fidei, aut morum, & tunc poterunt esse illæ opiniones dignæ censura, quod seriò considerandum est. Si verò propositiones sint puræ philosophicæ quæ non habent connexionem cum doctrina fidei, vel morum, non merentur censuram, de quo optimè philosophatur D. Thomas *opusculo 10. in toto proœmio*, citans Augustinum *5. libro* A *confessionum*, & *1. de Genesi ad litteram*. legatur Ambrosius *in Psalm. 110.* in illud, *fundasti terram, & permanet*.

Dubium IX.

An sit probabilis opinio asserentium, approbatum in vno Episcopatu, posse in alio audire confessiones.

De hoc dixi in materia *de pœnitentia*, & certè si sermo sit de eo qui approbatus est, & pœnitens habet priuilegium eligendi confessorem, non videtur posse negari opinionem esse probabilem, præ- B sertim si explicetur, vt à nobis explicata est in materia *de pœnitentia*, nempe, vt pœnitens simul cum mortalibus confiteatur aliqua venialia, ob rationem ibi assignatam.

Dubium X.

An mereatur censuram, qui docet, aliquam rationem Pontificis, aut Concilij, ad probandam rem fidei, non esse efficacem.

Si quæstio sit de ratione Concilij Prouincialis non confirmati à Papa, certum est non mereri censuram, secundùm communem sensum Docto- C rum. Si verò sit sermo de ratione alicuius Pontificis, sæpe docent Theologi posse esse rationem inefficacem. Sed hoc intelligendum est iuxta ea, quæ docuit P. Vazquez in materia *de legibus*, agens de solemnitate voti, & nos diximus in materia *de voto*, nempe, vt ratio censeri debeat efficax, si illa non sit vera, non potest esse vera definitio Pontificis, & faciliùs potest intelligi ratione alicuius Doctoris Ecclesiæ posse esse inefficacem. legantur de hac materia Theologi in materia *de Trinitate*, vbi referunt rationes Patrum, ob quas volunt Spiritum sanctum non esse filium. legantur in materia *de adoptione*, vbi referunt, & examinant rationem Concilij Francofordiensis, quod probat Christum non esse filium ado- D ptiuum. Et ego semper iudicaui magis conueniens esse laborare in defendenda ratione Pontificis, aut Concilij approbati, quàm vnius, vel alterius Scholastici.

Dubium XI.

An mereatur censuram si quis dixerit aliquem Sanctum habuisse aliqualem gratiam, vel maiorem, quàm habuerunt Apostoli.

De hac comparatione doctè scribit P. Suarez *tomo 2. in 3. part. disp. 8. sect. 1.* agens de sanctitate sancti Iosephi sponsi Beatissimæ Virginis. Solùm E aduerto, hanc comparationem non esse sine prudentia faciendam in concionibus, neque de quolibet Sancto, sed de Sanctissimo aliquo, & ita P. Suarez *loco citato* egit de sanctitate sancti Iosephi.

Dubium XII.

An mereatur censuram, qui comparat Ioannem Baptistam cum Apostolis in gradu sanctitatis.

Legatur P. Suarez *tomo 2. in 3. part. disp. 24 sect. 3.* de qua materia concionatores aliqui parum prudenter loqui solent, seriò à Prælatis corrigendi, propter imprudentiam.

Dubium

DVBIVM XIII.

Quam censuram mereatur asserere, quòd Deus non concurrit ad realem entitatem actus peccandi.

DE hoc tractant Doctores in materia *de peccatis*, & communiter appellant errorem asserere Deum non concurrere ad actum peccandi secundùm realitatem, omne enim ens per participationem pendet ab eo quod est ens per essentiam, & hoc circa peccatum commissionis.

De peccato omissionis sciendum est, esse opinionem aliquorum assetentium posse dari in voluntate puram omissionem, id est, sine vllo actu, & secundùm hanc opinionem, respectu talis omissionis non est necessarius in voluntate concursus Dei, ponimus enim non esse vllum actum realem in voluntate. Secus tamen si dicamus, non dari puram omissionem, & ita ad peccatum omissionis semper concurrere aliquem actum realem. nam tunc ad talem actum necessarius est concursus Dei.

DVBIVM XIV.

An mereatur aliquam censuram asserere, aliquem præter Enoch, & Eliam futurum præcursorem secundi aduentus Christi Domini.

DE hoc legatur P. Suarez *tomo 2. in 3. partem. disput. 55. sect. 3.* vbi refert varias sententias. Sed omnino improbabile iudicandum est asserere, aliquem præter Eliam, & Enoch venturum præcursorem secundi aduentus Christi Domini. Aduertendum est autem aliud esse asserere, cum duobus prædictis Enoch, & Eliam venturum tertium aliud, quod est omnino improbabile; aliud verò asserere, aliquem ex illis duobus non venturum, hoc enim non solùm improbabile, & plusquam temerarium est.

DVBIVM XV.

An sit probabile asserere, quòd propositum iurandi frequenter non sit mortale peccatum.

IN hoc oportet aduertere, quòd si propositum fiat iurandi etiam cum periculo iurandi falsum sine dubio, est peccatum mortale; si verò sit propositum frequenter iurandi verum, non est mortale ex obiecto, tamen ex adiuncto periculo erit mortale, etiamsi non intendatur periculum, & moraliter difficile est cum frequentia iurandi ex proposito præcedenti, non exponi periculo iurandi falsum, & contrarium neque est probabile, neque practicè secerum.

DVBIVM XVI.

An sit probabile asserere, quòd propositum peccandi venialiter non si peccatum mortale.

IN hoc dubio considerandum est, an sit tale genus peccati venialis, vt ex materiis multorum venialium fiat mortale, & hoc casu tale propositum erit mortale, v.g. propositum faciendi plura peccata venialia furti, ex quorum materia potest fieri mor-

A tale, vt diximus in materia *de peccatis*. Si verò talia sint peccata venialia, vt ex illis, aut ex eorum materiis non possit fieri vnum mortale, solùm est considerandum, an ex tali frequentia immineat aliquod periculum extrinsecum peccandi mortaliter in aliqua materia adiuncta, tunc enim ex hac parte posset esse prædictum propositum mortale, licèt ex solo obiecto, & materia venialis non esset mortale.

DVBIVM XVII.

B *An sit tutum in conscientia retinere libros prohibitos ex præcepto sanctæ Inquisitionis, quando libri non continent doctrinam contrariam fidei, aut sacræ doctrinæ.*

REspondeo, nullo modo esse tutum, & esse grauissimum peccatum, etiamsi libri non contineant malam doctrinam, quia Senatus sanctæ Inquisitionis nunquam prohibet aliquem librum, nisi ob causam iustam boni communis, & ita præceptum est iustum, & obligans, & oppositum asserere est erroneum, & scandalosum, & sic facientes, vel sentientes contrà præceptum sanctæ Inquisitionis manifestandi sunt Inquisitoribus, & seuerè puniendi, & qui certò agnoscunt huiusmodi delinquentes, obligati sunt ad manifestandos illos sanctæ

C Inquisitioni.

DVBIVM XVIII.

An sit probabile asserere, non esse peccatum pingere imagines turpes, & inhonestas.

SOlutio huius dubij pendet ex principiis generalibus de scandalo. Et aliqui putant hoc esse licitum. Primò, quia vsus id habet in omnibus prouinciis Ecclesiæ. Secundò, quia tales imagines primariè fiunt ad ostendendam perfectionem artis, ita non refert si ex accidenti moueant ad peccatum. Tertiò, quia multi viri etiam Ecclesiastici habent

D tales imagines, & si perfectæ sint, eas emunt magno pretio.

Sed multi viri pij, & doctissimi existimant hoc non esse licitum, quia scandalum actiuum nunquam est licitum, & negare non possumus, hic concurrere scandalum actiuum, quia manifestare partes inhonestas, vel est opus malum, vel habens speciem mali, cùm moueant ad peccatum; quia imago inhonesta multo magis mouet ad malum, quàm verbum aliquod turpe, & certum est hoc esse peccatum.

Sed vt temperemus hanc sententiam, distinguendum est. nam si sermo sit de imagine hominis, aut fœminæ quantum ad partes quæ turpes non

E sunt, licitum est illas pingere, etiamsi nudæ pingantur, quia istæ per se non mouent ad malum. Secundò tamen si pingantur partes inhonestæ, & occultentur, non erit peccatum illas pingere, quia tunc non mouent ad malum, & ita solent pingi imagines Sanctorum aliquando. Tertiò, si occurrerit causa aliqua iusta pingendi partem aliquam ex his quæ dicuntur inhonestæ, posset pictor excusari à peccato. Explicatur, quia si fœmina absque vlla causa manifestet partem turpem, sine dubio erit peccatum, & tamen si illam manifestet ex necessitate ad medicinam propter morbum, non erit ea manifestatio peccatum, & idem est de verbo necessitatio ad explicandam rem turpem. hæc omnia

sunt

sunt consentanea doctrinæ autorum in materia A *de scandalo*, de quo dixi 2. 2. *tomo* 1. *ad quæstionem* 43.

Restat satisfacere his, quæ pro contraria parte adducta sunt.

Ad primum respondeo, vsum illum absolutè non esse licitum, nisi fiat cum dictis circunstantiis.

Ad secundum respondetur, quòd si ostensio perfectionis artis esset necessaria, excusaret eam actionem à peccato; sed ad vsum communem non potest occurrere necessitas, quæ excuset ab occultatione illarum partium.

Circa tertium occurrit difficultas de his qui retinent tales imagines, & in loco publico eas collocant, in quibus non facilè occurrit iusta causa B illas retinendi, si enim eas volunt conseruare ad ornatum, & ostentationem, possunt illas retinere, partibus turpibus coopertis per artem, & ego ipsas personas testes facio suæ intentionis, si velint illam manifestare, vt prudens Confessor iudicet, an illud faciat cum peccato, aut sine illo.

Restat explicandum, an sit peccatum mortale tales imagines retinere. Aliqui absolutè docent esse peccatum mortale, quia videtur grauis materia. Alij putant non esse peccatum mortale, & explicant, quia non semper est peccatum mortale proferre verbum aliquod turpe, quod est imago rei inhonestæ; ergo à simili, non semper erit peccatum mortale talem imaginem retinere. Si tamen ita C pars inhonesta esset depicta viuis coloribus, & aliis circunstantiis, vt vehementer moueret ad peccatum graue, non esset facile hoc excusare.

Vlteriùs restat explicandum, quid sit dicendum de his qui conspiciunt has imagines inhonestas; sed in hoc dubio philosophandum est, iuxta doctrinam quam tradunt Doctores in materia *de temperantia*, agentes de actibus turpibus, contra castitatem, de quibus dixi 2.2. *ad quæst.* 150.

DVBIVM XIX.

An mereatur censuram asserere, Angelos creatos ante creaturam corporalem.

ID docuerunt aliqui Patres, de quo disputant D Theologi in materia, & nos ibidem diximus, & legi potest P. Vazquez qui rem optimè tractat, vir planè doctus, neque ad censuram procliuis, sed veritatis amator.

DVBIVM XX.

An possit aliquis sine nota censuræ asserere, Pontificem, vel Concilium approbatum asserere aliquem locum Scripturæ, qui non probet efficaciter intentum Concilij, aut Pontificis.

ET primò facilè concedunt Doctores hoc posse E contingere, & exemplum esse potest, quòd Theologi disputant de reuiuiscentia meritorum, & aliqui contendunt probare ex *cap.6. ad Hebræos*. quod adducit Concilium Tridentinum; & alij interpretes recentiores Pauli in illum locum alium esse sensum Pauli; quando tamen Concilium ex instituto definit sensum alicuius loci Scripturæ, non potest dubitari de sensu Concilij: varia exempla occurrunt in variis materiis.

DVBIVM XXI.

An sit probabile posse aliquem lucrari Iubileum absque confessione, & communione, quando Pontifex requirit confessionem, & communionem.

ALiqui opinati sunt, non esse necessariam communionem, vel confessionem, quando prudenter iudicat, se esse in statu gratiæ, quia Pontifex solùm videtur requirere confessionem, & communionem ad comparandum statum gratiæ. Sed hæc sententia mihi videtur improbabilis, quia Pontifex expresse requirit confessionem & communionem, ad maiorem animæ puritatem, quæ locum habet etiamsi quis sit in statu gratiæ. Et vbi manifestè Pontifex illa duo requirit, non est idoneum fundamentum ad dicendum sine illis posse hominem lucrari Iubileum, & hic est communis sensus, non solùm Doctorum, sed fidelium.

DVBIVM XXII.

An mereatur censuram opinio asserentium, eumdem locum Scripturæ sacræ non habere duos sensus literales.

DE hoc diximus in materia *de sensibus Scripturæ*, vbi ostendimus contra Bañez non mereri censuram, licèt sit falsa, legatur noster Gallus 1. *p. lib.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. qui hoc fusè explicat, & eam quæstionem excipiat à censura.

DVBIVM XXIII.

An mereatur censuram asserere, quòd Euangelista citat aliquem Scripturæ locum, per accommodationem solùm, & non in sensu literali, vel mystico.

DE hoc dixi in materia *de sensibus Scripturæ*, & quando Euangelista ita citat, vt dicat, hoc factum est vt adimpleatur quod scriptum est per Prophetam, vel quid simile, planè opinio est grauissima censura digna, & plus quàm temeraria. Secus si recitetur solum quasi verba sumens, & ad alia applicet. legantur Scholastici 1. *part. ad quæst.* 1. *in citatum art.* 10.

DVBIVM XXIV.

An mereatur censuram asserere in Deo esse sex notiones.

AVgustinus quidem solùm assignat quinque, & multi Scholastici illum sequuti sunt, de quo dixi in materia *de Trinitate*. Sed Scotus, & eius discipuli assignant sex notiones, neque video argumentum tanti ponderis contra Scotum, vt dicam oppositam mereri censuram. Quòd enim contrarium dixit Augustinus, non est satis ad dicendum sententiam Scoti mereri censuram, vt constat ex his quæ diximus de auctoritate vnius sancti, *tract. de Topicis sacris.*

DVBIVM

DUBIUM XXV.

An mereatur censuram asserere, aliquam historiam ab Ecclesia receptam in Breuiario esse falsam.

RESpondeo considerandum esse, an ea historia sit omnino certa, vel solùm vt probabilis recepta ab Ecclesia, quòd si solùm referatur vt probabilis, non mereatur censuram asserere esse falsam, quia Ecclesia non determinat esse veram; quando verò ex aliquibus fundamentis esset certa iudicio doctissimorum, non careret temeritate esse falsam, nisi res esset sub opinione apud probatos viros, & doctos, & præcipuè si habenda est ratio antiquæ traditionis, si talis aliqua sit, & semper curandum est ne proferatur propositio aliqua scandalosa respectu audientium, & piarum aurium offensiua. B

DUBIUM XXVI.

An mereatur censuram asserere, quòd Sanctus aliquis Doctor Ecclesiæ errauit in aliqua materia.

LEgantur quæ diximus *de Topicis sacris*, agentes de causa sumendi argumentum ex autoritate sanctorum Patrum, vbi vt certum tradidimus, vnum, C vel aliquos Doctores non habere autoritatem infallibilem, & potuisse errare ostendunt Doctores agentes de locis theologicis: & plura adducunt exempla sanctorum Doctorum, qui errarunt; sed quantum fieri possit curandum est sanctos Patres in bonum sensum explicare, & eos excusare.

DUBIUM XXVII.

An mereatur censuram asserere Christum Dominum non fuisse martyrem.

NOn defuit, qui ita loqueretur, eo quòd martyr frequenter dicitur, qui pro Christo patitur D mortem. Sciendum est quòd S. Thomas *in* 4. agens de laureolis, & tractans an Christus meruerit laureolam, docuit Christum fuisse verissimè martyrem, & sic loquuntur plures Scholastici *in* 4. agentes de laureolis, & negari non potest Christum fuisse propriè & verè martyrem, quia mortuus est pro veritate defendenda, & pro ferendo testimonio veritatis, & hoc negare est error.

Sciendum deinde est, aliquando martyris nomine significari illum, qui pro Christi fide mortuus est, & hoc sensu Stephanus dicitur ab Ecclesia in suo officio responsorio octauo, quia in numero martyrum inuictus est primus; loquitur Ecclesia de illis qui pro Christo mortem passi sunt, & dicitur E Christus à Patribus caput martyrum, sed non est fas dicere non fuisse martyrem verissimè, & propriissimè.

DUBIUM XXVIII.

An sit probabilis opinio asserentium posse impleri præceptum recitandi horas canonicas per solam externam recitationem horarum, etiam si quis non habeat attentionem internam.

ITa plures videntur sentire aliqui huius ætatis, & alij putant probabile. De attentione requisita A ad recitandum horas ex præcepto debitas, diximus in materia *de horis canonicis*. Nunc solùm dico, prædictam opinionem mihi non videri probabilem, neque tutam in conscientia, licèt viri docti, & pij sentiant contrarium, sed perniciosa videtur, & contra bonos mores, interpretatio præcepti ita laxa, & idem dico de præcepto audiendi Missam, nempe requirere peculiarem attentionem internam.

DUBIUM XXIX.

An sit probabilis opinio Græcorum asserentium, quòd in die iudicij aliqui non moriantur.

NOn defuerunt qui dicerent non esse probabilem, & mereri censuram, sed decipiuntur, & contrarium docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* 81. & multi Patres eam sequuntur, quos citat Basilius in variis *quæst.* 10. *Scholastica*. Suarez *tomo* 2. *in* 3. *partem disp.* 50. *sect.* 2. dicit, esse temerarium asserere, hanc propositionem esse dignam censura.

DUBIUM XXX.

An mereatur censuram asserere, quòd tempore passionis tenebræ non comprehenderunt omnes omnino partes terræ.

ALiqui dixerunt mereri censuram, sed falluntur, quia contrarium docuit Dionysius *duabus epistolis de hac re*. S. Thomas 3. *part. quæst.* 44. *art.* 2. *ad* 2. Maldonat. *in cap.* 27. *Matthæi*.

DUBIUM XXXI.

An mereatur censuram asserere, quòd diluuium non attigit partes omnes omnino, sed vniuersam terram tunc habitabilem ab hominibus.

ALiqui damnant hanc sententiam. Sed falluntur, quia contrarium sensit S. Thomas *quæst.* 5. *de potentia*, *art.* 5. *ad* 17. 1. *part. quæst.* 102. *art.* 2. *ad* 4. *proœmio in* 2. *Genesis*, allegato à Sixto Senensi *lib.* 5. *annotatione* 13. Suarez *lib.* 3. *de opere sex dierum cap.* 6. *num.* 39. Maluet. *lib. de paradiso cap.* 84 & sentit P. Gabriel Vazquez. & hanc sententiam refert Pius II. *de descriptione Asiæ, Africæ & Europæ cap.* 5. Abulensis *in cap.* 13. *Genesis, cap.* 93. & alij.

DUBIUM XXXII.

An mereatur censuram asserere, quòd anima Christi cognouit omnia possibilia.

DE hoc dixi in materia *de Incarnatione*, agendo de scientia Christi. legi potest Vazquez. Non defuit qui ausi fuerunt dicere, animam Christi cognouisse omnia possibilia, & aliqui putant hanc doctrinam non mereri censuram, licèt sit falsa. Sed multi viri docti huius ætatis censent talem sententiam esse falsam, & mereri grauem censuram saltem temeritatis, quod mihi placet, est enim contra communem sensum Scholasticorum, & sine idoneo fundamento.

DVBIVM XXXIII.

An sit probabilis opinio aliquorum recentiorum asserentium, restitutionem aliquando esse actum iustitiæ distributiuæ.

De hoc dixi 2.2. *tomo* 2. *ad quæstionem* 62.& meritò multi putant talem opinionem esse improbabilem, & mihi videtur plusquam falsa, & aliquid continere temeritatis, est enim contra communem Doctorum sensum, sine idoneo fundamento, seu argumento. Et qui putant, prædictam cognitionem essentiæ diuinæ, & omnium possibilium esse comprehensionem, planè dicerot, eam opinionem mereri grauem censuram, sicut B meretur censuram dicere Deum esse comprehensibilem, & de facto compreheodi ab anima Christi.

DVBIVM XXXIV.

An sit probabilis opinio asserentium, mutuum consensum eorum qui contrahunt matrimonium, sufficere vt Pontifex dispenset in matrimonio rato, non consummato.

De hac re agit P. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio disp.* 16. *& num.* 9. refert aliquos asserentes, mutuam voluntatem coniugum esse causam sufficientem, vt Pontifex dispensent. Sed ipse P. Thomas Sanchez contrarium docet, & mihi opinio contraria non est probabilis, esset enim contra commune bonum, & ea leuis causa apparet, ad dissoluendum contractum natura sua indissolubilem.

DVBIVM XXXV.

An mereatur censuram concedere in Deo mutationem virtualem intra ipsum Deum.

Aliqui recentiores agentes de actu libero Dei D docent, posse in Deo ab æterno actum creandi aliquam rem, & si non esset talis actus virtualiter, deficere in ipso Deo aliquid virtualiter, non realiter. Quæ doctrina multis videtur digna graui censura, quia contra simplicitatem, & immutabilitatem Dei constituunt in Deo talem mutationem, & quòd dicunt *virtualiter*, solùm videtur inuentum ad effugiendam difficultatem, & ratio contra hanc doctrinam est efficax, nam vel illa mutatio est ante intellectum, & sic est realis; vel per intellectum, & tunc non sufficit ad saluandam difficultatem de decreto libero Dei quod intendunt. Et mihi ab omni impossibilis est, & absurda & digna censura grauissima.

Dices, aliqui Doctores ponunt actum liberum Dei, modum realem ex motione Dei, distinctum ab esse Dei, qui ab æterno potuit non esse, & esse in Deo, & tamen minus est concedere distinctionem virtualem. Respondeo, etiam eam doctrinam esse improbabilem, & meo iudicio dignissimam graui censura, quia multa habet absurda, & pugnat cum simplicitate Dei.

DVBIVM XXXVI.

An sit probabilis opinio asserentium, eum qui mala fide emit rem à latrone, posse eam restituere latroni, neque obligari ad restituendam eam vero domino.

De hoc dixi in materia *de restitutione*, & non desunt qui sequantur prædictam sententiam. Mihi tamen omnino est improbabilis, & ratio illius nullius est momenti, dicitur enim id posse facere emptorem, vt reciperet pretium suum à latrone. Sed hoc nullius momenti est, quia ipse mala fide illud dedit, & ita sibi imputet, si non possit recipere pretium, & si non det vero domino, manifestè cooperatur furto per continuationem, & perseuerantiam.

DVBIVM XXXVII.

An sit probabile placitum aliquorum asserentium, lectionem de fructibus indistinctis rei furto obiectæ, obligare ad restitutionem illarum.

Non defuit vnus, vel alter recentior Theologus, qui id affirmet: sed est contra communem sensum, quia illi fructus rei, de qua diximus C mus in materia *de restitutione*, & communis sententia intelligitur de iure naturali, quia de iure positiuo communi aliud vult statutum, de quo alibi diximus.

DVBIVM XXXVIII.

An mereatur censuram asserere, non posse esse paupertatem Euangelicam cum dominio rei.

Non defuit vnus, vel alter qui ita loqueretur: sed est error, quia in Extrauaganti *Ascendente Domino*, definitum est a Gregorio XIII. cos qui in Societate Iesu emiserunt tria vota simplicia post biennium, esse verè religiosos, sicut professos Societatis, & aliorum ordinum, & in eadem Extrauaganti dicitur ipsos habere dominium suarum rerum, licet non possint liberè illis vti sine licentia superioris, & tamen certum est, non posse esse religiosum statum sine paupertate Euangelica.

DVBIVM XXXIX.

Quam censuram mereatur asserere, Christum non fuisse propriè Prophetam.

De hac materia dixi suo loco, & aliqui putant E non carere temeritate. Mihi satis sit dicere, non esse probabilem, quod in Hispania censuerunt multi.

DVBIVM XL.

An mereatur censuram asserere, Christum habuisse morbum aliquem.

De hoc dixi in materia *de Incarnatione*, 3. *part. ad quæst.* 14. & communiter sentiunt Doctores esse temerariam, & erroneam, contra communem sensum Scholasticorum, & fidelium omnium.

DVBIVM XLI.

Quam censuram mereatur sententia asserentis, matrimonium inter fideles baptizatos esse Sacramentum, sed non esse de fide quòd conferat gratiam.

RESpondetur, hæc opinio quoad primam partem est certa. Secunda tamen defendi non potest sine errore post Concilium Tridentinum, quia definit matrimonium esse Sacramentum nouæ legis, & sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato. Quod verò aliqui docent, post Concilium Florentinum esse certum, matrimonium de fide esse Sacramentum, non tamen esse de fide conferre gratiam, etiam reiiciendum est vt improbabile, & temerarium, sæpiúsque erroneum, quia in omni lege semper fuit Sacramentum verum, & proprium conferre gratiam. legatur P. Thomas Sanchez *lib. 2. de matrimonio, disp. 10.*

DVBIVM XLII.

An mereatur censuram hæc propositio: Humanitas Christi in instanti temporis, in quo vnita est verbo diuino prius natura habuit propriam subsistentiam.

REferunt recentiores hanc propositionem aliquãdo traditam à quodam Theologo ante paucos annos, & aliqui dixerunt solùm esse malam philosophiam, quia in eodem instanti temporis non potuit humanitas habere propriam subsistentiam, & carere illa. Alij tamen docuerunt, talem propositionem non solùm esse temerariam, sed sapere errorem, quia secundùm illam concedendum est in eodem temporis momento, humanitatem Christi habuisse duas personalitates, diuinam, & humanam, & negari non possumus doctrinam esse periculosam in fide, & fauere hæresi asserentium in Christo duas personas.

DVBIVM XLIII.

Quam censuram mereatur opinio asserentium, pueros eo tempore quo obligari incipiunt præcepto confessionis, obligari præcepto Eucharistiæ.

ALiqui putant improbabilem, eo quòd non habet idoneum fundamentum. Alij putant plusquam temerariam, quia est contra communem sensum Doctorum, imò contra sensum Ecclesiæ, & meritò grauiter reprehendunt talem doctrinam.

DVBIVM XLIV.

Quam censuram mereatur opinio asserentium, non posse superiorem religionis priuare subditum receptione Eucharistiæ ad tempus, propter correptionem illius.

REspondetur doctrinam esse temerariam, & contra sensum Ecclesiæ, & vsum sanctissimum religionum. Notandum verò est circa hoc, & prædictam propositionem, autores illius citare pro ea plures Doctores, & testimonia non pauca, quæ tamen si attentè legantur, eam doctrinam non traduut, & idem est obseruandum pro his quæ dicuntur de facultate pœnitentis ad commu-

A nicandum contra consilium Confessoris, quæ doctrina scandalosa est, & temeraria, & contraria bonis moribus pœnitentium, & regimen animatum.

DVBIVM XLV.

An mereatur censuram hæc propositio: Pater est causa filij.

DE hac loquutione diximus in materia *de Trinitate*, & Patres Græci olim ita loquuti sunt: sed Latini noluerunt vti nomine *causa*, sed nomine *principij*, quia nomen causæ significat imper-
B fectionem in effectu, secundùm proprietatem vocabuli, & aliqui hoc tempore putant eam locutionem non mereri censuram aliquam, sed dicunt non esse propriã. Alij verò meritò docent, iam inter Latinos non posse vti tali locutione aliquem, sine aliqua temeritate in modo loquendi, & hoc mihi placet. Et sanè illa locutio impropria est, & ex modo significandi tribuit filio imperfectionem: ergo modus ipse loquendi est temerarius, & sapit errorem. Inter Græcos tamen catholicos faciliùs posset admitti ea locutio. legantur quæ diximus 1. *parte, ad quæstionem* 33. & ibi alij interpretes, & non desunt periti linguæ Græcæ, qui dicant, idem quod apud Græcos significat cau-
C sam, significat etiam principium. Et dicendum est, quòd licèt vnus, vel alter Pater Græcus interdum dicat, filium ratione originis posse dici obedientem Patri, tamen impropriam esse locutionem, neque vsurpandam ab Scholasticis, quia obedientia in rigore requirit subiectionem, quæ non est in filio, vt Deo, ideo vitanda est talis locutio, ne videamus fauere errori Arrianorum.

DVBIVM LXVI.

D *An sit probabile placitum asserentium, Christum prædestinatum vt redemptorem ante præuisum peccatum primi Parentis.*

AVdiui ego virum doctissimum, qui putauit talem propositionem esse piarum aurium offensiuam, & parum consentaneam bonitati Dei. Et mihi semper vehementer displicuit, neque visa est probabilis, imò parum consentanea doctrinæ Patrum multorum, qui sentiunt, Christum prædestinatum post præuisum peccatum primi parentis, de quo 3. *part. ad quæst.* 1.

DVBIVM LXVII.

E *An sit probabilis sententia qua docet, vnum hominem non posse ita applicare suam satisfactionem pro pœna temporali alterius vt spoliet se propria satisfactione.*

DE hoc diximus opusculo contra errores Michaëlis Baij, & in materia *de pœnitentia*, agentes de satisfactione. P. Suarez, & alij in materia *de pœnitentia* agentes de satisfactione, improbabilem appellant talem sententiam. Alij graui censura dignam putant. Non desunt tamen aliqui, qui vt veram illam defendant, & alij qui à censura excusent. legantur quæ ego retuli, & docui *locis citatis*. Et certè communis sensus fidelium est, quòd

dum quis applicat pro altero opus pœnatiom pro pœna temporali, se spoliat sua satisfactione, quamuis sit controuersia inter Doctores, an hoc fiat de congruo, vel de coodigoo, ex sola natura rerum, vel ea lege, & ordioatione Dei, de quo latiùs suo loco.

Dvbivm XLVIII.

An mereatur aliquam censuram opinio asserentium, existentia naturæ non distingui à natura.

NOn defuit voos, vel alter recentior, qoi dicat talem opioionem mereri non leuem censutam, quia ex illa sequitur Christi humauitatem existere creata existentia & proptia, ea quo iosertur, B. Virginem non genuisse hominem Deum, nec fuisse matrem Dei, quia non genuit hominem Deum, vt illi homanitati commonicaretur esistentia Dei. de bac difficoltate diximos in materia *de Incarnatione*, & certè sine temeritate non potest dici illam opinionem de identitate essentiæ eum persona esse improbabilem, aut mereri graoem censutam. nam illam sequitur Scotus, & eios discipoli, & ex aliis Doctoribus quamplurimi, & multi putant oon esse contra sanctum Thomam.

Difficultas verò proposita, de existentia humanitatis Christi, leuiotis momenti est, de qua diximus in materia *de Incarnatione*, & vt B. Virgo fuerit mater Dei verè, satis est genuisse homanitatem, quæ in primo instanti conceptionis fuit vnita personæ Verbi diuini, nam facta hac vnione, hic homo est Deus, per commuoicationem idiomatum, vt latiùs dixi suo loco.

Dvbivm XLIX.

An mereatur censuram hæc propositio: In Christo est persona humana.

ALiqui concedont esse veram talem locutionem, quia personalitas Verbi cum humanitate componunt personam, quæ natura humana dieitur persona humana. Alij tamen meritò docent, talem loqootionem mereri grauem ceosuram, quia sapit errorem asserentium in Christo Domino esse duas persooas, alteram humanam, & alteram diuinam.

Dvbivm L.

An mereatur censuram hæc propositio: In Christo est duplex esse.

ALiqui docent mereri censuram, quia talis loquutio significat in Christo esse duplex esse completum, & personale, ac proinde duas persooas.

Dvbivm LI.

An mereatur censuram asserere quòd Deus se solo possit producere habitum inclinantem ad falsum.

QVid sit dicendum de veritate, vel falsitate huios propositionis, diaimus in materia *de fide*. Modò aotem solùm placet dicere talem propositionem noo mereri censuram, quia multi viri docti & graues Theologi illam tradunt, qui expressè doceot, Deum per talem habituoi non testificari falsum, sed solùm materialiter inclinare ad assensum falsum, sicut potest coocurrere ad materiale peccati.

Dvbivm LII.

An mereatur censuram asserere quòd frater potest occidere sororem quæ concepit ex fornicatione, si frater timeat infamiam sibi ex futuro partu.

REfertur qoidam Professor Theologiæ moralis qui docuit id esse licitum. Sed meritò multi graues Theologi in Hispania docuerunt talem propositionem noo solùm esse scandalosam, & temeratiam, sed manifestum errorem, quia talis infamia nunqoam iudicata est à Doctoribus causa iusta homicidij autoritate priuata faciendi, & idem iudicium est de patte respectu filiæ. An verò possit licitè maritus occidere vaorem depreheosam actualiter in adolterio, diaimus 2. a. in materia *de homicidio*.

De qualitate propositionom huius materiæ, optime Lector, hæc habui, quæ modò tibi do, pluta daturus, si Dominus dederit vitam, salutem, & gratiam.

Legat curiosus Lector censuras qoas in specie assignauimus propositionibus Michaëlis Baij, opusculo decimoquinto, inter opuscula *de gratia*, vbi damnantur hæ propositiones, & illarum censutas ego assignaui: pettinent autem ad materias diuersas, & ea illis complenda erit hæc centuria.

DISPVTATIO XXXI.

Scholastica, & Positiva.

Dvbivm I.

An aqua vino infusa conuertatur in sanguinem Christi, etiamsi priùs non fuerit conuersa in vinum.



ATantvr Scholastici, vt vidimus, aquam non esse de essentia Sacramenti, nihilominus est quæstio, an conuertatur in sanguinem Christi, quando ante consecrationem non est conuersa in vinum: refert Innocentius *cap. cum Martha, de celebratione Missarum*, tres opiniones quæ eo temporé inter Theologos circumferebantur; nos verò alia denuo referemus etiam ab aliquibus exoptatas.

Prima sententia erat, vinum conuerti in sanguinem, aquam verò in hnmorem phlegmaticum, quem putarunt de latere Christi fluaisse: sed hic error damnatus fuit ab Innocentio III. *cap. in quadam, de celebratione Missarum*. Secunda sententia, qoam refert tertio loco Pontifex, est asserentium, aquam semper maoere sub specie, & forma aquæ, & non conuerti in sanguinem.

Sed refutatur ab Innocentio *citato c. cum Martha*, quia vnioersim negat efficacitatem vino ad coouertendam aquam: refutari etiam potest, quia, vt suprà refellimus, Pattes docent totum calicem ex aqua & vino coouerti in sanguioem Christi; sententiam verò, quam

quam secundo loco refert Innocentius, nos infrà referemus,& vt veram explicabimus.

Deinde est alia sententia asserentium, aquam quidem vino infusam conuerti in sanguinem, si ante verba consecrationis non est conuersa in vinum, inserunt aliqui huius ætatis; ex autoribus tamen eam expresse tradidit Alanus *libr. 1. de Eucharistia, lib. 13.* Ægidius *hic in artic.* 8. Ex duobus verò capitibus solet probari, alterum est autoritas aliquorum Patrum, qui docent, aquam & vinum conuerti in sanguinem Christi: alterum ratio, qua probatur, aquam non posse conuerti in vinum in tam paruo tempore.

Et primò adducitur Damascenus *lib. 4. de fide, cap. 14.* Secundò adducitur Algerus 1. *de Eucharistia, cap. 6.* Tertiò adducitur Paschasius *de corpore & sanguine Domini, cap. 11.* habetur *4. tomo Bibliotheca* Quartò adducitur Martinus Brachatensis in collatione capitulorum ex Synodis Græcorum *c. 55.* Quintò citatur Rabanus *de corpore & sanguine Christi, cap. 4.* Sextò Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis, cap. 4.* refertur *canone priùs, el 2. de consecratione, distinct. 2.* & similia testimonia Patrum citantur à recentioribus, sed ex dicendis facilè erit omnia explicare.

Deinde si priùs aqua deberet conuerti in vinum, vix posset hoc fieri. Primò, quia in Concilio Tribuciensi *cap. 19.* vt dixi, permittebatur infundi tertiam partem aquæ: difficilè verò videtur tantam aquam tam paruo tempore posse conuerti in vinum.

Secundò, quando ob ignorantiam, vel aliam causam, necesse esset, post sumptam hostiam consecratam à Sacerdote denuo consecrare calicem, qui non fuit consecratus, & statim fieri mixtionem, & post illam consecrationem, tunc non posset fieri conuersio aquæ in vinum. Tertiò credibile non est Christũ miscuisse modicissimam aquam, sed multam ob temperantiam; tanta verò aqua non posset in vinum conuerti. Quartò, quia si farinę tritici misceatur aliquid alterius farinæ, conuerteretur in corpus Christi; ergo à simili. Quintò, aliàs si non conuertitur aqua in sanguinem, falsa essent illa verba, *hic est sanguis.* ergo Sextò, quia illud mixtum dicitur absolute vinum; ergo totum conuertitur in sanguinem, etiamsi aqua in sua substantia permaneat. Vltimò, quia arte aliqua potest aqua à vino separari post mixtionem: signum ergo est non conuerti in vinum.

Vera tamen sententia est, quam Innocentius III. *cap. cùm Marthæ, de celebratione Missarum*, refert secundo loco, nempe aquam conuerti in sanguinem Christi, quæ priùs in vinum conuertitur. ex qua sequitur non conuerti in sanguinem, nisi priùs in vinum conuertatur.

Hanc opinionem sequuntur Scholastici multi, qui post Innocentium III. scripsere, Alensis *4 part. quæst. 10 membr. 4. art. 1* §. 4. Bonauentura *in 4 dist. 11. 2 p. distinctionis, art 1. quæst. 3.* Richard. *art. 3. quæst. 5.* Scotus *quæst. 6.* Paludanus *quæst. 1. art. 6.* & multi alij, quos citát, & sequuntur *hic* P. Vazquez, & P. Suarez, & P. Valentia *punct. 1.* qui adducunt S. Thomam *hic in art. 8.* & in Catechismo Romano dicitur hæc opinio omnium Ecclesiasticorum scriptorum.

Et eam probabiliorem esse dixit Innocentius *loco citato*, sed recentiores aliqui contendunt, Innocentium non dixisse, aquam priùs transire in vinum vt conuertatur in sanguinem; sed aqua simul cum vino in sanguinem Christi conuerti, quod ipsi non negant, sed solum dicunt aquam conuerti in sanguinem Christi, etiamsi priùs non conuertatur in

A vinum: hoc tamen nullius momenti est, nam Pontifex ex tribus opinionibus ibi relatis probat eam, quam secundo loco retulerat, nullam autem retulerat asserentium, aquam conuerti in sanguinem, etiamsi priùs non conuertatur in vinum, vt recentiores excogitarunt cum Alano suprà citato.

Deinde solet adduci contra sententiam recentiorum, Aristoteles *libro de generatione, cap. vltimo, textu* 88. vbi docet, quòd paruum est, & facile diuidi potest, facile etiam posse in aliud transmutari. Cùm igitur modicissima aqua debeat infundi vino, facilèque diuidatur, facile in vinum poterit transmutari.

Rationibus verò theologicis contendunt Theo- B logi huius temporis confirmare hanc opinionem contra opinionem recentiorum: & aliqui probant, quia, vt suprà dictum est, aqua solùm est necessaria ex præcepto Ecclesiastico; ergo non pertinet ad essentiam Sacramenti.

Hæc enim ratio calumniæ patet; Doctores enim contrariæ sententiæ docent, aquam quidem vino coniunctam esse institutam materiam cõsecrationis, liberam tamen: ex præcepto autem Ecclesiæ habere, vt misceri debeat, sicut si aliquis diceret, peccata venialia, quæ sunt materia libera Sacramẽti pœnitentiæ, posse aliquando subiici clauibus in confessione, ex præcepto Ecclesiæ. Quapropter contendendum est probare, aquam non fuisse institutam à Christo C materiam huius Sacramenti. Alij impugnant, quia ex opposita sententia sequeretur, materiam calicis essentialem non esse purum vinum, sed mixtum aqua. Sed hoc etiam est leuioris momenti. nam qui sequuntur sententiam Alani, manifestè docent, solum vinum esse materiam essentialem necessariam ex institutione Christi.

Tertiò probant aliqui recentiores *in articulum* 8. quia si aqua potest immediate conuerti in sanguinem. ergo non minus posset conuerti aqua naturalis, quàm aqua rosacea, vel quælibet alia. Sed hoc parum probat, quia posset aliquis respondere pro Alani sententia, solùm aquam naturalem posse conuerti in sanguinem Christi, quia illa sola est, quæ D infundenda est vino, ex præcepto Ecclesiæ, quam infundit Christus.

Quartò probant alij, quia si aqua simul cum vino potest conuerti immediatè in sanguinem, non videtur posse assignari ratio, propter quam aqua non sit materia æquè necessaria ad vinum. Sed etiam hæc ratio non vrget, quia possunt respondere, qui sequuntur sententiam Alani, esse diuersam rationem vini & aquæ, & colligi ex sensu Ecclesiæ, & ex his solui possunt similes rationes, quæ solent fieri contra prædictam opinionem.

Mihi ergo placet communis sententia, &, vt suprà dixi, probanda est autoritate Innocentij III. *loco allegato*, qui eam eligit vt probabiliorem. Con- E firmari etiam potest non leuiter ex communi sensu Scholasticorum, & ex citato Catechismo Romano, & efficaciter, quia opposita sententia affirmantium aquam esse materiam liberam huius Sacramenti, ita vt coniuncta vino possit consecrari, & separata non possit, non habet firmum fundamentum, & tamen eius institutionis à Christo factæ deberet assignari idoneum aliquod testimonium Scripturæ, vel Patrum; quod tamen non assignatur. nam quæ ex Patribus adducuntur manifeste intelligenda sunt de conuersione aquæ in sanguinem Christi, quando priùs mutata est in vinum.

Deinde in confirmationẽ communis opinionis &

explicationem eius, quod modò dicebam, expendo A communem opinionem traditam esse ab Innocentio sopra vt probabiliorem, quod nun posset ita facile Pontifea dicere si testimonia Sanctorum, quæ pro sententia Alani adducuntur, intelligenda essent de cöoersione aquæ immediatè in sanguinē Christi.

Fauent etiam Concilium Florentinum in decreto Eugenij, & Tridentinum *sess.* 13. *canon.* 2. quatenus de solo vino agunt, vt de sola materia, de qua nunquam indicant materiam necessariam, vel liberam.

Tandem, ex sententia Alani videtur sequi absurdum. nam si species aquæ consecrari possunt simul cum vino, antequam aqua conuertatur in vinum: ergo si casu aliquo separentur ab speciebus B vini post consecrationem, perseueraret Christus sub speciebus aquæ, quod videtur paradoxon inauditum, & inuisum Theologis.

Licèt tamen concedatur ab aliquibus recentioribus permansurum Christum sub speciebus aquæ tantùm; alij tamen id non audent concedere, sed negari vix potest, propter rationem factam, verba enim consecrationis sub speciebus materiæ capacis constituunt Christum loco substantiæ illarum, ac proinde permanet sub illis toto tempore, quo substantia illarum sub illis permaneret, id quod de speciebus panis, & vini certum est valde, vt dicemus suo loco.

Sed respondebit aliquis: species aquæ separatæ C à vini speciebus non retinere sub se corpus Christi, sicut neque à principio possunt consecrari sine speciebus vini. Verùm hoc responsum licèt videatur consectariè datum doctrinæ Alani, tamen contra communem sensum Scholasticorum & fidelium videtur Christum separari ab speciebus semel consecratis, illis perseuerantibus incorruptis. Imò docent tandiu Christum conseruari sub speciebus panis, aut vini (idem iudicium debere esse de speciebus aquæ) quandiu substantia panis, aut vini sub illis conseruaretur, & oppositum non est tutum in fide.

Addunt P. Vazquez, & P. Suarez manere aquam cum sua substantia, si ante consecrationem non D conuertatur in vinum: idem docent recentiores Thomistæ *in articulum* 8. Et quamuis S. Thomas videatur contrarium dicere, tamen sanctus Thomas refutat opinionem asserentem semper manere aquam cum sua substantia, quod non est verum: de ratione verò qua vtitur ibi S.Thomas, dicam infrà.

Restat soluere argumenta primæ opinionis; & ad testimonia Patrum respondendum est, vt suprà indicaui, illos solùm voluisse aquam & vinum conuerti in sanguinem, non tamen disputasse de transitu aquæ in sanguinem immediatè. ita P.Vazquez, & alij *hic*, P.Suarez *sectione vltima*, de quo etiam iterum dicam infrà.

Ad rationes verò sigillatim respondendum est. E Ad primam respondeo, difficile sanè esse, tertiam partem aquæ in vinum conuerti tam breui tempore. Sed Concilium Triburiense quantum ad hoc non videtur vsu receptum in Ecclesia vniuersali, & Eugenius IV. in decreto, quod habetur post vltimam sessionem Concilij Florentini, solùm dixit, modicissimam aquam esse infundendam, & secundùm hanc regulam facile creditur aquam in vinum conuerti. S. Thomas *artic.* 8. dicit, tutius esse parum aquæ infundere, vt possit conuerti in vinum: & P. Valentia *puncto* 1. *assertione* 4. dicit, per Concilium Florentinum correctū esse Triburiense.

Ad secundam respondetur tunc temporis non mirum si aqua maneat in propria natura, & non conuertatur in sanguinem Christi, cùm tam sit breue temporis spatium, in quo non amplectimur opinionem, quam minùs probabilem iudicauit Innocentius, Doctores enim illius vniuersè dixerunt, aquam nunquam conuerti in sanguinem Christi.

Ad tertiam dicendum est, Christum in communi potu multum aquæ vino infudisse, ad commendandam temperantiam; aliter autem se gessisse in consecrando calice sanguinis sui, propter mysterium, & significationem.

Ad quartam respondetur, si parum aliquid farinæ non triticæ casu misceatur interdum farinæ triticæ, & tempore consecrationis permanserit in propria natura, non fore conuertendam in corpus Christi, quia non est materia apta consecrationi, id quod sine ratione assumunt qui opinionem Alani sequuntur.

Ad quintam respondetur, verba consecrationis, *hic est calix*, &c. esse vera, quia demonstrant id, quod præcipuè sub speciebus vini continetur, quod explicari potest, quia si gutta paruula alicuius alterius liquoris quàm aquæ esset admixta vino, nihilominus consecraretur vinum, & verba essent vera: & tamen gutta illa alterius liquoris, non est materia apta consecrationi.

Ad sextam fatemur, vinum illud mixtum aqua dici simpliciter vinum: cum hoc tamen contendimus aquam non transire immediatè in sanguinem Christi, denominatio enim sumitur ab eo quod præcipuum est in calice. Quod exemplo posito antè allato etiam ostenditur, quia etiamsi ibi esset guttula olei contenta in calice, diceretur simpliciter vinum, & certum est guttulam illam olei non fore conuertendam in sanguinem.

Ad vltimam respondetur, tunc solùm posse separari aquam à vino post consecrationem, quando tanta aqua infusa fuit, vt conuerti non posset in vinum ante consecrationem.

Nonnulla alia argumenta solēt fieri contra communem doctrinam, ex quibus vnum, vel alterum referam. Aliqui ergo sic arguunt. Si aliquando aqua manet in propria substantia, neque conuertitur in sanguinem Christi, sacerdos qui sumeret talem calicem, non esset ieiunus post sumptionem illius, & ita post illam Missam non posset aliam celebrare, vt solet fieri in die Natiuitatis Domini.

Aliqui concedunt, non posse in eo euentu sacerdotem celebrare secundam Missam, si prudenter agnosceret, aquam non fuisse conuersam in vinum, vt indicat Gabriel *lect.* 35. *in can. litt. S.* & P. Suarez docet in solutione argumenti, quando certum esset aquam non esse conuersam, sacerdotem non posse celebrare secundam Missam.

Sed P. Vazquez, & alij docent illam sumptionem aquæ, simul cum speciebus sanguinis, non violare ieiunium, quod præcipit Ecclesia ante communionem, quia mixtio aquæ cum vino, vt suprà diximus, est de præcepto Ecclesiæ, & ita per præceptum ieiunij non est credendum voluisse Ecclesiam, prædictam sumptionem aquæ prohibere, præsertim cùm sit res tam dubia.

Alterum est de adoratione, obiiciunt enim non posse adorari, si est ibi remanens aqua in propria natura: hæc ratio desumitur ex sancto Thoma *articul.* 8. *in corpore*. Sed hoc nullius ponderis est, quia adoratio hæc, vt dixi suprà *ad quæstionem* 25. præcipuè fertur in Christum. Nota verò exterior

in signum vt cootinens Christum: hoc autem totum non impeditur, etiamsi species vini continentes Christum, habent admixtam aliquam partem aquæ, & sanè fideles non adorant nisi species verè consecratas; si enim esset ibi aliquid admixtum, oon adoraretur, neque impediret adorationem veri Sacramenti.

Ex dictis sequitur aquam conuerti in vinum solum, si fiat corruptio aquæ à vini speciebus post factam consecrationem, philosophandum enim est de aqua tunc, sicut de alterius rei corruptione facta ab speciebus vini; dispositiones enim vini postulaot formam vini, vt ex dicendis infrà constabit.

Secundò, si aqua in instanti consecrationis conuertatur in vinum, non conuerteretur in sanguinem, quia in eodem momento noo potest transmutari in vinum, & in eodem corrumpi, & desinere esse vinum per conuersionem in sanguinem, vt patet, quia idem simul esse & non esse in eodem instanti, implicat contradictionem.

Hæc omnia tradidi iam olim cùm primùm hoc dubium tractaui, excepto, quòd non citaui Patrem Ægidium, quia postea sua scripta typis mandauit, & opinionem Alani sequutus, multa dicit in confirmationem illius *in art.* 8. *3. part. ad quæst.* 79. & necessarium est breuiter deferre nonnulla, & aliquibus satisfacere: & primò pro opinione Alani citat Baronium 12. *tomo Annalium, anno* 1188. *in fine*, & reuera ita sentit. citat etiam Pesantiom *in artic.* 8. *citatum disput.* 2. *in fine.* Toletum 2. *libro summa. cap.* 25. §. *rursus licèt vinum*, qui, licèt breuiter, eam sententiam videtur amplecti, citat etiam Iansenium in Concordia Euangelica *cap.* 131. sed hic autor obscurè loquitur, & videtur amplecti opinionem S. Thomæ. citat etiam Conimbricenses *libr.* 1. *de generatione. cap.* 10. *quæst.* 1. *articul.* 2. *in fine*; sed isti solùm docent communem opinionem Scholasticorum non esse de fide, sed rem positam esse in opinione. Rursus citat Aotisiodurensem *lib.* 4. *summa, tractatu* 5. *cap.* 2. qui obscurè loquuntur, refert etiam hanc opinionem publicè defensam esse in nostro Collegio Romano anno 1606. testatur etiam ita sentire plures viros doctos.

Deinde ad confirmandam sententiam Alani, citat P. Ægidius Alexandrum 1. *epistola ad omnes orthodoxos*, & refertur *cap.* 1. *de consecratione, distinctione* 2. Cyprian. *lib.* 2. *epistola* 3. *aliàs* 63. & Martinum Papam relatum *cap.* 4. *de consecratione, dist.* 2. Iustioum Martyrem *apologia* 2. *pro Christianis*, & alios quosdam, qoatenus dicunt, vinum, & aquam in calice offerri, & consecrari; quæ testimonia explicari possunt, sicut similia à oobis suprà explicata sunt cum Doctoribus nostræ opinioois, vt intelligantur de consecratione vini, & de aqua, quando priùs transit in vioum; sed dicit P. Ægidius hanc explicationem gratis dari, & sine idoneo fundamento, verùm iam assignauimus fundamenta communis opinionis.

Secundò obiicit, ex tradita explicatione sequi, posse dici triticum consecrari, quia transit in panem, & panis in carnem Christi: sed hoc leuioris momenti est; quia triticum non miscetur cum pane, sicut aqua miscetur cum vino ex facto Christi, & præcepto Ecclesiæ.

Tertiò obiicit, quod Ambrosius, & Algerus dicunt, aquam permanere distinctam à vino vsque ad instans consecrationis; verùm quidquid sit de sensu horum Patrum, tamen expressè non dicunt aquam

A immediatè transire in sanguinem, neque de hoc disputarunt.

Quartò obiicit, qoòd Patres qoando docent in calice plus debere esse vini, quàm aquæ non dixerunt id esse necessarium, vt aqua conuerteretur in vinum. Verùm hoc solù probat, aliquos Patres id oon docuisse expressè; eam tamen rationem assignauit S. Thomas *art.* 8. & fauet Concilium Florentinum dum statuit modicissimam aquam esse miscendam vino.

Quintò obiicit, quòd Patres nunquam significarunt prædictam sententiam. Respoodeo, Pontificem eam tradidisse *cap. cùm Martha, citato*, vt suprà diximus, & inferiùs ampliùs ostendemus. Et oon solùm B contendimus testimonia illa allata pro opinione Alani noo esse contra communem opinioocm sancti Thomæ, & aliorum.

Deinde dicere possumus tanqoam probabile parum aliquid aquæ semper conuerti in vinum, licèt non conuertatur tota aqua, si magna sit eius quantitas. Et in hoc sensu explicari etiam possuot testimonia citata.

Item Patres illi ita absolutè loqui potuerunt, si suo tempore parum aquæ infundebatur vioo, in suis prouinciis, sicut nunc infunditur in Ecclesia Latina ex decreto Concilij Florentioi, licèt ipsi non disputauerint de transitu mediato, vel immediato aquæ io sanguinem.

C Deinde principaliter contendit Ægidius præbere sententiam Alani, ex Innocentio III. *c. cùm Marthæ, de celebratione Missarum*, quem S. Thomas & Scholastici citant pro communi opioione; & probat primò, quia Innocentius referens commonem opinionem asserentium, aquam non conuerti in sanguinem, nisi priùs conuertatur in vinum, addidit Pontifex, *licèt Physici contrarium dicant*, per quæ vltima verba videtur Pontifex asserere, ooo fieri talem conuersionem aquæ in vinum, & ita cùm Pōtifex approbat secundam opinionem, solùm videtur approbare, quantum ad conuersionem aquæ in sanguinem, noo tamen in vinum.

Sed vt explicetur mens Pontificis, placet referre D aliqua verba illius, & primò ait: *Alij verò docent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino, licèt Physici contrarium asseuerent*, &c.

Infrà verò relatis opiniooibus ait Pōtifex, verùm inter has opiniones dictas, illa probabilior iudicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem substantiari. Quibus verbis manifestè probat, opiniooē quam retulerat secundo loco, nullam enim aliam retulerat similibus verbis, & ita intellexerunt Innocentium S. Thomas, & Scholastici communiter: singularis autem fuit Ægidius, dum vult sub secunda opinione relata à Pontifice duas opiniones fuisse comprehensas, alteram asserentium aquam coouerti E in sanguinem, si priùs coouertatur in vinum, alteram asserentium, aquam immediatè conuerti in sanguinem; qood tamen in verbis Pontificis non continetor, io verbis enim à oobis relatis, solùm retulit opinionem asserentium, aquam conuerti in sanguinem, si priùs coouertatur in vinum, aut quando priùs conuertitur in vinum, licèt statim retulerit sententiam Philosophorum aliquorum negantium, aquam conuerti in vinum. Postea verò idem Pontifex, nulla facta distinctione, aut mentione opinionum, quas dixit Ægidius, affirmat probabiliorem esse opinioocm asserentium, aquam cum vino conuerti in sanguinem, quod intelligendum est, ioxta rationem relatam à Pontifice, quia aqua

infusa vino priùs transit in vinum, & hoc sensu, vt dixi, S.Thomas *art.*4 & alij Scholastici communiter intellexerunt Pontificem. A

Secundò obiicit P. Ægidius, quòd Pontifex citato capite, *cum Marthæ*, non dixit, probabiliorem esse secundam sententiam, sed probabiliorem esse eorum sententiam qui dixerunt, aquam cum vino conuerti in sanguinem, neque esse credibile, Innocentium approbasse sententiam, quam expressè non retulerat. Item non videtur verisimile, tot, & tam graues Scholasticos cum S.Thoma ignorasse sensum Innocentij, & contra Innocentium sensisse.

Tertiò obiicit Ægidius, quia aliàs Pontifex in eo capite non satisfecisset quæstioni propositæ de conuersione aquæ in vinum, de qua erat controuersia inter Theologos. Respondetur Pontificem expressè satisfecisse quæstioni de conuersione aquæ in sanguinem, quando priùs conuertebatur in vinum, quod præcipuè vocabatur in controuersiam, licèt non expressèrit an semper aqua priùs conuerteretur in vinum. B

Quartò obiicit Ægidius Pontificem approbare opinionem, quæ magis recepta in Ecclesia erat: magis autem recepta erat, & communiter opinio Alani, suprà relata: sed non est verum, eam opinionem fuisse magis receptã, cùm expressè tres alias distinctas referat Pontifex, & illius non fecerit expressam mentionem, &, vt dixi, credibile non est sanctum Thomam, & alios antiquos Scholasticos ignorasse, & non intellexisse sensum Pontificis. Et quidem si Pontifex tradidisset opinionem illam, quam postea sequutus est Alanus, nullo modo prædicti Scholastici contra Pontificem sentirent. C

Quintò probat, fuisse tunc temporis communiorem opinionem asserentium, aquam immediatè conuerti in sanguinem, quia hoc videtur colligi ex controuersia proposita Pontifici. Et ex eadem controuersia proposita in Gallia Episcopo Albanensi, tunc temporis Vicario Pontificis, vt Baronius suprà refert ex Gaufredo. Verùm ex controuersia proposita Pontifici, non satis potest colligi illam opinionem fuisse tunc magis receptam & communem, & credendum non est, opinionem communem Scholasticorum non fuisse multorum, etiam tempore Innocentij, sicut etiam in Gallia tempore Gaufredi, cui fides adhibenda non est, si velit Gaufredus opinionem asserentium, aquam immediatè conuerti in sanguinem, ita fuisse communem in tota Ecclesiâ, vt nostra opinio non fuerit multorum; meritò ergo S. Thomas, & multi alij Scholastici intellexerunt Innocentium in sensu à nobis tradito. Rationes verò quibus Ægidius contendit probare suam opinionem, ex dictis à nobis manent soluta. D

Sed potest aliquis obiicere, quòd nostra sententia ex parte videatur contra sanctum Thomam, qui *artic.* 8. *huius quæstionis in corpore*, refutat quandam opinionem, quia ex illa sequeretur aquam permanentem in natura aquæ post consecrationem proponi populo adorandam, quod videtur inconueniens. De efficacitate autem huius rationis suprà dixi. E

Nunc autem solùm contendo colligere, sanctum Thomam existimasse hoc esse inconueniens, ac proinde in nullo casu esse admittendum, & tamen admittendum esse aliquando, expressè concedunt P. Vazquez, & P. Suarez suprà relati, & ex interpretibus sancti Thomæ Nuño *in articul.* 8. nam quando consecratio fit propter aliquam causam statim post infusionem aquæ, vel si magna esset quantitas aquæ infusæ, non posset non aliquid aquæ remanere in propria natura, & ideo limitanda est, & explicanda doctrina sancti Thomæ; ipse enim *in eodem artic.*8. *in corpore* dicit, non posse totam aquam conuerti in vinum, nisi sit modicissima, & ideo, inquit, tutius est parum aquæ infundere.

Item potest obiici, quòd Pontifex *cap. cum Marthæ, citato*, refutat opinionem asserentium aquam post consecrationem manere in propria natura, quod nos etiam concedimus aliquando. Sed bene respondet Vazquez *disput.*78. *cap.*2. *in fine*, & *cap.*3. Pontificem refutare opinionem asserentium, aquam infusam vino consecrando, nunquam conuerti in vinum, & semper remanere in propria substantia, quod tamen nos nullo modo concedimus.

Tandem notandum est, Ægidium & recentiores alios, fusè probasse, aquam non posse conuerti in vinum, eorum tamen argumenta solùm videntur probare magnam quantitatem aquæ non posse facilè conuerti à quolibet vino, non tamen concludere modicissimam aquam, in plures partes diuisam, non posse conuerti in vinum. Nonnulla alia de materia huius dubij dicemus dubio sequenti.

Dubium II.

Quæ sit certior, probabilior, & antiquior opinio in controuersia dubij præcedentis.

Circa primum Alanus suprà existimauit suam opinionem esse de fide, quod etiam videtur sequutus Baronius, sed non satis probari potest talis certitudo, quia neque adducitur sufficiens traditio, neque testimonium Scripturæ, neque definitio aliqua, & licèt, vt contendunt autores illius opinionis, admitteremus Pontificem probasse illam opinionem *cap. cum Marthæ*, tamen opinionem quam probauit Pontifex, solùm tradidit vt probabiliorem: testimonia autem Patrum suprà à nobis explicata sunt.

Deinde, nullo modo est probabile, sanctum Thomam, & alios Scholasticos, qui communem opinionem sequuti sunt, errasse contra fidem, quod non potest esse sine magno Ecclesiæ detrimento, nec potest concedi sine iniuria tantorum Doctorum.

Item, vt suprà diximus, Catechismus Pij V. dixit, communem opinionem Scholasticorum esse omnium scriptorum Ecclesiasticorum. Meritò ergo S.Thomas, & alij, qui communem opinionem sequuntur vt veram, supponunt opinionem Alani non solùm de fide non esse, sed esse falsam, & opinionem communem probabiliorem, ex dictis constare potest, & infrà indicabo.

Vocari autem potest in quæstionem, an opinio Alani mereatur aliquam grauem censuram. nam ante paucos annos plures Theologi non bene de illa senserunt, & hoc tempore non pauci censent, saltem non esse probabilem, & Gabriel *in* 4. *dist.* 11. *quæst.*2. *& lect.*35. *in canonem*, dixit, communem sententiam esse indubitatam, & Sotus *in* 4. *dist.*9. *quæst.*1. *art.* 6. dixit Pontificem *cap. cum Marthæ*, tradidisse communem sententiam, vt omnino certam.

Sed hoc tempore aliqui Theologi, etiamsi existiment hanc Alani opinionem esse falsam, putant tamen esse probabilem, & probari potest, quia illam sequuntur tres Cardinales, Alanus, Baronius, & insignis Theologus Cardinalis Toletus, & alij, quos retuli

retull dubio præcedenti, & non panci Theologi huius ætatis, in variis Prouinciis Ecclesiæ, & in nostra Hispania noui ego viros doctos, qui publicè illam docuerunt. Et Paulus Aresius Derthonensis Episcopus hanc opinionem sequitur, & pro ea facit disputationem longissimam, & plures autores citat.

Circa secundum mihi non est dubium, sententiam sancti Thomæ longè esse probabiliorem, & vt talis tradita est à Pontifice *cap. cum Martha*, vt probauimus *dubio præcedenti*, sequunturque quamplurimi Theologi, antiqui & recentiores, & non video sententiam hanc esse certam de fide. Innocentius autem solùm tradidit illam vt probabilem, & sub eo nomine eam sequuntur multi Scholastici; neque inuenio post Innocentium sufficiens fundamentum ad asserendum sententiam illam esse de fide.

Circa tertium Alanus, & nonnulli qui illum sequuntur, censent suam opinionem esse antiquiorem in Ecclesia, vt constat ex relatis *dubio præcedenti*. Sed P. Vazquez *disp. 78. cap. 2. num. 12. in fine*, dixit manifestè, sententiam Alani esse nouam, & excogitatam hoc tempore; & probari potest, quia Pontifex *cap. cum Martha, citato*, referens alias opiniones hanc non retulit, vt suprà probauimus, & sanctus Thomas *art. 8.* referens etiam opiniones ex Innocentio, non facit mentionem opinionis asserentium, aquam immediatè conuerti in sanguinem; & idem potest sumi ex aliis Scholasticis antiquis. Et fortè propter hanc causam Catechismus Pij V. dixit opinionem sancti Thomæ esse omnium scriptorum Ecclesiasticorum. legatur Suarez *disp. 65. sect. 4. §. nihilominus.* quæ omnia non leuiter suadent, saltem opinionem Alani communem non fuisse in Ecclesia antiquis temporibus, licèt ex Gaufredo relato à Baronio *dubio præcedenti* videatur colligi aliquos in Gallia eam opinionem fuisse sequutos: pauci tamen videntur fuisse, nec magni numinis, siquidem posteriores Scholastici Parisienses, sanctus Thomas, & alij eius opinionis notitiam non habuerunt; si enim illam cognouissent, aliquam eius fecissent mentionem. Ex dictis hactenus solui possent aliqua dubia, de quibus dicam suo loco.

DISPVTATIO XXXII.

Scholastica, & Positiva.

De affectu amoris & odij in Deo.

Dvbivm I.

An amor sit propriè in Deo.



Ommvnis sensus Scholasticorum est esse in Deo actum amoris secundùm proprietatem, quia iste est velle alicui bonum, ex Arist. 2. *Rhetoric. c. 4.* in quo nulla includitur imperfectio: sicut ergo conuenit Deo velle, ita & amare conueniet.

Notandum autem est, id quod docet S. Thom. *hic art. 1. ad 3. & 1. 2. quæst. 26. art. 4.* amorem includere duos respectus, alterum ad rem volitam; alterum ad personam cui volumus bonum; quia, vt dixi, *amare est velle alicui bonum.* Non quia sit duplex actus amoris, sed vnus cum duobus respectibus; & ratione respectus ad rem volitam determinatur amor concupiscentiæ, ratione autem alterius amor amicitiæ.

Quærunt verò aliqui, an Deus amet creaturas irrationales amore amicitiæ. Quæstionis causa est, A quia illud amatur amore amicitiæ, cui volumus bonum, vt bonum illud est: Deus autem vult bonum creaturæ irrationali, vt bonum illius est.

Nihilominus dicendum est, non esse in Deo amorem amicitiæ respectu creaturæ irrationalis. Ita S. Thom. *art. 2. ad 3.* P. Vazquez suprà *cap. 2.* cum aliis Doctoribus. Et probatur ex Arist. 8. *Ethic. cap. 2.* dicit enim, nos non amare creaturas irrationales amore amicitiæ, quia licèt velimus eis bonum; hoc tamen est propter vtilitatem creaturæ rationalis; Deus autem omnia irrationalia diligit propter nostram vtilitatem, vt dixi *art. 2. ad 3.* non ergo ea diligit amore amicitiæ, sed amore concupiscentiæ.

Circa creaturas verò rationales est difficultas, B quia Deus omnia amat propter seipsum; ergo etiam creaturam rationalem diligit solùm amore concupiscentiæ, & seipsum solùm amore amicitiæ.

Nihilominus Doctores communiter concedunt inde amorem amicitiæ Dei erga creaturas rationales. Ita P. Vazquez *disp. 84. & disp. 82. cap. 3. num. 9.* P. Suarez *cap. 7. citato num... & in tomo opusculorum relect. 1. de libert. diui. disp. 1. sect. 2. art. 15.* & alij. Contendunt autem expressè isti Doctores Deum velle creatura rationali bonum vt bonum illorum est, & simul Deum omnia velle propter suam bonitatem, tamquam propter rationem volendi primariam. Est autem necessarium explicare rem. Et primò an sit vnus actus, vel duo secundùm rationem. Deinde si C potest simul diligi creatura à Deo, ita vt Deus velit illi bonum vt bonum illius est, & simul propter suam diuinam bonitatem. Videtur ibi esse duplex specificatiuum, nempe complacentia creaturæ, & complacentia diuina, & tamen in creatis multi non admittunt duas bonitates in eodem actu, eo sensu vt actus possit esse charitatis theologicæ, & amicitiæ erga hominem, quæ sit virtus infusa diuersa à charitate theologica. Si verò quis dicat esse duos actus secundùm rationem; alterum quo diligit suam bonitatem, alterum quo diligit bonum creaturæ, ex complacentia creaturæ, vel in hoc secundo actu assignat diuinam bonitatem vt primam rationem volendi, vel non. Hoc secundum dici non potest de D prima, & quasi finali ratione, volendi; si verò dicatur primum, vt manifestè concessit P. Vazquez *disp. 82. loco citato*, videtur quòd talis amor non sit amicitiæ erga creaturam si non diligitur propter se, & formaliter ex complacentia ipsius creaturæ; aliàs totum hoc erit obiectum quasi materiale respectu primæ rationis volendi, & amandi.

Dico autem primò, posse secundùm rationem intelligi differentias actus amandi in Deo; vnum quo diligit suam essentiam, & bonitatem, quod formale intelligitur, & sic esset in Deo, etiamsi nulla esset creatura. Alterum quo diligit creaturas propter bonitatem in creaturam ipsius Dei, tamquam propter primam rationem volendi; ita tamen vt velit bo- E num creaturis vt bonum illarum. Et ex vna parte dicitur amor amicitiæ ipsius Dei, & ex altera amor amicitiæ creaturarum, quod potest explicari variis modis. Altero, si quis dicat creaturam diligi propter se simul, & propter Deum, ita vt creatura sit ratio ob quam velit illi bonum; & hoc admittunt qui putant Deum posse velle vnum propter aliud tamquam propter rationem volendi proximum, licèt non vltimam; & hic modus est probabilis. Altero, vt dicatur amor amicitiæ, quia Deus vult bonum creaturam esse propter creaturam rationalem, quia vult esse propter illam, licèt totum hoc velit propter suam bonitatem. Et hic est sensus P. Vazquez suprà *disp. 82. cap. 3. num. 9.* vbi dixit quòd cùm dicimus

creaturam comparari cum Deo tamquam cum fine, non est ita accipiendum quasi reuera creatura sit medium Deo ipsi ad acquirendum aliquem finem, sed quia voluntas qua diligit creaturas, supponit secundùm rationem voluntatem ipsius Dei, qua diligit creaturas, neque enim, inquit, Deus vllam diligeret creaturam nisi diligeret seipsum, cui eatenus placent creaturæ, quatenus sunt aliquid ipsius per participationem. Quod quidem non obstat quominus Deus rationales creaturas diligat amore amicitiæ, & quodammodo propter se ipsas. Obstat tamen quominus dicatur Deus vnam creaturam diligere propter aliam, tamquam propter rationem diligendi. Hæc P. Vazquez. quibus non obscurè explicat suam sententiam, secundùm quam non est concedendum esse in eodem actu duplex specificatiuum, sed vnum, nempe ipsam bonitatem diuinam.. Ex quo facilè assignatur discrimen inter amorem amicitiæ, qua homo vnus diligit alterum, & quo Deus diligit creaturam rationalem. nam homo potest velle bonum alteri ex complacentia illius, & propter ipsum tamquam propter vnicam rationem amandi illum; cùm tamen Deus non possit diligere creaturam rationalē, nisi propter diuinā bonitatem. Simul verò non potest homo diligere alterum propter complacentiam dilecti, & propter bonitatem increatam Dei, quia ista duo sunt sufficientia ad constituendos actus diuersæ spei in creaturis. Et sicut non potest esse idem actus spei & charitatis theologicæ intrinsecè, ita vt æquè respiciat vtriusque obiectum formale, & elicitum fiat ab habitu spei & charitatis: ita neque potest esse charitatis theologicæ & amicitiæ humanæ infusæ, & supernaturalis. Et licèt aliquis concederet in eodem actu amoris Dei erga creaturas duplex specificatiuum, non inferretur posse esse in actu creato propter distinctionem inter actum infinitum & finitum, inter quos apparet in aliis magna diuersitas, & propter specialem modum operandi Dei, qui omnia vult propter se, & sic sunt diligibilia creata omnia: sicut in actu adorationis Christi latriæ & duliæ concedit P. Vazquex simul bonitatem latriæ & duliæ, ob specialem adorationem & obiectum in persona Christi. legatur *lib* 1. *de adoratione disp*. 4. *cap*. 4. *in fine*, & 1. 2. *disp*. 51. *quæst*. 3. & 3. *p. tom*. 1. *disp*. 96. *cap*. 5. *num*. 34. *in fine*. Et ex hac doctrina constat ad quoddam tertium argumentum quod insolutum reliquimus *disp*. 4. *dub*. 2. sed faciliùs est distinguere de actu Dei quantum ad perfectionem intrinsecam, vel quantum ad extrinsecam terminationem.

Circa amorem quo seipsum amat Deus, potest esse difficultas, an sit actus amoris vt distinguitur à gaudio, & delectatione, vel sit gaudium, seu delectatio, quæ causa est. quia amor respiciat obiectum secundùm se quasi abstractus ab existentia, quod respectu Dei non habet locum: delectatio autem, seu gaudium respicit bonum præsens. quod non inuenio in autoribus explicatum, licèt aliqui dicant in Deo esse amorem, & gaudium de bono proprio, non tamen desiderium. Vnde videtur concedere hos duos actus quasi distinctos eo sensu quo negat desiderium.

Facilius est dicere in Deo esse amorem sui, sed essentialiter inclusum in gaudio, quod indicat P. Suarez 1. *part. lib*. 3. *de attributis positiuis cap*. 6. illis verbis. *etiam ille amor diuinus habet rationem summi gaudij de propriis & præsentibus bonis*, & ita sentiunt multi viri docti huius ætatis, licèt non desint, qui velint esse diuersum actum amoris secundùm rationem, quatenus ex bonitate Dei apprehensa intelligitur Deus ipse moueri ad amandum alia, quod potest facilè defendi.

DVBIVM II.

An in Deo sit propriè affectus odij.

IN hac quæstione aliquorum sententia est, in Deo non esse odium propriè. Ita docet S. Thom. 1. *contra Gent. cap*. 96. Ferra. *ibi*. Capreol. *in* 1 *dist*. 45. *quæst*. 1. *art*. 1. *concl* 8. & recentiores nonnulli interpretes *in hoc art*. Et primò de odio respectu peccati probat; quia amor propriè refertur ad subsistēs sicut amor, cùm tamen peccatum nihil sit: deinde respectu peccatoris probat, quia voluntas Dei non potest ferri in malum vt malum, sed sub aliqua ratione boni.

Aliorum sententia est in Deo esse propriè affectum odij. hæc videtur S. Thom. *hic art*. 2. *ad* 4 vbi concedit in Deo odium respectu peccatorum, sicut amorem respectu eiusdem secundùm naturam; sequitur P. Vazquez *hic disp*. 84. *cap*. 3. P. Suarez 1. *part. lib*. 3. *de attributis Dei positiuis cap*. 7. *num* 5. P. Becan. 1 *part. tract*. 1. *cap*. 11. *concl*. 4. & multi recentiores: & mihi placet. Vt verò hanc veritatem explicemus, notanda est distinctio quædam odij, quam tradidit Caiet. 1. 2. *quæst*. 19. *in art*. 1. Duplex autem est odium, aliud abominationis, aliud inimicitiæ. Abominationis dicitur displicentia mali quod nos patimur, vel alij: odium verò inimicitiæ est velle alicui malum vt malum illius est.

Deinde explicat Caiet. discrimen inter amorem & odium, quòd in eodem actu amoris reperitur duplex respectus per modum affirmationis & complacentiæ, vnus ad personam quæ nobis placet, alter ad bonum quod amamus personæ; & isti duo respectus constituunt eumdem actum amoris.

At duplex odium constituere potest duplicem actum, est enim odium inimicitiæ in vno actu, quo volumus alicui malum vt malum illius est ex displicentia personæ, in quo actu est duplex respectus, aliter tamen quàm in actu amoris, vnus ad personam per modum displicentiæ, & negationis, & est respectus ad malum quod personæ volumus, & desideramus, & iste est respectus per modum complacentiæ, placet enim nobis malum illud afficere talem personam: sed iste respectus non constituit actum amoris, quia deficit respectus complacentiæ personæ, &, vt suprà dicebamus, amare est velle alicui bonum.

Odium verò abominationis est displicentia mali alicuius, vt cùm displicet mihi mors, & hic nobis infundit duplicem respectum; alterum ad malum per modum fugæ, & displicentiæ, alterum ad personam per modum complacentiæ.

His præmissis dicendum est primò in Deo esse odium abominationis, quia Deo propriè displicet peccatum ab homine fieri, sicut desiderat illi iustitiam, quæ Deo placet; & displicet vt malum personæ peccatis, & vt contrarium Deo ipsi, atque proinde ex displicentia sui ipsius.

Secundò dicendum est in Deo esse propriè odium inimicitiæ, quia verè Deus vult malum pœnæ peccatoris; vt malum illius est, & ex displicentia illius, non vt est persona quædam & substantia creata, sed vt est peccator: ergo verè & propriè est odium inimicitiæ, si obseruandæ sunt definitiones odij traditæ a Doctoribus communiter: vnde August *lib*. 1. *ad Simplicium quæst*. 2. dixit, *non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem*.

Ex dictis constat ad primum contrariæ sententiæ;

dicendum

dicendum est enim odium abominationis non ferri ad personam, sed malum, modò relatum ad personam habeat actus rationem complacentiæ, vt explicatum est.

Vt verò respondeamus ad secundum, explicandum est quo sensu dicatur volunitas, hoc est, affectus, voluntatis ratio per se in malum. Et distinguenda est res volita à ratione volendi, etsi sermo sit de re volita; obiectum est non tantùm malum vt malum alterius, sed etiam proprium: ratio autem volendi semper est bonitas aut propria, aut alterius. Et sub nomine boni non solùm possumus velle alteri malum, sed etiam nobis ex displicentia nostri sub aliqua ratione, sicut in odio sancto contingit, quo quis vult sibi ipsi inferre pœnam ob aliquod peccatum.

Ex hac doctrina respondetur ad primum; cùm enim dicitur non posse voluntatem diuinam ferre in malum, intelligendum est vt non feratur in tale malum, nisi ratione alicuius bonitatis: ex hoc autem non fit quòd Deus non possit odio inimicitiæ ferri in peccatores, quia peccator, vt peccator displicet Deo; & hac ratione bonum videtur Deo infligere pœnam peccatori. Quòd autem in hoc velit Deus rationem iustitiæ, aut aliud bonum, non obstat, quominus ibi sit odium, ratione explicata.

Et ex his manent refutata nonnulla quæ recentiores interpretes S.Thom. in hoc art. docuerunt. Solùm restat dicendum aliquid de mente sancti Thomæ, & iam diximus quare se habeat hic art. x. ad 4. Quod autem dixit 1 *contra Gent cap.* 96. difficilem habet explicationem. P.Suar. suprà dicit loquutum S. Thom. de odio personarum, aut rerum existentium, vt tales sunt: sed quamuis in priori parte capitis de eis loquatur, tamen postea addit, *dicitur autem* (Deus aliquid odio prosequi) *similitudinariè*, & hoc duobus modis; altero, in quantum vult rem vnam esse, & sic vult contrarium malum non esse. Altero, in quantum vult maius bonum, quare sequitur punitio minoris; & sic vult bonum iustitiæ, & sic dicitur odisse peccatores, quorum vult punitionem. Et ideo alij fatentur S. Thomam *in cap. illo* 96. primam sententiam fuisse sequutum, quod tamen partibus non docuit, sed contrarium indicat non obscurè, vt retuli. Et fortè *cap. illo* 96. *similitudinariè* sumpsit, non vt specificaret impropritetatem, sed vt idem sit, quod secundariè, quod sæpe dici solet cum proprietate.

Sed obiicitur quod *quæst.* 23 *art.* 3 *ad* 1. dixit Deum dici odisse aliquos, in quantum non vult eis bonum, quod aliis vult per electionem. Sed ex hoc nihil sequitur contra nostram sententiam. Caiet. enim admittit illum modum odij, sed non negat quæ tradidimus.

Ex dictis colligo locutiones, quæ sunt in Scriptura, quibus Deus dicitur odio prosequi peccatores, esse intelligendas secundùm proprietatem. v.g. illud Sapientiæ 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.*

Sed potest obiici ex *cap.* 11. *diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti omnium, quæ fecisti.* Respondetur hunc locum, & similia explicanda de rebus ipsis secundùm suam naturam à Deo factam; sic enim Deo placent.

DVBIVM III.

De inæqualitate affectus amoris Dei circa diuersa obiecta.

Circa art. 4. quæstionis xo. notandum est, Bernardum sermone *de Maria Magdalena* & sermone *de triplici custodia manus, linguæ & auris,* &

A serm. 37. inter paruos, & 12. super Cantica affirmare, Christum plus di exisse corpus Ecclesiæ, quàm suum proprium corpus, propriamque vitam, quia illud tradidit pro Ecclesia. serm. citato docet corpus Ecclesiæ esse amabilius corpore Christi.

S.Thomas verò *art.* 4. *ad* 1. docuit, Deum magis diligere Christum, quàm totum genus humanum, & vniuersitatem creationis, quia humanitati Christi dedit maius bonum, nempe vnionem hypostaticam, vt hic homo esset Deus.

Addit S.Thom. Christi excellentiam non perire ex hoc quòd Pater dederit eum in mortem pro salute humani generis, quia imò ex hoc factus est victor gloriosus. quasi dicat, quòd cùm voluerit pati,
B & vitam amittere in salutem hominum, tamen magnam gloriam adeptus est ex hac charitate erga homines & patrem, & obedientia illustri erga Deum, præsertim cùm totum hoc ordinetur ad gloriam Dei. legatur P. Molina in hunc articulum 4. neque in hoc fuit inordinatio aliqua, vt ostendimus 3. *part. ad quæstionem* 1. *art.* 3. & docet P. Vazquez *ibi disp.* 11. præsertim *num.* 64. & 65. hoc enim modo Deus ostendit bonitatem suam, & misericordiam erga homines, quam commendant Scripturæ & Patres.

Dicendum est Bernardum *locis citatis* solùm voluisse docere Deum ex vi præsentis decreti ordinasse, vt Christus vitam funderet ob bonum spirituale animarum totum, deinde in suam gloriam.
C In solutione ad 2. agit D.Thom. de comparatione naturæ angelicæ & humanæ, & primò docet quòd naturam humanam assumptam à Verbo plus dilexit Deus, quàm omnes Angelos.

Sed de aliis hominibus comparatis cum Angelis docet secundò æqualitatem meriti in ordine ad gratiam & gloriam: tertiò docet in hoc quosdam Angelos quibusdam hominibus esse speciosiores, & quosdam homines quibusdam Angelis: quartò docet quantum ad conditionem naturæ meliores esse Angelos: quintò docet Verbum assumpsisse naturam humanam, non quia eam absolutè plus diligebat ratione infirmitatis, & inclinationis carnis.

In solutione 4. agit S. Thom. de comparatione
D inter iustos & pœnitentes. Et primò docet iustos habere se sicut excedere & excessum. nam siue sit innocens, siue pœnitens, ille est magis dilectus à Deo, qui plus habet gratiæ: secundò docet, cæteris paribus, innocentia magis diligitur à Deo.

Sed occurrit explicandum illud Lucæ 15. *Dico vobis, quia maius gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*

S.Thom. *ad* 4. docet id dicendum, quia pœnitens frequenter cautior & humilior resurgit quàm innocens, & colligit ex Greg. *hom.* 34 *in Euangel.* secundò explicat, quia donum gratiæ plus est comparatum pœnitenti, quàm innocenti. Sicut eadem pecunia
E maius donum est si detur pauperi, quàm si detur regi; in qua doctrina S. Thom. inæqualitatem gratiæ agnoscit ex diuersa conditione personæ.

Alij recentiores explicant de iustis non verè, sed sua opinione, & refertur ad pharisæos, sed immeritò. nam contextus ipse, & communis sensus interpretum de pœnitente respectu eorum, qui verè sunt iusti, intelligunt, quæstionibus citatis ab Abulens. suprà *quæst.* 78. Augustinus ibi fortè maius dicitur gaudium, non tam propter affectus magnitudinem, quàm ob nouitatem gaudij accidentalis, quod euenire solet in rebus amissis, quando denuo recuperentur Dionys. ibi *de recenti gaudio*, Abul. *quæst.* 75. *in Matth.* & 78.

Ex

Ex hoc autem non colligitur quòd magis diligat Deus absolute vnum pœnitentem quàm multos iustos: vnde Lyra *ibi* in sensu morali ait: Maius est non quia plus diligat, sed ob specialem rationem gaudendi, quam non habet de non errantibus; sed non errantes semper sunt magis diligendi, cæteris paribus. In solutione ad 5. agit S. Thom. de comparatione reprobi & prædestinati, & respondet: quòd secundùm tempus, in quo est dandum ei bonum prædestinationis, est melior, secus relatus ad aliquod tempus in quo reprobus est in statu iustitiæ, & prædestinatus in peccato mortali.

DISPVTATIO XXXIII.

POSITIVA.

Circa aliqua loca Scripturæ.

DVBIVM I.

Quid sit intelligendum apud PP. & Doctores nomine libri vitæ.



IN hoc dubio explicamus quæstionem 14. 1. p. S. Thomæ, quam ipse posuit vt explicaret metaphoram, qua notitia prædestinatorum dicitur à Patribus liber vitæ.

Notandum primò est hoc nomen varias habere significationes. legi potest Pagnious *in Euangelio lib. 9. cap. 35.* Sixtus Senensis *lib. 2. pag. 149.* & si ponitur sine addito, significat notitiam prędestinatorum.

Aliquando significat Scripturam sanctam. Eccles. 24. *hæc omnia liber vitæ.* Aliquando significat librum, in quo scripta sunt omnia facta hominum in die iudicij manifestanda. Apocal. 2. *& libri aperti sunt.* legatur August. *homil. 17. in Apocal. & lib. 22. de ciuit. cap. 14.* circa illa verba Apocalypsis.

Ex his potest intelligi quomodo Scholastici vsurpent nomen vitæ pro notitia Dei circa prædestinatos.

An verò reprobatio dicatur liber mortis, non satis conuenit inter Scholasticos. S. Thom. *art. 1. ad 3.* habet partem negantem, & reddit rationem, quia non est consuetum scribere eos, qui reprobantur, & repudiantur, sed qui eliguntor.

Euthym. tamen in illud Psalm. 69. *deleatur de libro viuentium*, admittit librum mortis, secundùm illud Danielis 7. *& libri aperti sunt, & iudicati sunt viuentes & mortui.* & Basilius *in cap. 4. Isaia* ait, duos esse libros, alterum viuentium, alterum eorum, qui scribuntur ad perditionem. Nazianz. *orat. 9.* & fauet Hieronymus *in Isai. 14.* & vt significatur *Ierem. 17.* nomine *terra: recedentes à te, in terra scribentur.* & videtur iuxta illud Zachar. cap. 5. *quòd est maledictio quæ egreditur supra faciem omnis terræ*, & sic etiam sensit Sixtus Senens. *suprà*, & dissensio non potest esse de re, quia nullus negat Deum habere notitiam reproborum, sicut habet notitiam prædestinatorum.

Quæres primò, an liber vitæ dicatur solùm respectu vitæ gloriæ. Respondetur cum S. Thom. *art. 2.* communiter dici respectu huius vitæ, quam vt principaliorem nomen ipsum vitæ significat. quod ex quibusdam Scripturæ locis latè ostendunt recentiores interpretes, *Apocal. cap. 5.* Vnus est Hugo 138 qui distinguit alium librum vitæ æternæ, in quo scribuntur ij, qui ad tempus sunt iusti. Nec desunt aliqui huius temporis, qui omnes iustos vocent prædestinatos, licèt non sint consecuturi vitam æternam, quia probant esse prædestinationem completam, & incompletam. qui modus loquendi mihi non probatur, quia non sit in vsu Scholasticorum.

Sed quæres secundò, an aliquis possit deleri de libro vitæ.

Certissima est doctrina S. Thom. *art. 3.* quia nullus prædestinatus potest deleri de libro vitæ in sensu composito.

Est autem difficultas de sensu illius loci Exod. 32. *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* legatur Arboreus *lib. 11. Theosophia cap. 8.* Gloss. *in Caten. super Exod. loco citato.* Sixt. *suprà*, & explicant nonnulli, vt refert Lyra *in illum locum*, vt velit Moysem per turbationem illa verba dixisse, quod Nouatiano cuidam tribuit Ambros. suprà citatus, & Sixtus ex quibusdam Magistris Hebræorum: sed hæc non est admittenda.

Alia est expositio Burgensis, vult enim Moyses postulasse deleri de libro iustorum, in quo facta illorum narrabantur, cui consulit Caiet. fauet Lyra, & Hilarius *in Psalm. 68.*

Sed circa hoc est, quòd responsio Dei significat Moysem postulasse deleri de libro vitæ, dicit enim, *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Sed hæc verba de libro illo scripto possent intelligi, vt notat P. Vazquez *in comm. art. 3.* Alij putant librum hunc metaphoricè pro notitia, qua Deus apud se assignarat duces illius populi, vt sensus sit, vel dimitte noxam populi, vel aufer à me munus ducis eius; & P. Suarez *infrà cit.* dicit esse satis probabilem expositionem, & Patres infrà citandi hoc sensu accipiunt petitionem hunc.

Sed quia non potest aliquis separari à Deo nisi per peccatum, manet dubia petitio.

Lyran. & Abulens. addunt aliam expositionem, quam iuniores Scholastici sequuntur hoc tempore, quòd petitio illa sit intelligenda per hyperbolem, & est satis probabilis, & ad intentionem Patrum. August. enim quæstionibus super Exodum *quæst. 47.* ait quòd Moyses securus loquitur, sciens quòd Deus non deleret eum de libro vitæ. Quod etiam docuit Gregor. *lib. 10. moral cap.* . Rupert. *in vlt. cap. Exod.* vult petitionem ortam esse ex feruentissimo cordis amore, & similiter Bernardus *serm. 12. in Cant.* qui quasi per conditionalem sensum explicat illam petitionem. Hugo Card. *in vlt. cap.* Cassian. *collat. 9. c. 18. collat. 17. cap. 26.* Cyprian *serm. de lapsis* Ambros. *1. de pœnit. & lib de Spiritu sancto cap. 11.* Chrysost. *homil. de amore erga persequentes, & serm de afcens.* Hieronym. *quæst. 9. ad Algasiam, & lib. 1. in Ionam.* vult ve postularet à Deo separationem solùm ad tempus propter amorem fratrum.

Alia addunt Dionysius & Lyra, quòd Moyses non postularet illud ex affectu rationis, sed solùm extetiùs explicuerit magnum amorem erga populum.

Inter has omnes expositiones, ea quæ communior est apud Patres videtur verior.

Vltimò notandum est quòd locus ille, qui adducitur a S. Thoma 1. *part. quæst. 24.* in argumento sed contrà, *deleantur de libro*, varie exponitur. August. & Hieron. *Apocalyps. 3. deleri* existimant idem esse quod non scribi. Hieron. & Hilar. *in Psalm. 68.* per librum illum intelligunt librum iustorum, in quo eorum gesta illius populi narrabantur August. Cassiod. & Glossa intelligunt librum vitæ, & *deleri* explicant de his, qui secundùm opinionem hominum scripti putabantur; & quamuis hæc expositio minus placeat diuo Thomæ *art. 3.* tamen reijcienda non est.

Aliqui asserunt hic illud *ad Rom. 9.* vbi Paulus ait de

de seipso, *optabam ego anathema esse pro fratribus meis*, de quo solet dici in materia *de charitate* 2. 2. *ad quæstionem*, & legi potest P. Vazquez *hic in comm. art.* 3. & Toler. Iustinianos, Cornelius nostræ Societatis interpretes *in cap.* 9. *ad Rom.* P. Suarez *lib.* 1. *de prædestinat. cap. vlt.* vbi à Lyra Scripturæ locum explicatur.

Dvbivm II.

Quomodo sit intelligendus locus Pauli, Optabam ego anathema esse.

EXpositio prima est Origenis, Chrysostomi, Theophylacti, & S. Thomæ, qui in istum locum interpretantur Paulum manifestare affectum quem tunc habebat, &, si fieri possit sine culpa, & esset necessarium, priuaretur ad tempus Christi fruitione pro fratribus.

Secunda explicatio est Anselmi *ibi*. Hieronymi, *in epistola ad Algasiam*, quæ est 151. *quæst.* 9. vt *anathema* significet idem quod mors, quasi Paulus optauerit mori pro fratribus.

Tertia expositio est aliorum, quam sequitur P. Valentia hîc *puncto* 3. vt Paulus optauerit separari non ab ipso Christo, sed à membris illius mysticis; anathema enim dicebantur qui erant aliis abominati, & vt tales à reliquo cœtu separabantur, vt notauit Chrysostomus *in citatum locum*. Aliam expositionem adducit P. Valentia, quæ non videtur differre à sententia Anselmi, vt optauerit Paulus addici etiam morti pro salute fratrum, si id esset necessarium. nam anathema dicebantur, qui addicti erant morti, pro reipublicæ salute. legatur Macrobius 3. *Saturnalium cap* 7. P. Salmeron *Prolegomeno* 15. *regula* 32. Quod verò additur *à Christo*, variatim explicatur; alij enim intelligunt, sic optabam à Christo, id est, vt mihi concederet Christus. Pater verò Valentia exponit, à Christo, id est, post Christum, sicut solemus dicere, à meridie aliquid contigisse, quod post meridiem contigit.

Vltima explicatio est, quam sequuntur Hieronymus, Anselmus, Caietanus, & alij *in dictum locum Pauli*. Cameratius *in dialogo catholico cap.* 6. P. Vazq. *in epistolam ad Romanos in paraphrasi*, & annotationibus huius capitis, *&* 1. *parte quæst.* 24. *in art.* 3. vt loquatur Paulus de tempore quo sequebatur Iudaismum, quando pro defensione suæ legis Christum persequebatur. qui sensus apprimè quadrat in contextu, rectéque cohæret cum præcedentibus & sequentibus. nam cùm capite præcedenti multa dixisse visum esset cum iniuria Iudæorum, quæ reuera non dixerat ex maleuolentia, sub iuramento affirmauit se magno dolore torqueri, quòd videret Iudæos abiectos à gratia Dei: in confirmationem autem huius adduxit affectum, quo suam gentem prosequebatur, cùm Iudaismum amplectebatur. Verba sunt hæc: Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor in corde meo. Et idem confirmat illis verbis: Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. legatur Ambrosius *lib.* 3. *de Spiritu sancto, cap.* 11. *& lib.* 1. *de pœnitentia c.* 8.

Dvbivm III.

De sensu Pauli ad Galatas 2. *circa reprehensionem Petri.*

DE hac materia tractant scribentes contra hæreticos, agentes de dignitate S. Petri, & Scho-
A lastici non pauci in materia *de legibus*. Interpretes Pauli in eum locum. Constat autē Paulum *ad Gal.* 2. seriò reprehendisse Petrum. verba Pauli sunt: *Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt à Barnabas duceretur ab eis in eam simulationem. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Iudæus sis gentiliter viuis, & non Iudaicè: quomodo Gentes cogis iudaizare?*

Hieronymus, vt vidimus, & alij nonnulli puta-
B runt hanc reprehensionem non fuisse veram, & ex animo, sed ex composito, vt videntes Iudæi Petrum acquiescere reprehensioni Pauli iudicarent, iam non esse necessarias ceremonias Iudaicæ legis; quod ex eo probat Hieronymus vt excuset Petrum à peccato, & Paulum à tali reprehensione, si vellet in Petro notare quod ipse fecit.

Augustinus verò, vt diximus dubio præcedenti, vult Paulum ex animo verè reprehendisse Petrum, non per simulationem, aut ex composito, & hæc est vera sententia, quam probat August. *epist.* 9. *&* 19. quia aliàs necessarium est fateri mentitum esse Paulum, & hoc non solùm, quia mentiretur in verbis, quando Petrum reprehendit, nec mendacio solùm
C simulationis, quod dicitur esse in rebus, sed mendacio in narratione eius facti *ad Galat.* 2. vbi fungitur officio scriptoris canonici; quod concedi non potest, & sequela de mendacio in verbis, & de mendacio simulationis, constat ex supradictis dubio antecedenti, pro sententia Augustini; quòd verò in narratione *ad Galatas* 2. mentitus fuerit, si vera esset sententia Hieronymi, probaretur ex illis verbis, *Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et assignans causam ob quam in faciem ei restitit, subiunxit: *Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat*, & alia quæ suprà retuli. Quòd si ex composito solùm reprehendisset, quomodo verè diceret Paulus, *in faciem ei*
D *restiti.*

Sed dicis, Græcos explicare non *in faciem*, sed *secundùm faciem*, hoc est, secundùm externam formam fuisse reprehensum, non reipsa. Verùm Græca phrasis, *secundùm faciem*, significat *in præsentia*, 2. ad Corinth. 10. vnde, quod priùs dixit *in faciem*. postea dixit, *coram omnibus*. Deinde Paulus reddidit rationem eius quod dixerat, nempe, *quia reprehensibilis erat*, quod non esset verum, si verè Petrus non fuisset reprehensibilis.

Sed Hieronymus, & aliqui Græci, non legunt *reprehensibilis erat*, sed *reprehensus*: vt sensus sit, erat reprehensus à Gentibus, à quibus separabat se.

Verùm legendum esse, *quia reprehensibilis erat*,
E probatur primò ex eo quòd vulgata Latina sic semper habuit. Secundò probatur ex contextu, subiungit enim Paulus: *sed cùm vidissem quòd non rectè ambularet*, &c. ergo significat Paulus se iudicasse illum esse dignum reprehensione: quod argumentum magni momenti est contra opinionem Hieronymi, & ita sententia August. præferenda est.

Sed oportet explicare qua ratione fuerit Petrus dignus reprehensione, nempe an Petrus peccarit in vsu ceremoniarum; & Augustinus locis suprà allegatis concedit in Petro aliquid leue peccatum, præsertim *epist.* 9. non propter vsum ceremoniarum illius legis, sed quia imprudenter, & intempestiuè illius fuerit vsus aliquando, & ita ex Scholasticis concedunt

concedunt in Petro peccatum veniale, S. Thom. 1.2. *quæst.* 103. *art.* 4. *ad* 2. Durandus 4. *dist.* 1. *quæst.* 9. Palud *quæst.* 6. Bonauent. *dist.* 3. *art.* 3. *quæst.* 2. Gabr *dist.* 1. *quæst* 4. *art.* 3. *dub.* 3. Scotus *quæst.* 4. Maior *quæst.* 2. P. Valent 1.2. *disp.* 7. *quæst.* 7. *part.* 7. & alij. Probant verò Scholastici, quia aliàs Petrus non fuisset dignus reprehensione, quod contra testimonium citatum Pauli est.

Alij iam ante paucos annos cœperunt dubitare, & sub distinctione dixerunt, Petrum vel leue peccatum commisisse, vel nullum. Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 1. *de Summo Pontifice cap.* 18. P. Salmeron *in cap.* 2. *ad Galat. disp.* 24. & recentiores aliqui in materia *de legibus*.

Tandem multi Theologi censent Petrum fuisse reprehensione dignum, sed nullum commisisse peccatum in eo, ob quod reprehensus est. Ita P. Vazquez *disp. citata c.* 7. Baronius *in Annalibus anno Christi* 51. P. Suarez *lib.* 9. *de legibus cap.* 20. Thena *in caput* 8. *ad Hebræos difficult.* 6. *sect.* 4. Luysius Legionen. Augustinianæ familiæ præclarum lumen, *in caput* 2. *epistolæ ad Galatas*. citatur Syripandus *in idem caput*, quem ego non legi.

Et primò sciendum est, non esse dicendum Petrum peccasse ex eo formaliter quòd vteretur cæremoniis legis eo tempore, quia etiam Paulus illis vsus fuit. nam etiam August. concessit fuisse illum vsum licitum ex peculiari fine, vt suprà retuli, neque Paulus reprehendisset in Petro quod ipse faciebat, vt bene docuit P. Vazquez *loco citato*.

Deinde rectè dixit P. Suarez *loco allegato*, in facto Petri non fuisse malitiam simulationis, quia non fecit animo decipiendi. Item non fuit in eo facto malitia ex eo quòd profiteretur falsum cultum, non enim hoc volebat facere, neque tunc cæremoniæ illæ erant prohibitæ.

Item P. Vazquez ostendit Petrum habuisse non leuem causam vt posset probabiliter posse facere quod fecit, quia postquam venit Antiochiam, compositis iam rebus inter Iudæos & Gentiles, bene potuit cum Gentilibus conuersis ad fidem manducare, in quo non fuit vllum peccatum. Secundò postquam quidam Iudæi ad fidem conuersi ex Hierosolymis venerunt Antiochiam, ne offenderentur, si viderent Petrum cum Gentibus manducare, discessit à Gentibus non absque aliquo fundamento, in quo potuit procedere bona fide.

Tertiò nihilominus ostendit P. Vazquez Petrum vere fuisse dignum reprehensione, quod vt intelligatur sciendum est id, quod non latet Philosophos morales in actione humana duo posse considerari, scientiam operantis, & euentum illius, aut omissionem alicuius circumstantiæ ex inconfidentia, ratione cuius ea actio minus prudenter, & cautè facta censetur ab aliis, & ideo sine peccato solet quis interdum reprehendi, vt in posterum maiori cum consideratione & circumspectione operetur. Et hac ratione potuit Paulus reprehendere Petrum. nam ex facto Petri potuerunt Gentiles conuersi iam existimare Iudaicas ceremonias esse necessarias, quibus cum Iudæis vtebatur Petrus. Deinde facilius erat Iudæos illos liberare ab scandalo, quia iam nouerant non esse necessarium vsum cæremoniarum Iudaicarum, etiamsi esset permissus. legatur P. Vazquez *in paraphrasi, & annotationibus illius capitis secundi ad Galatas*.

Ex dictis verò constat non fuisse necessarium modum, quo vsus est Hieronymus in explicando locum Pauli *ad Gal.* 2. vt Petrum liberaret à peccato. Item ex reprehensione facta à Paulo verè, & ex animo, non infertur quod voluit August. & aliqui Scholastici, nempe Petrum veniale commisisse, quandiu concedi posset sine aliqua absurditate, & iuxta hæc explicandum est testimonium Pauli *ad Galatas* 2. suprà relatum, & addendum est Paulum. vsum cæremoniis legis veteris aliquando, sed magna circumspectione.

Placet autem in fine huius dubij notare aliquos recentiores interpretes S. Thom. 1. 2. in materia *de legibus* contendere opinionem Hieronymi, circa cessationem legalium esse probabilem, & conari argumentis, quæ fiunt contra Hieronymum, respondere: cum quo tamen docent in explicatione loci illius secundæ ad Galatas, quia reprehensibilis erat, defendendam esse sententiam Augustini in explicatione illius loci, & tamen vt vidimus, Hieronymus suam illam opinionem de vsu legalium cæremoniarum docuit, vt explicaret eum locum Pauli, vt non fuerit verè reprehensus Petrus, sed ex composito: vnde decipiuntur dum existimant vnam quæstionem ab alia non pendere. Item ex eadem doctrina intelligitur mens Hieronymi de vsu illarum cæremoniarum esse probabilem, neque argumenta quæ contra illam fiunt vim habere, de quibus omnibus ex instituto dicemus in materia *de legibus*.

Dubium IV.

An ædificare sepulchra pro mortuis sit opus misericordiæ.

Hoc dubium proponitur ad explicandum locum Lucæ valde difficilem. Et apud Catholicos certum est opus esse honestum prædictam ædificationem sepulchræ.

Communi partitione diuidunt autores opera misericordiæ in septem opera spiritualia, & septem corporalia, omnibus satis nota, & referuntur à S. Thoma *art.* 2. & eius enumerationis assignat rationem. Peculiaris autem potest esse difficultas circa opus sepeliendi mortuos, an sit honestum. nam hæretici aliqui, (vt refert Bellarminus *tomo* 1. *lib.* 2. *de purgatorio, capite vltimo*) putant non esse opus Deo gratum, quia nusquàm inuenitur præceptum à Domino: imò *Matth.* 25. enumerans Christus opera misericordiæ, non meminit sepulturæ. Et secundò possumus arguere ex *cap. sacris, de sepulturis*, vbi dicitur nihil obesse piis hominibus talem, aut nullam sepulturam habere. Tertiò Augustinus *lib* 1. *de ciuitate cap.* 12. *& libro de cura pro mortuis*, dicit, sepulturam, & funeris pompam solatia esse viuorum, non mortuorum præsidia. Quartò, quia misericordia exercenda est circa creaturam rationalem, & tamen emortuum corpus nihil vitæ, nihil sensus, nihil habet rationis; non est ergo capax misericordiæ.

In hac controuersia ante omnia duo sunt reiiciendi errores, quos iam olim refutauit Augustinus *libro de cura pro mortuis, cap.* 2. Vnus fuit Ethicorum existimantium sepulturam esse necessariam vt defunctorum animæ requiescere possint, iuxta delusæ antiquitatis inanes fabulas, similésque errores vigent adhuc apud Iaponitidis regionis accolas, barbarásque alias Indorum gentes. Alter verò fuit error existimantium, mortuorum corporibus aliquem inesse sensum. Certa tamen res est opus sepulturæ esse honestum: laudatur enim *Tobia* 12. & Dauid 2. Reg. 2. dixit, *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum*; & Patres veteris Testamenti

solicitè

solliciti fuerunt non solùm de propriis sepulchtis, sed etiam de alienis. legatur Ambrosius 1. *de Tobia*, & multa de hoc argumento legi possunt apud Patres, quos refert Bellarminus suprà. Et de vsu sepeliendi multa possuut colligi ex sacra Scriptura, & legi potest P. Salmeron *tom.* 1. *prologom.* 11. *quinquagena* 3. *can.* 49. Vsus etiam perpetuus Ecclesiæ hanc veritatem confirmat, & *Ierem.* 22. de Ioachim ait Deus *sepultura asini sepelietur*, quasi honore sepulturę esset priuandus. Et ratio sumitur ex communi hominum sensu, qui dictat honestum esse defuncti hominis emortuum corpus sepeliri. Et sanè cùm anima sit immortalis, ratione bonoris illi debiti, consentaneum est rationi, vt erga curpus eius opus misecicordiæ possimus exequi.

Ad primum respondet Bellarminus *lib.* 2. *de purgatorio. cap. citat.* ex Chrysost. *homil.* 84. *in Ioannem*, Christum eo loci non fecisse mentionem sepulturæ inter alia opera misericordiæ, quia agnoscebat homines in hoc opus satis procliues, imò etiam in pompam superfluam. Secundò respondet Christom non meminisse huius operis, quòd minimum videatur inter opera misericordiæ, vt docuit Augustinus *lib. de cura pro mortuis, cap.* 13. & S. Thomas *art.* 2. *ad* 1. dixit, Christum solum commemorasse ea opera misericordiæ, quæ sont euidentioris necessitatis.

Ad secundum respondetur Pôtificem in eo capite loquutum de vtilitate, vel damno in ordine ad consequutionem vitæ æternæ, in quem sensum potest explicari Augustinus, & ita constat ad tertium. Ad quartum etiam iam respoosum est.

Sed potest obiici ex *Luca* 11. *cap.* dicit enim Christus, *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarũ; patres autem vestri occiderunt illos; profectò testificamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Hoc argumento vtebantur VViclephistæ, vt probarent Sanctis non esse deferendum honorem sepulchri, siquidem de ædificatione sepulchtorum, tamqoam de crimine reprehendit Christus Pharisæos; verumtamen nullus est ex Patribus, qui hoc sensu intellexerit ea verba. legatur Ambrosius 7. *in Lucam*, & Augustinus 1. *contra aduersarium legis, & Prophetarum.* Pro explicatione autem sciendum est, in eo capite Pharisæos speciatim à Christo hypocrisis losimulari, & colligit ex eo quòd facerent leuiora quædam opera, grauioribus omissis, vt quòd decimarent mentam, & rutam, & iudicium Dei præterirent; & eodem modo dixit: *Væ vobis, qui ædificatis sepulchra Prophetarum*; ergo sicut non reprehendit quòd decimarent mentam, & rutam, sed quòd sub eo opere prauum animum occultarent; ita non reprehendit ædificium sepulchrorum, sed animum quem sub ea pietatis, & religionis specie simulabant, vt rectè perpendit P. Vazqoez *lib.* 3. *de adorat. disp.* 3. *cap.* 3. & habetur 1. *tom. in* 3. *part. d.* 102. *cap.* 3. Quòd si externum illud opus ædificandi sepulchra esset malum, non possent ob illud hypocrisis accusari.

Illud manet difficile in citato loco, qoo modo dicat Christus, *Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem occiderunt eos, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Cùm tamen ex eo quòd quis ædificet sepulchrum homini occiso, non videatur consentire iniustæ occisioni. Aliqui exponunt cum Chrysostomo *homil.* 75. *in Matth.* Christum reprehendere intentionem illorum, quia sepulchra ædificabant, non tam io honorem Propheratom, quàm in memoriam patrati sce-

A
leris. Sed non facilè quis huic expositioni præbebit assensum, cùm Pharisæi sepulchra ædificarent, externum illum cultum, & honorem deferentes illis, quos Sanctos existimabant. Vnde & *Matth.* 23. dixit Christus, *Ædificatis sepulchra Prophetarum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum.* Alij respondent Christum eos reprehendere, quia etiamsi hoc non intenderent, tamen facto ipso ita se gerebant, ac si illud reipsa intenderent, cùm enim velint occidere alios Prophetas, imò & Dominum Prophetarum, satis significabant se ex hypocrisi ædificare sepulchra Prophetarum. ita P. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. d.* 55. *sect.* 1. quem sensum priùs videtur
B
tradidisse P. Salmeron *tom.* 4. *part.* 3. *tract.* 17. & fusiùs explicat. legatur Toletus *in citatum cap. Lucæ annot.* 95. Sed licèt doctrina sit vera, tamen hac ratione non satis explicatur quomodo ex ædificatione sepulchrorum colligatur illos consentire operibus patrum suorum circa effundendum sanguinem Prophetarum, imò iuxta suprà dictam explicationem non colligitur ex sola ædificatione sepulchrorum.

P. Maldonatus *in citatum cap.* 23. *Matth.* docet Christum non ita voluisse concludere ex animi sententia, sed quòd in eam partem posset aliquis factũ interpretari. Verùm huic expositioni cõtradicit illud verbum Christi, *Profectò testificamini*, qood
C
planè indicat Christum loqui ex animi sententia. Deinde etiam apparet difficile, quòd possit aliquis ædificium sepolchrorum in eum sensum interpretari. Quartò perdoctus Pater Loysius Legionensis alia ratione existimauit explicanda esse prædicta verba in illud Abdiæ, *In die cùm stares aduersùs eũ*, &c. aduertit tamen, id moris esse sanctarum Scripturarum, vt positis sine causæ redditione aliquibus sententiis mox ordine quodam subiiciantur aut explanationes, aut probationes, aut causæ singularum singulę suo ordine; ex hoc verò dicit posse illustrari perobscurum citatum ex Luca testimonium; vult autem duo esse hoc loco, & qoòd Pharisæi testificarentur esse filios suorum parentũ, & quòd consentirẽt ope-
D
ribus illorum, & ita apud Lucam non vult legere, *testificamini quòd consentitis*, sed *testificamini, & consentitis*; sic enim legunt Biblia regia, & sic habent versio Complutensis, & Græci codices non pauci. Harum igitur duarum sententiarum priùs positarum probationes D. Lucas subiicit, & prioris hoc modo, *quoniam illi eos occiderunt, & vos eorum monumenta ædificatis.* quo illorum vobis scilicet placetis Manes, ne quam iram aduersùs maiores conceperunt, à quibus sunt interfecti, eam in vos effundant, & hoc est vos fateri eorum esse filios. Illud verò alterum, quod eodem ordine subiungitur, eos consentire operibus patrum suorum, confirmat illis verbis, quæ è vestigio subiecit. Propterea Sapientia Dei dixit:
E
Mittam ad illos Prophetas, & ex illis occident, &c. Certè secundùm hanc expositionem, nulla esset propositæ quæstionis causa, quæ tota desumitur, vt diximus, ex modo quo sepulchrorum ædificium argumentorum sit consensus ædificantium erga parentum facta effundentium sanguinem Prophetarum. Illud tamen videtur difficile in hac explicatione, quòd doctissimus vir velit aliter legere eum locum, quàm legat vulgata etiam iussu, & opera Xisti V. correcta, quæ habet: *Profectò testificamini, quòd consentitis*, &c. & Matthæus dixit, *Testimonio estis vobis metipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* qood videtur idem esse qood Lucas refert: *Profectò testificamini, quòd consentitis*

operibus patrum vestrorum. Et certè secundùm expositionem Legionensis, illis verbis non reprehenderet Christus in Iudæis peccatum hypocrisis in ædificandis sepulchris Prophetarum.

Quintò recentiores aliqui explicant textum Lucæ, non de sepulchro ædificato in honorem Prophetarum, sed in honorem parentum, per illos occisorum; sed omnino est improbabile placitũ, & contra communem sensum interpretum, & contra textum Lucæ, *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos*; & Matth. 23. *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra Prophetarum.* vnde cùm Christus apud Lucam concludit: *vos autem ædificatis eorum sepulchra*, ad sepulchra Prophetarum referendum est, non ad sepulchra parentum.

P. Vazquez *suprà* ita explicat, vt velint Christum dixisse: Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum, nempe homicidia eorum imitando; & ita subiungit causam, *Quoniam ipsi quidem occiderunt eos*, quibus verbis ostendit Christus, non in ædificandis monumentis, sed in animo occidendi parẽtes suos imitari; quod verò subiũgit: *vos autem ædificatis eorum sepulchra*, non est coniungẽdum cum eo quod proximè præcesserat, *consentitis operibus patrum vestrorum.* Sed est repetitio eius quod priùs dixerat de hypocrisi, quasi dicat ædificatis monumenta Prophetarum, quos Patres vestri occiderunt, & vos me vultis, & alios Prophetas occidere, in quo similes estis vestris parentibus. Et est probabilis expositio, circa quam obseruandum est in Scripturæ textu, non semper verba esse cum immediatè dictis coniungẽda, vt agnoscunt vel mediocriter versati in exponendis sacris Scripturis. legi potest P. Vazquez 1. *part. tom.* 1. *disp.* 15. *cap. vltim.*

Alij verò sic explicant ex contextu Lucæ & Matthæi, vt Christus duo obiiciat Pharisæis, alterum, quòd testificarentur parentes suos iniustos fuisse Prophetarum homicidas; alterum quòd illos imitarentur. Ita ergo est ordinandus contextus. Profectò testificamini quòd estis filij parẽtum vestrorum, qui Prophetas occiderunt, inquit Matthæus; rationẽ verò subiungit Lucas, *quia vos ædificatis eorum sepulchra:* dum enim Prophetis occisis gloriam sepulchrorum defertis parentum, iniustitiam testificamini. Deinde verò replicat Lucas, quòd consentitis operibus patrum vestrorũ, non in ędificatione sepulchrorum, sed quia Sapientia de vobis dixit: *Mittã ad illos Prophetas, & ex illis occident*, &c. Hanc expositionem ex contextu vtriusque Euangelistæ tradidi iam olim, quam, meo iudicio, tradiderat Bonauentura *in c.* 11. *Lucæ.* si attentè legatur, & fortè hæc expositio coniungi potest cum expositione, quam adduxit P. Vazquez. legatur Ambrosius *in Luc. cap.* 7. Hilarius in *Matth. cap.* 23. Theophyl. *in citatum cap. Matth.* Beda *in cap.* 11. *Lucæ.* Alio etiã modo posset explicari prædictus text. Lucæ, iuxta verba Matthæi 23. *Testimonio estis vobis metipsis.* Vt noluerit Christus absolutè dicere, illos per ædificationem sepulchrorum absolutè testificari, quòd consentirent operibus patrum suorũ, sed quòd ipsi Pharisæi sibi essent conscij animi, & voluntatis, à qua oriretur opus illud ædificãdi sepulchra, qua ratione omnino videtur sublata quæstionis causa. Et fauet lectio Syriaca Matthæi 23. *Profectò testificamini contra vosmetipsos*, quasi dicat, affectata sanctitate sepulchra erigitis, sed conscientia vestra contra vos reclamat, indicat Origenes.

Demum sciendum est, Albertum Magnum, vt annotatione citata in fine testatur Toletus, existimasse illos ædificasse sepulchra propter auaritiã, nempe vt

A populus excitaretur ad oblationes faciendas. Quod & sine idoneo fundamento dicitur, & nõ deseruit ad explicandum quo modo illi consentirent operibus patrum suorum circa homicidia perpetranda. Item admittendum non est, quod alij recentiores fingunt, asserentes Pharisæos illos ædificasse sepulchra non tam in honorem occisorum Prophetarum, quàm, qui occiderunt, parentum, hoc enim non habet firmum fundamentum, imò communiter ædificium sepulchri alicuius sancti accipitur vt signum honoris illi delati.

Ex his quæ hactenus diximus, satis constat ex loco citato Lucæ, non posse sumi argumentum contra nostram doctrinam, sed potiùs colligi sepulchro-
B rum ædificationem opus esse honestum.

Dubium V.

Quomodo sit intelligendum quod de fide dicit Iacobus cap. 2.

Ex c. 2. Iacobi, vbi ait, *tu credis, quia vnus est Deus, bene facis: dæmones credunt, & contremiscunt*, sumitur ratio dubitandi, an sit fides infusa in Christianis. nam videtur de ea fide loqui sicut de fide dæmoniorum; ergo vel in dæmonibus est fides infusa, contra communẽ sensum Theologorũ, vel Christianorum est acquisita, aliàs non videtur habere efficacitatem
C argumentum quo ibi vtitur Iacobus ad probandum fidem solam non sufficere, quia fides est in dæmonibus, qui non sunt iusti. nam si fides Christianorũ est infusa, & perfectior, non mirũ si fides dæmoniorum non iustificet, & de alia respondere possunt hæretici iustificare, quia est perfectior. Non defuerũt qui dicerent in dæmonibus esse fidem infusam; sed placitum est contra communem sensum Theologorũ, vt dicemus *ad quæst.* 5. Alij respondent non esse necessarium vt argumẽtum Apostoli sit omnino efficax, satis enim est si sit probabile desumptum à simili. Verùm licèt interdum aliqui admittant, rationem aliquam non esse omnino euidentẽ, tamen quando omnes Scholastici, & interpretes contendunt ita expli-
D care rationem, vt vim habeat, fas non est concedere non esse efficacem, præsertim quando assumitur ab scriptore Canonico, ad probandam veritatem aliquam contra hæreticos. Et conandum est in præsenti ita explicare verba Iacobi, vt non dicamus rationem esse inefficacem.

Interpretes S. Thom. *ad quæst.* 5. *in art.* 3. docent Iacobum solùm comparare fidem dæmoniorum fidei Christianorũ siue charitate, quòd vtrasque talis sit vt sine operibus non iustificet. Et explicari potest, quia omnis cognitio natura sua ordinatur ad affectũ: ergo siue fides sit infusa, siue acquisita, sola sine affectu & operibus non iustificat. Et eodẽ modo ferè ipsa vidẽtur explicare Iacobum Caietanus & alij in citata verba.
E Bañez *q.* 5. *in art.* 2. *dub.* 1. P. Valentia *ibi punct.* 2. Nec possumus negare probabilem esse tantorum Doctorum sensum. Alij verò huius ætatis vt rem interpretentur limatiùs, dicunt argumentum Iacobi non sumi à comparatione fidei dæmoniorum cum fide informi Christianorum, sed quia tam dæmones, quàm tales Christiani nõ habuerint opera, aliàs existimant vix posse rationis efficacitatẽ explicari. Sed hæc explicatio non satisfacit, quia quæstio disputabatur de fide sine operibus, an posset iustificare, & Iacobus contẽdit probare nõ iustificare: ergo si fiat illis verbis argumentum, & non fiat à simili, nihil probat si vellet hoc modo arguere: Dæmones non habẽt opera, & non sunt iusti: ergo & Christiani peccatores

si

si non habent opera, non iustificabuntur. Ergo eadem redit difficultas, quia respondere posset hæreticus, fidem infusam in Christianis hoc posse, quod acquisita non efficit in dæmonibus: ergo prædicta expositio nisi aliquo alio modo explicetur, non fugit difficultatem propositam.

Alij verò recentiores vt argumentum Apostoli efficax ostendant, existimant sermonem esse de fide infusa; sed illud dæmones credunt: & dicunt sumi pro præterito, ac si dicant, *crediderunt in via.* & hoc sensu satis est efficax argumentum Apostoli. Sed interpretes communiter verbum illud *credunt*, de præsenti intelligunt. Et Augustinus *varijs locis*, vbi de hoc loco Iacobi agit, & apertè *tom 4. lib. vnico de fide, & operibus, cap.* 14. dicit, quòd dæmonia in Euangelio confitebantur Christum esse filium Dei, *Lucæ* 4. & Christum illa increpasse, & tamen ob similem confessionem laudasse Petrum *Matth.* 16. ergo Augustinus intelligit verba Iacobi de fide dæmoniorum in statu damnationis. Deinde præter probabilem illum sensum Scholasticorum suprà relatum, aliam explicationem tradidi iam olim, quæ vt intelligatur, aduertendum est Apostolum in eo capite contendere fidem sine operibus non sufficere ad iustificationem, & addit: *Quid proderit fratres mei, si quis dicat, fidem se habere, opera autem non habeat? Nunquid fides poterit saluare eum.* Et post quædam alia verba ait: *Credis quoniam vnus est Deus, & dæmones credunt, & contremiscunt.* Quibus verbis non continebatur integrum argumentum à simili, quasi velit fidem non sufficere ad iustificationem, quia fides dæmoniorum non iustificat illos: sed secundùm consuetudinem disputantium, aliquid ab aduersario admissum accepit, & ita ait: Tu credis, quoniam vnus est Deus, bene facis, sed non multum est, imò ad id teneris liberè faciendum, quod dæmones faciunt coacti. Sed licèt hoc laudet Apostolus admissum ab aduersario, verùm aliquid aliud vult exigere vi argumẽti; vnde subiungit: *vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est, Abraham Pater noster nónne ex operibus iustificatus est.* Hanc explicationem probant multi viri docti; quod si alicui nõ probetur, amplecti poterit illam, quã ex interpretibus S. Thom. suprà retulimus.

Sed obiiciet aliquis Augustinum de fide & operibus *cap.* 11. & sæpe aliis locis, in prædictis verbis Iacobi agnouisse argumentum; verùm in hoc capite Augustinus quasi reprehensionem accipit ea verba, vult enim per illam Iacobum comparare dæmonibus eos qui putant fidem sine operibus valere ad salutem. verba Augustini sunt: *Iacobus autem vehementer infestus iis qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonibus comparet, dicens: Tu credis quoniam vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt. Quid verbis breuissimis vehementiùs dici potuit?* Item licèt Augustinus significet ibi argumentari Apostolum, tamen nusquam legi illum asserere in illis verbis contineri integrum argumentum. legatur *tom. 7. lib. de gratia, & libero arbitrio, in fine.* Ad primum testimonium Augustini respondent aliqui, S. August. ibi, & in aliis locis fidem sine operibus appellare fidem dæmoniorum, quatenus est sufficiens ad iustificationem. Ita interpretatur aliqua loca August. P. Valentia *infrà ad quæstionem* 5. *punct.* 2. deinde Bellarminus *lib.* 1. *de iustificatione, cap.* 15. ad quoddam 3. argumentum Caluini respondet, explicans locum citatum *Iacobi* 2. fidem hominum improborum comparari cũ fide dæmoniorũ, quatenus vtraque sine operibus infructuosa est. Et hæc doctrina mihi probatur.

Scire autem oportet aliquos recentiores velle S. Augustinum appellare fidem dæmoniorum fidem quam quis habet simul cum illo errore quòd fides sufficit ad salutem. Hæc tamen explicatio admittenda non est, quia cum tali errore non potest esse fides infusa, & tamen prædicti recentiores dicunt Augustinum loquutum fuisse de fide infusa hominum, cùm explicat verba Iacobi citata, *Tu credis quia vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt. & contremiscunt.* Ad tertium testimonium August. respõdetur assignare Augustinum discrimen suo instituto deseruiens, nempe fidem hominum à fide dæmoniorum differre, quòd fides hominũ potest per dilectionem operari, non tamen fides dæmoniorum, quod verissimum est: cum hoc tamen fieri potest, vt fides hominum aliis etiam modis differat à fide dæmoniorum, licèt, vt aliis locis repetit August. vtraque sit insufficiens ad iustificationem, si non habeat opera.

SCRIPTVM ANONYMVM.

Quid liceat, vel non liceat facere circa venerationem hominum mortuorum, ante eorum canonizationem, vel beatificationem, sine Sedis Apostolicæ licentia.

DE hac materia dixi in materia *de fide.* Placuit tamen hoc loco referre sententiam relatam in hoc scripto anonymo, cuius autor fuit Franciscus Peña Auditor Rotæ, qui noluit manifestare suum nomen. Deinde referemus responsionem illustrissimi Cardinalis Bellarmini.

AD dubium propositum verè, & breuiter per sequentes conclusiones respondebitur.

Sit prima conclusio: Numquam fuit mos in Ecclesia Catholica venerari homines mortuos tamquam Sanctos, antequam publica autoritate legitimorum iudicum Ecclesiarũ essent recepti, & approbati. Hoc probatur testimonio S. August. *tom 7. in breuic. collationum cum Donatistis, in collatione tertij c.* 13. & Optati Mileuitani *lib. 1. contra Donatistas* Legitimi autẽ iudices erant Romæ Pontifices Romani, in prouinciis autẽ Episcopi, & Cõcilia prouincialia, vt paulo pòst dicetur, & propter hanc causam Romæ Clemens I. Antherus & Fabianus salubriter constituerunt septẽ Notarios fideles, qui acta Martyrũ diligenter inquirerent, vt Romani Pontifices ea perscrutarentur, & probanda probarẽt. Damasus, & Anastasius Bibliothecarius in vita Clemẽtis, Anten. & Fabiani, & Fabianus ipse in epistola 1. ad Ecclesiam catholicam, & ministros: in prouinciis autem Episcopi, qui olim poterant Sanctos canonizare, antequam hoc Sedes Apostolica legitimis de causis sibi reseruaret, tum ex Apostolica traditione, tum ex constitutionibus Romanæ Ecclesiæ omnẽ etiam diligẽtiam adhibebant, vt Sanctos probarent, antequam populis fideliũ colendi proponerentur, vt colligitur ex S. Augustin. & Optato *in locis allegatis*. Idem præscripsit illis obseruandum Fabianus Papa in epistola prima ad omnes Ecclesiæ comministros, & ita oportuit constituere ne in cultu, & veneratione Sanctorum, quod est magni momenti, in Ecclesia Dei fideles deciperentur, eos pro Sanctis & amicis Dei venerando, qui inimici Dei essent, & hæc olim initio nascentis Ecclesiæ, & omnibus deinde sæculis inuiolabiliter obseruata fuerunt in Martyribus recipiendis, in quibus minor, quam in Confessoribus approbandis

difficultas esse posset, cùm causa martyrij potissimum, & charitas, & constantia in perferendis tormentis inspicerentur; causa autem hęc potissima esse solebat. nam S. Augustini, Optati, & Fabiani testimonia suprà relata de Martyribus probandis agunt: irreligiosus autē prorsus, & temerarius semper fuit habitus, qui publicum cultū alicuius Martyris nondum probati, & recepti in Ecclesia voluisset indocere. Præterea illud omnino certū est, & exploratum, probatos tantùm publica autoritate Ecclesiastica Martyres, & Confessorea fuisse in catalogo Sanctorum, & in Martyrologio Ecclesiæ Sanctæ Romanæ relatos, & consequenter minus probabile videtur, qood asseruit D. Card. Bellarminus *tom. 1. controuerſ. lib. 1. de Sanctis, cap. 8. circa finem*, videlicet Sanctos veteres cœpisse coli in Ecclesia vniuersali non tam lege aliqua, quàm cōsuetudine, cùm nullus vnquam Sanctus foerit aliqoādo in Ecclesia receptus, & cultus sioe certa Ecclesiæ lege, & legitimo decreto, vt verè existimauit, & probauit D. Card. Baronius *in notis ad Romanum Martyrologium, die 2. Aprilis*, & latè etiam prosequutus docuit Ioan. Molanus *in lib. de martyrologijs.*

Sit secunda conclusio: Semper in Ecclesia Dei viguit, & viget hæc doctrina, vt de præcauenda falsorum Sanctorum reliqoiarum, & Martyrum veneratione certæ leges, & sanctiones Ecclesiasticæ constituerentor, vt adulterini sancti, aut commētatitij, aut incerti à veris, & probatis distinguerentur, vt falsis meritò denegaretur cultus, qui veris Sanctis iure debetur. De hac enim re in primis Concilia salubres leges tulerunt. Concilium Carthaginense primum *cap. 2.* Concilium Laodiense *cap. 9 & cap. 34.* Carthaginense quintum *cap. 14.* refert Gratianus *in cap. placuit vt altaria, de consecrat. dist. 1.* Concilium Epaneose *cap. 25.* Concilium Bracharense tertium *cap. 5. aliàs 6.* Concilium Maguntinum *cap. 51.* Concilium Lateranense sub Innocentio III. *c. 62.* refertur *in cap. 2. de reliquijs, & veneratione Sanctorum.* Concilium Tridentinum *sess. 25. de inuocatione, veneratione & reliquijs Sanctorum.*

Sit tertia conclusio: In confessoribus probandis maiorem diligentiam adhibendam constituit sancta Romana Ecclesia, quàm in Martyribus. Et ratio est, quam afferunt communiter Canonistæ *in cap. 1. de reliquijs, & venerat.* vbi Innocentius *num. 1. in fine*, Hostiens. *num. 6. in fine, verſ. licèt autem*, Ioan. Andreas *num. 4. in fine, verſ. licèt autem vita*, & alij hos sequoti, asseruerunt Confessores oon esse canonizandos propter solam apparentem vitæ sanctitatem, sed per miracula, per eorum intercessionem facta, probare oportere, neque Romanam Ecclesiam consueuisse canoniaare Coofessores sine operatione miracolorum: ad excludendam omnem prorsus fraudem, & deceptionem, atque penitus hanc consuetudinem in actu practico retinuit, & retinere solet sancta Romana Ecclesia.

Sit quarta conclusio: Sancta Romana Ecclesia antequam ad canonizādos Confessores deueniat propter vitæ sanctitatem, & miracula, multa alia exigere consueuit, videlicet multiplicatas preces magnorom virorum intercedentium pro canonizatione, continoationem miraculorum, constantem famam de sanctitate illius, qoi petitur canonizari in vita, & morte, & post mortem, & plura alia, quæ referunt Canonistæ *in cap. 1. de reliquijs & veneratione.* vbi Hostiens. *num. 3. & 4.* & sequitur Ioan. Andreas *num. 3.* Iacobus Castell. *tractatu de canonizatione Sanct. dub. 4.* Franciscus Peña Rotæ Auditor in vita S. Didaci *lib. 2.* & io vita S. Raymondi *lib. 3.*

A *cap. 1.* Hanc tam exactam diligentiam adhibere consueuit sancta Romana Ecclesia ad excludendas fraodes, deceptiones, illicita lucra, & ambitiones multorum, qui sæpe inani sanctitatis nomine suorum gloriantes populorum simplicium, & præsertim fœminarum fauorem, & obsequium aucupantur, *cap. 2. de reliquijs.*

Sit quinta cōclusio, Quia veneratio hæc, & cultus Sanctorum vna est de maioribus Ecclesiæ causis, in qua cum multa cautela procedere oportet, ideo Sedes Apostolica, vt totiùs omnia peragerentur, canonizatiooem Sanctorum specialiter sibi reseruauit, & propterea verè Doctores asseruerunt ad solum Papam spectare Sanctus canonizare, siue B Martyres sint, siue Confessores. ita Canonistæ communiter *in d. cap. 1.* vbi Innocentius *num. 2. verſ. solus autem Papa.* Hostiens. *num. 7. verſ. solus autem Papa.* Ioan. Andreas *n. 5. verſ solùs autem Papa.* Rursus Canonistæ *in cap. 2. de reliquijs & venerat. in 6.* vbi gloss. *verb. Sedis Apostolica.* Gemin. *num. 11. verſ. gloſſ. in verb. sedis.* Turrecremata *in cap. 1. de consecratione, distinct. 3.* Troil. Maluet. *tractatu de canonizatione Sanctorum, dub. 2.* Iacobus Castell. *tract. de canonizat. Sanctorum, quæst. 3.* vbi addit ex sententia Doctorum, neque Episcopos, neqoe Legatos de Latere, neque collegiū Cardinaliū Sede Apostolica vacante, neque Concilia Prouincialia, neque Cōcilium vniuersale, non interoeniente Romani Pontificis autoritate, C posse Sanctos canonizare, neque illos proponere populis tanquam Sanctos in Ecclesia venerandos. Hanc conclusionem probat textus *in d. cap. 1.* qui est Alexandri Papæ III. qui præfuit Ecclesiæ ann. Domini 1160. nam cùm quidam hominem queodam in potatione occisum tanquam sanctum Martyrem venerarentur, ita constituit: Illū ergo non præsumatis de cætero colere, cùm etsi per eum miracula fierent, oon liceret vobis ipsum pro sancto absque autoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.

Sit sexta conclusio: Non possunt Episcopi in suis diœcesibus inducere celebrationem festi alicuius Sancti non canonizati per Papam. Hanc conclusionem ponunt Canonistæ *in cap. 1. de reliquijs, &* D *venerat. in 6.* vt Geminian. *num. 12. verſ. Nota primò. ex illa gloſſa*, & Francus *ibid. num. 3. verſ. in gloſſa magna.* & ratio est; quia, vt dicetor in proxima sequenti conclusione, istum honorem conseqountur Sancti postquam sunt à Romano Pontifice canonizati.

Sit septima conclusio: Postquā omnia fuerunt canonicè celebrata, & obseruata, quæ per sacros canones in canonizatione Sanctorum adhiberi iubentur, & postquam Sancti sunt canonizati per Romanum Pontificem, illos honores conseqountur, quos Romani Pontifices in sententia definitiua canonizationis illis decernere solent, videlicet, vt ab vniuersali Ecclesia colantur, & inuocentur, & vt ad sepulturam ipsorū decenter & veneranter accedenE tes eas indulgentias consequantur, quæ cæteris Sanctorum eiosdem ordinis concessæ sunt. Hæc in libris ritualibus S. R. E. continentur, vt tradit Franciscus Peña *lib. 3. cap. 41. de vita S. Raymundi.* Eandem ferè commemorant Canonistæ *in d. cap. 1.* vbi Innocent. *num. 3. verſ. per hanc autem canonizationem.* Hostiens. *num. 10. verſ. verum Iesum Dominum nostrum.* & Iacobus Castell. *de tract. quæst. 9. in principio*, dicentes Sanctum per hanc canonizationem hoc consequi, vt Ecclesia pro eo, sicut pro Sancto dicat solemniter officium, & in Litaniis inter alios Sanctos licitè enumeretur, & inuocetur, & in catalago Sanctorum adscribatur. Addit Iacobus Castell. *prædicto loco*, quòd Sanctus canonizatus hoc

etiam

etiam consequitur, vt eius imago pingi, & sculpi possit cum diademate, seu corona, & quòd in eius honorem,& sub eius nomine possint Ecclesiæ,& altaria erigi,& ædificari,& consecrari.

Sit octaua conclusio: non licèt alicui defuncto nondum canonizato preces solemnes, aut publicas fundere, aut reliquias Sanctorum nouorum, id est, non canonizatorum venerari. Hanc conclusionem probat Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. *cap.* 66. relatum *in cap.* 2. *de reliquijs, & veneratione.* cuius verba sunt: Inuentas de nouo reliquias nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. & Canonistæ *in d.cap.*1. vbi Innocent. *num.*3. *in fine, vers. item non negamus.* Hostiens. *num.* 21. *vers. illud etiam non negamus.* Panormitan. *num.* 3. *not.* 2. *vers. & hoc intelligo.* glossa *in d. cap.* 1. *verb. Sedis Apostolica, vers. dicimus, de reliquijs, & veneratione, in* 6. & ibi Ancharan. *in fine*, dicens sic: Et adde quod notatur supra caput 1. vbi nullus debet in publico venerari,nisi ab Ecclesia approbatus;signanter dictum fuit non licere neque solemniter, neque publicè nondum canonizatos colere, aut reliquias Sanctorum non probatas, quia hoc expressis verbis ita constituit præcitatum Concilium Lateranense, & tenuerunt expresse Hostiens. & Panormitan. *præcitato loco*, qui omnem prorsus cultum tam solemnem, quàm publicum prohiberi dixerunt, & aliter interpretari verba Concilij generalis est manifestè vim illi inferre, vt patet ex prædictis. Illud tamen verum est ex Hostiens. & aliis præcitatis locis, vt notat Panormitanus *in d. cap.* 1. *num.* 3. *notab.* 2. à contrario sensu colligere licere in secreto fundere preces ei, quem quis vidit esse virum bonum: nam cùm *in d. cap.* 2. ex Concilio generali dictum fuisset non licere publicè venerari Sanctos nondum canonizatos, aut nouas reliquias à Romano Pontifice nondum approbatas, à contrario sensu Doctores in præcitatis locis intulerunt, scilicet, non negare quin liceat in secreto fundere preces alicui defuncto, quem vidit sanctum, vt pro ipso ad Dominum intercedat. Addunt tamen non licere, donec canonizatus fuerit, ad talem publicè preces fundere, idem dixit glossa *hic in d. cap.* 1. *de reliquijs, in* 6. *verbo, Sedis Apostolica, vers. Dominus enim.*

Sit vltima conclusio. Quæ hactenus dicta sunt de canonizatione Sanctorum, intelligenda quoque sunt de beatificatione, quæ cùm sit quædam species veræ canonizationis, à solo Pontifice concedi potest. Est autem beatificatio concessio particularis, quam indulget Romanus Pontifex alicui Ecclesiæ particulari, vel monasterio, vel ordini Religiosorum, vt aliquem virum, vel mulierem, quam Papa constituit esse sanctam, & fecisse miracula, possint in illa tantùm Ecclesia, aut religione venerari, & officium Deo facere, & est obseruandum quòd antequam Romanus Pontifex concedat ista indulta beatificationum, solet committi examen aliquibus viris doctis & prudentibus, vt videant processum continentem probationes super sanctitate, & miraculis beati, vel beatæ, & nisi causa cognita non consueuerunt beatificare, id est, licentiam illam Beatum colendi concedere, quia beatificatio solùm in hoc distat à canonizatione, quòd illa respicit vniuersalem Ecclesiam; beatificatio verò particularem locum.

Ex omnibus prædictis patet responsio ad dubium propositum, videlicet circa nondum canonizatos

A à Papa non licere aliquem cultum solemnem, aut publicum eis exhibere, nec eorum festa publicè celebrare, nec nomina eorum in Litaniis enumerare, nec in Martyrologio describere, neque in die obitus illorum campanas pulsare, neque pingere imaginem cum diademate, vel miraculis, neque illa omnia circa illos tam amplè præstare, quàm videtur concessisse D. Cardinal. Bellarminus *tom.* 1. *controuer. lib.* 6. *de Sanctis, cap.* 10. ista enim omnia sunt contra sacros canones, & receptum Romanæ Ecclesiæ morem; neque aliquid in contrarium probant, quæ commemorari solent ex multis Sanctorum historiis ex relationibus Auditorum Rotæ in canonizationibus Sanctorum, vt S. Didaci, S. Iacinthi, &
B S. Raymundi, quia quando ad sepolchra illorum Sanctorum & similium donaria offerebantur, & luminaria accendi permittebantur, iam per Episcopos locorum examinatis testibus, & receptis probationibus cognitum fuerat de vitæ sanctitate, & miraculorum operatione, & magna differentia constituenda est inter spontaneum concursum populi ad aliquem honorandum, cuius viuentis nota erat, & explorata sanctitas, & procuratum, & humana industria quasi exactum ad eos colendos, quos vix dum viuerent excellentis vitæ fama commendabat.

Postremò illud obseruandum, grauiter puniendos esse qui inconsulto Rom. Pontifice istas vene-
C rationes publicas defunctorum, nondum canonizatorum audent introducere, & rectè Zanchin. docuit *tractatu de hæreticis, cap.* 22. *num.* 8. nec dubitandum quin aliquando similia præsumentes negari ab Inquisitoribus possint, quid sentiant de Romani Pontificis autoritate, qui iustis de causis hanc sibi facultatem probandi, & proponendi Sanctos Ecclesiæ colendos specialiter reseruauit.

Notandum est hoc loco, scriptum istud anonymum editum fuisse in lucē Romæ tempore quo agebatur de beatificatione sanctissimi Patris nostri Ignatij. quod aduerto vt Lector intelligat responsionem sequentem Cardinalis Bellarmini.

D *Responsio Cardinalis Bellarmini ad calumnias cuiusdam scripti anonymi.*

PEruenit ad manus meas scriptū sine nomine autoris, cuius titulus est, Quid liceat, vel non liceat facere circa venerationem hominum mortuorum, ante eorum canonizationem, vel beatificationem, sine Sedis Apostolicæ licentia. quod quidē scriptum non esset difficile diuinare cuius sit, sed quoniam latere cupit autor, neque ego prodam suspicionem meam; quia verò in eo scripto meum nomen apertè carpitur, & scriptum ipsum magna ambitione cubicula S. R. E. Cardinalium penetrauit, permittere
E non potui, nec debui, vt calumnia in Cardinalē sine responsione per aures, & ora Cardinalium volaret. Duo capita opusculorum meorum perstringuntur, quæ capita si legerentur ab omnibus, qui scriptum anonymum perlegerunt, noua responsione opus non esset, sed quia plurimi ea fortè non legent, proferamus nos in medium scripti anonymi verba, atque ad ea breuissimè respondeamus.

Minus (inquit) probabile videtur, quod asseruit D. Cardinal. Bellarminus *tom.* 1. *controuersiarum, lib.* 1. *de sanctis, cap.* 8. *circa finem*, videlicet Sanctos veteres cœpisse coli in Ecclesia vniuersali, non tam lege aliqua, quàm consuetudine, cùm nullus vnquam Sanctus fuerit in Ecclesia receptus, & cultus

sine certa Ecclesiæ lege, & legitimo decreto, vt verè existimauit, & probauit D. Cardinal. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 12. Aprilis. & latè etiam prosequutos docuit Ioan. Molan. *in lib. de Martyrologio*. Hæc in eo scripto, cuius autor non mea solùm scripta reprehendere, sed etiam me cum Illustrissimo & doctissimo Cardinal. Baronio conttomittere voluit, vt qui multis nominibus coniunctissimi sumus; scriptis saltem libris dissidere videamor; sed non obtinebit quod capit, calumniarum enim nebulæ euanescent, & me id ipsum, quod Baronius scripsit, scripsisse luce clariùs apparebit. In opusculo meo de Sanctis *lib.* 1. *cap*.8. distinguitur duplex canonizatio, particularis & vniuersalis. Particularis dicitur, qua Sanctus aliquis, siue Martyr, siue Confessor colédus proponitur vni particulari Ecclesiæ. Vniuersalis, qua toti Ecclesiæ colendus proponitur, ita vt nemini Christiano liceat de eius hominis sanctitate, & beatitodine dubitare; ac particularis qoidem canonizatio antiquis temporibus Episcoporum particularium iudicio commissa erat, vt in eodem loco à me probatur testimoniis S. Cypriani, & Thomæ VValdensis, & hoc ipsum docent Optatus, & sanctus Augostinus, quos Cardinal. Baronius citat. Itaque non scripsi, neque sensi, vt iste autor videri vult me scripsisse, vel sensisse licuisse olim sine vllo Episcopali iudicio, vel decreto sanctos homines publicè colere. De vniuersali autem canonizatione do cui plurimos veteres Sanctos, nó certa lege, sed consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, non sine expressa, vel tacita Summorum Pontificum approbatione canonizatos fuisse. Integer igitur sensus verborum meorum hic est, eos Sanctos, qui colebantur in particularibus locis decreto particularium Episcoporum, cœpisse paulatim coli in Ecclesia vniuersa, noo certa aliqua lege, vel decreto, sed consuetudine à Summis Pontificibus consensu tacito approbata.

Quod quidem verissimum esse non dubito, nec omnino video quid contradici possit, quæro enim, quis fuerit vt S. Martinus, S. Nicolaus, S. Hilarius & innumerabiles alij in vniuersali Ecclesia publicè ita colantur, vt nefas sit de eorum sanctitate dubitare, id enim Summos Pontifices fecisse certo decreto, neque Bullæ canonizationem, neque historiæ vllæ testantur. Episcopi autem particulares, neque seorsum in sedibus suis, neque in Conciliis congregati toti Ecclesiæ legem dare possunt, neque eorum iudicium certam fidem facit, nisi accedat illius confirmatio, vt Dominus ait, *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Quærat igitur autor illius scripti solidum fundamentum si ei noo placet vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quæ S. Augustino in eiusmodi obseruationibus pro lege semper fuit, vt videre est *in epist*. 118. 119. 120. & alibi; quærat, inquam, solidum fundamentum, super quo oitatur fides, quam decreta, atque indubitata beatitudine habemus veterum Sanctorũ, qui non leguntur à Summis Pontificibus nominatim canonizati; quod enim autor dicit in explicatione primæ suæ conclusionis, Episcopos potuisse canonizare, antequam Summi Pontifices id sibi reseruarẽt, nouum est, & periculosum, vera enim, & absoluta canonizatio, quę toti Ecclesiæ Sanctos colẽdos proponit, & quæ certã fidem facit, numquam ad Episcopos particulares pertinuit, neque id sibi Sũmi Pontifices reseruarunt, sed ad eorum potestatem propriè pertinet, cui pertinent omnes aliæ causæ maiores, & qui contrà sentit, vt certè videtur autor scripti sentire, vel dubiam reddit canonizationem Sanctorum, vel Episcopos pares Summo Pontifici facit; prohibuit quidem Alexander III. & postea Innocentius III. ne quis publicè tamquam Sanctus colatur, sine consenso Sedis Apostolicæ, sed non inde colligitur ante hanc prohibitioné ius canonizandi penes omnes Episcopos fuisse, nisi fortè in sua particulari Ecclesia, vt suprà diximus; sed ea canonizatio, neque absolutè canonizatio dici poterat, neque certam fidem faciebat, neque vniuersalem Ecclesiam obligabat.

Venio nunc ad alterum caput, quod autor scripti vellicat in opusculo meo. Ex omnibus, inquit, prædictis patet responsio ad dubium propositum, videlicet circa nondum canonixatos non licere aliquem cultum solemnem, aut publicum eis exhibere, nec eorum festa publicè celebrare, nec nomina eorum in Latinis enumerare, neque in Martyrologiis describere, neque in die obitus eorum campanas sonare, neque pingere imagines, cum diademate, vel miraculis, neqoe illa omnia circa illos tam ampla præstare, quàm videtur consensisse D. Cardinalis Bellarminus *tom.* 1. *contr. lib.* 1. *de Sanctis*, *c.* 1. Hæc ille. Ego verò non amplificasse, sed nimis in angustũ redegisse mihi videor honorem, qui viris egregiis nondum canonizatis debetur, negaui enim posse eos publicè prędicari tamquam Sanctos, negaui posse publicè inuocari, negaui posse in Litaniis, vel diuinis officiis nominari, negaui posse altaria & templa in eorum memoriam erigi, negaui posse imagines eorum cum diademate pingi, vel in templis collocari, quasi essent Sanctorum canonizatorũ imagines, negaui posse dies festos in eorum honoré celebrari, negaui denique reliquias eorum publicè honorãdas posse proponi: est ne aliquid, quod addi poterit. At dixisti posse hominem non canonizatũ appellari sanctum, ita est. Sed etiam S. Bernardus vocauit S. Malachiam statim à morte, & vitã eius, vt verè sancti, descripsit. Sanctus quoqoe Thomas sanctum appellauit Bonauenturam adhoc in carne mortali viuentem. S. Catherina Senensis in epistolis suis sanctam perpetuò vocat Agnetem Bolitianam recenter mortuam, & alia id genus. exẽpla sine numero afferri possent. Et quid facio mali, si quem sanctum esse piè credo, sanctum etiam nominem. At dixisti, posse priuatim coli, & inuocari eos, qui cum sanctitatis opinione decedunt. Neque id nego, quia nullus negat id iure fieri. Dixisti posse priuatim alumnos alicuius sancti viri nondum canonixati in eius anniuersario die lætari peculiariter, & Deo agere gratias. Dixisti posse imaginem viri noodum canonizati pingi, & in priuato cubiculo retineri, & honorari. Dixi omnino, & quod dixi posse fieri, facio, oisi fortè honorem picturæ magis mereantur viri clari litteris, aut prælijs, quàm religione, & pietate coospicui. Dixisti reliquias hominum mortuorum noodum canonixatorum posse priuatim haberi & coli. Ita est, & qui negat id, valde imperitum se ostẽdit historiarum, quibus vitæ Sanctorum continentur, nam noo solùm mortuorũ, sed etiam viuẽtium, qui cum opinione sanctitatis inter homines versantur, fragmenta vestium, sudariorum, singulorum reliquias, ciborum, capillorum, aquã lotionis manuum, & similia piè rapi solita testãtur historiæ de vita S. Bernardi, S. Francisci, & aliorum: cœpit autem hæc cõsuetudo Apostolorum tempore, deferebantor enim semicinctia, & sudaria à corpore Pauli super ægrotos, vt scribit S. Lucas *Actor*. 19. & inde per vniuersam Ecclesiam hoc pietatis genus propagatum esse; neque Concilium Lateranẽse prohibet priuatum reliquiarum nouarum cultum, sed publicum tantùm, vt ipsa verba per se fidem faciunt.

Illud

Illud autem fateor me sine stomacho legere non potuisse, quod in extremo scripto autor dicit, eos nunc honorari, qui non solùm canonizati non sunt, sed quos vix, dum viuerent, aliqua excellentis vitæ fama commendabat. Hinc enim iam non ego solus pungor; sed punguntur ipsi viri præclarissimi, quorum vitæ plenæ virtutibus, atque heroïcis operibus scriptæ extant, & certè neque pium est, neque tutum cum sanctis viris, quantumuis nondum canonizatis, bellum gerere, multo minus decet iis detrahere, qui de Christiana religione optimè meriti in Domino requiescunt, & cum ipso Domino, vt piè credimus, feliciter regnant. Quòd si autor scripti Ignatium Loyolam vel solum, vel potissimum notare voluit, vt multi non sine causa suspicantur, sciat se iniuriam fecisse multis piis, & religiosis viris, qui cum Ignatio dum viueret, familiariter versati, & deinde legitimè examinati deposuerunt Ignatium fide, spe, charitate, patientia, continentia, humilitate, orationis studio, aliisque Christianis virtutibus ita enituisse, vt perfectionis exemplar meritò haberetur, qui certè falsi testimonij, & violati iurisiurandi rei essent, si Ignatium, dum viueret, nulla excellentis vitæ fama commendasset. Iniuriam quoque fecisse sacræ congregationi illustrissimorum Cardinalium, qui ritibus Ecclesiasticis præsunt, quæ congregatio non censuisset, vt censuit, posse dari ab Apostolica sede litteras compulsorias ad Episcopos pro informatione capienda de Ignatij vita, & miraculis, si hunc virum nulla excellentia vitæ fama commendasset. Adde etiam iniuriam fecisse duobus Summis Pontificibus, Paulo III. & Marcello II. quibus Ignatius summa veneratione, & vir sanctus & perfectus semper fuit, qui summi, prudentissimique Pontifices numquam in tanta opinione sanctitatis habuissent hominem, quem nulla excellentis vitæ fama commendasset. Addo iniuriam illam fuisse Deo, qui Ignatium mirabili vocatione à sæculari militia abstractum in ducem, & fundatorem ordinis religiosi ab Apostolica Sede confirmati, dum viueret, elegit, & post mortem multis nobilitauit miraculis, iisque Episcoporum iudicio examinatis, & probatis; Deus enim, qui nec fallere, nec falli potest, nunquam testimonium excellentis vitæ per miracula daret illi homini, quem nulla excellentis vitæ fama commendasset.

Vtrùm autem interrogari possint de fide qui mortuos nondum canonizatos plus iusto venerari videntur, non est meum diiudicare: meum tamen erit monere vt videant ad quos hoc iudicium pertinet, an sit interrogandus de fide, qui sine vlla distinctione absolutè affirmat Episcopis olim licuisse Sanctos canonizare, quod communis Doctorum sententia habet proprium esse summi Pontificis, vt neque collegio Cardinalium, neque Concilio generali tribui possit. Atque hæc sufficiant in præsenti, non enim totum scriptum discutiendum suscepi, sed ea solùm, quæ ad me quodammodo pertinebant.

Hæc Cardinalis doctissimè tradidit, & vera sunt, vt constare potest ex iis, quæ nos tradidimus 2.2. *tomo 1. tractat. de regulis orthodoxa*, agentes de canonizatione & beatificatione Sanctorum.

***

DISPVTATIO XXXIV.

POSITIVA.

Circa illud Psalmi 44. *Speciosus forma præ filiis hominum.*

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm Christus Dominus corporali pulchritudine mortales reliquos anteierit.



QVÆSTIO hæc eo est difficilior, quo ab Scholasticis Doctoribus minus est tractata: vix enim vnum, vel alterum inuenies, qui eam disputauerit, aliis eam vel leuiter tangentibus, vel omnino prætereuntibus. Vnus est Michaël Medina *lib. 2. de recta in Deum fide, cap. 7. longius à medio*; qui ausus est affirmare aliquos comminisci Christum inter mortales speciosissimum fuisse, quasi sibi persuadeat Christi animam, tot, tantisque ditatam donis, fallacem corporis gratiam, & vanam pulchritudinem neque habuisse, neque curasse. nam forma est bonum fragile, vt dixit Ouid. *lib. 2. de arte.*

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Florum est mutabilitate fugacior (vt Boëtius scripsit *prosa 8. lib. 3. de consolatione Philosophi.*) *Forma*, inquit, *nitor, vt rapidus est, vt velox, & vernalium florum mutabilitate fugacior*, &c. febris igniculo dissoluitur, vt idem Boëtius ait. *Æstimate*, inquit, *quoniam valtis nimio corporis bona, dum sciatis hoc, quodcumque miramini triduana febris igniculo posse dissolui*, &c. Meritò ergo Prouerb. 31. *fallax dicitur gratia & vana pulchritudo.* Vana est, quia euanescit, fallax est, quia fallit, vt fefellit plures. de quo Barradas *lib. 6. cap 9.* Neque verò desunt Medinæ autoritates & rationum monumenta.

Sententia negans. Primò enim sunt aliqui Patres, qui vel ex professo interpretantur Psalmum 44. vel obiter in ea illius verba incidentes, *speciosus forma præ filiis hominum*, affirmant illa ad corporalem pulchritudinem nulla ratione pertinere, quippe eam non habuit Christus, sed vel ad diuinitatem spectare, vel ad virtutum speciem, & formam, quibus mortales omnes facilè superauit. Ex horum numero est Basilius magnus *in Psalm 44.* super illa verba, *speciosus forma*, qui sic ait, *speciosum forma Dominum appellat, eius innuens diuinitatem, non enim carnis pulchritudinem laudat. nam scribitur, vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque formam, sed eius species ignobilis fuit præ filiis hominum.*

Tertullianus verò non solùm non concedit Christo summam pulchritudinem, sed & summam videtur in eo adstruere deformitatem: libro enim de carne Christi *cap. 9.* contra eos qui dicebant carnem Christi fuisse cœlestem, sic affatur. *Carnis terrenæ non mira conditio ipsa erat, quæ cætera eius miranda faciebat, cùm dicebant: Vnde huic doctrina, & signa ista? etiam despicientium formam eius hæc erat vox. Adeò nec humanæ honestatis corpus fuit, ne dum cælestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu eius ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur. Passiones quidem humanas, carnem; contumeliæ verò inhonestam probauere. An ausus esset aliquis vngue summo perstringere corpus nouum vllam sputaminibus contaminare faciem nisi merentem? Quid dicis cælestem carnem, quoniam vnde cælestem intelligas non habes. Quid terrenam negas, qui vnde terrenam agnoscas habes.* eamdem habet doctrinam *lib. 3. aduersus Marcionem cap. 7. & lib. aduersus Iudæos cap. 14.* quibus in locis, eisdem omnino

repetitis verbis, docet primum Christi aduentum A maximè demonstrasse faciem inhonestam, aspectum valde humilem, demissum, & abiectum: pro secundo verò aduentu habiturus & speciem honorabilem, & decorem indeficientem super filios hominum. de quo interpretatur verba illa Psalm. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum.*

Accedit Clemens Alexand. 3. *Pædagogi cap.* 1. qui carnis pulchritudinem Christo negat. *Ipsum autem Dominum* (inquit) *fuisse aspectu deformem, testatur spiritus per Isaiam, & vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque pulchritudinem, sed species eius vilis, diminuta pro hominibus. Quis est autem Domino præstantior, sed non carnis pulchritudinem, quæ visione apprehenditur, sed veram animæ & corporis ostendit pulchritudinem, animæ* B *quidem beneficentiam, carnis verè immortalitatem.*

Tandem Cyrill. Alexand. *lib. 5. commentariorum in Isaiam tom. 1. super cap. 53.* Isaiæ eamdem videtur tradidisse sententiam. *Species* (inquit) *eius inhonorata, quemadmodum, quo ad diuinam & supremam excellentiam, & illustrem decorem natura omnia superantis dictus est formosus pulchritudine præ filiis. Addit adhuc: Magis despectior omnibus hominibus videbitur species eius, perinde est ac si dicerent, videre est quosdam inter homines dignitatis splendore fulgentes diuitiarum quasi satellitio, ac comitatu elatos, & amplos, vel alio modo in terrena dignissimè constitutos, sed non inter hos erat Emanuel, at in humili, & abiecto ordine, ita vt aliis hominibus inferior videatur. Et quidem vera est oratio. Non enim ex* C *sancta Virgine Matre diuite ortus est, sed in omni humilitatis genere versatus est, vt quod humile est eueheret, & quod inhonoratum est redderet æmulandum. Alioqui Deus & Dominus & rex vniuersorum quo splendore humano indigebat?* Hæc Cyrillus.

Neque verò desunt momenta rationum pro sententia Medinæ. Primum verò desumit ipse ex eo quòd opposita sententia nullum habeat firmum fundamentum, præterquam ex quorumdam sacræ Scripturæ locorum mystico sensu, in quibus Christi species commendatur. Cùm tamen pulchritudo illa, vt suprà dixi, si de Christo ibi Scriptura loquatur, vel ad diuinitatem referatur, vel ad virtutum speciem, & formam, quibus facili negotio reliquos an- D teierit. Neque enim (inquit) corporali specie pulchrior fuit Apolline, Adonide, Atyde, Cyparisso, Croco, Acantho, Amaracho, quos quatuor postremos ob formæ excellentiam in sui nominis plantas fabulantur conuersos: Hippolyto, Hyla, Narcisso, Niso, Paride, aut fœminis illis Helena, Athalanta, Ariadna, Antiopa, & reliquis vtriusque generis propter speciem celebribus; quorum admirandam pulchritudinem celebrarunt Poëtæ. Primum argumentum illúdque validissimum desumit Medina ex eo quòd constans sit Patrum, & Scholasticorum sententia, Christum Dominum nullo corporis morbo laborasse, habuit enim optimum temperamentum à natiuitate; & ad integram valetudinem conseruan- E dam maximè accommodatum: atqui corporalis, & exterior forma, & pulchritudo minimè congruit cum bona valetudine; neque ita facilè coëunt temperamentum aptum sanitati, & pulchritudini: non ergo habuit Christus pulchritudinem, cui non est integrum negare sanitatem. Vnde & experientia ipsa edocente constat speciosos homines morbosiores, & pluribus languoribus esse obnoxios. Quoniam Hypponactes, Corytheos, Thersites, Dæmones, Æsopos, Socrates, & si qui sunt similes deformitate famosi; quòd si species optimi temperamenti sit signum, cur non fœminæ, quas tamen infinitis incommodis obnoxias esse videmus, potiori fuissent

temperamento quàm viri, quòd maiori vultus pulchritudine sint à natura donatæ. Accedit tertiò quòd Christum Dominum decuit maximè virilis fortitudo, qualis certè enituit in subeũdis passionibus, laboribus & doloribus, quibus sese pro nobis obiecit: at pulchritudo cum robore, & fortitudine vix conuenit. Inde enim Homerus Nyræum pulcherrimum Græcorum omnium imbecillum, ac parum virilem scripsit, vt indicaret robur, & formam vix simul coire in vno corpore. Hector verò Paridi *lib. 3.* Iliados sic conuitiatur:

Vane Pari, & forma tantùm bone.

Et infrà,

Irrident Danaci, iactántque ignominiosa
Voce cauillantes forma præstare venusta,
Sed verè te degenerem virtutis egere:
Non animo vires nullum esse in corpore robur.

Quin & Helena sic ad Paridem scribit apud Ouidium in Epistola,

Quòd bene te iactas, & fortia facta recenses,
A verbis facies dissidet ista tuis.
Apta magis Veneri quàm sunt tua corpora Marti,
Bella gerant alij tu Pari semper ama.

De Vlysse verò sic scribit Ouidius *in 2. de Arte,*

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

In sacris autem litteris 1. *Reg.* 17. Gigas ille Philistæus vbi conspexit Dauidem despexit, neque vllum sibi ab eo malum imminere posse in animum induxit, cuius rei causa subiicitur, *erat autem adolescens rufus & pulcher aspectu.* quasi persuasum sibi haberet speciosum Dauidem, & forma præstantem, imbellem futurum, & amatoriæ rei magis aptum, quàm militari.

Quarta & efficacissima ratio pro sententia Medinæ ea est, quia non semper corporis forma cum animi moribus conuenit, imò raro morum & corporis species vnà coguntur. Verúmque est quod ait Martialis de Achilla,

Insignis forma, nequitiáque puer.

Imò plerumque licet de quibusdam optare, quod idem de Catulla *libro* 8. Epigrammatum optat.

O quàm te fieri Catulla vellem,
Formosam minus, aut magis pudicam.

Item Iuuenalis *Satyra* 10.

——Rara est concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Et Ouidius in epistola Paridis ad Helenam.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Idem *lib. 2. Fastorum.*

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

Et lib. 2. Elegiarum.

Dat facies animos: facit violenta Corinna,
Me miserum, cur est tam bene nota sibi:
Scilicet à speculi sumuntur imagine fastus,
Nec nisi compositam se prius illa videt.

Ezechiel 28. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo.* Chrysost. homil. 20. in epistolam ad Ephes. *Externa corporis pulchritudo plena est multa superbia & arrogantia.* Ouidius 3. *amorum eleg.* 4.

Quid tibi formosa, si nonnisi casta placebat.
Non possunt vllis ista coire modis.

Ezech. 16. *habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es.* Eccli. 13. in fine, *vestigium cordis boni, & faciem bonam, difficile & cum labore inuenies.* Iuuenalis *Satyra* 10.

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure cum Veneris fanum videt anxia mater, &c.

Non ergo ita facile, & sine magno fundamento Christo Domino, quem constat fuisse summè pudicum, & omni virtutum genere instructum, pulchritudo

tudo corporis & forma erit adscribenda. Adde quòd neque etiamsi in vnum conuenire possint virtus & pulchritudo, ea Christum decebit, prædicatorem scilicet, & Magistrum veritatis: vt enim iam olim cecinit Bion Smyrnæus Poëta in Bucolicis, refert Stobæus *serm. 65. de pulchritudine,*

Forma mulieres decet, viros autem fortitudo.

Iam verò etiam suprà ostensum satis est, fortitudinem & pulchritudinem vix congruere, vnde vitio dabatur olim Philosophos esse pulchros. Quid non datetur Christo Dnmino, qui non humanam philosophiam, sed cœlestem, & diuinam in terras venerat edocturus. Fauet verò maximè illud Prouerb. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo*; quid ergo Christo Domino fallacem gratiam, & vanam pulchritudinem sine magno rationum fundamento concedamus: quámque eleganter Nazianz. *orat.* 31. iuxta medium vocauit, temporis & morbi ludibrium.

Vltimò denique maximè vrget pro sententia Medinæ locus ille Isaiæ 53. *Non erat ei species, neque decor.* quibus verbis Prophetam loqui de Christo Domino constans est Patrum omnium, & interptetum sententia. Non ergo pulchritudinem corporalem habuit Christus qui despectus, & nouissimus virorum Prophetæ visus est in Incarnatione, quippe qua mysterium fuit exinanitionis & humilitatis.

Cæterùm vt ad quæstionis solutionem propiùs accedamus, statuenda est prior pulchritudinis definitio, ne si eius de quo suscipitur controuersia, definitionem ignoremus, longiùs à veritate sit aberrandum. Neque verò ita facilè est naturam, & essentiam pulchritudinis indagare. Habemus certè apud Platonem Dialogum, cui titulus est, Hippias Maior, vel de pulchro, qui perlongus licèt totus in eo est, vt pulchri definitionem inueniat, neque verò inuenit; plures enim pulchri definitiones, & ab Hippia traditas, & ab ipso Socrate inuentas refellit efficaciter, nec tandem veram assequitur, sed dat vterque manus, & vno ore fatentur se per ignorationem pulchri valde profecisse, quippe prouerbium illud quòd pulchra difficilia esse dicit, intelligere sibi iam videantur, vt vel ex hoc constet quantæ difficultatis sit munus quod aggredimur. Statuam tamen quid sit pulchritudo ex Aristotele, & aliis Philosophis, Magni Dionysij, Augustini, S. Thomæ & sanctorum Patrum, & quidem omnes qui rem hanc minutiùs conciderunt, licèt verbis non nihil dissideant, re tamen ipsa in idem videntur recidisse. Subiiciam eorum verba quô veritas hæc manifestior fiat.

Aristoteles quidem *lib. de Arte poetica, parum post initium*, duo requirit ad pulchritudinem debitam, scil. quantitatem, & partium ordinem. *Pulchrum* (inquit) *non ordine solum, verùm etiam congruenti magnitudine constare debet, siquidem ex magnitudine, ordinéque pulchrum oritur.* Diminutior quidem fuit Aristoteles quàm deceret Philosophum in rerum naturis indagandis, aliàs rigorosissimus; licèt enim requiratur ad pulchritudinem, & partium debita magnitudo, & earumdem inter sese congruens situs, atque distantia, non tamen hæc sufficiunt, sed requiritur iuxtà coloris suauitas, quæ si desit, etiam pulchritudo necesse est, vt optimè animaduertit Marsilius Ficinns, Platonicorum vt postremus, ita doctrina nemini secundus, in cnmmentariis, quos eleganter & grauiter scripsit in Platonis symposium *oratione* 5. *cap.* 3. vt vel ex hoc constet compactam esse ex pluribus debere pulchritudinem, cuius naturam omnium appositissimè, meo quidem iudicio, tradidit Tullius *Tusculanarum quæstionum lib.* 4. parum post initium. *Pulchritudo*, inquit, *corporis est quædam apta figura mem-*
A *brorum cum coloris quadam suauitate.* Similia ferè habet *primo de officiis*, longe post medium. *Pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt.* Idem ferè Socrates apud Platonem in Philebo, vel de summo bono, in fine. *Mensura*, inquit, *commensuratióque pulchritudo planè atque virtus vbique fit.* Agatho item apud Platonem in conuiuio, vel de amore *oratione* 2. inconcinnitatem figuræ, & coloris decorem refert pulchritudinem. *Apta verò composita flexibilisque forma argumento esse formalitas potest, hoc est, figuræ concinnitas, qua amor omnium maximè proculdubio decoratus est, coloris quoque decorem assidua inter flores habitatio huius Dei significat.* Horum
B verò sectatus doctrinam Marsilius iam citatus *in conuiu. Platonis orat. 2. cap. 9.* idem docet, ait enim: *Pulchritudo nil aliud est quàm splendor ipse in colorum linearúmque decoro.* oratione 25. cap. 6. breui omnia quæ ad pulchritudinem coëunt, nobis edisserit, eius verba subiiciam. *Hus verò tribus ordine, modò specie constat viuentis corporis præparatio, ordo partium interualla, modus quantitatem, species lineamenta, colorémque significat.*

Iam verò si magnos Ecclesiæ Patres consulamus, eosdem hac in parte cum Philosophis mirè consentientes reperiamus. Primò Augustinus *epistola* 151. sic definit pulchritudinem. *Quid est corporis pulchritudo? congruentia partium cum quadam coloris suauitate.* Clem verò Alexand. 3. *pædagogi cap.* 11. sic ait: *postea*
C *autem exerceatur quoque pulchritudo corporis commodè ratione membrorum, & partium cum bono colore.* Basil. verò *in Psalm.* 44. sic habet. *Pulchrum est membrorum compositione, & harmonia gratia vigens.* Nazianz. verò *Iambico* 15.

Decor, rei omnis elegans concinnitas.

Clariùs verò *oratione 31. iuxta medium.* Eius verò Scholiastes Elias Cretensis *in orationem* 10. *Nazianzeni*, eodem modo definit pulchritudinem, quod & explicat illustri quadam similitudine, quam vno tantùm verbo subindicauit Nazianzenus; ipse verò optimè subodoratus ad finem vsque persecutus est. *Est autem*, inquit, *pulchritudo proportio quædam, & concordia dissimilium in nobis partium. Vnde etiam aptè,*
D *atque congruenter per concentum in sonis hoc demonstramus. Nam etiam in musicis instrumentis alius quidam sonus est qui per infimam chordam editur, alius qui per huic proximam, alius qui per summam, alius qui per huic vicinam, is autem qui ex his omnibus promanat, concors numerus est, quemadmodum scil. à dissimilium corporis partium proportione pulchritudo.* Isidorus lib. 10. originum. *Pulchra specie cutis dictus, quod est rubens pellis: postea transiit hoc nomen in gradus. nam pulchritudo hominis, aut in vultu est vt os, humerisque Deo similis: aut in capillis: vt namque ipse decorem, cæsariem: aut in oculis vt latos oculis afflaret honores: aut in candore: vt, quale manus addunt ebori decus: aut in lineamentis, vt eo multo plus figura & lineamenta hospitis delectabant: aut in*
E *proceritate, vt, Turnus vertitur in mediis, & toto vertice supra est.*

Iam verò S. Thom. & ipse hac in re Philosophus idem docet de pulchritudine. nam 1. *part. quæst.* 39. S. Thom. *art.* 8. *in corpore*, tria docet requiri ad pulchritudinem. *Primò*, inquit, *integritas, siue perfectio, & debita proportio, siue consonantia, & iterum claritas.* Duo priora explicuit Cicero illis verbis: *apta figura membrorum*; tertium illis, *cum coloris quadam suauitate.* & idem docuit S. Thom. ex Dionys. 2. 2. *quæst.* 145. *art.* 2. *in corpore.* Verba S. Thomæ sunt. *Vnde pulchritudo corporis in hoc consistit, quòd homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate.* Locus verò Dionysij citatus à S. Thoma est *lib. de*

diuinis

diuinis nominibus, cap. 4. circa medium illius, ex quibus A verbis licèt perobscuris statuta definitio colligitur; ait enim Deum dici pulchrum sicut vniuersorum consonantiæ & claritatis causam, quasi rerum etiam pulchritudo in partium consonantia & claritate consistat, vt optimè intulit S. Thom. *citato proximè loco*. Verba Dionysij sunt. *Quod autem pulchrum essentias superat, pulchritudo quidem dicitur ex pulchritudine, quæ ab eo cum iis, quæ sunt, omnibus pro captu cuiusque communicatur, & quod omnium concinnitatis, & splendoris causa sit, quæ lucis instar omnibus impertiat pulchritudinis effectrices primi radij effusiones, quódque ad se* καλεῖ, *i. vocet omnia, ex quo* κάλλος, *i. pulchritudo dicitur, & tota in totis in se colligat*. Eamdem pulchritudinis definitionem tradidit Abulens. *suprà cap. 16. 1. Regum* B *quæst. 35. & super caput 18. 2. Reg. quæst. 17.* & eamdem sequitur noster Barrad. 1. *tom. sua concordia Euangelica lib. 6. cap. 9.* & P. Viegas *in Apocalyps. 12. caput comment. 2. sect. 4.*

His positis dicendum est cum vera sententia, Christum Dominum præstanti fuisse corporis pulchritudine, ita vt illa mortales omnes facilè superauerit. Cætera pro illius explicatione obseruandum maximè est id quod scitè dixit Cicero *lib 1. officiorum prope finem*, duplicem esse pulchritudinem, alteram muliebrem, virilem alteram, eius pulcherrima verba sunt. *Cùm autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducere debemus dignitatem virilem*. Idipsum acutè C contemplatus est Plato *in Phædro, vel de pulchro, post medium*, vbi docet primum affectum quem causat pulchritudo, esse reuerentiæ. (de pulchritudine certè virili loquitur, & quæ virum maximè deceat) *sed qui nuper*, inquit, *expiatus est sacris, quive aliquando est plurima contemplatus, quando vultum diuina forma decorum videt, aptè ipsam pulchritudinem imitatum, vel aliquam corporis speciem primò quidem horret, metúsque vetus aliquis in eum reuoluitur: deinde inspiciens tanquam Deum colet, ac nisi veretur vehementis insaniæ crimen, sacra amantis non aliter quàm Dei statuæ faceret*. Consentit verò Pythagoras, quem dixisse fertur, *pulchritudinem esse reuerendum quid* (refert Stobæus *serm. 65. de pulchritudine*.) nempe id docuit Cicero dum eam D in viro vocauit *dignitatem*. & Plato dum primum affectum à pulchritudine profectum dixit esse honoris & reuerentiæ. Iam verò Arist. *lib. 1. Rhetor. ad Theodecten. cap 5* idipsum expressè docuit, ait enim. *Pulchritudo autem alia in alia ætate est. nam iuuenis pulcher est, cui commodum ad subeundos cursus, & violentia labores corpus est, aspectúque insuper iucundus, quocirca Pentathli formosissimi sunt, cùm & ad vim & ad velocitatem præstantissimi sunt. Vir verò pulcher est qui & labores bellicos sustinere queat, & ita iucundus aspectu est, vt simul quoque dum videatur terreat*. Ecce quàm bene congruant, & consentiant Plato, Pythagoras, Aristoteles, atque Tullius, dum eam adstruunt esse viri pulchritudinem, quæ & plena sit iucunditatis, & simul E terroris, horroris & reuerentiæ.

Et hoc sensu docent Scholastici Christum Dominum præstanti fuisse pulchritudine, non fœminea, quæ virum dedecet, sed virili, quæ cum iucunditate maxima habet adiunctam dignitatem, & in virum maximè congruet. Ita supponunt potiúsque disputant antiquiores Scholastici: Sufficiat nobis ex illis vnus S. Thom. 3. *part. quæst. 54. art. 1. ad 3.* vbi ait sanctus Doctor Christum Dominum nulla ratione in resurrectione vultus sui effigiem commutasse quantum ad membrorum lineamenta, quasi priùs aliquid habuisset deforme, aut inordinatum, ait tamen accepisse in resurrectione nouam gloriam claritatis. Ex quibus sequi videtur sentire S. Thomam toto vitæ tempore habuisse Christum corporis & membrorum congruam proportionem. Clariùs tamen & fusius sententiam nostram tradidit sanctus Doctor *super Psalm 44.* in illa verba, *speciosus forma præ filiis hominum*. Vbi cùm proposuisset dubitationem, an secundùm corporis pulchritudinem fuerit Christus speciosus præ filiis hominum, statuta prius pulchritudinis definitione, quam suprà ex ipso retulimus, quam constituit in proportione membrorum, & colorum respondet, *& sic hanc pulchritudinem Christus secundùm quod competebat ad statum, & reuerentiam suæ conditionis, habuit. Non est ergo intelligendum quod Christus habuerit capillos flauos, vel fuerit rubeus, quia hoc non decuisset eum, sed illam pulchritudinem corporalem habuit summè, quæ pertinebat ad statum, & reuerentiam, & gratiositatem in aspectu: ita quòd quoddam diuinum radiabat in vultu eius, quod omnes eum venerebantur, vt August. dicit*. Hactenus S. Thomas, cuius verba iterum postea nobis erunt vsurpanda, & suo pendenda pondere.

Sententiam nostram tradiderunt ex interpretibus sacræ Scripturæ Lyra, Cassiodorus, Eugubinus, Ludolphus, Carthus. Doctor Ioannes à Pastura Monasterij Glembacensis Prior, incognitus, Cardinalis Hugo, & Turrecremata, Folengius, Bartholomæus Papiensis, Iacobus de Valentia, Genebrardus atque Iansenius, vel in illa verba Psalm. 44. *speciosus forma*, vel in illa, *specie tua*, &c. Luisius Legionen. *in cap 4. Cant. expositione 2.* ex Scholasticis S. Thom. 3. *p. q. 54. art 1. ad 3. & in Psalm. 44* Antoninus 4. *parte summæ Theologicæ tract. 15 cap. 10.* Albertus Magnus *in Euangelium, Missus est, cap. 40.* & apud Dionys. Carthus. *lib. 1. de laudibus Virginis, art. 34 & ibidem* idem Carthus. *art 45.* & fusiùs *in Psalm. 44.* Caiet. *ibidem* & Bartholomæus Medina 3. *part. quæst. 14. art. 4* ex nostris P. Valentia 2. *p. quæst. 14. puncto 1.* P. Suar. *tom. 1. in 3. part. disp. 32. sect. 2.* P. Henriq. *tom. 1. summa lib. 3. cap. 11.*

Ex Patribus plures iique grauissimi sententiam nostram tradiderunt. Nazianz. *orat. 2.* in Paschate, vbi ait in Resurrectione fuisse Christo Domino pulchritudinem restitutam, non quòd naturalis corporis forma, membrorum proportio, & natiuus color mutata fuerint, sed quia perfectum statum suum habuere, & per corporis gloriam quasi illustrata sunt, vt dixit D. Thom. *quæst. 54. cit. art. 1. ad 3.* In eadem sententia est Chrys. *hom 28. in Matth.* super illa verba, *videns autem Iesus turbas multas*, &c. cuius hæc sunt aurea verba. *Repellebat igitur turbam, quoniam erant ei affixi non pauci amantes, admirantésque ipsum, videréque ipsum semper cupientes. Et certè quis ab autore talium signorum non inuitus recederet? aut quis vel faciem solam aspicere, ósque ipsum, ex quo diuina præceptorum instituta profluebant, ingenti desiderio non arderet? Nam vt in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse. Idque ipse Propheta significans multo antea clamauerat: Speciosus pulchritudine super filios hominum* Hæc Chrys. consonat verò Bernardus serm. 1. in festo omnium Sanctorum. *Prædicantem*, (inquit) *Dominum de ciuitatibus, & castellis, populi sequebantur, quorum saluabat animas, sanabat corpora, & adhærebant ei affatu pariter, & aspectu illius delectati, cuius nimirum vox suauis, & facies decora, sicut scriptum est, speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Talis est quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solùm, sed & ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere*. Iam verò Hieron. *tom 3. epist. 140. ad Principiam*, quæ est explanatio Psalm. 44. in eadem est sententia. *Absque passionibus*

(inquit)

(inquit) *cunctis vniuersis pulchrior est Virgo de Virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset & in vultu quiddam, oculisque sydereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant corruissent.* Nempe id est, quod dixit D.Thom. *super Psalm.* 44. ex August. *Ita quod quoddam diuinum radiabat in vultu eius, quòd omnes eum venerebant.* & Marsil. Ficinus *in conuiuium Platonis orat.* 2. *&* 3. *& orat.* 5. *cap.* 4. dixit, pulchritudinem esse Dei radium, & splendorem diuini vultus. Et in vniuersum Platonici omnes definiunt, pulchritudinem esse gratiam quamdam viuacem, & spiritualem, Dei radio illustrante Angelo primùm infusam. Inde & animis hominum corporúmque figuris, & vocibus, quæ per rationem, visum, auditum animos nostros mouet, atque delectat, delectando rapit, rapiendo ardenti inflammat honore. Et idem Hieronymus *lib.* 1. *commentariorum in Matth. in c.* 9. vt ostendat non leuitati vertendum esse quòd Apostoli ad primam vocem relictis omnibus Christum secuti sunt, ait, *Certè fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu; si enim in magnete lapide, & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos & stipulam, & festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat.* Idem verò docent Lyra, Cassiodorus, & Augustinus Eugubinus *in Psalmum* 44.

Ex historicis verò vnus est Nicephorus *lib.* 1. *historia Ecclesiastica, cap. vltimo*, qui ea de Christi effigie memoriæ tradidit, ex quibus constat ipsum fuisse pulcherrimum. *Christi*, inquit, *effigies sicuti à veteribus accepimus, talis propemodum, quatenus eam crassis verbis comprehendere licet, fuit. Egregio is viuidéque vultu fuit. Corporis statura ad palmos prorsus septem. Cæsariem habuit subflauam, ac non admodum densam leniter quodammodo ad crispos declinantem, supercilia nigra, non proinde inflexa ex oculis subflauescentibus mirifica prominebat gratia, acres ij erant, & nasus longior. Barbæ capillus flauus, nec admodum demissus. Capitis porrò capillos tulit prolixiores. Nouacula enim in caput eius non ascendit, neque manus aliqua hominis præterquam matris in tenera duntaxat ætate eius. Collum fuit sensim decliue, ita vt non arduo, & extento nimium corporis statu esset. Porrò tritici referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paulum deorsum versus vergentem, ac modicè rubicundam grauitatem, atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placibilitatémque iracundiæ expertem, præ se ferentem: persimilis denique per omnia fuit diuina, & immaculata suæ genitrici.* Hæc Nicephorus.

Neque verò desunt sententiæ momenta rationum: vt enim constat ex iis quæ suprà diximus naturam pulchritudinis indagantes, ex tribus illa consurgit. Primò ex omnium membrorum integritate, quam fuisse in corpore Christi Domini certissimum est. Non enim accepit corpus mutilum, aut monstruosum, sed in naturali sua integritate; sic enim docent Patres assumpsisse omnia quæ in nostra natura posuit. Secundò consurgit pulchritudo ex eorumdem membrorum debita proportione, & hanc fuisse etiam in corpore Christi, facilè persuaderi potest, tum quia tale corpus debebatur perfectissimæ animæ eius: tum etiam, quia oportuit vt corpus illud esset aptissimum ad omnia opera vitæ exercenda, quæ aptitudo multum ex dicta proportione pendet. Denique hoc facilè colligitur ex forma Christi, quam ex Nicephoro iam retulimus. Tertiò requiritur ad pulchritudinem conueniens color natiuus, quem oriri ex optimo temperamento, & complexione plures docent. Et quidem Clemens Alex. 3. *pædag. cap.* 11. ex optimo temperamento colligit pulchritudinem; quod & probat Marsil. Ficinus *in conuiuium Platonis orat.* 5. *cap.* 1. Vbi hæc verba refert ex Carolo Marsupino. *In animalibus autem salubris humorum complexio iucundam lineamentorum, & colorum speciem procreat.* Et idem repetit *orat.* 5. *cap.* 6. & eamdem doctrinam tradidit Cicero *lib.* 1. *officiorum*, quo loco de temperantia disputat. *Venustas* (inquit) *& pulchritudo corporis secerni non potest à valetudine*, quem ea in re, vt aliàs sæpe, in officiis imitatur D. Ambrosius, & ipse lib. 1. officiorum, cap. 45. *Pulchritudo* (inquit) *super salubritatem & valetudinem videtur excedere, & tamen sine his esse non potest.* Cùm ergo in Christo Domino fuerit præstantissimum temperamentum, tale quidem, vt nullo morbo fuerit violatum, vt docet S.Thom. 3. *p. quæst.* 14. *art.*.. quem sequuntur eius interpretes, & communiter Theologi *in* 3. *dist.* 15. vbi Durand. *quæst.* 1. *num.* 7. Richard. *art.* 1. *quæst.* 3. Caiet. 2. *tom. opusculorum tractatu* 13. vbi pro hac veritate citat Chrysostomum, qui ait indignissimum esse Christo tribuere morbum aliquem; & idem sensit Athanas. *lib. de Incarnat. Verbi, & corporali eius aduentu, longè ante medium.* Basil. *in reg breu. interrogatione* 177. Glossa interlinealis, Rabanus, Albert. Magn. Lyra, Carthus. in illud Matth. 8. *Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam*, &c. Abulens. *Paradoxo* 3. *quæst.* 21. Neque enim conueniens erat hunc defectum morbi à Christo assumi, cùm nec diuinam personam deceret, neque nobis necessarius, aut vtilis foret. Cùm ergo corpus Christi optimum habuerit temperamentum, certè inesse debebat illi connaturalis perfectus color, & ad pulchritudinem corporis humani maximè accommodatus. Et quidem licèt non semper sit pulchritudo cum optimo temperamento coniuncta, cùm negare non possimus formosos aliquos morbis subiacere, satis nobis sit inter se non pugnare, vt potuerint in Christo coniungi, præsertim cùm sermo sit de virili pulchritudine, quæ non tantum distat à bona valetudine, quantum fœminea. Et quidem maximè pulchritudo Christum decebat, cùm, vt ait D. Ambr. *lib.* 2. *de Virginibus*, simulacrum mentis sit species corporis, figuráque probitatis. Cùmque anima & corpus proportione quadam harmonica congruant, vt inquit Ficinus. Accedit quòd pulchritudo cum excellenti virtute, & modestia coniuncta magnam vim habet ad alliciendas hominum voluntates, de quo postea, & in venusto corpore gratior virtus est, vt ille alius dixit, Virgilius *in Eurialo lib.* 5.

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Quam sententiam è nostris aduocat, approbátque Lucas de Pen. *in l.* 1. *col.* 1. *in* 2. *quæst. in princ. C. qui ætate vel profess. se excus. lib.* 10. & Alexand. *consil.* 209. ponderatis his *colum.* 2. *vers. dictus verò iuuenis lib.* 6. Vnde non oportuit hanc prærogatiuam Christo deesse. Et quidem corporalem pulchritudinem indicium esse bonæ indolis, docuit Abulensis *paradoxo* 2. *cap.* 101.

Secunda ratio, eáque non minus efficax pro nostra sententia ex eo desumitur, quia pulchritudo est quiddam regium, & multum decet Reges, quos maximè forma commendat. Aristoteles 1. *de Repub.* scribit, si qui reperiantur ea pulchritudine, quam in deorum statuis cernimus, nemini dubium futurum quin ij aliis imperare deberent. *& lib.* 4. *&* 7. Æthiopas ait, & Indos in mandandis imperiis proceritatis, ac pulchritudinis habere rationes: quò illa Lucretij spectant ex *lib.* 5. *de rerum natura*,

Nam facies multum valuit, virésque vigebant.

Xenophon

Xenophon præterea *in Sympoſio* pulchritudinem ait eſſe quiddam regium naturâ. Plautus regiam formam dixit, mutuatus ab Homero, apud quem Vlyſſea Antoninum ita precatur,

—— Quoniam vel regia forma
Te decorat Regi ſimilem.

Vide Tiraquel. n.44. Apud Curtium etiam *lib.*4. Alexand. ad Abdolominum, quem longa quidem cognatione ſtirpi regiæ annexum dicebant, alioqui pauperem hominem, & ſuburbanum hortum exigua colentem ſtipe. *Corporis* (inquit) *habitus famæ generis non repugnat*, & notum eſt multatum à Lacedæmoniis Archidamum Regem quòd puſillam du ⟨x⟩iſſet vxorem, perinde quaſi non Reges ex ea, ſed regulos eſſet ſuſceptutus. Eodem pertinet illud cuiuſpiam apud Euripidem, votum (quod vertit in variis Muratus) optantis vt videres filios mares ex maribus prognatos, plurimum quidem forma ipſa & ſpecie regno dignos, deinde aliis etiam bonis excellerent. Præclarè verò Plinius ad Traianum. *Iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris longè lateque Principem oſtentant.* Et Latinus Paeutus iure inter eloquentiæ Principes enumerandus, in Panegyrico ad Theodoſium ſcripto. *Auguſtiſſima quaque ſpecies plurimum creditur trahere de cœlo, ſiue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hoſpitium; ſiue cum venerit fingit habitaculum pro habitu ſuo; ſiue aliud ex alio creſcit, & cùm ſe paria iunxerunt, vtraque maiora ſunt*, & ſtatim poſt ſubdit, *Virtus tua meruit imperium, ſed virtuti addidit forma ſuffragium, illa præſtitit vt oporteret te Principem fieri. hæc vt deceret.* Cùm ergo pulchritudo ita Reges deceat, & Chriſtus Dominus fuerit Rex non tantùm ſpiritualis, ſed temporalis, decuit maximè Chriſtum pulchritudo. Certè verba paulo antè citata vſurpare poſſumus, quadrant enim nonnihil mutata ſi in quem alium, in Chriſtum maximè. Chriſti dignitas ratione vnionis hypoſtaticæ meruit imperium; ſed illi addidit faciei forma ſuffragium, illa præſtitit, vt oporteret Chriſtum Regem fieri hæc vt deceret. Vnde egregiè Propheta Regius hanc inter alias Chriſti Regis virtutes in nuptiali carmine primam numerat *Pſalm.*44. cùm ita canit, *Speciosus forma præ filiis hominum*, ne quid verò & ſoli hominum Regi deeſſet, quod ad eius vel maieſtatem, vel commendationem facere potuiſſet, & ob hoc etiam Rex appellatur ab ſponſa *Cant.*1.

Tertiò probare poſſumus noſtram ſententiam, quia maxime decebat Chriſtum Euangelij prædicatorem, & Magiſtrum veritatis, vt talis eſſet quem omnes reuerentur, & maximè ſuſpicerent, ad hunc autem finem maximè congruebat pulchritudo, quam Pythagoras reuerendum quid appellauit. Et quidem naturalis, & virilis pulchritudo cum ſumma virtute, & modeſtia coniuncta maximè decet, & ornat quemcumque ſanctum virum, & inuitat ad reuerentiam, & dilectionem, præſertim quando propter labores & afflictiones corporis ita eſt moderata, vt per ſe oſtendat ſolùm ab ipſa naturali compoſitione, & formatione perfecta proficiſci, non ex humana curioſitate, ſeu affectatione. quam rationem ſubindicaſſe videtur D. Thomas *in Pſalm* 44. iam citatus, qui dixit Chriſtum habuiſſe pulchritudinem ſecundùm quod competebat ad ſtatum & reuerentiam ſuæ conditionis.

Quartò Chriſtum Dominum maximè decebat vt fieret amabilis, & hominum corda ad ſe alliceret: eſt autem pulchritudo, teſte Platone *libro de amore*, perquam amabilis, & maximam vim habet vt ſibi hominum animos alliciat, vnde Græcè pulchritudo κάλλος dicitur, teſte Magno Dionyſio *lib. de diuin.*

A *nomi, cap.*4. à vocando, quia ad ſe vocet, & alliciat omnia, vnde id exiſtimo fuiſſe in cauſa cur pulchrum pro forti à veteribus vſurpatum fuerit, ratione fortitudinis quam habet pulchritudo, vt vocat omnia. Pulchrum verò pro forti à veteribus vſurpatū, obſeruauit pulchre Seruius in illud *Æneid.*4.

—— Haud illo ſegnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.

Segnior, inquit, id eſt, non illo deformior. nam plerumque virtus, & pulchritudo pro ſe inuicem ponuntur. Hinc eſt, *ſatis Herculi pulchro pulcer Auentinus.* Nam Herculi ſatis eſt incongrua pulchritudo. ſic Plautus in Pyrgo de muliere Polinica, *Quidnam fortis*, id eſt, pulchra. Confirmat hoc Lucianus in
B Chardemo, qui cùm *Heroas in cœlum ob pulchritudinem recepto commemoret*, Herculem nominat. *Et ille quidem*, inquit, *fortitudinis cauſâ honorem hunc conſecutus eſſe dicitur.* Certè pulchritudo viri nulla eſt alia niſi fortitudo. Herculem enim inſigni corporis magnitudine, & proceritate fuiſſe ſcribit Heraclides Ponticus, & Ion. Chius igneum ſplendorem ex oculis effudiſſe, ac tres dentium ordines habuiſſe. Contrà verò deformis apud Iuſtinum *lib.*7. pro imbelli & fracto vſurpatur. *Cùm interim Darius Rex Perſarum turpi à Scythia fuga ſummotus, ne vbique deformis militia damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megebazam ad ſubigendam Thraciam*, id eſt, ne imbellis, & fractus haberetur, pulcherrimus verò pro forti
C vſurpauit Poëta Latinus Æneid.4.

Nec non & Phrygij comites & lætus Iulus
Incedunt, ipſe ante alios pulcherrimus, omneis
Infert ſe ſocium Æneas, atque agmina iungit.

Pulcherrimum autem Æneam appellaſſe videtur Virgilius quaſi virtute decorum, ac magis ſpectabilem, vultu nimirum, & corpore toto ad optimi, atque ſcituriſſimi equitis pariter, atque Imperatoria rationem compoſito, & præ ſe ferente animi magnitudinem, & alacritatem ad præclarum quoduis in venando facinus obeundum. Hiſpane, *con mas lindo garuo, mas gallard obrio, mas bien pueſto, y mas de ver, de mas lindo talle, como mejor hombre de acauallo.* Homerus de Hectore *Iliados* 11.

D *Hector ibi ante alios circumtalit arma ſuoram.*
Vltima nunc luſtrans, nunc primu ſub agmine curſu
Se recipit, grauibus iam conſpiciendus in armis.

Ex quibus facilè videas pulchrum pro forti, deforme, aut ſegne pro imbelli vſurpari, cuius ego hanc rationem inuenio. Quoniam qui corpore pulchro, id eſt, apta membrorum conſtructione, & bene à natura conſtituta præditi ſunt, ij ferè ſemper virtute, ac robore plus valent, quæ in deformi & imbecilli corpore eſſe non poſſunt. Cornelius Tacitus *lib.*12. Iulium Pelignum deformem corpore, ignaui animi facit, & hoc, opinor, cauſæ eſt, cur in humanis, atque etiam ſacris litteris tam ſæpe virtus cum pulchritudine coniungatur. Homerus *Odyſſea lib.* 8.

E *—— Dudum virtutem & corporis alij*
Eximiam formam carpſerunt Ætheri dial.

Lucretius ſuprà,

Nam facies multum valuit, vireſque vigebant.

Et infrà,

Quod facile, & validis, & pulchris dempſit honorem.

Et pòſt,

Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti.

Cicero in partitionibus. *Poſtea* (inquit) *de corporibus bonis dicendum. in quibus quidem, quæ virtutem maximè ſignificat, facillimè forma laudatur.* Sed accedamus ad ſacra. D. Paulus cùm de Chriſto loqueretur *ad Hebr.*1. ſplendorem gloriæ, & figuram ſubſtantiæ Patris vbi dixit, deinde virtutem coniungit.

Portans,

Portans, inquit, *omnia verbo virtutis suæ.* Isaiæ 3. *Pulcherrimi tui viri gladio cadent, & fortes tui in prælio.* Quo loco posterior pars priorem interpretatur. Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem induit: induit Dominus fortitudinẽ, & præcinxit se virtute.* hoc est quod admodum vir bellator gladio se succingit aduersùs hostem, ita ipse robur, & fortitudinem induit, & ingenita sese animi magnitudine ad hostes suos debellandos armauit. Prouerb. 31. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Psal. 77. *& tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* hoc est, omne robur, omne pretiosum.

Sed accedat etiam idiomatum ferè omnium atque linguarum suffragium, quo vno ferè vocabulo pulchrum validúmque significantur. Græcis enim καλὸν pulchrum, & egregium, præstánsque significat. Thucydides τὰς καλὰς viros præstantes appellat, vti Aristophanes in equitibus Hebræis, eadem vox est pulchri, & boni; quòd reciproca sint bona, & pulchra. Belgæ, Germanique eadem voce vtramque vim complectútur. Autor est Goropius Vecanus in Hermathenis: voces sunt Fromr & From. imò inde natum tradit, vt pulchritudinem pariter, atque fortitudinem significarent, quòd pulchritudinis maximæ sint vires ad hominem ad se ferendum, & Græci eamdem vocem φὶρ videntur pro præstanti, & valido vsurpasse, à quo φέρτερος & φέρτατος. Hispanis verò nihil tam in ore, quàm pulchri vocabulum, quo validiora, & robustiora quæque, etiam ea quæ quouis in genere sũma, optima & maxima sunt, asciscimus, & pulchra, & formosa dicimus, tametsi fœda, & turpia sint, vt *que hẽnoso bestia, que hennoso animal! que locura tan hennoso! que hennoso necio;* & alia sexcenta. Quin & Hesiodus in Theogon. pulchrum malum dixit: cæterùm postquam effecit pulchrum malum pro bono.

Ita etiam in sacris, *Deuteron.* 33. Ioseph pulchritudo pulchritudini vituli comparatur, *quasi pulchritudo Tauri pulchritudo illius, cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes.* hoc est, *sera fuerte y robusto como vn Toro.* Quæ enim alia tauri pulchritudo nisi vires & fortitudo, quæ in Rhinocerotis etiam cornibus significatur. Ezechiel autem 32. sic legas, *quo pulcrior es descende, & dormi cum incircumcisis*, id est, quo felicior, & fortunatior, quo ditior, atque potentior, *per quanto vos os teneis por mas dichoso y bien auenturado, mas fuerte y poderoso, bajad las crestas, que sera de vos lo que a sido de los demas pueblos de las gentes.* Rabbi Dauid sic exponit. *Tu cogitas quòd sis pulcher, & nónne omnes populi gentium, qui putabant roborare & permanere inter pulchros, à sua dignitate descenderunt, & tu cogitas permanere? descende quemadmodum ipsi descenderunt.* Non longè aliter illud Oseæ explicatur, *ego transiui super pulchritudinem colli eius*, id est, eorum fortitudinem fregi, superbiam compressi, contumaciam contudi, *lepuse el pio sobre el pescueço, i quebrãte su orgullo.* Ita Theodoretus & Hieronymus.

Hinc etiam vt pulchras Horatius *satyra* 3. *lib.* 2. diuitias appellarit, quasi mirabili alliciendi, & omnia sibi subiiciendi virtute præditas. Virg. 4. Georg. *Pulchram mortem dixit*, non quia pro Rege susciperetur, vt ait Seruius, sed quasi viris dignam. *Honrosa, digna de gente valerosa, i es forçada No cobarde.* pulcherrimam arborem palmam appellauit Homerus, quòd maxima sit, & fortissima, adeò vt ob eam causam victoriæ symbolum sit, neque deflagrare fulmine vulgo circumferetur. Ex quibus omnibus constat maximam inesse vim pulchritudini, vt hominum animos ad se alliciat, & vocet. Quare non oportuit deesse Christo pulchritudinem, qua A omnibus fieret amabilis, & suaui videntia omnes ad se pertraheret, scilicet pulchritudinis tanta vis est, vt concepta oculis, atque auribus (nam iis etiam subiicitur, autore Platone *in lib. de amore*, mirabiles sui amores in hominum animis excitet, vt non abs re Xenophon *lib.* 5. de Pædia Cyri à pulchris oculos mouerit auertendos, quòd ignis quidem viros homines, qui se tractant; at formosi eos etiam accendant, qui se procul spectant, vt propter amorem æstuent. Publius Syrus formosam speciem mutuam appellauit commendationem. Athenæus *lib.* 13. *cap.* 22. & Pausan. *lib.* 1. quo Attica describit, dicunt, quòd cùm Phryne, siue, vt alij vocant, Phryne meretrix Thespiensis in iudicio Atheniensi fuisset B cuiuspiã delicti accusata ab Euthia (vt Athenæo placuit,) vel ab Anaximeno (vt Diodorus maluit) tandem ob pulchritudinem solam fuit absoluta, cùm tunicam à pectore diduxisset; interposito mox decreto, ne quis misericordiæ captandæ epilogis vteretur, tantum potuit fauor pulchritudinis, vt illam liberare potuerit, quòd quidẽ Hipperidis oratoris verba, quamquam admirabilis (vt scribit Quintilianus *lib.* 2. *cap.* 16.) efficere non poterant id, quod etiam Plutarchus tradidit in vita ipsius Hipperidis. Hæc sanè ea est, de qua Propertius ita cecinit.

Nec quæ deletas potuit componere Thebas
Phryne tam multis facta beata viris.

Aristoteles, referente Diogene Laërtio in eius vita C παντὸς ἐπιστολίου συστατικώτερον, hoc est, quauis epistola efficaciorem ad commendandum. Qua de re perillustre exemplum historiæ nostræ memoriæ tradiderunt. Cùm enim ad Elisabetham Reginam nostram quondam ingressus fuisset adolescens gracili corpore, & specie venusta, satis cum litteris commendatitiis magnatum, pro re quadam obtinenda, hunc in modum responsum accepisse fertur à Regina nostra prudentissima pariter, & sanctissima. Supersedere quidem potuisses à litteris cõmendatitiis, cùm ipsa tua pulchritudo per seipsam satis te reddat omnibus commendatum. Certè pulchritudo efficacior est ad commendationem quauis epistola. Theophractus eam appellauit σιωπῶσαν ἀπάτην, id est, *tacitam, seu silentem fraudem.* D quoniam sine verbis persuadet Socrates apud Platonẽ, *Modici temporis tyrannidem*, quod breui tempore per vim rapiat quæcumque velit sine vi. *Carneades Regnum sine satellitio.* nam eo pulchros distare à robustis aiebat Xenophon in cõuiuio, quòd robustum necesse sit laborare si velit bona acquirere; fortem periculis se obiicere; sapientem oratione vti; at pulchrum, vel in summo otio omnia conficere. Stobæus *serm.* 65. de laude pulchritudinis hæc refert ex Melancomio. *In primis equidem ipsum felicem existimo pulchritudine, quo inter humana bona maximè conspicua, & suauissima dijs est; hominibus gratissima, possidenti minimè molesta, cognosci facillima. Cætera enim bona in homine sita, vt fortitudo, prudentia latere* E *possunt, nisi opere aliquo demonstrẽtur: pulchritudo autem latere nullo modo potest, statim enim in possidenti apparet, aut etiam à principio celerem sui sensum exhibet. Ad hæc bonis quidem plurimi inuidẽt, & inimici redduntur, pulchritudo autem eos qui ita sentiunt amicos reddit, & neminem inimicũ sibi fieri permittit.* Diogenes speciosas Reginas appellabat, multos enim facere quæ præceperint, refert idẽ Stobæus *ibid.* & Plutarchus pro pulchritudine. Plato verò appellauit *naturæ priuilegium.* Nunquid conueniens erat tale deesse Christo priuilegiũ? absit. nónne meritò dicere possumus regnum Christi fuisse regnũ sine satellitio, & omnia sibi debellasse per summam vim sine vi. Certè id est, quod dixit Hieronym. suprà citatus. *Certè fulgor ipse. &*

maiestas diuinitatis occulta, quae etiam in humana facie A *relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Hinc Regius Vates *Psal.* 44. Christū Dominū quem veluti ducem accingentem ad praelium describit, robustum pariter, atque pulchrū nobis depingit. Non certè ad effigiem solùm iusti imperij (qood de Cyro illo à Xenophonte scripto affirmat Cicero *lib.* 1. ad Q. Fratrem) sed ad historiae fidem, *Speciosus* (inquit) *forma prae filijs hominum*; qoae ad coloris bonitatem, & venustatem oris simul, atque ad dignitatē, & magnitudinem animi, atque virtutē (quae, vt aiebat Poëta, gratior est, cùm è sepulchro corpore venit) referēda videntur. Polchrum autem corpus intelligo bene à natura constitutum, & appositum ad grauitatem, quae viros maximè decet, eos praesertim, qui duces in B praelio futuri sunt. Hic autē regius Vates Christum docem instruit, atque imperatorem sese accingētem in praelium tanto ardore animi, vt in vultus alacritate, & oris spiritu cerneretur. Adeò vt prae illo caeteri, quos populo suo praefecerat, Duces, non Duces, non Reges, non Imperatores, sed muta quaedam, & mania Ducum, Regum, aut Imperatorum simulacra, vmbrae quędam ad Solis conspectum euanescentes, Hypocritae qoales in coena Regum personas agunt, meritò videantur, *tu speciosus forma prae filijs hominum. El maslindo semblante & maslindo talle y mas gallardo brio de Capitan, que sia visto en los hombres.* Graeca ὡραῖος κάλλει, id est, vigens virtute, & virili dignitate decorus. *Mas de ver, que todos los que son de ver.* Quippe C speciosum illud est, qood aspectu suo plausus, & approbationes elicit intuētium; porrò nihil tam plausibile atque populare, quàm decorum. Decorum verò illud est ex Ciceronis sententia 1. *& 2. officiorum*, quod per se nobis placet, aoimósque omniū natura & specie sua commouet. *Hoc autem decorum confusum* (inquit Cicero) *cum virtute decorum est, sed mente, & cogitatione distinguitur.* Quòd autem fit in viro decorum ita explicat. Dignum viro decorū videtur, quod viriliter, animóque magno fit. Quare rectè Hieronymus ea Hebraeis ita latinè facit, *decore pulchrior es filijs hominum*, id est, in his quae verè viros, veréque homines decent diuinos, superior omnibus es, siue ad animum, siue ad corpus respicias (hoc enim viri- D lis grauitatis & dignitatis decorum est) illis odium diuinis virtutibus mirificè instructus es, quae nimirum hominem Dei verum filium decent. quas appositissimè Propheta persequitur, & ego lubens longa satis oratione decaotarem, nisi ad alia properandum foret.

Quintò & vltimò sententias nostras ea eo probare possumus, quia corpus Christi Domini Spiritus sancti virtute factus est, sed opera quae Deus per se ipsum facit, sunt pulcherrima, & perfecta; ergo tale fuit corpus Christi. Corpus enim Adam, eò solum quòd ab ipso Deo immediatè formatum est, fuit pulcherrimum, & optimè dispositum; potiori ergo ratione dicendum est de corpore E Christi.

Argumentis, quae pro contraria sententia adducta sunt, facilè responderi potest. Ad autoritatea S. Basilij, Tertulliani, & Clementis Aleand. respondemus nihil contra nos probare, non enim absolutè dicunt Christum non fuisse speciosum, sed in tempore passionis dumtaxat propter moerorem, & immanitatem cruciatuum. Imò potiùs hinc videntur supponere speciosum, & pulchrum antea. Post resurrectionem] autem indubitatum est pulchritudine mira enituisse Christum prae filiis hominum. Nam S. Thomas docet in resurrectione restitutam fuisse Christo Domino omnē pulchritudinem, quā antea habebat. ergo si restituta illi fuit, antea habuit. Quod autem addit Tertullianus noo ausuros milites sputa in Christum inijcere, nisi quia deformis erat, falsum est, siqoidem potiùs operuerunt oculos eius vt illud facerent. Locus aotē S. Cyrilli non negat Christum fuisse pulchrum, sed solùm fuisse diuitem.

Ad argumentum Medinae, in quo dicit Christum non fuisse adeò pulchrum, vt fuerunt Helena, Adonis, &c. Respondetur non fuisse in Christo hanc pulchritudinem foemininam, sed virilem, quemadmodum iam aduertimus.

Ad secundum dicimus, propterea Christum morbis caruisse, quia optimè temperamento, & proportione constabat, non quia deformis erat, alioqoin sequeretur monstrosos homines plus sanos esse.

Ad tertium in quo dicitur, nisi Christus fuisset robustus, non potuisset ferre tot cruciatus, respondemus, ideo illos valde sensisse, quia delicatissimus erat.

Ad quartum quod probat non posse constare in vno pulchritudinem & bonos mores. Respondetur hoc solùm posse esse verum, in illo qui habet passiones, atqoe in Christo hoc argumentum indignum est infinita sua sanctitate.

DISPVTATIO XXXV.

Scholastica.

Dvbivm Vnicvm.

An sit de fide hunc numero hominem esse Pontificem.



IFFICVLTAS haec tractari solet ex instituto ab Scholasticis in materia *de fide* 2. 2. *ad quaestionem* 1. & ab iis, qui disputant contra haereticos agentibus de dignitate Pontificis.

Et apud Catholicos certum est, esse non solùm temerarium, & scandalosum, sed errori proximum, negare, hunc numero hominem receptum sine controuersia ab Ecclesia ex electione, esse verum Pontificem.

Quaestio tamen est, an sit de fide istum esse Pontificem, ita vt cootrarium sit haeresis.

Et sanè ante Clementem V I I I. communis Scholasticorum sensus, praesertim eorum, qui scripta sua typis mandarunt, fuit, non esse de fide. & citantur à recentioribus ferè triginta autores ex diuersis Academiis Ecclesiae, in Gallia, Germania, Italia, Hispania, qui ita senserunt, vt omittam multos alios, qui ita docuernt io suis manoscriptis. Bellarmin. *libr.* 4. *de Pontific. cap.* 12. Canus ita docuit 6. *de locis, cap. vltimo*, quem vt magistrum secuti sunt religiosi doctissimi ea familia Dominicana, & Bañes, ita docuit Cani discipulus 2. 2. *ad quaestionem* 1. *in articulum* 10. *in prioribus commentarijs, dub.* 2. *ad* 1. & Vega, ex familia Franciscana, *libr.* 9. *in Tridentin. cap.* 39. & qui simul cum Cano interfuerunt Concilio Tridentino, vbi Patrum illius Concilij cognouerunt sententiam.

Et praecipuum argumentum pro hac sententia illud fuit quòd non appareat principium aliqood de fide certum, qoo probetur hunc numero hominem esse Pontificem ea certitudine fidei. nam licèt sit certum de fide, legitimum successorem S. Petri esse verum Pontificem, tamen quod iste numero

numero homo sit legitimus Petri sneceffor, so- A lùm videtur constare fide humana, & iudicio prudenti, quo iudicamns electionem illius fuisse legitimam.

Et eaplicari potest à simili, quia licèt sit de fide hostiam ritè consecratam continere verum corpus Christi; tamen quòd hæc numero hostia contineat corpus Christi, non est de fide absolutè, quandiu non constat esse legitimè consecratam.

Sed hoc tempore post Clementem VIII. communis sententia est esse de fide vnum numero hominem, v. g. Vrbanum VIII. esse summum Ecclesiæ Pontificem: loquuntur antem Doctores huius opinionis de homine recepto ab Ecclesia, vt Pontifice communi sensu, & sine vlla controuer- B sia. Præcipuum argumentum pro hac sententia est, quia ea contraria opinione sequeretur definitionem Pontificis circa doctrinam, & materiam fidei non habere sufficientem certitudinem, quia non esset certum definitionem illam procedere à vero Pontifice, & habente legitimam autoritatem ad definiendas, & declarandas res fidei. Ex quo dubio possent sequi plura absurda, & dubitationes animi etiam in hominibus piis, & bene affectis erga res Ecclesiæ. quam rationem fusè explicant aliqui recentiores. legantur P. Suarez in materia *de fide*, tractans hoc dubium, & alij non pauci, qui post Clementem VIII. scripsere. C

Mihi placet hæc posterior opinio, & ratio illius, quia quando homo receptus est ab Ecclesia sine vlla controuersia, recipit à Christo potestatem definiendi iurisdictionem in totam Ecclesiam ex Christi institutione, aliàs nihil esset firmum in Ecclesia ea determinatione, aut ordinatione Pontificis.

Et ideo non est necessarium quod existimauit P. Valentia, necessarium esse, vt hic homo definiat, vel faciat aliquid in ordine ad totam Ecclesiam, vt habeatur tanquam certus Pontifex, sed sufficit sola electio, & acceptatio Ecclesiæ sine vlla controuersia.

Et ex hac ratione soluitur ratio contrariæ opi- D nionis, quia in Sacramento Eucharistiæ non est aliquid in particulari certum, ea quo colligamus in hac numero hostia contineri Christum, certitudine fidei: at in nostro casu in homine sic electo est potestas definiendi & gubernandi totam Ecclesiam. Ex qua colligitur certitudo fidei hominem sic electum esse Pontificem.

Duo possent breuiter quæri, vnum est, an ante Clementem VIII. prima opinio fuerit probabilis. Alterum est, an post Clementem VIII. maneat probabilis.

Circa primum tempore Clementis ab omnibus ferè viris doctis Hispaniæ iudicata est ea opinio vel vera, vel valde probabilis, nullámque merens E censuram.

Circa secundum vnus, vel alter Doctor iudicauit non esse probabilem. Alij tamen communiter contrarium docuerunt, eo quòd non appareat vel damnatio Pontificis, vel prohibitio eius doctrinæ, vt vnusquisque ea principiis generalibus possit ferre iudicium. Ego verò iudico, hoc tempore non posse sine scandalo defendi rem non esse de fide.

DISPVTATIO XXXVI.

SCHOLASTICA.

DVBIVM I.

Quæ cognitio requiratur vt motus voluntatis sit peccatum.



NON disputamus modò de materia requisita ad mortale, vel veniale, sed de consideratione requisita ea parte intellectus.

Ochamus relatus à Corduba & ab Almaino infrà citandis, sensit omnem motum voluntatis esse mortalem, si materia mortalis sit, ipse enim non admittit peccatum veniale, nisi in motibus appetitus sentientis, sed placitum improbabile, quia non assignat rationem, ob qoam ex imperfecta consideratione motus aliquis, aliàs ex materia grauis non possit esse veniale; éstque contra communem sensum.

Secunda sententia est aliquorum qui dicunt, sufficere cognitionem virtualem, & hanc dicunt esse quando homo potuit & debuit considerare obiectum circa quod peccat. Hanc sequitur Gerson Alphabeto 33. *littera H.* citantur alij qui obscurè loquuntur, & solùm dicunt, ad peccatum requiri, & sufficere, vt quis teneatur aduertere. Hanc tamen opinionem defendunt multi ex recentioribus. Et probari potest, quia si esset necessaria expressa cognitio malitiæ, aut periculi, ferè omnes excusarentur sæpè à peccatis aliquibus. v. g. excusaretur is qui subitò, non considerata malitia, alterum percuteret: hoc autem concedere videtur absurdum.

Secundò, quia ex opposita sententia videtur sequi non peccare mortaliter illum qui non cogitat expressè de malitia mortali, quia aliàs non erit voluntaria illa malitia, & idem posset dici de veniali.

Tertiò sequeretur nullum peccare absque actuali reprehensione conscientiæ. nam qui amplectitur malum, quando intellectus actu considerat malitiam, ipsa consideratio est reprehensio. Consequens verò esse videtur contra illud Pauli 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

Tandem probari potest ex doctrina Patrum, qui frequenter docent, opera virtutis facienda esse cum magna consideratione, ne fortè, quæ bona putamus, malè fiant. de quo legi potest Gregorius *lib. 1. moral. cap.* 19. aliàs 59. *& lib.* 5. *cap.* 22. aliàs 23. *& lib. 9. cap.* 16. aliàs 25. Cassianus *collat.* 1. *cap.* 20. 21. *&* 22.

Verùm necessatiam esse aliquam considerationem malitiæ, vel periculi, ea qua possit aduertere is, qui peccat, docent manifestè multi Doctores, quos diligenter, vt solebat, & fideliter retulit P. Vasquez *disp.* 107. *cap.* 3. Alensis 2. *part. quæst.* 108. *mem.* 7. *&* 11. Barb. 2. *disp.* 27. *super* 2. *partem sext. &* 2. *part. distinct. articul.* 2. *quæst.* 2. Antonin. 2. *part. tit.* 5. *cap.* 1. Angelus *verbo cogitatio, mem.* 2. Syluester *verbo delectatio, quæst.* 1. Carth. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 1. *& in fine, verbo delectatio, & verbo consideratio.* Conradus *in artic.* 4. *huius quæstionis*, Alanus *tractatu* 3. *moral. cap.* 24. Angestus *cap.* 6. 5. *part. textus.* Petrus Soto *lection.* 10. *de discrimine peccatorum.* Corduba

lib. 1. quaest. 13. dub. 10. Hus & alios sequitur Pater Vazquez, quem sequitur P. Thomas Sanchez *in summ. lib. 1. cap. 1. num. 8.* & apertè eam docuit S. Thomas *quaest. 15. de veritate, articul. 4. ad 10.* & S. Thomam, & communem Theologorum sequitur Zumel *in has quaestione articul. 8. disp. 1. propositione 2.* eamdem sequitur P. Salas *ad quaestionem 76. tractatu 13. disp. 8. sect. 11. & num. 87.* ait contrariam sibi esse improbabilem, quae sententia à nobis explicata est.

Et mihi placet primò hominem peccare quando violat praeceptum, & tenebatur aduertere. Haec est multorum qui hoc modo loquendi vtuntur, & iam est plena, quia si tenebatur aduertere, poterat voluntariè non violare praeceptum, aliàs non teneretur.

Secundò dico, non teneri aduertere nisi habeat in intellectu aliquam cognitionem ex qua possit voluntariè fugere peccatum. Haec est manifesta, quia voluntarium supponit cognitionem aliquam, sine qua non posset voluntas operari.

Tertiò, haec cognitio debet esse obiecti, circa quod voluntas operatura est; aliàs non posset operari liberè circa illud, vt constat.

Quartò, necessaria est aliqua cognitio malitiae operis, aut periculi malè operandi; quia si horum obiectorum aliqua cognitio saltem sub dubio occurrat, non operabitur liberè circa obiectum cui est coniuncta malitia; quia nullum habet principium consultationis. Vnde optimè P. Vazquez *cap. 3. disp. 107.* ex S. Thoma *suprà quaest. 14. artic. 6.* & ex doctrina Arist. 7. *Ethic.* ad Eud. *in fine* colligit, quòd si in nobis non est praeceptum aliquod ad consultandum de malitia morali, operis non erit in nostra potestate de illa consultare, & ita neque erit nobis voluntaria; quia, vt constat ex doctrina de voluntario suprà *ad quaestionem 6.* voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione singulorum, in quibus est actio.

Quintò dico non esse necessariam ad peccatum mortale agnitionem expressam de malitia graui. Ita P. Vazquez *suprà cap. 3. & 5.* & ratio est, quia si occurrenti cogitatione, vel dubio malitiae homo operatur sine praeuio examine illius, manifestè exponit se periculo grauiter peccandi. Explicatur, quia ratio mortalis non est essentia peccati, sed consequitur essentiam moralis malitiae. Hanc nostram conclusionem sequitur P. Bañez suprà, & Zumel *disputat. citata, §. dubium tamen,* vbi refutat Victoriam, & alios contrarium asserentes.

Sextò affirmo aliqua esse peccata circa materiam externam, quorum obiecta vix moraliter possunt obiici Intellectui sine hoc quod obiiciatur operatio malitiae, aut periculi illius, vt experimento constat, & docuit P. Vazquez *cap. 5. ad 1.* quod intelligo de homine qui non amisit vsum rationis. Quis enim credat posse hominem committere fornicationem, & quòd illi non occurrat malitia illius, quod in hac materia maximè considerandum est.

Septimò dico ad hanc cognitionem malitiae non esse necessarium cognoscere an malitia sit privatio, vel positiuum, hoc enim & docti possunt discernere, sed satis esse agnoscere actus, vel omissionem esse contra aliquod praeceptum, vel legem.

Ex his constat non posse peccare mortaliter illum, qui non habet aliquam cognitionem malitiae, vel periculi. Quomodo differat cognitio requisita ad mortale ab ea quae sufficit ad veniale, infrà dicemus. Oportet satisfacere argumentis.

A

Ad primum constat ex dictis quando excusetur quis, aut non excusetur. Ad secundum iam diximus, & iuxta dicta dicendum est, Gentiles peccare saepe mortaliter, etiamsi non agnoscant expressè differentiam mortalis, & venialis, satis est enim si agnoscant malitiam moralem; neque autoribus secundae opinionis fauet exemplum Gentilium, quia illi non poterunt saepe considerare rationem mortalis hoc sensu. ergo non tenerentur aduertere; & tamen citati Doctores dicunt necessarium esse vt quis saltem teneatur aduertere.

B

Ad secundum respondet bene P. Vazquez nullum fieri peccatum absque aliquali repugnantia ea parte intellectus intuentis illud esse malum, saepe tamen fieri sine afflictione & cruciatu voluntatis. Quod verò dixit Paulus, *nihil mihi conscius sum*, nullus Patrum interpretatur de peccato à Paulo facto sine plena consideratione. Et ita explicandum est; quia quamuis factum fuisset cum plena cognitione, poterat subditum esse obliuioni. Et Paulum loqui de conscientia venialis, probat P. Vazquez infrà *disputat. 100. cap. 5.* Inde meritò docuerunt Patres cum magna consideratione nos debere operari, ne saltem in aliquo prauo sine opera nostra afficiantur & pereant.

C

Sed restant soluenda aliqua argumenta, quibus recentiores hoc loco putant se euidenter refutare communem illam tertiam opinionem quam secuti sumus.

Et primò obiiciunt, sequi ex nostra doctrina nullam esse inaduertentiam malitiae culpabilem, quia si requiritur actualis aduertentia, omnis inaduertentia excusabit à peccato. Respondetur, aduertentiam duobus modis posse dici culpabilem, vel quia ex culpa fuit orta, quia noluit aduertere praeuidens esse necessariam aduertentiam; vel quia ex inaduertentia alicuius obiecti, vel iustitiae, ex qua posset procedere ad consultationem, aliàs si esset inconsiderantia perfecta, excludens omne principium consultandi, non esset culpabilis.

D

Secundò obiiciunt, ex nostra sententia sequitur nullum esse peccatum mortale quod solùm sit ex malitia, quia peccatum ex malitia dicitur, quòd procedat ex certa scientia & aduertentia rationis. Sed hoc argumentum facile soluetur ex dicendia ad quaestionem 78.

Et dico, peccatum ex malitia dicendum quod fit ex pura consuetudine, & in eo qui peccat ex malitia, saepe solet esse leuis cogitatio, vt docet P. Vazquez *disputat. 128. cap. 5. articul. 13.* item iste non peccat ex passione, vt dicam infrà *disp. 19.*

E

Tertiò obiiciunt, peccatum potest esse cum ignorantia habituali; ergo cum inaduertentia actuali. Sed respondendum est, quòd licèt quis habeat ignorantiam habitualem, tamen non debet excludi aliquod peccatum actuale consultandi: & idem est de inaduertentia, propter assignatam rationem.

Quartò obiiciunt sequi ex nostra doctrina non esse peccatum sine remorsu conscientiae: sed hoc solutum est suprà *ad 1.* ex his quae proposuimus pro secunda opinione.

Quintò arguunt ab experimento, quia potest quis liberè operari, aduertens substantiam actus, & non

non considerare malum mortale ob prauam consulia3onem, uihilominus peccauit. Sed respondetur iuxta dicta, in aliquibus actibus externis vix puſſe hoc contingere, quòd si in aliquo actu interno euntingeret, non esset peccatum quando malitiæ non esset cognitio, neque dubium eius, aut periculi. Neque video quo modo contra nostram doctrinam possit sumi argumentum ab experientia.

Demum quòd recentiores dicunt sufficere ad consultationem cognitionem substantiæ, etiamsi non occurrat cogitatio de malitia, aut saltem dubium, mihi omnino displicet. Primò, hoc est difficile intellectu in aliquibus actionibus. Secundò, quia solùm occurrit cogitatio de malitia, aut dubium de illo, quo modo poterit voluntas moueri ad examinandum, an actus ille sit bonus, vel malus; semper enim inquisitio solutionis supponit dubij & quæstionis propositionem, vt ipso experimento manifestum est.

Vrgeo hoc modo, ad operandum per voluntatem necessarium est, vt aliquod bonum proponatur volenti, vt patet, vel ergo proponitur solùm vtile, vel solùm delectabile, & tunc actus non erit honestus, sed vitiosus; vel proponitur honestum tantùm, & tunc non poterit actus voluntatis esse peccatum; vel proponitur simul vnum obiectum delectabile, & aliud honestum, & tunc planè offertur cognitio malitiæ simul & honestatis. ergo nunquam est peccatum absque aliqua cognitione malitiæ. Dubio sequenti dicemus alia nonnulla, quæ conducere possint ad huius dubij exactiorem intelligentiam.

Dvbivm II.

Quomodo possit discerni cognitio sufficiens ad solum veniale à cognitione necessaria ad mortale.

PRobauimus non posse esse peccatum absque aliqua cognitione, restat explicare quomodo discernatur cognitio quæ sufficit ad veniale, ab ea quæ necessaria est ad mortale.

Angestus, Almaynus & Corduba citati dubio præcedenti, docent, duobus modis posse esse deliberationem imperfectam, vt sufficiat ad veniale, non ad mortale, vno, quando passione vehementissima ita turbatur ratio, vt tenue appareat rationis lumen ad iudicandum malitiam peccati. Altero, quando iudicium est imperfectum ex defectu cognitionis alicuius rei peculiaris; quia obiectum solùm apparet malum in genere, vel ex leui coniectura, & conformitate.

Verùm, vt diximus & probauimus dubio præcedenti, satis est cognitio malitiæ in genere, vt quis peccet mortaliter, quando aliàs non iudicat probabiliter materiam esse leuem, vt bene notauit P. Vazquez *disp. illa* 107. *cap.* 4.

Caietan. *in summ. verbo delectatio*, alio modo distinguit imperfectam considerationem sufficientem ad veniale, à perfecta requisita ad mortale, nempe vt imperfecta sit quando in vigilia ita quis aduertit leuiter, sicut ille qui nondum plenè videtur excitatus à somno. Perfecta verò, quando considerat sicut qui omnino excitatus est à somno. Qua ratione Nauarrus *in summa præludio* 9. dixit in semidormientibus & semiebriis posse esse imperfectam considerationem idoneam ad peccatum veniale, quod intelligi debet iuxta doctrinam traditam *dubio* 3. Ad probandum verò esse necessariam **A** perfectam cognitionem ad mortale, plures rationes solent afferri, de quibus legi potest Corduba *suprà*. Illa est manifesta, quòd peccatum mortiferum rumpit amicitiam Dei, & inducit reatum pœnæ æternæ, quod totum grauissimum est, & ideo grauem requirit considerationem. Ita philosophatur P. Vazquez *cap. illo* 4. & sequitur P. Thomas Sanchez *in summ. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. & mihi placet.

P. Valentia 1. 2. *disputat.* 6. *quæstion.* 4. *part.* 3. alio modo eandem rem explicat, nempe vt perfecta cognitio sit, quando intellectus cognoscit obiectum, cum illis circumstantiis, quibus moueri potest ab eo: secus quando illas non cognoscit. qui mo**B**dus placet etiam P. Thomæ Sanchez.

Ego verò faciliùs intelligo modum Caietani qui ab omnibus etiam indoctis & rusticis, potest percipi, ex eo quòd quisque in se ipso potest experiri.

Sed potest aliquis obiicere, qui habet cognitionem imperfectam, habet perfectam, vt possit pleniùs considerare. ergo illa imperfecta erit sufficiens ad mortale. Respondeo, illam leuem cognitionem non sufficere ad pleniùs, & perfectiùs considerandum, & ante liberum consensum voluntatis necessaria est ex parte intellectus cognitio perfecta ab extrinseco principio immissa, vt bene docent P. Vazq. *cap.* 4. *citato in fine*.

C Obiiciunt aliqui. Hæc deliberatio, quæ sufficit ad veniale, sufficit vt actus sit liber; ergo si materia sit grauis, erit mortiferum. Sed respondendum est eam deliberationem non sufficere vt actus sit liber libertate requisita ad mortale, ob rationem suprà assignatam.

Item obiicitur. Virtualis aduertentia sufficit ad mortale, sed in imperfecta cognitione quæ sufficit ad veniale, vt constanti virtute illa, quæ est requisita ad mortale; ergo. Aliqui concedunt virtualem cognitionem sufficere, negant tamen contineri in ea quæ sufficit ad veniale. Sed iam refutatum est à nobis quod dicitur de cognitione virtuali, & argumentum soluendum est sicut prima **D** obiectio.

Quartò potest obiici, si imperfectio cognitionis excusat à mortali; ergo imperfectio excusare poterit à veniali. Variè solet solui hoc argumentum: sed respondendum est, si verè maneat aliqua cognitio malitiæ, posse esse leuius veniale, non tamen omnino excusabitur, nisi quando nulla occurrit cognitio malitiæ, vel periculi, aut dubitatio saltem.

Ex dictis potest solui dubium, circa quod multum laborant aliqui recentiores, in explicando quo modo, & in quo excedat cognitio sufficiens & requisita ad mortale, cognitionem sufficientem ad veniale, an ex parte obiecti, vel ex par**E**te modi cognitionis. Et, vt constat ex his quæ in principio huius dubij retulimus, aliqui putant differre ex parte obiecti, quia senserunt necessarium esse cognoscere malitiam esse mortalem ad mortale.

Sed hoc nobis probatum non est. Et licèt possit reperiri hoc discrimen, tamen non est necessarium. Alij verò significant illas duas cognitiones differre ex parte obiecti, dum discrimen illorum referunt in agnitionem circumstantiarum aliquarum, quod non video sufficienter probari. Caietan. verò, P. Vazquez & alij, solùm videntur discrimen assignare ex diuerso modo perfectè, aut imperfectè cognoscendi, qui modus potest explicari ex aliquo in-

trinseco, & ex aliquo extrinseco illud est intensio claritatis maior, aut minor, hoc posterius est non habere impedimentum aliquod vel legationis sensus, vel alterius cognitionis, quæ alio trahat intellectum.

DISPVTATIO XXXVII.

THEOLOGICA.

DVBIVM VNICVM.

An in pura omissione possit esse meritum.



SENSVS dubij est de omissione qua quis omittit facere actum malum in ipsa voluntate, sicut eùm occurret obiectui tentatio de odio Dei, & homo omittit actum odij.

Dubium potest intelligi de omissione externa, & de omissione pura interna actus voluntatis. Et de prima non est difficultas, quia meritum potest esse in actu interno voluntatis, etiamsi nullus sit actus externus.

Secundò dubium intelligi debet secundùm opinionem asserentium posse dari puram omissionem in voluntate saltem pro breuissimo tempore. nam secundùm contrariam opinionem cessat dubium, C vel si concedatur omissio cum actu qui non sit causa omissionis.

In præsenti verò dubio dicere posset aliquis, non posse esse meritum in pura omissione; & probari potest, quia Doctores in materia de merito ad meritū, requirunt actum honestū & liberum, nullus autem facit mentionem de merito, in pura omissione. Item requirunt actus honestum ex obiecto formali, & similia in quibus manifestè indicant ad meritum requiri actionem aliquam.

Ex altera verò parte, si omissio pura est libera, non videtur causa ob quam dicamus non posse esse meritum in illa si adsunt cætera requisita.

D Pro explicatione notandum est, ad meritum esse requisitam gratiam, & facilè intelligitur, necessariam gratiam esse ex parte intellectus, nempe ad mouentem voluntatem, vt non faciat malum quando voluntas posset illud facere.

Difficilius est de gratia requisita ex parte voluntatis, de qua secundùm varias opiniones philosophandum est. nam qui putat, necessariam esse gratiam in voluntate ad actum liberum, putant illā esse ad omissionem liberam; qui verò dicunt sufficere cogitationem congruam ex parte intellectus, dicunt etiam sufficere ad omissionem liberam.

Difficultas est, an talis omissio sit honesta, quia secundùm se solùm est carentia actus contrarij, & E posset esse ex sua specie indifferens es se: vnde videtur non posse habere rationem honesti, nisi ex voluntate superaddita, hoc est, ex actu voluntatis ordinantis illam in finem honestum.

Nihilominus posset aliquis dicere eam omissionem esse honestam quantum est in ratione omissionis, quia est negatio actus inhonesti.

Item dici potest velle honestatem ex virtuali volitione. quod explico, quia potentia ex parte intellectus aliquam rationem honesti proponit voluntati, ne faciat actum malum. ergo si actu verè omittit, est ibi virtualis volitio honesti, quæ videtur sufficere ad meritum.

Quod explicatur ampliùs, quia negare non pos-A sumus perseuerantiam cognitionis in intellectu, posse esse voluntatem ex eo quòd voluntas eùm possit non diuertit intellectum ad aliam cognitionem.

Item si non est honesta hæc omissio, non erit ad illam necessaria gratia.

Sicut actus non requirit gratiam quando ex obiecto suo non est honestus: ergo neque omissio.

Item certum est in pura omissione libera actus præcepti, esse demeritum, quod est peccatum: ergo in omissione libera actus mali erit meritum.

Dices, actus non potest esse nisi ex obiecto formali, sicut honestus: ergo neque omissio. Respondeo esse discrimen, quia omissio non potest esse alio modo honesta, nisi quatenus est negatio actus B inhonesti.

Propter hæc satis probabile videtur, in pura omissione volūtatis supposita gratia ex parte intellectus posse esse meritū modo explicato, propter volitionem virtualem circa cognitionem honestam.

Et ex hoc potest solui quod adducebatur pro contraria parte; præsertim, quia Doctores non fecerunt specialem mentionem huius dubij.

Quod verò attinet ad omissionem externam, certum est in illa posse esse meritum ex actu interno liberæ voluntatis, si alia concurrant necessaria ad meritum.

DISPVTATIO XXXVIII.

THEOLOGICA MORALIS.

DVBIVM VNICVM.

An possit reseruari peccatum in dubio, an sit mortiferum, vel non, in materia aliqua determinata.



DE hoc disi in materia *de pœnitentia* iam olim: sed quia postea non defuit vnus, vel alter recentior, qui audacter sentiret contra communem opinionē, placet hoc loco referre communem sensum Doctorum, & dicere multos viros doctos de hoc dubio interrogatos sensisse placuisse asserentium non esse obligationem confitendi peccatum mortiferum in dubio, esse dignum grauissima censura.

Conclusio autem est, tale peccatum potest reseruari.

Hanc conclusionem tenet expresse Armilla *verbo casus n.* 13. Corduba *in Regulam S. Francisci*, c.794. Frias *tractatu de modo audiendi confessiones* 2. *parte cap.*8. *casu* 2. & P. Enriquez *lib.*6. *de pœnit. cap.*14. *in commentar. circa* §. 6. *littera G.* P. Thomas Sanchez manifestè supponit *libr.* 1. *summa*, *cap.* 10. *num.* 74. & supponunt etiam Doctores, qui sentiunt de facto E in reseruatione non intelligi peccatum dubium, nullus enim hoc probat, quin non posset reseruari, sed quia res est odiosa, & restringenda.

Intelligentiæ & confirmationis gratia ponendum est, certum esse apud Doctores, esse obligationem confitendi tale peccatum, ita docuit P. Suar. *de pœnitentia*, *disp.*22. *sect.* 9. cum multis aliis, quos *ibidem* citat, & P. Enriq. *lib.* 5. *de pœnit. c.*4. §. 5. P. Thomas Sanchez *in summa*, *lib.*10. *cap.*10. *num.*66. qui citat multos Theologos, Iuristas & Summistas, & est reuera communis Doctorum.

Et esse sensum communem Doctorum, colligitur ex his, quæ docent Doctores in materia *de pœnitentia*, agentes de integritate confessionis. Deinde

id

id colligitur ex doctrina quam tractaui in materia *de conscientia*. Docent enim in dubio facti tutiorem partem esse eligendam. ergo cùm sit præceptum diuinum de confitendis omnibus mortalibus, occurrente dubio, an quis commiserit peccatum mortale, erit obligatio confitendi illud. Immò ex hoc sumitur ratio prædictæ veritatis, quia supposito præcepto diuino de confitendis omnibus peccatis mortiferis, manifestè exponitur quis periculo violandi illud, si non confiteatur peccatum mortiferum sub dubio. Et tamen ex confessione illius nulli periculo exponitur, vt ponimus.

Et ex hac doctrina colligitur non esse materiam liberam confessionis, sicut est peccatum veniale, & oppositum est contra communem sensum Doctorum & fidelium, & in praxi non esset tutum non confiteri illud, sed potiùs esset periculosum, & contra bonos mores.

Secundò colligitur hominem habentem tale peccatum non posse absolui à simplici Sacerdote qui potest absoluere à venialibus.

Tertiò colligitur ad absoluendum hunc hominem esse necessariam iurisdictionem quæ requiritur ad absoluendum hominem habentem peccata mortifera certa, id est, quæ scit se certò commisisse & esse mortalia. Et ex his omnibus concluditur posse superiorem eo modo reseruare absolutionem huius peccati, quo potest reseruare absolutionem aliorum mortalium quæ pœnitens agnosceret certò esse mortalia, & à se commissa, nempe, quia cùm pœnitens sit subditus superiori, non vult superior talem pœnitentem subiicere tali, vel tali Sacerdoti, vt absoluatur à tali, vel tali peccato; sed absolutionem eius reseruat, iuxta communem doctrinam autorum in materia *de pœnitentia*, qui dum dicunt, reseruationem peccati non intelligi de peccato, in dubio intelligendi sunt quando eius peccati reseruatio expressè facta non est, & planè supponunt fieri posse.

Et ex his infertur rectè potuisse nostrum P. Generalem reseruare peccatum detractionis in dubio, quæ reseruatio facienda est iuxta formam traditam à Clemente octauo pro peccatis reseruandis in Religionibus.

Sed posset aliquis obiicere, hoc peccatum in dubio sine aliis peccatis certò cognitis non posse subiici clauibus per confessionem ob periculum ne fiat irritum Sacramentum, si absolutio cadat supra id quod peccatum non est, vt ex communi Doctorum sententia docuit P. Suarez *loco allegato*. Ergo ad absolutionem talis peccati non requiretur iurisdictio per se, sed remittetur ad remissionem aliorum: ergo poterit simplex sacerdos absoluens hominem à veniali absoluere hominem habentem tale peccatum mortiferum in dubio: non ergo erit necessaria alia iurisdictio, si non est necessaria ad absoluendum à venialibus; & sicut venialia ex communi doctrina non possunt reseruari, ita neque prædictum peccatum mortiferum in dubio. Respondetur ex doctrina tradita esse obligationem subiiciendi clauibus per se tale peccatum, licèt non solùm, sed cum aliquo alio certo, & ad solutionem eius necessariam esse iurisdictionem, quæ necessaria est ad absolutionem alterius peccati mortiferi certò cogniti, aliàs decepti essent omnes Doctores, existimantes esse obligationem confitendi tale peccatum. Ex eo ergo, quia tale peccatum non posset sine aliquo alio subiici clauibus, non rectè colligitur hominem non obligari ad illud confitendum, & illud peccatum esse materiam liberam, vt constat ex dictis.

Ex eo autem quòd tale peccatum non posset sine aliquo alio, subiici clauibus, aliqua restant explicanda in materia *de pœnitentia*. Vnum est, an si tempore præcepti, vel necessitatis homo non recordaretur alicuius peccati mortalis certò cogniti, obligaretur homo ad confessionem alicuius vlteriùs peccati venialis, vel mortalis iam confessi, non deficeret certa materia absolutionis. Et ego existimo esse talem obligationem, non quia per se sit obligatio confitendi venialia, vel mortale, iam confessa, sed per accidens ne fiat irreuerentia sacramentalis.

Alterum est, an data hypothesi quòd homo nullum aliud haberet peccatum, posset tamen illud confiteri vrgente præcepto. Et casus quidem in hoc statu non est naturaliter possibilis, cùm certum sit hominem habere peccata venialia. Quòd si admittatur casus, dici potest, vel talem hominem non absolui absolutè & sine conditione propter periculum sacramenti. Deinde posset aliquis dicere, vrgente præcepto, vel articulo necessitatis posse hominem illum absolui sub conditione implicita, quæ licèt sine causa non possit addi formæ sacramenti: tamen ex causa vrgente, & circa sacramentum necessarium necessitate medij, non videtur contra rationem. ita docuit P. Thomas Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10. num. 70.* Gerson *Alphabeto 41. litt. F. versu quæritur de dubius*. Addo, quòd si fuerit certum, esse peccatum veniale, poterit absolui absolutè & sine conditione, quia ex ea parte est materia certa; ita Thomas Sanchez *vbi proximè*.

Ex his quæ hactenus retulimus, satis constat meritò viros doctos huius ætatis docuisse placitum illud asserentium non esse obligationem confitendi peccatum mortiferum in dubio, nec posse reseruari, dignum esse grauissima censura. quia non solùm est contra communem opinionem Doctorum, vt vidimus; sed etiam contra communem sensum Ecclesiæ in re grauissima.

DISPVTATIO XXXIX.

MORALIS.

DVBIVM I.

An sit licitum iuramentum de defendenda doctrina vnius partialis autoris.



VBIVM potest intelligi & de iuramento facto à pura persona, & de iuramento facto propter statutum aliquod factum ab aliqua communitate; & satis constat, quæstionem esse de iuramento promissorio.

Circa priorem partem certum esse debet, non posse fieri tale iuramentum, si Doctor ille habeat opinionem aliquam, quæ aliquam censuram mereatur, tale enim iuramentum esset contra honestatem de re illicita.

Difficultas est, an obliget iuramentum, quando aliqua opinio illius Doctoris ab omnibus iudicetur improbabilis, etiam ab eo, qui facit iuramentum.

Et in hoc casu existimo, non esse licitum iuramentum explicatum, quia si opinio sit in materia pertinente ad mores, esset iuramentum de re illata, quia in praxi in materia morum, non est licitum amplecti opinionem improbabilem, iuxta eundem sensum in tractatu *de conscientia*. Si verò opinio sit purè circa materiam speculatiuam & philosophiam, existimo iuramentum hîc etiam esse illicitum, quia

est de materia impertinenti, & quæ vix potest habere finem huiusmodi, & maximè si iurans haberet officium docendi. nam iste tenetur, per se loquendo, ratione officij ad docendam doctrinam saltem probabilem.

Remanet ergo difficultas, an possit quis iuramento seipsum obligare ad amplectendam doctrinam vnius Doctoris, quæ esset saltem probabilis, licèt non iudicetur probabilior.

Et in hoc sensu existimo tale iuramentum posse esse licitum, quia materia potest ordinari in bonum finem, nempe in vtilitatem iurantis, & regulæ, aut promittentis, vt iurans maiorem vtilitatem accipiat in acquirenda scientia, & laboret in explicando illo Doctore; quod poterit cedere in bonam causam, vt ipsa disputatione & controuersia quæstiones aliquot explicentur & defendantur, & tandem probabilitas vtriusque, vel maior probabilitas vnius illorum cognoscatur.

Hæc verò doctrina intelligenda est, per se loquendo, & seclusis aliis circunstantiis scandali, aut nimiæ contentionis in defendenda tali doctrina; in his enim circunstantiis contingeret peccatum aliquando leue, aliquando graue.

Ex quo intelligitur validum esse iuramentum quod quis faceret, se defendere doctrina probabiliori, & magis pia, præsertim quando cederet in Ecclesiæ & fidelium ædificationem.

De obligatione huius iuramenti, & dispensatione illius philosophandum est circa principia generalia, tradita à nobis in materia *de iuramento*.

Notandum verò est posse cessare huius iuramenti obligationem ex mutatione rerum, & circunstantiarum, v.g. si Ioannes ingrederetur religionem in qua esset iustum statutum defendendi doctrinam alterius Doctoris, liberaretur qui iurauit ab obligatione iuramenti facti in sæculo quandiu permaneret in ea religione, quòd si ab ea discederet, posset reuiuiscere prior obligatio iuramenti facti ante ingressum religionis.

Item posset liberari ab hac obligatione si vellet in aliqua Academia gradum Doctoris, aut Magistri suscipere, & passurus esset graue damnum honoris si talem, vel talem opinionem illius autoris defenderet, tunc enim ratione damni imminentis excusaretur ab obligatione prioris iuramenti.

Dubium II.

An sit licitum statutum in aliqua religione de defendenda doctrina alicuius Doctoris.

Satis constat & vsu receptum est in aliquibus religionibus fieri statutum defendendi doctrinam alicuius Doctoris, & non potest dubitari quin tale statutum licitum sit, quod fit à religiosis doctissimis & iustissimis.

Notandum verò est hæc statuta esse intelligenda iuxta dicta suprà de opinionibus quæ sunt probabiles, & nullum merentur censorem, nihilque contineat contra doctrinam Ecclesiæ.

De statuto religionis huius, vel illius in particulari disputent religiosi illius religionis, qui illud agnoscant, ego de regula nostræ Societatis dicam.

In regulis Professoris Theologiæ scholasticæ est regula secunda talis.

Sequantur nostri omnino in scholastica Theologia doctrinam sancti Thomæ, eùmque vt Doctorem proprium habeant, ponántque in eo omnem operam vt autores erga illum quàm optimè afficiantur, A non se tamen sancto Thomæ affectos esse debere intelligatur, vt nulla prorsus in re ab eo recedere liceat, cùm illi ipsi qui se Thomistas maximè profitentur, aliquando ab eo recedant. Neque arctiùs nostros S. Thomæ obligari par sit, quàm Thomistas ipsos; & additur statim,

Ergo de conceptione Mariæ, ac de solemnitate votorum, sequantur sententiam, quæ magis hoc tempore communis est, magisque recepta apud Theologos.

Et vlteriùs additur in regula: In quæstionibus merè philosophicis, aut etiam in his quæ ad Scripturas & canones pertinent, licebit sequi etiam alios, qui eas facultates magis ex professo tracta- B uerunt.

Rursus dicitur, si quando vel maligna fuerit S. Thomæ sententia, vel in his quæstionibus quas S. Thomas fortè non attigit, & Doctores absolut non consultent, licebit quamcumque partem sequi, hæc in regulis citatis.

Notandum verò est primò, primam partem desumptam esse ex quarta parte nostrarum constitutionum *cap. 14. §. 1. & ex 15. congregatione generali, canone 9. ex decreto 55. & 72.* Deinde exceptiones additæ desumptæ sunt ex *5. congregatione, decreto 55. & 72.* Item quod dicitur de mente sancti Thomæ ambigua, desumptum est ex S. August. *decreto 55.*

Notandum etiam est prædictas regulas esse lici- C tas, & rationi maxime consentaneas. Et primò licitum est quod dicitur de defendenda doctrina S. Thomæ, in quo Doctores & lectores Societatis nostræ laborent non solùm in Hispania, sed etiam in Italia, Germania, Gallia, & apud alias nationes, etiam apud Indos, & apud plures barum nationum ante Societatem non multum defendebatur S. Thomæ doctrina. Quòd verò aliqui putant nostros recedere sæpe à S. Thoma, parum habet probabilitatis, quia, vt agnoscunt viri docti, in illis rebus non recedimus à S. Thoma benè intellecto, sed etiam à Thomistis, qui etiam ipsi inter se ipsos pugnant.

Item valde consentaneum rationi est, vt in con- D trouersia de conceptione Virginis sequatur nostra Societas communiorem opinionem, & similiter in controuersia de solemnitate voti: præterea quæ de nostris votis simplicibus post biennium emissis in Societate tradiderunt summi Pontifices, vt fusè explicuimus in materia *de voto*.

Præterea nullus negare potest, insignes etiam & doctissimos Thomistas aliquando recedere à S. Thoma, quod viri docti agnoscunt, & quisque mediocriter in eorum lectione versatus intelliget facilè.

Vlteriùs vbi est dubia & ambigua mens S. Thomæ, de qua etiam inter Thomistas est quæstio, consentaneum rationi est, vt sicut Thomistæ possunt variè explicare S. Thomam, possint etiam Doctores E nostræ Societatis illum explicare, præsertim illustres illi Theologorum magnates, Petrus Canisius, Franciscus Turrianus, Bellarminus, Molina, Vazquez, Suarez & alij soli tempore posteriores. Possunt nostri explicare mentem Augustini, & Hieronymi: poterunt ergo explicare mentem S. Thomæ, quod planè cedit in honorem S. Thomæ, præsertim cùm prædicti Magistri ad id non sint obligati.

Sed non desunt qui dicant, euerti doctrinam S. Thomæ, si non explicatur vt explicatur ab his, qui se Thomistas profitentur: hoc autem nec probant, nec probare possunt. quia si non est clara, sed dubia mens S. Thomæ, & doctissimis viris Dominicei ordinis licet illam variis modis explicare, nulla est causa, ob

ob quam idem non liceat sapientissimis viris aliarum religionum, neque Thomistæ habent infallibilem autoritatem in explicanda S. Thomæ mente.

Itam circa mentem Augustini, vel aliorum Doctorum Ecclesiæ, variæ sunt Catholicorum & sapientissimorum hominum sententiæ, neque ob hanc causam dicitur euerti doctrina Augustini.

Neque doctrina Scoti censetur euerti, si aliqui extra religionem S. Francisci Scotum explicent vbi mens est dubia.

Dubium III.

An in aliqua vniuersitate sit licitum iuramentum de defendenda doctrina alicuius Doctoris.

IN hoc dubio obseruanda sunt, quæ diximus *dubio* 1. nam certum est non esse licitum iura- A mentum de defendenda doctrina, vel damnata ab Ecclesia, vel quæ mereatur censuram aliquam pertinentem ad officium sanctæ Inquisitionis.

Item non obligat iuramentum de defendenda opinione alicuius Doctoris, quando non ab omnibus iudicatur improbabilis in materia pertinente ad mores.

Item tale iuramentum fieri non potest in Vniuersitate, vbi secundùm constitutiones illius confirmatas autoritate Pontificis sunt designati alij Doctores legendi in hac, vel illa Cathedra.

Rursus autoritate Vniuersitatis sine consensu Pontificis non potest obligari ad defendendam doctrinam alicuius Doctoris, vt consequatur gradum Doctoris, vel Magistri, quia isti gradus dantur autoritate Pontificis.



SELECTA



SELECTARVM

Diſputationum in Theologiam Scholaſticam, Poſitiuam, vel Moralem,

PARS SECVNDA.

DISPVTATIO I.

THEOLOGICA MORALIS.

DVBIVM I.

An ſit conueniens quotidie ſumere Euchariſtiam.



A LIQVI recentiores Theologi *tractatu de hac re*, ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, hoc tempore viribus contendunt, conueniens eſſe quotidie ſuſcipere hoc ſacramentum, & loquuntur de qualibet perſona cuiuſuis ſtatus; & ad hoc probandum afferunt certam doctrinam, nempe ad communicandum, vt ſuprà diximus, nullam aliam requiri diſpoſitionem niſi ſtatus gratiæ, & confeſſionem, in eo, qui mortale peccatum commiſit, in quo probando, non eſt immorandum. Id enim S. Thomas docuit multis in locis, ſed præcipuè *quaſt. 80. art. 7.* Tridentin. *ſeſſione* 13. *cap.* 7. & D. Paulus 1. *Corinth.* 11. non ſolùm poſtulauit probationem, quod de probatione per confeſſionem intelligit Tridentin. ex traditione Eccleſiæ.

Expendunt verò citati recentiores, D. Paulum dixiſſe, *probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, quaſi nihil poſtulauerit aliud, præter confeſſionem; ergo non vult Paulus, vt quis expectet magnam perfectionem, aut ſtatum ſanctitatis proprij profectus: vnde qui poſtquam contulit alicui beneficium abſolutionis, hortatur illum, aut præcipit, ne ſumat Euchariſtiam, videtur (inquiunt) contradicere Paulo Apoſtolo, & ita inferunt, iubet contra conſilium ſuperioris.

Secundò arguunt, ex capite, *ſi non ſunt, de conſecratione, diſt.* 2. vbi dicitur, *ſi non ſunt tanta peccata, vt excõmunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare*; & putant eſſe verba Hilarij.

Tertiò citant Gregorium *lib.* 2. *epiſtola* 26. ſicut, exigente culpa, quis à Sacramenti communione dignè ſuſpenditur, ita infantibus nullo modo talis debet irrogari, &c.

Quartò citant Auguſtinum *ſermone* 28. *de verbis Domini*, dicentem, *Qui non meretur quotidie, non meretur poſt annum accipere.*

A Ex his principiis contendunt inferre, valde eſſe conueniens, vt Confeſſores exhortentur quemlibet, cuiuſcunque ſtatus, vt præmiſſa confeſſione, quam poſſit frequenter ſuſcipiat hoc Sacramentum, & quotidie ſi poſſit. Probatur primò ex verbis Chriſti Lucæ 6. *Panem noſtrum quotidianum*; quem locum de Euchariſtia intelligunt Patres, Hieronymus, *in caput 6. Matth.* Auguſtin. *ſerm. 28. de verbis Domini, tract. 21. cap. 11. & de bono perſeuerantiæ c.* 24. Cyprian. *tract. de oratione Dominica.* Chryſoſtomus *homil. 9. ex variis in Matth. tomo 2. & tomo 15. homilia de oratione Dominica*, & alij: ergo cùm docet Chriſtus nos orare ſic, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, planè hortatur nos ad quotidie communicandum.

Et ideo Ambroſius *lib. 5. de Sacramentis, cap.* 4. ait, ſi quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quotidie accipe, vt quotidie tibi proſit. Secun- B dò Auguſtinus *ſermone 28. de verbis Domini*, ſi quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit, ſic viue vt quotidie merearis accipere. ergo his Patribus contradicunt qui hortantur ad non communicandum hodie, illum qui dignè heri communicauit, & hoc afferunt circa primum teſtimonium Scripturæ.

Secundum teſtimonium Scripturæ ſumunt ex cap. 2. Actorum, *erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*; qui locus ſecundùm veriorem ſenſum de communicatione Euchariſtica quotidiana eſt intelligendum, iuxta phraſim Pauli 1. ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nónne participatio eſt corporis Domini.*

Tertiò principaliter argumentantur, ex Concil. Tridentino, *ſeſſione* 22. *cap.* 6. ſancta Synodus vt in C ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed etiam ſacramentali perceptione Euchariſtiæ communicent, & ne aliquis velit prætextu irreuerentiæ prohibere, ne fidelis aliquis alicuius ſtatus quotidie ſumat Euchariſtiam; citant declarationem Cardinalium Congregationis, 4. volumine deciſionis Rotæ in declaratione *ſeſſionis* 22. Concilij Tridentini, Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora, vt & dies Dominicas, quartam, & ſextam feriam, in quibus tantùm liceat viris laicis coniugatis, & negotiatoribus, & mulieribus, & non coniugatis ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, etiam ob irreuerentiam quam poteſt quotidianæ ſumptioni huius Sacramenti, in ſua diœceſi ponere. Et ratio huius deciſionis aſſignatur ibi, quia adſtantes antiquitus in Miſſa, omnes ſumebant Euchariſtiam, &

ita

ita est licitum quotidie communicate. *c. quotidie, de consecrat. dist.* 2.

Quartò principaliter probant ex Patribus exhortantibus ad sacramentalem communionem frequentem, ita Ignatius *epistola ad Ephesios*, Basilius *ad Cæsariam patritiam*, Ambrosius 5. *de Sacramentis c.* 4. Cyprianus *lib.* 1. *epistol.* 2. *ad Cornelium*, Bernard. *sermone de cœna Domini*, qui incipit, *Hi sunt dies*, & ad id mouentur Patres propter fructos ingentes huius Sacramenti, propter quos recentiores isti contendunt conueniens esse, quotidie communicare, præmissa confessione mortalis, si commissum est.

Ratione etiam confirmatur, quia sola dilatione temporis nullus meliùs disponitur ad hoc Sacramentum, & ita si quis non vacet variis operibus, non est cur differatur susceptio Eucharistiæ, quin potiùs per illam euadet melior, & percipit fructus, & auxilia illius ad vincendas tentationes, & implenda præcepta, & bene operandum.

Sed hæc doctrina ita vniuersè intellecta mihi videtur contra omnes Doctores Scholasticos. S. Thomas *hic art.* 10. & omnes interpretes eius, qui expressè docent, non esse quotidie communicandum, propter indispositionem, quæ est ex parte sumentis. Legantur recentiores Thomistæ *in articulum* 10. P. Suarez *hic disp.* 69. *sect.* 4. Vnde existimo prædictam sententiam non posse sine temeritate defendi, quæ est contra Doctores Scholasticos communiter, & contra Ecclesiæ vsum, & præceptum. Imò in Diœcesi Toletana est ordinatum ab Illustrissimo Cardinali D. Bernardo de Sandobal, vt id non permittatur; & ratio sumenda est ex indispositione quæ frequenter contingit circa animam, vel corpus. Vsus etiam Religionum fauet huic doctrinæ, in quibus Religiosi non Sacerdotes non sumunt Eucharistiam quotidie, sed statis diebus, non dico non fieri statutum pro omnibus, vt quotidie communicent, sed neque concedi facultatem illis à Prælato, vt quotidie sumant Eucharistiam: quanto igitur minus id est concedendum coniugatis, & laicis, variis temporalibus negotiis distractus. De hac materia doctè hac ætate scripserunt & prudenter aliqui recentiores nostræ Societatis.

DVBIVM II.

Ponitur vera sententia aliquibus dictis partita.

VT verò rem totam explicemus,

Primò dicendum est, antiquitus fuisse vsum in Ecclesia, quotidie communicandi omnes qui Missis præsentes astabant, vt à nobis alibi dictum. Ex quo constat id quod dicit P. Suarez *sect. citata*, & recentiores Thomistæ *in art.* 10. non esse iure diuino prohibitum, quotidie communicare.

Secundò dicendum est, non est prohibitum iure positiuo communi Ecclesiastico quotidie communicare. ita docent citati Doctores pro conclusione præcedenti, nullum est enim tale ius. dixi *communi iure*, quia in diœcesi Toletana dicitur esse prohibitum laicis.

Tertiò per se loquendo magis conueniens est, frequenter, quàm rarò communicare. hanc docent citati Doctores, & probant allata pro prima opinione, & videtur consentaneum S. Thomæ doctrinæ *in hoc art.* & expressè docet 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. vbi dicit esse communem Scholasticorum.

Quartò tamen dicendum est, non esse conueniens, nec vtile omnibus laicis, communiter concedere communionem quotidie sumendam. hanc confirmant quæ attuli pro secunda opinione S. Thomæ, & Scholasticorum.

Quintò dicendum est, si consideretur Sacramentum secundùm se, vtile est quotidie ipsum sumere. Ita S. Thom. *in corpore*, & hìc explicat verba Ambrosij citata pro prima opinione, & sic intelligenda sunt alia: sed hortantur Patres ad dispositionem conuenientem, & sic intelligit S. Thom. verba Augustini, *sic viue, vt quotidie merearis accipere Eucharistiam.*

Ex quarta autem conclusione solui possunt omnia testimonia quæ recentiores adducunt pro prima sententia, explicanda enim sunt, sicut S. Thomas explicuit testimonium Ambrosij, vt velint, ex parte corporis Christi id esse conueniens: si tamen ex parte nostra sit dispositio necessaria, vtrùm reuerentia debita suscipiatur.

Deinde ad tria priora argumenta in principio posita respondetur, illis rectè probari dispositionem necessariam ex præcepto esse statum gratiæ, & confessionem præmittere, si sit mortale peccatum commissum, quod non negamus; sed cùm hoc fieri potest, vt non sit conueniens laicis, sumere Eucharistiam quotidie, propter assignatam rationem.

Deinde ad primum principale, ex testimonio Scripturæ Lucæ 6. *Panem nostrum quotidianum*, respondetur ex dictis, totum illud esse verum, si sermo sit de Eucharistia secundùm se, si ex parte sumentis esset dispositio ad dignè quotidie communicandum. Et idem respondetur ad secundum testimonium Scripturæ.

Ad tertium, fatemur ea verba Concilij Tridentini, *& desiderium sanctæ Synodi*, oriri ex amore erga fideles, & eò tendere, vt fideles ita disponantur, vt mereantur quotidie communicare, iuxta doctrinam Patrum.

Ad decretum verò congregationis Cardinalium, respondent.

Primò aliqui, eam fuisse opinionem Cardinalium aliquorum, quibus tamen sæpe viri docti contradicunt.

Secundò alij respondent, non satis constare de certitudine eius responsionis, vel de quæstione proposita, & sensu illius, desumpta est enim ex quodam manuscripto Iurisconsulti cuiusdam, vt dicitur in titulo illius editi Lugduni anno 1590. neque esse credibile contra certum sensum illius, aliquid post illum statutum fuisse in peculiaribus Diœcesibus.

Tertiò respondetur, quòd videtur contra Concilium determinare Episcopum certos dies communionis, quia sancta Synodus desiderat, vt in singulis mensibus quotidie sumant fideles Eucharistiam, & in hunc sensum aptanda sunt, aliàs non obstaret Concilium Tridentinum, hoc enim non agebat de quotidiana consuetudine sumendi quemlibet Eucharistiam.

DVBIVM III.

Ponuntur quædam notabilia circa præsentem difficultatem.

CIrca materiam huius notandum est. Primum, non esse vllo modo admittendum, quod prædicti recentiores docuerunt in solutione quartæ obiectionis, postquam absolutus est pœnitens, non esse illi curandum de Sacerdote, si dicat ei vt non communicet. Hæc enim doctrina periculosa est, & perniciosa in moribus, & contra communem sensum Patrum,

Patrum,& Doctorum, qui docent, optimum consilium esse, vt pœnitens faciat, quod doctus, & pius Confessor ei consuluerit.

Item omnino refutandum est, quod vltimo §. eius tractatus docuit, ita facile posse aliquem disponi ad communionem, vt etiam si habeat conscientiam peccati mortalis, possit iter faciens ad Ecclesiam à domo sua examinare seipsum, & in Ecclesia confiteri, & statim sumere Eucharistiam: quod audacter dicitur, & parum religiosè.

Sed obiiciunt, ex dilatione temporis in recipienda Eucharistia, potius hominem reddi minus aptum ad illam recipiendam, quàm si quotidie communicetur; ergo. Respondent Doctores secundæ opinionis, non probare dilationem, sed ad frequentiam requirere dispositionem, iuxta illud Augustini suprà, *sic viue, vt quotidie merearis Eucharistiam accipere.* Item Patres spatium temporis requirunt, vt in eo homines vacent bonis operibus, vt possint frequentiùs communicare. Et ita argumentum factum parum probat contra communem opinionem, & ita constat ad rationem allatam suprà pro prima opinione.

Quantum verò frequens debeat esse communis Eucharistiæ vsus, ex circunstantiis personarum iudicandam est, de quo legi potest Augustinus *epistola ad Ianuarium*, & Pseudo-Augustinus *de ecclesiasticis dogmatibus cap.* 53. interpretes *in hoc loco*. F. Antonius de Molina *de Instructione Sacerdotum, tractatu* 7. c. 6. Hispano idiomate scripto.

DISPVTATIO II.

POSITIVA.

Quomodo sit intelligenda parabola de thesauro abscondito, Matth. 13.



AD hoc dubium explicandum videndum est, an qui scit esse thesaurum in agro alieno, possit communi pretio agrum emere.

Notandum verò est in parabolis, non esse necessarium explicare omnia, quæ assumuntur, vt docuit Chrysost. *homilia* 16. *in epistola ad Romanos*, Salmeron *tom.* 7. *tractatu* 3. qui Augustinum, & Origenem refert, & ideo dicere posset aliquis non esse necessarium ad finem parabolæ eam emptionem accommodare, quasi vera emptio interueniat in comparatione regni cœlestis; non enim interuenit vera emptio, neque vera iustitia in meritis respectu gloriæ, si ibi nomine *thesauri* gloria intelligatur, vt intelligitur ab aliquibus. Item si nomine *thesauri* intelliguntur animæ sanctæ, quæ 1. *Corinth.* 2. dicuntur pretio magno emptæ, scilicet meritis Christi, in quibus respectu Patris non fuit iustitia propriè commutatiua, qualis ad emptionem est necessaria.

Item si thesaurus sit Christus, vt aliqui interpretantur, quem anima inuenit, non comparatur vera, & propria emptione. nam in nostris meritis ex gratia ipsius non est propriè iustitia commutatiua dati, & accepti ad veram emptionem necessaria.

Si verò nomine *thesauri* intelligatur prima gratia, quam non quærentibus offert Dominus, non est vllo modo applicanda ratio emptionis, eo quòd secundùm catholicam doctrinam nullum est in nobis meritum primæ gratiæ, & idem est si intelligatur de doctrina sacra. Dicere ergo posset aliquis non esse necessarium accommodare in ea parabola illud

A quod de emptione dicitur, quia aliqui putant eam emptionem non esse iustam, vt iamiam dicemus.

Prima opinio est asserentium, non esse licitam talem emptionem. Ita Angelus *verbo emptio.* §. 4. Armilla *verbo inuentum* §. 2. Tabiena *verbo restitutio* §. 26. & alij quos refert Padilla *l.* 2. *C. de rescindenda venditione, num.* 62. imò aliqui huius ætatis.

Et ratio esse potest, quia cum ignorantia domini fit emptio illa in damnum illius: ergo non est licitum communi pretio agrum emere, ac si ibi non esset thesaurus, in contractu enim seruanda est æqualitas, neutérque potest alterum decipere. Sicut ergo vendens tenetur manifestare vitium rei, ita & emens manifestare tenetur ea, ratione cuius res venditoris maius habet pretium, iuxta communem do-
B ctrinam de emptione & venditione, de qua infrà 2. 2. *quæst.* 77.

Sed contrariam sententiam docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. *ad* 2. Bañes *ibi*, & Salon, Sotus 5. *de iustitia quæst.* 5. *art.* 3. *ad* 2. Nauarrus *in summa cap.* 17. *num.* 175. Molina *tractatu* 2. *disp.* 56. *& disp.* 353. Palacios 2. *de contractibus cap.* 4. P. Valentia 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 20. *puncto* 4. *in fine.* Padilla *loco citato*, & eam videtur sequi Syluester *verbo inuentum num* 8. & videntur supponere nonnulli expositores parabolæ *Matth.* 13. *versu* 44. Lyra & Carthusia. *ibi*, & Abulensis *quæst.* 66 *in locum citatum Matthæi*, docent enim eum hominem emisse eum agrum, vt haberet ius
C possidendi totum thesaurum, aliàs per leges illius temporis non haberet nisi dimidium; & eandem doctrinam tradit Salmeron *tomo* 7. *tractatu* 10. in illam parabolam; qui tamen nihil dicunt de obligatione restitutionis, absolutéque fatentur illum habere ius possidendi totum thesaurum per emptionem agri.

P. Vazquez 1. *parte disp.* 9. *cap.* 17. idem videtur supponere, & Vigilius Episcopus Tridentinus *lib.* 3. contra Eutychetem *tomo* 4. *Bibliotheca* ait, illum emisse agrum, vt iure legitimo & thesauro potiretur & agro, rationem pro hac sententia infrà dicam.

Citant etiam pro hac sententia Bañez, Salon, & alij legem *à tutore. ff. de rei vindicatione*; ex qua tamen
D non potest probari efficaciter: verba legis sunt, *A tutore pupilli domum mercatus ad eius refectionem fabrum induxit, is pecuniam inuenit, quæritur ad quem pertineat? Respondit. si non thesauri fuerunt, sed pecunia fortè perdita, vel per errorem ab eo, ad quem pertinebat, oblata, nihilominus eius tam esse cuius fuerat.* Ex quibus verbis volunt colligere, quòd si esset thesaurus, pertineret ad eum qui domum emit.

Sed hoc non colligitur, quia fieri posset vt ex thesauro inuento dimidium solùm pertineret ad dominum domus, & aliud ad inuentorem, secundùm leges illius temporis; cùm tamen pecunia tota sit prioris domini, vt exponit *ibi* glossa.

Nos verò quærimus, an totus esset futurus do-
E mini, qui priùs emit agrum, vel domum. Item dubium nostrum procedit, quando emptor ante emptionem sciebat ibi esse thesaurum, quod ignorabat prior dominus agri.

Probanda ergo est nostra sententia ex eo quòd dominus agri non est dominus thesauri, cùm non sit fructus terræ, &, vt diximus, thesaurus est vetus depositio pecuniæ, quæ non habet dominum, & ita *l. nunquam ff. de rerum diuisione*, dicitur, quòd dominus agri non est dominus thesauri, & aliàs ante manifestationem nihil thesauri ad eum pertinet, ex dispositione iuris. ergo emens agrum ex hac parte quòd non manifestet thesaurum, non facit iniustitiam.

Pro

Pro solutione notandum est[1] posse emptionem fieri eo tempore, quo thesaurus iam est notus aliquibus, vel saltem est probabilis opinio, & fama apud aliquos, quòd in eo loco sit thesaurus, vel quando nihil tale est, solúmque thesaurus emptori est notus; his præiactis,

Dicendum est primò, in primo casu non esse licitum emere agrum communi pretio, quia iam ex communi hominum æstimatione propter certitudinem, vel dubium de thesauro maius habet pretium, propter facultatem quam habet dominus quærendi illum in agro suo, quod alius de industria facere nequit.

Secundò, si ignorans emit agrum, nullam facit iniustitiam, quia alter, licèt sit dominus agri, non est dominus thesauri, & aliàs thesaurus absconditus est, & ita donec manifestetur, non pertinet ad dominum agri, & hanc conclusionem etiam Angelus suprà concedit.

Tertiò dicendum est, quando omnino est absconditus thesaurus, bene potest emens emere agrum communi pretio. Hanc probat Bañes & aliqui ex parabola *Matthæi* 13. citata, sed ex illa non potest sumi efficax argumentum. nam in parabola argumentum sumi solet ex actu illicito, vt constat ex parabola de villico iniquitatis *Lucæ* 16. In ea autem parabola intendebat Christus ex mente aliquorum professionem etiam euangelicam non esse vulgari studio expendendam, & desiderandam, vt ex Patribus colligit Salmeron *tractat.* 10. *citato.* Maldonatus item *in cap.* 13. *Matth.*

P. autem Vazquez 1. *part. disputatione* 9. *cap.* 17. explicat primam gratiam thesauro abscondito comparari, eo quòd prima gratia sit veluti thesaurus, qui inopinatè à non quærentibus solet inueniri: etenim prima gratia inuenitur à non quærentibus, vt definitur in Concilio Arausicano *canone* 3. Ex sensu parabolæ non potest sumi efficax argumentum pro nostra conclusione. Alias explicationes parabolæ adducit S. Thomas *in illud cap.* 13. *Matth.* & fusè explicat P. Salmeron *tractatu citato.*

Pro maiori verò explicatione notandum est, hanc conclusionem posse intelligi, vel quando nihil esset iure positiuo statutum circa thesaurum, & tunc is, qui inuenisset vel casu, vel studio, totum sibi acquireret, etiam ante emptionem, quia cùm ille thesaurus nullius esset, & iure positiuo nihil esset statutum circa inuentionem illius, totus fieret inuenientis, sicut alia bona communia.

Supposito tamen iure communi thesaurus integer erat inuentoris, quando inueniebat in proprio agro; si verò casu inueniebat in alieno, tantùm habet dimidium, iuxta leges iuris communis suprà citatas, & ideo prædictus homo in parabola dicitur emisse agrum, vt integrè illum possideret, vt citati interpretes planè docent; vbi verò iure positiuo thesaurus ita esset applicatus Regi, vt domino agri nihil daretur ratione solius dominij agri, faciliùs intelligitur nullam fieri iniustitiam domino agri, ex eo quòd ager ille communi pretio ematur.

Ex hac verò ratione constat quomodo sit respondendum rationi primæ sententiæ, dicendum enim est, emptorem non obligari ad manifestandum thesaurum, quia thesaurus non est domini agri, si enim esset illius, teneretur manifestare,

A aliàs faceret contra iustitiam, sicut in aliis emptionibus contingit.

Illud verò est certum, nullum habere facultatem fodendi agrum alterius ad quærendum thesaurum in eo quòd hoc est contra ius quod dominus habet in agrum suum.

Sed obiicies, dominus habet ius ad quærendum thesaurum in agro suo, ita vt alius quærere non possit; ergo contra hoc ius facit, qui emit agrum, & non manifestat thesaurum.

Respondetur negandam esse consequutionem, eo quòd ante manifestationem thesauri Ius illud non est distinctum à domino agri, neque habet aliud pretium.

B Sed dices, ex thesauro inuento debetur ex lege dimidium domino agri; ergo hoc ipso quòd quis inuenit illum, debetur dimidia illa pars; ergo non potest emere illum. Doctores certè qui putant, non esse licitam emptionem prædictam, hoc argumento maximè vti possent, & dicere ex illa inuentione adquiri ius domino agri.

Respondetur primò quod attinet ad præsens dubium, non esse necessariam physicam inuentionem thesauri, quia potest quis scire in aliquo loco esse thesaurum, absque physica inuentione, si id sciat relatione prudenti, & valde certa secundùm humanam prudentiam.

Deinde secundò dicendum est, quòd quan- C do leges ex thesauro inuento decernunt dimidium dari domino agri, debent intelligi si thesaurus extrahatur, tunc enim dominus debet accipere dimidium illius: nam si non extrahatur, nullus dicet obligari inuenientem ad dandum domino; ad manifestationem verò thesauri non tenetur, quia non est fructus ipsius agri, & ita dominus agri non est dominus illius.

Quòd verò ante extractionem non pertineat thesaurus ad dominum agri, probari potest, etiamsi verum sit legem potuisse disponere de thesauro inuento, & propter iustam causam obligare inuentorem ad manifestationem.

Tamen vt dicamus hoc fecisse, deberent esse in D lege clara verba, vt dicamus ita esse strictè obligatum inuentorem: talis verò obligatio asserenda non est sine expressis verbis legis, præsertim quia iure naturali thesaurus est inuenientis, & saltim qui illum agnoscit esse in aliquo iure naturali, habet facultatem accipiendi illum, non est dicendum ante extractionem aliquem esse priuatum tali facultate, nisi sit apta lex; nulla verò est lex, quæ talem effectum habeat, & obligationem imponat ante extractionem, quando aliquis agnoscit thesaurum esse in aliquo agro. nam si plures scirent, probabiliter ibi esse, vt suprà dicebamus, cresceret pretium agri propter dominium, quod habet ad partem thesauri si ma- E nifestatur.

Sed dices; si thesaurus esset fructus agri, qui illum cognosceret, & vellet emere agrum, deberet manifestare illum, vt statim dicemus de eo qui volet emere agrum, in quo latet vena auri; nam secundùm ius naturale, qui est dominus rei, est etiam dominus fructus illius; ergo etiam non fructus.

Probatur consequutio, quia licèt non pertineat ad dominum iure naturali, quia non est fructus, pertinet tamen supposito iure positiuo, quo disponitur vt dimidium thesauri detur domino agri; ius enim positiuum vim habet applicandi alicui rei alicuius dominium, ex causa,

etiamsi res aliàs esset aliena, vt facit in lege præscriptoris: ergo supposito iure positiuo dominus agri habet ius ad thesaurum, non secus ac si esset fructus agri.

Respondetur, posse quidem ius positiuum ex causa concedere alicui ius ad aliquam rem, comparandúmque dominium illius, nihilominus, vt diximus, ius positiuum non concessit ius ad thesaurum ante extractionem illius, neque obligauit scientem ad manifestandum illum.

Dices vlterius, sequi ex dictis, posse hominem emere agrum illum communi pretio, etiamsi aliqui homines sciant probabiliter quòd sit in agro thesaurus, quia dictum est thesaurum non esse fructum agri, ideóque non pertinere ad dominum agri, sed etiamsi aliqui alij sciant in eo agro latere thesaurum, non est thesaurus fructus illius, nec crescit pretium agri: ergo.

Respondetur argumentum nullius esse efficacitatis, quia etiamsi thesaurus non sit fructus agri, tamen ager ille apud homines censetur maioris valoris, ex eo quòd si manifestetur, & inueniatur thesaurus, habet ius dominus ad dimidium illius, si alius extraneus inueniat, & ad totum integrum, si dominus inueniat illum.

Sed restat explicare an idem sit dicendum de agro in quo latet minerale.

Molina quidem dispur. 353. column. 607. expressè loquitur de thesauro, & vena auri eodem modo. Probat verò Molina, quia si ager emitur communi pretio in ordine ad communem vsum ad quem vendi consueuit, iustum est pretium in ordine ad valorem rei per se; appellat verò valorem rei per se, quem res habet ad communem vsum, valorem verò accidentalem appellat, quem res posset habere ex peculiari circunstantia, quam emens non tenetur manifestare.

Secundò probari potest, quia licèt vena sit fructus agri ipsius, tamen non censetur pretio æstimabilis nisi communiter cognoscatur pretio æstimabilis, aliàs si quis bona fide emeret agrum in quo sit vena auri, vel aquæ, & postea manifestetur, tenebitur emens aliquid dare venditori ratione illius, considerato iure naturæ, quod circa venam aquæ non videtur esse in vsu, sed potiùs contrarium.

Tertiò, quia si quis emeret lapidem, habentem aliquam virtutem, quam non cognouit emens tempore emptionis, neque communiter agnoscebatur, & postea reueletur, teneretur aliquid dare primo vendenti, quia erat verè vendentis, quod tamen non conceditur communiter: ergo ad assignandum pretium pro re cum omnibus fructibus, multum refert illos cognosci communiter.

Alij tamen Theologi huius ætatis censent, non posse aliquem communi pretio emere agrum in quo latet vena auri, si sciens ibi esse velit emere, eo quòd vena illa est fructus rei ipsius, & sufficit si cognoscatur ab emptore, sicut quando quis emit pretiosum lapidem ab ignorante, tenetur reuelare pretium eius.

Mihi quidem aliquando placuit prima sententia, propter duas vltimas rationes; nunc verò videtur prima vera, quando quis bona fide emit. Secunda verò sententia quando emit sciens ibi esse venam auri.

Nunc verò probabilior videtur hæc secunda sententia, propter eius rationem: si loquamur de eo, qui emit agrum cum scientia, quòd ibi lateat vena alicuius metalli; nam si bona fide emat, & postea inueniat, communiter non obligatur ad restituendum aliquid vendenti, eo quòd res istæ quando venduntur bona fide, venduntur subiectæ his euentibus, neque vendentes censentur rationabiliter inuiti, si illis nihil postea detur ab emente bona fide, qui inuenit venam auri: quod de vena aquæ contingit sæpe, & duæ vltimæ rationes hanc partem probant. Ratio verò qua Molina probanit suam opinionem, refutata à nobis est a. a. *quæst.* 77.

Et respondetur ad primam, fructus rei pec se pertinere ad valorem rei, & ementem, si illos agnoscat, obligari ad manifestandum eos, vt patet in emente lapidem pretiosum, cuius pretium ignorat vendens qui non agnoscit conditionem lapidis.

Ad secundam & tertiam iam diximus, quòd cùm bona fide emitur ager, non est obligatio aliquid postea dandi, ratione de nouo inuentæ latentis venæ auri, aut aquæ venæ scaturientis.

Differentia ergo est inter ementem agrum, in quo est thesaurus, & in quo est vena auri, quòd si emas agrum in quo est thesaurus, etiamsi sciat ibi esse, potest emere communi pretio, non habita ratione thesauri; & tamen emens agrum, in quo est auri vena, agnoscens ibi esse, non potest illum communi pretio emere, quia agnoscit fructus agri, ratione cuius ager longè maius habet pretium.

Ex his, quæ hactenus diximus, facilè potest explicari prædicta parabola, iuxta diuersas explicationes Doctorum de significatione thesauri suprà relatas. Et iuxta sensum eorum, qui per thesaurum intelligunt vitam æternam, potest sumi argumentum ex eis ad probandum contra hæreticos, ad iustificationem non sufficere solam fidem, sed necessaria esse opera ex gratia Dei.

DISPVTATIO III.

SCHOLASTICA.

De Christo martyre.



ANTEQVAM disputemus, vtrùm Christus fuerit propriè martyr, præmittenda sunt nonnulla. Vnum est,

DVBIVM I.

An ad martyrium requiratur quòd sit actus honestus.

NOmen *martyrium* Græcum est, & idem significat quod testimonium; apud Scholasticos verò, & autores Ecclesiasticos vsurpatur pro testimonio quod quis dat pro fidei veritate, sustinens mortem.

Deinde apud Patres & Scholasticos ad rationem martyrij adultorum, necessarium esse actum honestum, nempe vt quis patiatur mortem ob finem honestum, aliàs si non est actus honestus, non erit Deo gratus, neque merebitur laudem apud Deum.

Sed obiicitur hoc modo, sancti Innocentes causa Christi mortui sunt, & dicuntur martyres, & tamen nullum habuerunt actum voluntatis.

S. Thomas *art.* 1. *ad* 1. refert aliquos sensisse in illis paruulis fuisse vsum rationis ex voluntate peculiari

peculiari Dei, sed hoc tanquam sine fundamento dictum reiiciendum est. Deinde respondet S. Thomas illis paruulis ob Christi meritum collatam esse gratiam, & gloriam, quia passi sunt mortem pro Christo, quod communiter sequuntur multi. Itaque voluit Deus vt propter meritum Christi poeni illi, qui propter Christi causam occiduntur, gratiam Christi consequerentur.

Posset esse autem difficultas, an decretum Dei dandi gratiam paruulis illis fuerit ante præuisum meritum Christi, & peccatum occidentium illis paruulis, vel post præuisa hæc omnia, in quo philosophandum est, sicut in controuersia de electione efficaci ad gloriam iustorum, de qua disputatione Doctores in materia *de prædestinatione*, an fuerit ante, vel post præuisa merita iustorum.

De martyrio horum paruulorum legatur Augustinus *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23.* Origenes *homil. 3.* in varia loca Euangelij, pseudo-Cyprianus *sermone de magys*, & alij Patres *homilijs in festiuitate Sanctorum Innocentium.*

Quærere posset aliquis, ex quo capite constet illos paruulos consecutos fuisse gloriam; sed certum est ex perpetua Ecclesiæ traditione, celebrat enim Ecclesia festum illorum.

Dubium II.

An ad martyrium sit necessarius actus fortitudinis.

Duo possunt disputari, vnum est, an martyrium sit actus fortitudinis: aliud, an ad martyrium sit necessarius actus fortitudinis virtutis specialis ex formali obiecto illius. Et quantum attinet ad primam partem,

Fuit opinio Martini de Magistris dicentis martyrium esse actum eius virtutis, ob cuius formale obiectum mouetur quis ad ferendam mortem. v. g. actus charitatis, si mouetur ex charitate, vel fide, vel alterius virtutis. Probatur primò, quia martyrium erit si quis patiatur mortem iniustè illatam ex fine charitatis propter Deum in defensionem fidei.

Secundò martyrium potest esse sine formali actu fortitudinis si fiat ex fine honesto; ergo non est actus fortitudinis.

P. Lessius *lib. 3. de iustitia, cap. 1. dub. 2.* docet actum amplectendi mortem, & ferendi illam, posse ad varias virtutes pertinere, vt constat, dici tamen actum fortitudinis, quia procedit ex summa voluntate firmiter in bono constituta.

Sed, vt dixi, aliud est quærere, an martyrium sit actus fortitudinis specialis essentialiter, aliud an requirat materiam fortitudinis, sicut aliud est comedere temperatè esse actum formalem temperantiæ, aliud esse materiam specialem temperantiæ.

Quo præmisso dicendum est martyrium esse semper actum fortitudinis, ex obiecto materiali, quia, vt suprà diximus, pericula mortis sunt materia virtutis fortitudinis, sicut comedere temperatè est actus temperantiæ ex obiecto materiali, licèt fiat ex fine charitatis.

Deinde qui putant ad actum virtutis specialis, non esse necessariam expressam tendentiam in obiectum formalem propter ipsum, dicent martyrium semper esse actum fortitudinis specialis propter specialem materiam; sed illud principium examinandum est in materia de bonitate, & ma-

A litia actuum humanorum, & mihi non probatur, vt alibi dixi.

Secundò dicendum est, essentiam martyrij posse consistere sine ratione formali fortitudinis virtutis specialis. Patet, si quis pro veritate fidei defendenda sustineat mortem ex fine obedientiæ, vel charitatis, quod ex Patribus constat, nefas est negare talem actum esse martyrium, & hoc probant rationes primæ opinionis; semper tamen martyrium est actus fortitudinis generaliter, vt dicit firmitatem in bono, quod apertè constat cùm quis patitur mortem ne recedat à bono fidei.

Notandum autem est rationem S. Thomæ *in artic. 2.* probare martyrium esse actum fortitudinis

B ex obiecto materiali.

Dubium III.

An requiratur ad martyrium vt mors reipsa sequatur.

Referuntur aliqui existimantes, mortem non esse de ratione martyrij, & variè explicant naturam martyrij.

Sed meo iudicio S. Thomas *in art. 4.* rectè explicat rem, & in corpore dixit ad perfectam rationem martyrij requiri quòd aliquis mortem patiatur pro Christo.

C Et cùm S. Thomas dicit, ad perfectam rationem martyrij, non negat imperfectum martyrium posse dari sine morte, & ad primum argumentum docet Sanctos Patres aliquando appellare martyrem, & martyrium per similitudinem, & hoc sensu sanctus Hieronymus, vel potiùs Sophronius *sermone de assumptione Virginis*, dicit B. Virginem fuisse martyrem, & sic dicunt explicanda esse similia dicta Patrum.

Deinde ad tertium docet tolerantiam carceris solam non dici propriè martyrium, nisi fortè vt causam mortis, & sic intelligit Ecclesiam celebrare martyrium S. Marcelli Papæ.

Alij verò Doctores assignant varios gradus mar-

D tyrij, vnus assignatur, quando passionem reuera sequuta est mors. Secundus est quando inflicta sunt vulnera lethalia, ex quibus sequeretur mors, si non impediatur supernaturaliter.

Tertius dicitur, quādo causa extrinseca sufficiens mortis applicata est, licèt ita fuerit impedita, vt nullum damnum intulerit homini, sicut Sanctus Ioannes missus est in feruentis olei dolium.

Quartus est, quando solùm est inchoata passio, & sic sæpe Cyprianus Martyres vocabat homines pro Christo inclusos in carceribus. legatur Cyprianus *epistola 29. 15. 30. & 37. & alys*, legatur P. Valentia hoc loco *punct. 1.* P. Leonardus Lessius *dubitatione 3.*

E Deinde ad martyrium requiritur, vt mors non sit contra voluntatem patientis, ita communiter Doctores, aliàs si quis nollet pati pro Christo, non diceretur velle illam confiteri coram hominibus; infantibus verò patet non esse contrariam voluntatem, imò neque voluntatem patiendi.

Vlteriùs requiritur vt mors obeatur, propter fidei veritatem defendendam, vel propter opus honestum alicuius virtutis, vt testetur quis illud placere Deo quod pertinet ad fidem, de quo rectè philosophatur S. Thomas *artic. 5.* & quòd mors propter fidem sit martyrium, manifestum est; quòd verò sufficiat pati mortem propter aliquam virtu-

tem, docet S. Thomas,& Patres, qui docent S. Ioannem Baptistam fuisse martyrem, qui passus est mortem propter castitatem, quia reprehendebat Herodem ob adulterium. Quòd si aliquis patiatur mortem, non propter fidem, aut communem doctrinam, sed propter propriam aliquam peculiarem causam, non erit martyrium, quia, vt dixit Augustinus *concione* 2. *in Psalm.* 84. Martyrem non facit pœna, sed causa, de quo bene Valentia *hic punct.* 1.

DVBIVM IV.

An Christus fuerit verè & propriè Martyr.

EX antiquis refertur vnus, vel alter, quasi dixerit Christum non fuisse martyrem; sed non innenio talem autorem. Hac verò ætate non defuit quidam Concionator, qui dixerit Christum non fuisse martyrem, existimans ad martyrium esse necessarium pati mortem pro Christo,& fide illius.

Nihilominus S. Thomas *in* 4. *d.*49. *quæst.*5. *art.*4. *quæstiunc.*2.& communiter alij Scholastici in eadem distinctione docuerunt expressè, vel supponunt satis clarè, Christum verè & propriè fuisse martyrem, & Ægid.3.*tom. de beatitudine, tractatu de laureolis, fol.*549. *col.* 2. dicit verissimè & perfectissimè fuisse martyrē. legantur recentiores in materia *de beatitudine.* Salas 1.2.*tom.*1.*pag.*458. *num.*74. *ad finem.* qui supponens Christum fuisse Doctorem virginem, & martyrem, docet in eo fuisse aureolas quæ sunt in Doctoribus virginibus & martyribus, sed aliquid excellentius.

Dicendum ergo est cum S. Thoma & communi opinione, Christum verissimè & propriissimè fuisse martyrem, quia, vt constat ex dictis, in Christo reperiuntur supradicta requisita ad rationem martyrij, nempe honestissimus actus fortitudinis, & charitatis,& passio mortis reipsa securæ,& hoc cum tanta excellentia pro veritate doctrinæ, & gloria sui Patris, vt Augustinus & alij appellent Christum caput martyrum, quia & ipse fuit martyr, & aliis meruit gratiam ad ferendum martyrium.

Quam doctrinam existimo ita certam, vt sine graui temeritate negari non possit.

DISPVTATIO IV.

SCHOLASTICA.

DVBIVM VNICVM.

An possit quis habere assensum fidei circa vnam propositionem, & hæresim circa aliam.



DE hoc disputaui in materia *de fide* a.2. *ad quæst.*5 *circa art.*4.*disp.*44.*dub.*1.*&* 2. & *ibi* docui cum communi sententia, non posse fidelem habere fidem infusam, & supernaturalem vnius articuli, & existimationem hæreticam circa alium, quod intelligitur cum cognitione quòd vtraque propositio proponatur ab Ecclesia, vt de fide, & contrariam sententiam Durandi non dubito esse temerariam.

Postquam verò hanc communem sententiam typis mandaui, non defuit vnus, vel alter recentior, qui diceret, fidelem posse habere fidem vnius articuli, & errare circa alios.

Notandum verò est, quòd isti recentiores, licèt
A dicant se loqui de fide naturali quantum ad substantiam, tamen loquuntur de assensu fidei propter testimonium Dei. Censent enim posse esse fidem naturalem quantum ad substantiam, propter rationem motiuam formalem cum motiuo fidei infusæ & supernaturalis, & docent Doctores communiter contra Durandum loquentes de assensu supernaturali, qui non potest esse simul cum hæresi circa alium articulum.

Vt verò rem explicemus, notandum est. Primò falsam esse doctrinam de assensu naturali fidei propter testimonium Dei, vt alibi probaui. Secundò, licèt admittatur talis fides naturalis, non debet constitui ex viribus naturæ, sine gratia, hæc
B enim doctrina nullo modo admittenda est, quia non potest à graui censura excusari, quòd si ea fides dicatur oriri ab auxilio gratiæ per Christum, potest dici probabilis propter autoritatem Doctorum aliquorum, qui illam fidem putant possibilem.

Sed quod attinet ad præsentem controuersiam, mihi omnino est improbabile asserere posse esse assensum vnius articuli propter testimonium Dei, & errorem circa alium articulum, etiamsi talem assensum dicant esse naturalem quoad substantiam, & ex gratia. Ad quod explicandum oportet in memoriam reuocare quod diximus 2. a. *loco citato*, ad probandum non posse esse fidem infusam vnius arti-
C culi, & errorem circa alium, cuius rationem assignauimus cum communi Doctorum, nempe quòd quando obiecta vtriusque propositionum æqualiter proponuntur ab Ecclesia, vt non possit testimonium ita propositum mouere ad assensum vnius, & non alterius, quia eadem proponitur ratio assentiendi, & eadem conditio, nempe testimonium Dei, & propositio Ecclesiæ, quæ ratio euidens apparet; aliàs sequeretur quòd credens non moueretur propter testimonium Dei propositum ab Ecclesia, sed ob solam rationem opinionis, vel fidei humanæ,& acquisitæ.

Hæc autem ratio etiam probat falsam esse prædictam sententiam, quia si quis credit propter te-
D stimonium Dei, (siue sit actus naturalis, siue supernaturalis,) vel credit propter illud tanquam propter rationem formalem, & propter Ecclesiam tanquam propter conditionem, & sic non possit habere assensum vnius articuli, & dissensum alterius, cùm eadem sit ratio, & conditio assentiendi. Vel credit propter testimonium illud Dei propositum autoritate fidei humanæ, vel opinionis, & tunc ratio assentiendi formalis non erit testimonium Dei, sed vel testimonium hominum, vel ratio probabilis,& ideo existimo prædictam rationem vim habere magnam contra Durandum, habereque vim contra prædictos recentiores, neque esse alicuius momenti pro præsenti controuersia, actum esse
E naturalem, vel supernaturalem secundùm substantiam, si semel demus rationem assentiendi esse testimonium Dei propositum ab Ecclesia. Et si opinio Durandi meretur censuram, etiam prædictum placitum recentiorum illam meretur, quæcunque illa sit.

Sed dicet aliquis, obiecta diuersorum actuum sunt diuersa; ergo poterunt esse simul circa illa assensus,& dissensus. Respondetur, hoc argumentum etiam fieri potest pro sententia Durandi de assensu fidei infusæ circa vnum obiectum, & dissensum circa aliud, & respondendum est, quòd licèt obiectum materiale sit diuersum, si tamen obiectum formale sit idem, fieri non potest vt detur fides

vnius

vnios articuli, & dissensus circa alios propositos ab Ecclesia ob Dei testimonium, & propter eandem rationem Ecclesiæ, quæ ratio habet locum contra recentiorum opinionem de assensu naturali secundùm substantiam, si fiat ob testimonium Dei propositum ab Ecclesia.

Secundò obiicies, actus fidei acquisitæ circa vnū articulum potest esse assensus, & circa alium potest esse dissensus; ergo & infusæ. Antecedens probatur, quia potest esse testimonium prudens circa vnum articulum, & non circa alium. Respondetur esse disparem rationem, quia in nostro casu loquimur de assensu ob testimonium Dei infallibile, & propositum ab Ecclesia eodem modo circa omnes articulos: at verò fides humana procedit ob testimonium, vel rationem humanam: vnde non est infallibilis, & potest probabilis opinandi contrarium causa suppetere: quia fides humana spectat non prorsus firmam rationem, vt per se constat, & quotidie experimur. Addendum est, quòd si esset idem testimonium bonum, & eodem modo propositum, nempe eadem ratione probatum, non posset quis propter illud assentiri vni obiecto, & assentiri alteri; aliàs non esset omnino idem obiectum formale, & eadem omnino conditio. Possent obiici quædam alia, quæ attuli *disp. citata, dub. 1.* & ibi soluta sunt.

DISPVTATIO V.

POSITIVA.

De sensu aliquorum locorum Scripturæ, quæ in varijs materijs Scholasticis occurrunt, & eorum explicatio potest iuuare ad explicationes theologicas.

DVBIVM I.

Quomodo sit intelligendus locus Iosue 7. de punitione Achan.



PRo explicatione videndum est, an iudices creati possint infligere pœnam sensus, aut tormentorum filiis pro peccatis parentum.

Affirmat Lyra in illud Deuteronomij 24. *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro parentibus*, &c. Et censet pœnam tormenti & sensus, etiam mortis infligi posse filiis pro peccatis parentum à iudicibus etiam creatis.

Primò, quia *Iudicum* 20. decem tribus pugnantes contra tribum Benjamino, interfecerunt mulieres & paruulos, propter peccatum parentum, quod factum Scriptura non reprehendit.

Secundò confirmatur ex *cap. vergentis, de hæreticis*, vbi dicit Pontifex, filiis eorum qui maiestatem læserunt, ex misericordia vitam concedi.

Tertiò, quia *Iosue* 7. Achan cum filiis & filiabus occisus est, ob solum peccatum quod ille commisit in furto Iericho, cùm regulam auream, & alia furatus est.

Sed contraria sententia est communis, & probabilior, quam sequitur S. Thomas 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 4. *ad* 2. Alexand. 3. *p. q.* 41. *m.* 4. *art.* 2. Durand. a. *dist.* 33. *quæst.* 1. Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione*, c. 10. P. Vazquez 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 135. *cap.* 3. & solet de hoc tractari à quibusdam in materia *de peccatis*, ab aliis in

A materia *de legibus*. Ratio sumitur à communi sensu hominum, qui nunquam verberibus affligit filiū ob peccatum parentū in nulla republica bene instituta.

Secundò probatur ea illo Deuteronom. 24. *non occidentur patres pro filijs, neque filij pro parentibus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur*.

Quod clarius constabit ex responsione argumentorum Lyrani.

Ad primum respondetur, decem tribus potuisse occidere infantes cum parentibus ipsorum, si ad consecutionem victoriæ necessarium fuerit, quod non sit propter peccata parentum, sed propter victoriam, quæ ad commune bonum & tranquillitatem reipublicæ pertinet, & scriptura non reprehen-

B dit, quia solùm narrat simpliciter.

Ad secundum respondetur Pontificem solùm referre, non probare quid statuissent Imperatores suis legibus.

Ad tertium respondetur facilè: nam Hebræi omnes notant, filios Achan non fuisse cum eo occisos, nec id ea littera Scripturæ colligitur, hæc enim solùm verba Scripturæ habent Iosue 7. *Tollens itaque Iosue Achan filium Zare, argentúmque & pallium, & auream regulam, filios quoque, & filias eius, boues & asinos, & oues, ipsúmque tabernaculum, omnémque supellectilem (& omnis Israel cum eo) duxerunt eos ad vallē Achor, vbi dixit Iosue: Quia exturbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta*

C *quæ illius erant, igne consumpta sunt. Congregauerúntque super eum aceruum magnum lapidum, qui permanet vsque in præsentem diem.* hoc est supplicium Achan Ex quibus non apparet filios Achan cum eo fuisse lapidatos, & occisos, imò oppositum colligitur; nam si filij essent cum eo occisi, non dixisset Scriptura, *lapidauit eum Israel*, sed, *lapidauit eos Israel*; nec dixisset congregatum fuisse super eum, sed super eos aceruum lapidum, credibile autem non est filios Achan cum reliquis rebus ipsius, igne fuisse consumptos; quis enim credat ipsum Achan lapidatum fuisse, filios autem eius, qui non peccauerunt, igne combustos? hæc enim pœna maior est. Quòd verò ducti fuerint filij eius cum eo in valle Achor,

D mirum non est; id enim factum est vt timore supplicij & spectaculi præteriti, peccata parentis non imitarentur.

Fuisse autem hāc consuetudinem apud Hebræos, colligitur manifestè *Daniel. cap.* 13. nam cùm Susannam ad supplicium ducerent, comitati sunt parentes, & filij, & consanguinei, non vt cum illa punirentur, sed ob finem quem diximus, & maiorem ipsius confusionem atque tormentum.

Ea quibus manet explicatus prædictus locus Iosue 7. Et quòd non liceat iudicibus creatis propter peccata parentum filiis infligere pœnam sensus, aut tormentorum.

E

DVBIVM II.

An aliqua alia pœna possint puniri filij ob peccata parentum.

POnendum est, ea Scripturæ locis colligi aliquotica peccata parentum puniri in filiis. Exodi 20. *Deus tuus fortis*, &c. Difficultas est quomodo hoc fiat.

Lyra in citatum caput Exodi docet filios non puniri ob solum peccatum parentum, sed ob propria peccata. nam eo loco non dicitur absolutè *in filios*, sed *in filios eorum, qui oderunt eum*, & ita censit Hieronymus *in cap.* 3. *Hieremiæ*, circa illa verba,

nondum vltra, & iodicat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 108. A *articul.* 4. *ad* 2. quem sensum probar Augustinos libro cootra Adimantum Maniehæum *cap.* 7. Gregorius *lib.* 5. *moral. cap.* 31.

Verùm illis verbis Exod. 20. *qui oderunt eum*, videtur loqui Deus parentibus : sieut enim statim loquitur de bis eum quibus facturus est misericordiam, & vt dixit Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione. quæst.* 10. iam non puniret Deus parentes, sed filios ob peccata ipsorum filiorum.

Dicendum ergo est Deum punire peccata parentum in filiis, etiamsi peecata parentum non imitentur, vt docuit Augustinus *lib.* 6. *quæstionum veteris Testamenti, cap.* 2. Alensis, & Castro *suprà*, Arboreus *lib.* 6. *philosophiæ*, *cap.* 9. & S. Thomas 2. 2. B *quæstione* 87. *artic.* 8. *in corpore*, *& ad* 1. quia filij sunt aliquid patris, ae proinde bonum, vel malum filiorum, est quodammodo bonum, vel malum parentum.

Sed manet difficultas quomodo non puniantur filij Adæ, qui cum originali moriuntur pœna sensus.

Respondet Augustinus *loco citato*, filios uon puniri pœna alterius vitæ ob peecata pareutnm, nullus enim punitur pœna æterna, vel priuatur gratia ob peccatum alterius, & rationem indicauit Augustinus, & alij fusiùs explicant, quia pœnæ externæ, & corporales duo habent, & esse pœnam pro peecatis parentum, & esse medicinam, seu C exemplum aliis : & eùm Deus sit Dominus vitæ, & mortis, potest illud facere. Pœna verò spirituali non potest quis puniri, propter peccata alterius, quando pœna est ex his, quæ ex natura rei debentur peccato.

Sed quæres, quomodo ergo Deus ob peccatum Adæ priuauit posteros gratia? Respondeo, quia illa fuit priuatio doni liberaliter eonferendi, & potuit Deus optimè illud promittere sub eonditione, nisi Adamus peecaret, vt dixi 3. *part. ad quæst.* 1.

Sed obiiciet aliquis posse puniri filium quando pater non sentit malum illud, si sit, v. g. in purgatorio. Respondet Castro *loco allegato*, oon esse D verum, parentes in purgatorio non sentire mala filiorum. Augustinns enim *in Psalm.* 108. in illa verba, *fiant filij eius*, non auder hoc definire.

Dubium est enim, an ea mala semper cognoseant. Sed responder P. Vazquez *disp. citata*, *num.* 5. quòd si patres non eognoscunt mala quæ patiuntor filij in hac vita, vel si sint patres in beatitudine, mala illa non erant, respectu parentum, pœna sensus, sed poterat dici pœna damni, quatenus filij aliquid sunt patris, & facile hoc potest Intelligi respectu parentum, qui beati non sunt.

Sed dices, pater existens in beatitudine non habet dignitatem ob quam puniatur, etiam in filiis; E ergo iam respectu illius non est pœna.

Aliqui non renuunt concedere dignitatem aliquam in parentibus in hoc euentu respectu prædictæ pœnæ. Alij verò existimant ad hoc genus pœnæ sufficere parentes fuisse dignos aliquando ob peccatum, & manere filios in quibus possit puniri; nam ipsa beatitudine fiunt beati digni vt nulla pœna puniantur in se ipsis, vt constat, vt verò in aliis puniantur, satis est aliquando peccasse, & filios esse in statu capaci pœnæ.

Faciliùs tamen potest admitti dignitas in patre solùm pro tempore quo non est beatus.

Sed dices, ergo poterunt prædicti mortui cum originali puniri pœna acerba sensus ob peccatum parentis.

Responder P. Vazquez illud malum non posse esse pœnam peccati originalis puerornm, propter suprà dicta, nec parentis primi, qui est in beatitudine peecato suo sufficienter purgato; sed oportet assignare rationem diseriminis.

Et dico esse discrimen inter pœnam temporalem huius vitæ, & æternam alterius, quod in hac vita potest esse medicina, & vtilis ad exercitium eius, qui patitur, licèt non sit eius pœna: hoc autem non potest reperiri in pœna æterna sensus in altera vita; secus posset Deus vt Dominus omnium crueiare, siue inferre dolurem, sed non punire.

DVBIVM III.

Quis sit sensus illorum verborum ad Romanos 8. Quis nos separabit à charitate Dei.

Difficultas est, de qua charitate intelligatur iste lucus, an de charitate qua Deus nos diligit, vel de charitate qua nos diligimus Deum.

Et prima sententia est asserentium intelligi de charitate qua nos diligimus Deum, intendebat enim Paulus explicare vim huius charitatis qua ipse diligebat Deum, & a qua nihil poterat illum separare; ita videntur sentire ex antiquis interpretibus non pauci, & ex recentioribus nostræ Societatis Iustinianus, Cornelius, & Mariana *in eum locum*.

Secunda opinio est asserentium loeum esse intelligendum de charitate qua Deus nos diligit propter Christum, hanc sequuntur grauissimi, & insignes Theologi. Cardin. Toletus, Benedictus Pereyra, & P. Vazquez *in eum locum*, *& disp.* 200. *cap.* 10. *num.* 66.

Aliorum sententia est qui vtramque citatam expositionem videntur amplecti, vel saltem admittere vt probabilem, ita P. Manuel Sà in enm locum, licèt secundam opinioonem ponat primo loco.

Aliorum sententia est Paulum loqui de solis prædestinatis, & de charitate qua illi diligunt Deum.

De hoe loco dixi aliqoid 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 72. *dub.* 1. vbi retuli secundam expositionem, *& tomo de gratia*, *opusculo* 3. *disput.* 2. *dub.* 1. vbi secundam expositionem relatam probaui, quia contextui magis consentaneus sensus videtor, vt Paulus loquatur de charitare qua Deus per Christum diligit nos, id est, de voluntate qua Deus paratus est nobis sua dona propter Christum donare. legatur P. Vazquez *disputat. citata*, qoi fusiùs persequitur hanc explicationem.

Modò autem mihi occurrit quod aliquando dixi, posse prædictum locum primariè quidem intelligi de charitate prædicta, qua Deus nos diligit, hæc enim maximè iuuat ad institutum Pauli de fiducia quam habemus in Deo in omnibus periculis, & laboribus: secundariè autem de charitate qua ex auxilio Dei nos diligimos Deum, & qua etiam confirmatur & roboratur nostra spes. Et sermo de vtraque charitate apprimè quadrat in contextu.

Et ex his oon erit difficile soluere quæ pro prima opinione solent adduci à suis autoribus. legantur Iustinianus, & Cornelius, qui ex instituto conantor impugnare secundam sententiam. legatur Bellarminus *tom.* 3. *lib.* 3. *de iustificatione*, *cap.* 15. *& cap.* 9. *in explicatione* 7 *testimonij*.

Et ex dictis soloi potest similis difficultas de A sensu illorum verborum Christi apud Ioannem 15. *Si precepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego precepta Patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione.* Poteit ergo esse difficultas an cùm dirit, *manebitis in dilectione mea*, loquatur de dilectione sui ipsius Christi ad discipulos, vel de dilectiooe discipulorum erga Christum.

Et sunt diuersæ explicationes, sicut loci præcedentis *ad Roman.* 8. Prima eorum qui explicant de dilectione discipulorum erga Christum. Secunda eorum, qui interpretantur de dilectione Christi erga discipulos. legantur Toletus & Maldonatus *in cap. 15. Ioannis.*

Mihl facilius videtur Christum de vtraque dilectione loquutum, licèt primariè de dilectione qua ipse diligebat discipulos, secundariè de dilectione qua discipuli diligebant Christum; vtraque enim habet connexionem cum obseruantia præceptorum.

Quomodo autem ex his locis, vel similibus non colligatur gratiam, vel charitatem hominis iusti semel habitam non posse amitti, docent Theologi in materia *de charitate*, & in materia *de gratia* contra hæreticos, & fusè Bellarminus *suprà locis citatis.*

Dvbivm IV.

An regnum cælorum & gloria proponatur nobis venalis.

SCiendum est iuxta ea quæ diximus explicantes parabolam thesauri, aliquos per thesaurum intelligere vitam æternam, quæ potest comparari bonis operibus ex gratia factis. Et sancti Patres frequenter docent regnum cœlorum nobis proponi venale: ita loquitur Clemens Alexandrinus in parænetico, ne pigeat vel laborasse, si veliris pretiosissimam salutem emere pro thesauro, charitate, & fide vitæ, quod quidem est iustum pretium. Simili modo loquitur Basilius homilia quam scripsit initio Prouerbiorum, & Augustinus *sermone 22. de verbis Apostoli*, *& in Psalm. 63.* Chrysostomus *homil 9. de pœnitentia, & homilia 12. in Matthæum, & homil. 76. in eundem, & homil. 36. ad populum*, Nazianzenus *oratione in sacrum Baptisma quæst.* 40. D

Vnde meritò Patres nostræ Societatis Colonienses docuerunt cœlum nobis proponi venale, eo quòd meritis condignis comparari potest tanquam pretio æquali, non quia in nostris meritis ad Deum sit propria ratio iustitiæ, qualis est inter homines, sed quia opera iustorum ex gratia Dei facta sunt condigna vitæ æternæ.

Sine causa enim impudentissimè Kemnitius hæreticus reprehendebat Patres nostros Colonienses, propter dictam doctrinam.

Meritò autem Iacobus Payua *libro 6. orthodoxarum explicationum* §. *quòd si ad dignitatem*, nostros Societatis Doctores rectè defendit, & calumniam Kemnitij efficaciter refutat.

Prædictus autem modus loquendi emptionis & venditionis fundatur in dignitate operum iustorum quæ fiunt ex gratia & in libera Dei promissione de retributione facienda, quæ condignitas operum colligitur ex prædicta loquutione Patrum.

***

Dvbivm V.

Quis sit sensus illorum verborum Lucæ 12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ, &c.

PRiora verba de cingulo castitatis intelligit Gregorius *hom. 13. in Euang.* similiter Chrysologus de cingulo castitatis intelligit *serm. 24. post initium*, etiam Fulgentius *sermone de Confessione.* Alij de humilitate explicant propter habitum seruituris, à seruorum enim habitu sumitur similitudo illa, & propter eandem rationem alij explicant de perfecta obedientia, nec desunt qui de paupertate intelli-
B gant propter temperantiam circa vsum diuitiarum, & propter contemptum illarum quo prudentes homines quasi arctissimo cingulo constringuntur. Hispanè dicimus, *poner se en pretina, y ceñir se en los gastos.*

Nec desunt qui interpretentur de fortitudine propter similitudinem cinguli, seu baltei militaris.

Posteriora autem illa verba, *& lucernæ in manibus vestris, &c.* de exercitio vniuersali virtutum intelligunt frequenter Patres. Colligitur ex Augustino *serm. 39. de verbis Domini.* Et Chrysologus suprà dum per lucernas intelligit zonam virtutum, & specialiter Fulgentius *loco citato* explicat de lucerna fidei. Et debet intelligi de fide, quæ per dilectionem ope-
C ratur, & mouet ad exercitium bonorum operum. Et idem explicat Cyprianus *circa has verba*, & omnes istæ explicationes simul optimè quadrant in finem parabolæ, & conclusionem eius, concluditur enim his verbis, *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*, nempe mortis & iudicij particularis.

Ex hac autem doctrina Patrum, optimum argumentum sumitur contra hæreticos ad probandum ad iustificationem non sufficere solam fidem, sed necessaria esse opera.

Dvbivm VI.

Quid intelligatur nomine olei, in parabola de decem Virginibus.

GRegorius *homil. 12. in Euangelia*, per oleum in lampadibus contentum internam animi humilitatem intelligit, & per defectum olei vanam gloriam explicat. Chrysostomus *homil. 29. in Matthæum* interpretatur de oleo misericordiæ, & operibus eius, quæ ad vitam æternam necessaria sunt.

Isidorus *cap. 40. libri sententiarum*, per oleum intelligit perfectam animi puritatem, & munditiam, per carentiam olei elationem, & hypocrisim, per quam amittitur externi operis fructus.

Alij dispositionem ad fidem ex gratia. Ex parte
E voluntatis igitur interpretes per oleum, & lampadas fidem & opera intelligunt cum conditionibus requisitis ad meritum vitæ æternæ, & ad mortem in statu gratiæ, hic enim est finis parabolæ & exhortatio per illam, vt patet ex conclusione illius.

Vnde ex his constat iuxta doctrinam Patrum exponentium parabolam istam, ad iustificationem non sufficere solam fidem, sed necessaria esse opera ex gratia Dei facta.

Dubium VII.

De sensu illorum verborum, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Præcipua difficultas consistit, an ibi sit sermo de dilectione & amore, qui est prior ipsa remissione peccati, vel de amore qui sequitur post ipsam iustificationem.

Iansenius *cap.* 48. *concordiæ Euangelicæ*, docet quòd si sermo sit de remissione peccati quantum ad culpam, intelligendum est Christum loqui de dilectione quæ antecedit iustificationem, vel per quam tanquam per formam fit iustificatio: si autem sermo sit de remissione peccati quantum ad pœnam, potest intelligi de dilectione, quæ est post iustificationem à peccato per modum gratiarum actionis.

Caietanus *ibi* docet vtroque modo posse intelligi illa verba, Christum tamen loquutum illo modo, vt ostenderet alio modo comparari dilectionem cum remissione peccatorum, quàm cum remissione debiti pecuniarij, quæ adducta fuerant in parabolam. nam dilectio communiter potiùs est effectus remissionis debiti pecuniarij; cùm tamen dilectio Dei possit esse causa remissionis peccati, & non solùm effectus.

Alij alio modo interpretantur, & docent conclusionem parabolæ posse vtroque modo colligi, vel à priori, vel à posteriori: vt loquuntur Philosophi, id est, vel si ab effectu colligatur causa, vel ex causa effectus.

Alij intelligunt de dilectione quæ sequitur remissionem peccati per modum gratiarum actionis. Ita Augustinus *lib.* 50. *homiliar. homilia* 23. & multi recentiores; & præcipua ratio est, quia hoc modo rectè explicatur, & accommodatur parabola conclusioni illius, quia tota parabola eò spectare videtur vt Christus ostendat Pharisæo meritò mulierem illam exhibuisse signa eximiæ dilectionis, & se rectè ea omnia acceptasse, & passum fuisse se tangi, &c. Videtur ergo loquutus Christus de amore, non quo remittuntur peccata, vel disponimur ad remissionem illorum, sed de amore qui exhibetur per signa externa in gratiarum actionem.

Contendit igitur Christus hac parabola non quidem ostendere Pharisæo modum quo mulier peccatrix consequuta fuit à Deo multorum peccatorum remissionem, nempe per dilectionem, neque parabola insinuat, sed ostendere voluit quàm prudenter, & maturo consilio tot præbuerit argumenta dilectionis externæ; contra verò quàm inurbanè se gesserit Pharisæus nulla signa externa exhibens consuetæ beneuolentiæ.

Et explicari potest. nam cùm proposuisset Christus parabolam, & interrogasset, quis duorum debitorum plus diligeret creditori remittentem debita? Respondit Simon. Existimo, quia is cui plus donauit. quam responsionem approbauit Christus: & probat mulierem illam plura signa dilectionis exhibuisse, propter plura peccata sibi remissa. quod fusiùs persequitur P. Vazquez in materia *de gratia, disp.* 211. *cap.* 5. *à num.* 34 & hic sensus facilis ad explicandum parabolam & conclusionem illius.

Neque contra hunc sensum est, quòd verba conclusionis ipsius parabolæ videantur reddere pro causa remissionis peccatorum magnam dilectionem, potius quàm contra, pro causa magnæ dilectionis remissionem multorum peccatorum. Non enim dixit Christus, ideo remittuntur ei peccata

A multa, quoniam dilexit multum; sed post assignatum discrimen inter signa amoris exhibita à muliere, & non Pharisæo, subiunxit. *Ideo dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* quibus verbis denotauit causam dicendi, non tamen causam rei: causa autem dicendi, & affirmandi aliquid solet esse effectus ipsius rei; rectè enim quis diceret, ideo assero hominem esse rationalem, quia video esse risibilem.

Et idem ostendit altera pars conclusionis: cui autem minus remittitur, minus diligit. quæ verba protulit Christus applicanda Pharisæo.

Prædictam tamen explicationem refutat Maldonatus *in cap.* 7. *Lucæ, circa versum* 42. quia hæc explicatio

B supponit Magdalenæ, fuisse remissa peccata antequam ad Christum accederet; & tamen ipsa ad Christum venit ad comparandam remissionem peccati.

Et certè explicatio P. Vazquez planè videtur supponere peccata fuisse Magdalenæ remissa antequam ad Christum accederet; imò supponit Magdalenam habuisse aliqualem cognitionem eius remissionis, quia ex ea mota est ad exhibenda obsequia externa Christo tanquam signa dilectionis, & internæ actionis gratiarum: aliàs non posset Magdalena in gratiarum actionem exhibere illa obsequia, nisi præcessisset beneficium, & aliqualis cognitio eius, & ita concedit P. Vazquez *cap. citato num.* 16. *prope*

C *finem*, vbi de Magdalena loquens dixit, quia existimabat plura sibi *ab ipsa peccata dimissa*.

Alij verò cum Euthymio & Maldonato suprà censent, peccata non fuisse Magdalenæ dimissa antequam accesserit ad Christum, & ita Christus de præsenti dixit, *remittuntur ei peccata multa*, significans præsentem remissionem, quod expressè & fusè tradit Augustinus *lib.* 50. *homiliarum homil.* 23. & Patres in illum locum Euangelij non semel indicant Magdalenam cognoscentem sua peccata ex gratia Dei & cum aliquali pœnitentia illorum venisse ad Christum, vt consequeretur remissionem suorum peccatorum.

Propter quod Euthym. *in eum locum Lucæ*, alio

D modo videtur intellexisse, cui plus dimissum est, plus diliget, id est, qui plus debebat Domino, plus eum diligebat, vt maiorem illius debito condonationem obtineret, & videtur sententia Augustini *homiliâ suprà citata*. Et videtur non parum efficaciter probari ex eo quòd illa signa videtur Magdalenam exhibuisse ad comparandam remissionem peccatorum.

Mihi ergo tandem placet primò, Magdalenam ex gratia Dei antequam accederet ad Christum, habuisse cognitionem suorum peccatorum, & cognouisse misericordiam Dei, qui noluerat eam punire, sed concedere illi tempus pœnitentiæ, & mouere illam vt Christum quæreret, vt ab eo consequeretur

E remissionem peccati: propter hæc ergo beneficia potuit habere affectum gratitudinis, & aliqualem amorem, ex quo mota est ad exhibenda obsequia Christo ad comparandam perfectam remissionem suorum peccatorum: habuit autem tantam gratitudinem primò ob beneficia cognita, deinde cùm cognosceret magnitudinem debiti, mota est ad exhibenda seruitia ad comparandam remissionem tanti debiti, quod etiam potest habere locum circa signa externa exhibenda à debitore debiti pecuniarij, quando agit de consequutione remissionis debiti pecuniarij, & hoc sensu verum est, eum qui maiua habet debitum, magis diligere creditorem, si velit prudenter procedere, & in hoc sensu recipio explicationem

cationem Euthymij,& nomine *dilectionis* in Magdalena intelligitur affectus ille gratitudinis ob beneficia cognita, & exhibitio signorum, & obsequiorum externorum, ad comparandam perfectam remissionem debiti; & ita optimè intelliguntur illa verba Christi, *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Et cum illa loquens dixit, *remittuntur tibi peccata tua*. Significauit autem Christus illam prudenter se gessisse, propter cognitionem suorum peccatorum, & magni debiti, Pharisæum verò non habuisse similem cognitionem suorum peccatorum, & ideo non ita dilexisse Christum affectu gratitudinis, & exhibitione externa obsequiorum.

Sed potest aliquis obiicere ex Maldonato quòd debitores pecuniarum non solent amare, sed potiùs odio prosequi suos creditores, licèt in Magdalena in debito peccatorum aliter contigerit. Sed respondendum est etiam in debitoribus pecuniarum hoc posse contingere, quando tractatur de comparanda amicitia creditoris, vt comparent etiam remissionem veniæ.

Item antequam referam duas explicationes Maldonati, placet notare pro disputationibus Scholasticis aliquos recentiores, ex citato loco Lucæ bene colligere, dilectionem Dei super omnia esse formam sanctificantem; quod tamen non colligitur, vt constare potest ex dictis, quidquid sit de re ipsa, de qua disputaui in materia *de gratia*.

Alij contendunt probare prædictam dilectionem tantùm esse dispositionem, & nullo modo formam sanctificantem; quod etiam non colligitur, quia Christus non tractabat de hoc, vt constat ex variis explicationibus eius loci.

Deinde placet referre duas explicationes Maldonati, cui aliæ non placent. Vna continetur his verbis: Placuerat aliquando mihi vt Christum inuersa parabula vsum fuisse diceremus, nec argumentaretur à simili, sed à contrario; quemadmodum si dixisset, sicut ille dilexit multum, quia multum illi remissum fuerat, ita huic mulieri è contrario, quia dilexit multum, remissa sunt peccata multa. Hæc explicatio admittenda non est, quia sancti Patres, & interpretes communiter, vel apertè docent, vel supponunt Christum vsum argumento à simili.

Altera expositio Maldonati continetur his verbis: Christus hoc loco Simonem rogat, quis ergo eum plus diliget? etsi futurum tempus est, tamen ex consuetudine loquendi potest sumi pro præterito: Quis ergo eum plus diliget. Quasi diceret, quem tu iudicas ex effectu coniecturam faciens plus antè Dominum suum dilexisse, cùm amicitiæ causa fœnerator vtrique debitum videatur remisisse. Et videtur sensus Augustini *homil.* 20. suprà citata, qui de præterito legit *dilexit*. Sed hæc expositio non differt re ipsa à sententia asserentium Christum loqui de dilectione, quæ dicitur dispositio ad iustificationem, nisi ego fallor, & non assequor mentem huius Doctoris.

Circa illa autem verba quæ Christus dixit Magdalenæ, *fides tua te saluam fecit*, rectè Maldonatus refutat errorem hæreticorum, asserentium solam fidem iustificare, de quo diximus *in* 2.2. *tom.* 1. Dicit autem Maldonatus *in citatum locum*, iustificationem tribui fidei, licèt non sola iustificet, quia est iustificationis initium, fundamentum & radix, vt ex Patribus & Concilio Triden. diximus *loco citato*. Addendum est Christum illis verbis non solùm fuisse loquutum de fide theologica, quæ pertinet ad intellectum, sed de fiducia, & spe roborata, quæ pertinet ad voluntatem.

DVBIVM VIII.

Quid significent apud Ioannem cap. 3. illa verba, Spiritus vbi vult spirat?

DIfficultas est circa particulam illam *spiritus*. Prima explicatio multorum est, intelligi Spiritum sanctum. Origenes, Amonius, Apollinarius, quos author Græcæ catenæ citat *in eum locum*, Nazianzenus *oratione de Spiritu sancto*, Ambros. *lib.* 3. *de Spiritu sancto, cap.* 11. August. 12. *tractatu in Ioannem, & libro* 2. *quæstionum ad Simplicianum, quæst.* 1. Gregor. Magnus *lib.* 17. *moralium cap.* 16. Bernard. *serm.* 74. *in Canticum*, Elias Cretensis in oratione Gregorij Nazianzeni *de Spiritu sancto*, & alij quos citat Maldonatus.

Et potest probari, quia hic sensus de persona Spiritus sancti quadrat in contextum Ioannis, & in materia, de qua agebat ibi Christus, de natiuitate ex aqua & Spiritu sancto.

Alij de aëre, & vento, qui etiam dicitur Spiritus, explicant. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, eo quòd quæ hîc de spiritu docet Christus, optimè in aërem quadrat, & duabus rationibus solet probari à suis Doctoribus. Altera quòd statim dicat Christus, *sic est omnis qui natus est ex Spiritu*, ex quibus verbis apparet priùs eum exemplo vsum fuisse, quod nunc ad rem de qua agebatur accommodet. Exemplum autem ab eo, cuius causa affertur, debet esse distinctum ab eo. Altera ratio est quòd dixit paulo pòst Christus, *si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia credetis*; quòd si de isto corporeo vento loquutus non fuerat, nihil terrenum dixisset.

Tertiam propriam adducit Maldonatus *in citatum locum Ioannis*, qui nomine *spiritus* animam rationalem intelligit, vt in pluribus Scripturæ locis, quæ ipse citat. Et ratio est, hic enim significatus aptissimè conuenit, vt Christus sumpto à vita corporali exemplo ad vitam generationémque spiritualem argumentetur. Quid mirum, inquit, ô Nicodeme, si non intelligas quomodo homo ex Spiritu sancto regenerari possit; cùm intelligere non possis, quomodo ex spiritu isto naturali, quo viuit, generetur, quod Maldonatus fusè explicat, & de ea explicatione iudicium aliis relinquit: eam probat Lorinus in cap. 3. Ecclesiastis. versu 21. & dicit eam amplecti alios tacito nomine.

Et potest adduci illud Ecclesiast. 11. versu 5. *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus* (id est, animæ) *& qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis*; quo in loco spiritus pro anima sumitur, ex consensu omnium, & per se constat, & exemplum est accommodatissimum sermoni, de quo Christus loquebatur cum Nicodemo.

Ex his autem expositionibus secunda magnam habet probabilitatem, propter Doctores autores eius & fundamenta; & meritò plures huius ætatis satis probabilem iudicant expositionem Maldonati, quia & nomen *Spiritus* pro anima sumitur, & exemplum generationis hominis valde accommodatum erat materiæ de qua Christus loquebatur, nempe regenerationi spirituali hominis.

***

DVBIVM

DVBIVM IX.

Quis sit sensus illorum verborum, Ecclesiastis 7. Melior est finis orationis, quàm principium.

VAriè explicatur iste locus ab autoribus. Prima, *melior est finis*, id est, melius est finitum esse negotium, & laborem illius, quàm incipere illud, iuxta Chaldaicam, cuius est secunda expositio generalitet de omni negotio. Alia est Hebræi apud Hieronymom, melius est re finem considerare negotij, qoàm principium, qood exigit prodentia.

Hieronymos de Epilogo integræ orationis intelligit, & putat, quid melius esset propter cessationem solicitudinis. Alia est, *melior est finis orationis, quàm principium*, quia qui incipit andire sermonem, & ad præceptorem vadit, in principio est; qui verò extrema audit, consommatus est.

Alij intellIguot per ptinclpium scientiam hulus vitæ; per finem, scientiam perfectam alterius.

Alij de inchoata iustitia, & perfecta explicant. Bonauent. Hugo, & Carthusianus hunc sensum traduot. Taumaturgus de perotante & orationem finiente inrerpretatur. Oiympiodorus eodem pacto de initio & processn in via virtutis ioterpretatnt. Irerum Hugo & Carthusianus explicant de oratione rhetorica, vel theologica, qua oramus Deum, & de concione. Vlteriùs Hugo de lege diuina intelligit, & per principium explicat timotem, pet finem amotem chariratis.

Lyra de oratione & meditatione rerum diuinarum, in cuius principio solet esse labor, io fine autem consolatio. Titelmanus, Caietanus, & alij intelligunt de perseuetantia in bono statn, ita vt nullus eum deserat, propter illatam calumniam, & nomine *finis* perfectionem vltimam intelligunt. legantur P. Pineda, & Lorious *in citatum locum.*

Mihi iam olim alia occurrebat explicatio, nempe vt sensus sit, melius est finire locutionem inceptam, quàm incipere loqui, oratio enim frequenter pro sermone & loqoutione sumitur, & in loquendo pericula sunt, qoæ omnes nouimus & expetimur: in finiendo autem sermone & tacendo vtilitates plurimæ, quas sancti Patres tractaotes de silentio frequenter tradunt, qui sensus à multis viris probatus est.

DVBIVM X.

Quis sit sensus illorum verborum Ecclesiastis 3. Vnus interitus est hominis & iumentorum, &c.

IN hac disputatione explicanda suot prædicta verba, & nonnulla sequentia, & res est magoi momenti; quia ex his verbis, & sequentibus hæretici non pauci contendont animam rationalem esse mortalem: quem errotem ignorantes multi decepti ab hæreticis dicuntur amplecti.

Sigillatim explicanda sont aliqua verba citati capitis. Prima occurrunt explicanda, proposita in titnlo dubij, *Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & aqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic, & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento ampliùs: cuncta subiacent vanitati.*

Hæc verba duobus modis exponuntur à Catholicis, vno, vt verba dicantur in persona impiorum & stultorum: secunda vt sermo tantùm sit de homine quantum ad corpus. Primam expositionem seqnitur Taumaturgus, Olympiodorus, Hietonymus, & S. Thomas 1. *parte quæst.* 75. *art.* 6 *ad* 1. *&* 2. *contra Gentes cap.* 79. & alij, qnus infrà referemus, & Gregotius 4. *Dialogorum cap.* 4. Secundam verò sequuntur Albinus, & Booauentura, & aliqui recentiores in illud caput; & iuxta boc possont explicari omoia verba in versu citato; sicut & verba quæ sequuntur, & omnia pergunt ad vnum locum.

Deinde explicanda sunt verba illa, *Quis nouit si spiritus filiorum Adam, & si spiritus iumentornm descendat deorsum?* Hæc verba ex mente Hieronymi significant difficultatem qnæ est in cognitione huios rei, quam pauci assequuntur, & hæc significat interrogatio quæ his verbis cootinetur, vt exponit Hieronym. Salonius & alij, & ideo Paraphrasis Chaldaica dixit hanc cognitionem, solùm esse sapientum.

Ex hoc ergo loco iuxta sensum Patrum non possunt hæretici sumere argumentum contra certam animæ immortalitatem. Imò interrogatio illa, *quis scit*, indicat hominis animam immortalem, vt in eum locum notant aliqui interpreres. Placet autem hîc hoc loco explicare quàm sit certa doctrina de immortalitate animæ aliquibus dubiis.

DVBIVM II.

An anima rationalis sit immortalis.

LEgatur Toletus 3. *de anima, quæst.* 15. & autores infrà citaodi *tractatibus de immortalitate animæ.*

Multi senserunt Aristotelem putasse animam oostram esse mortalem, sic dicunt sensisse Aristogenem & Dicæarcbum auditores Aristoclis, vt refert Mirandulanus *libro* 4. *examinis, c.* 4. Plutarchus *libr.* 5 *de placitis, cap.* 2. Galen. *in historia philosophica*, indicat Nyssenus *libr. de anima*, Pomponatius *libello de immortalitate animæ*, Theodoretus *lib.* 5. *Græcanicarum affectionum*, Iustinus Martyt *sermone exhortatorio ad gentes*, Origenes 2. *periarchon*, indicat Nazianzen. *oratione prima Theologia in fine*. Lactantius *lib.* 6. *de resurrectione carnis*. Alexandet Aphtodis. de cuius mente latè Eugubinus *loco infrà citando*, & de mente Aristotel. idem sentit Simon Portius citatos à Toleto.

Secunda sententia est asserentium Aristotelem dubium fuisse in hac opinione, quamuis magis videatur inclinare io animæ immutabilitatem, sic sensit Scotus 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. Durand. 2. *dist* 17 *quæst.* 3. Herueus *lib.* 2. *quæst.* 12. Nyphus *de immutabilitate animæ, cap.* 1. Cano tamen *libro vlt. de locis theologicis, cap. vlt.* putat Aristotelem magis inclinare in contrariam partem.

Tertia sententia est animam esse immortalem secundùm Aristotelem; nonnullos tefert Toletus, alios refert Mirandul. *libro* 4. *examinis, cap.* 9. idem sentit Cootarenus *libro* 1. *de immortalitate animæ*, eruditè, vt assolet, Eugubinos *libro* 9. *de perenni philosophia, à cap.* 8. Villaipandus *Apologia de immortalitate animæ*. Petrus Martinez *tractatu de eadem re*, prolixè Palacios 3 *de anima, cap.* 4. *quæst.* 1. Albert. *tractatu* 2. *de anima, cap.* 20. *&* *tractat.* 3. *cap.* 13. Perérius *lib.* 6. *suæ philosophiæ cap.* 19. Toletus *suprà*, Perez 3. *de anima quæst. vlt.* &, quod maius est, D. Thomas 2. *contra Gentes cap.* 78. *&* 79. Ferrara *ibi*, & eius Scholastici, *&* 12. *Metaphysica.*

Probat Toletus ex 1. *de anima, textu* 66. vbi docet Aristoteles, quòd amare, & cogitare. & similia destruuntur cum comparatione intellectus, aut forrassis diuinius aliquid, & impassibile, est, inquit Aristotel. qui eo fine dicuntur ab illo teste D. Thoma, quia cùm loquutus esset de intellectu admittendo

opiniones

opiniooes aliorum, posset aliquis credere sic sentire Aristotelem: vt verò explicaret non fuisse loquutum ex sua sententia, addidit illa verba, dicit autem *fortassis*, vt aduertit D. Thomas; quia nondum hoc erat determinatum.

Secundum testimonium est ex 2. *de anima, textu* 21. ait enim: de intellectu autem & speculatiua potentia nihil adhuc manifestum est, sed videtur aliud genus aoimæ esse, & hoc solùm indicat Aristotel. 12. *Metaphys. textu* 15. pro informatione animæ, vbi manifestè id affirmat D. Thomas, Antonin. & Andr. & alij; & 2. *de generatione animalium c.* 3. docet actionem intellectus non communicare cum corpore. Idem supponit 2. *de partibus animalium, cap.* 1. & idem 1. *Ethicorum cap.* 11. dicens, Aristotelem scripsisse Dialogum quoodam ad eundem Cyprum, in quo multas adducit rationes, ad ostendendam animæ immortalitatem, vt refert Themistocles *paraphrasi in* 3. *de anima, cap.* 37. ex quo id desumpsit Perexius, qui testatur Eudemum illum fuisse, cuius meminit Cicero 1. *de diuinatione*, oarrans somnium eius de immortalitate animæ.

Propter has autorum sententias est singulare fragmentum cuiusdam iunioris, Aristotelem sensisse, animam quidem rationalem esse immortalem, non enim quæ informat corpus, sed quæ assistens est; aliud verò principium informans materiam hominis, esse corruptibile, quoad principium, si solùm ponatur anima sensitiua. Parum differt hæc sententia ab intellectu Aristotelico; si verò ponator habens etiam operationes rationis simul cum anima assistente, contra mentem Aristotelis est, vt constabit ex dicendis; fundamenta verò philosophica huius sententiæ infrà referam fideliter, & refellam efficaciter.

Mihi videtur primò Aristotelem magis inclinasse in animæ immortalitatem, hoc enim efficaciter probant loci adducti pro tertia sententia: cùm verò affirmo Aristotelem in hoc inclinasse, de immortalitate & duratione perpetua ea parte finis intelligo, vt voluerit animam semel creatam perpetuò duraturam; an verò senserit creari ante corpus, infrà dicemus.

Cum hoc tamen existimo, non omnino Aristot. putasse, sed demonstrasse efficaciter immortalitatem animæ. quæ duo longè diuersa sunt, & ad hoc secundum affirmandum me mouet quòd cùm hæc controuersia fuerit ea ætate inter insignes Philosophos disputata, sine dubio Aristoteles propter consequendam hominum gloriam, cuius erat auidissimus, ex professo mille in locis hanc rem tractasset, si existimaret rem hanc demonstratione per se probari aliqua ratione à se inuenta.

Secundò dico sensisse Aristotelem vt probabilius, animam rationalem informantem esse immortalem; hæc est sine dubio mens autorum, qood citaui pro tertia sententia, & videtur probari efficaciter ex *loco citato* 12. *Metaphysica textu* 16. & 17. nam de eadem anima rationali dicit & esse causam formalem, & manere post corpus, vt ibi explicat S. Thomas clarissimè, Antonius Andreas, & alij expositores, & idem S. Thomas 2. *contra Gentes, cap.* 79.

Dices, in eo loco Aristotelem loqui dubitatiuè. Respondeo primò quòd illa dubitatio secundùm aliquos cadit supra omnes animas, quia forsan aliqui putabant omnem animam esse separabilem, sic interpretatur hunc locum Sotus 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. indicant aliqui expositores *loco citato*, dicúntque hoc esse familiarem modum affirmandi: neque desunt qui etiam addant Græcam particulam esse affirma-

A tiuam; addo tamen ex propria sententia huiusmodi modum loquendi significare Aristotelem non putasse suam sententiam demonstrari.

Superest explicemus aliquos locos illustriores, quibus vtuntur existimantes Aristotelem sensisse animam informamtem hominis esse mortalem.

Primus locus est 3. *de anima, cap.* 5. in quo Aristoteles ait intellectum passiuum extingui. Respondent nonnulli ex opinione Simplicij, qui sic intelligit illum locum vt dicatur intellectum passiuum extingui, non quòd secundùm rem corrumpatur, sed quia amittit statum passiuum, quia cùm pro eo statu non accipiat species à rebus, non patitur iam ab obiectis, & propter similem rationem D. Thomas
B 1. *parte quæst.* 54. *art.* 4. contendit in argumentis non esse intellectum possibilem, id est, passionem, quia non patitur ab obiecto, in opinione S. Thomæ, sed habet species infusas à Deo; hæc tamen doctrina non potest sufficienter probari ea mente S. Thomæ.

Et ideo S. Thomas, & alij eo loco nomine intellectus passiui iotelligunt imaginationem. nam *eodem libro cap.* 3. dixerat Aristoteles phantasiam esse quasi quendam intellectom, & 1. *Ethicor. lect.* 2. apud S. Thomam dixit partem sensuum esse rationalem quatenus per obedientiam subditur rationi.

Et secundùm hanc sententiam dicunt Aristotelem affirmare, animam rationalem in statu separationis non recordari rerum quas in hac vita sciuerat
C secundùm eundem modum, id est, cum conuersione ad phantasmata. legatur Toletus, Palacios & alij, Buridanus *quæst.* 5. *ad vltimum.*

Et ex hac doctrina intelligitur quod docuit Aristot. 1. *de anima, textu* 66. quòd intelligere corrumpitur quodam interitu, & quod attinet ad locum Aristotelis, hæc secunda explicatio videtur verior; sed quod attinet ad præsentem quæstionem, sine dio nobis fauet locus ille. nam nisi sopponat Aristoteles animam manere post corpus, quomodo quæreret causam ob quam post mortem non reminiscatur, id quod optimè ponderauit Buridanus *quæst. citata, in corpore.*

Secundò potest obiici, quia Aristoteles 1. *Ethicor.*
D *cap.* 16. aut secundùm aliam diuisionem *cap.* 10. reprehendit Solonem, eo quòd dixerit beatitudinem veram superesse homini post hanc vitam; veruntamen si attentè legator illud caput, oppositum colligitur ex Aristotele: vt verò aduertit D. Thomas *lectione* 15. illud videtur Aristot. reprehendere in Solone, quòd in tempore mortis ponat felicitatem huius vitæ, quod ideo putat inconueniens, quia ex eius sententia felicitas consistit in comparatione, ad quam homo eo tempore minus est aptus.

Tertiò possunt simul obiici oonnulli loci faciles. 1. *lib. physicorum, textu* 83. ait Aristot. de formis genetabilibus, & corruptibilibus, & 2. *physicorum textu* 12. formam sola ratione posse separari à mate-
E ria, & 4. *physic. textu* 17. probat formam oon esse locum, quia locus separator à re, non tamen forma, & 8. *physicor. textu* 52. ait, principia quæ se mouent per accidens esse corruptibilia, anima verò se mouet per accidens ad motum corporis, & 7. *Metaphys. textu vltimo*, dixit partes quæ destructo toto manent, solùm esse partes materiales.

Respondetur ad primum quòd Aristoteles appellat formas genetabiles, & corruptibiles formas rerum corruptibilium & generabilium.

Ad secundum, vel quòd Aristoteles loquitur de forma vt natura formaliter, & actu respectu totius, quam rationem etiam anima rationalis actu non habet, nisi quando actualiter est coniuncta; vel per

separatio

separationem intelligit distinctionem quidditatum, A & in hanc secundam inclinat *ibi* S. Thomas.

Tertius locus facilè intelligitur, argumentum enim Aristotelis tale est, forma non separatur à re cuius est forma, manente ipsa re; ergo forma non est locus, quia hic separatur à re, manente ipsa re.

Ad quartum dicendum, quòd, vt sanctus Thomas, & alij explicant, eo loco tantùm docet Aristoteles, principia quæ se mouent per accidens esse in rebus corruptibilibus.

Vltimum testimonium nihil habet roboris, quia Aristoteles ibi non negat formam aliquam esse separabilem à toto, sed tantùm affirmat, omnem partem separabilem ab illo habere quodammodo rationem materiæ respectu totius, vt constat ex physicis: B ex his omnibus ergo locis non colligitur animam rationalem esse corruptibilem, ex Aristotele.

Quartò potest obiici, quia Aristoteles 12. *Metaphysicæ, textu* 39. ait quòd Deo felicitas inest perpetuò, nobis verò paruo tempore. Et 3. *Ethicor. & hic cap.* 6. ait, quòd fortis in periculo mortis timet, quia omnium terribilium vltimum est mors, & mortuo nihil videtur boni, vel mali accidere.

Ad primum dicit Toletus, quòd Aristoteles loquitur de felicitate quæ inest toti, non de ea quæ post mortem potest inesse animæ, & reuera videtur conformis Aristoteli.

Locum ex Ethicis exponit Toletus hoc modo, vt fortis timeat mortem secundùm Aristotelem, quia C post illam nihil boni, aut mali potest accidere, id est, quia post mortem non habet materiam, circa quam exerceat suam fortitudinem. S. Thomas *ibi lect.* 14. sic interpretatur, vt mors dicatur vltimum terribilium, quia est terminus totius vitæ præsentis, & nihil post mortem videtur homini mortuo bonum, vel malum esse, de his, quæ pertinent ad præsentem vitam.

Mihi videtur Aristotelem *ibi* non negare, posse aliquid boni, vel mali accidere animæ post vitam, sed homini, quia ipse non cognouit resurrectionem, cum quo tamen potuit arbitrari animam esse perpetuam. Addo secundò, quòd non loquitur absolutè, sed quasi ex communi conceptione vulgi ignari. D Addo tertiò quòd *ibi* apertè videtur supponere Aristoteles animas mortalium hominum futuras post mortem, aliàs dicere posset, non posse fortitudinem versari circa periculum futurum post mortem, quia neque anima manet post mortem.

Quintò solet obiici ex doctrina Aristotelis 1. *cæli cap.* 12. *textu* 26. dicit enim *ibi* rem habentem principium, habituram finem, & è contrario; sed sentit animam incipere: ergo sentit habituram esse finem. Satis exhibuit Aristotelicis negotij præsens difficultas.

Dico breuiter Aristotelem *loco citato*, loquutum fuisse contra Platonem, qui mundum genitum ex contrariis putasse dicitur semper duraturum, vt latiùs docent autores 1. *cæli, loco citato*; secus verò est in E simplici entitate alicuius formæ, qualis est anima rationalis. An verò ex immortalitate animæ liceat inferre Aristotelem cognouisse creationem, dixi 8. *physicorum*, vtrùm autem sequatur in doctrina Aristotelis infinitas animarum, dixi agens de infinito. Solet etiam obiici, quòd si anima est separabilis secundùm Aristotelem, sequitur illam esse mobilem, contra doctrinam ipsius 6. *physicorum*, dicentis indiuisibile non posse moueri. Tangit hanc difficultatem Toletus 3. *de anima, quæst.* 15. quam etiam tetigerat 1. *de anima, q.* 9. quam ego in Metaphysica ex professo tractabo, agens de anima separata.

Sextò potest obiici ex 1. *de partibus animalium, c.* 1. in quo dicit Aristot. animam non esse naturam, quod necessariò videtur intelligendum de anima non informante; ergo cùm sentit animam esse immortalem, scilicet non communicare cum corpore, exponi potest de anima informante. Verùm quomodo sit intelligendus totus ille contractus, dixi in Philosophia.

Septimò obiicitur doctrina Aristotelis 1. *de anima, textu* 8. in quo cùm proposuisset differendum esse an sit vna communis definitio animæ ex *textu* 13. hoc pendere ex eo, an habeat propriam aliquam operationem: tandem *textu* 15. concludit esse physici naturalis agere de anima aut omni, aut aliqua, quo in loco videtur velle Aristoteles tradere eandem doctrinam, quam tradidit *loco citato* præcedenti argumento, & iuxta eandem doctrinam dicendum est tantùm velle Aristotelem, vel aliquam animam, scilicet intelligentiam non pertinere ad physicum, vel animam rationalem, secundùm aliquem statum non pertinere ad eundem, & ex hac doctrina similes loci expendendi sunt.

Octauò obiicitur quòd Aristoteles 1. *de anima, text.* 24. reprehendit Anaxagoram, quia non videtur distinguere animam ab intellectu; cùm tamen mens, & intellectus non sint in omnibus, in quibus est anima, imò neque in omnibus hominibus; quo loco vtuntur iuniores pro quarta illa sententia, quasi Aristoteles distingnat mentem assistentem ab anima informante.

Pro solutione notandum est, quod Toletus notat ex Simplic. & aliis Græcis, eo loco per intellectum significari potentiam intellectiuam cum actu prudentiæ, qui re vera non est in omnibus hominibus, pueri enim non habent vsum prudentiæ.

D. Thomas ferè eodem sensu interpretatur intellectum affectum habitu prudentiæ, & re vera Aristoteles *citato loco*, nomine *intellectus* potentiam intellectiuam significauerat, & ideo meritò Toletus cæcos appellat eos, qui ex hoc loco colligunt, vel intellectum non esse à natura, vel non inesse omnibus, quod est contra mentem ipsius Aristotelis *sect.* 30 *problemat. quæst.* 5.

Nonò obiicitur locus quidam ex 2. *de generatione animalium cap.* 3. in quo Aristot. inquirit, an animæ omnes sint in semine, vel vnde illas recipiant viuentia, & postquam loquutus est de vegetali, sensuali & rationali anima, addit, de mente etiam dubium esse potest quónam tempore & modo ea recipiant viuentia, ex quibus verbis colligitur quarta opinio suprà posita.

Pro intelligentia huius loci necessarium est quòd vt soluat Aristot. dubium illud, supponit factum esse animatum, supponit etiam vt certum sensualem animam, qua viuens constituitur inesse animalis, recipi in materia seminis, etiam tempore præcedenti ante informationem animæ rationalis.

His positis sic ait Arist. Quamobrem & de mente etiam, quónam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur. Ex quibus verbis non est cur colligamus de quarta aliqua anima distincta tribus præcedentibus esse sermonem, sed dubium esse de tertia illa, quam dicunt etiam hic recipi in materia, vnde si benè perpendatur totus contextus, nec leuissimum quidem fundamentum habet in illa quarta sententia. Et hæc sufficiant pro hoc loco, quantum ad præsentem difficultatem; quomodo verò soluat *ibi* Aristoteles dubium propositum, non est huius loci: an verò ex eo inferatur Aristotelem sensisse

animam

animam rationalem esse ante corpus, suo dicam loco.

Vltimò obiicitur pro quarta sententia, quòd Aristot. 2. *de anima, cap. 4. textu 65.* videtur affirmare intellectum, esse substantiam quandam, & non corrumpi, & quòd extrinsecus videatur aduenire, quibus verbis videtur significare Aristoteles hunc intellectum aduenire homini iam constituto: sed S.Thomas, & alij intelligunt Aristot. loqui ex sententia aliorum: Toletus verò nonnullas reiicit expositiones, & ipse ibi ait, per *intellectum* significari animam, de qua verificatur quòd sit substantia quædam quòd non corrumpatur, & quòd extrinsecus adueniat, id est, quòd non educatur ex potẽtia materiæ. Hæc sufficiant ex multis locis quos attigimus, ex quibus facilè est alia explicari.

Quæres quænam fuerit mens aliorum Philosophorum circa immortalitatem animæ de mente Platonis, consentiunt autores animam rationalem esse immortalem, de quo legi potest Pereyra *lib. 6 sua Philosophia, c. 18.* Eugub. *lib. 9. de perenni philosophia,* plores alios Philosophos afferunt autores. Idem senserunt multi Stoici, & Pythagoras, vt refert Plutarchus *lib 4. de placitis, cap. 7.* & multi ex Græcis, qui suam philosophiam sumpserunt ab Hebræis, vt refert Iosephus *lib. 1. contra Apion.* legatur Eusebius *lib. 10. de præparatione,* & Berosus *lib. 3.* Herod. *lib. 2.*

Aduertendum tamen est in hoc fuisse deceptos plures Platonicos, quòd posuerunt transmigrationem einsdem animæ à corpore in corpus, quod eruditè refellit Eugubin. *lib. citato cap. 25.* legi potest S.Thomas 2. *contra gentes, c. 93. 94. & 95.* & Lactant. *lib. 7. diuinarum institutionum* legatur Antonin. 1. *p. theologali. cap. 5.* Apuleius *lib. de Deo Socratis,* August. *9. de ciuit. cap. 16.*

Dvbivm XII.

An ratione naturali possit probari immortalitas animæ.

ANte omnia supponendum est fuisse errorem Sadducæorum negãtium animas post mortem durare, vt multi ex iunioribus referunt. legantur Patres circa *c. 22. Matth. & circa 10. eiusdẽ, & circa c. 10. Sapientia, & varijs tractatibus de immortalitate animæ, homilijs de resurrectione Domini, & circa cap. 15. 1. Corinthiorum, & circa cap. 19. Iob.* legantur Scholastici *4. dist. 44.* qui meritò docent secundùm nostrã fidem animam esse immortalem, éstque expressè definita hęc veritas in Cõcil. Lateran. III. *sect. 8.* & vt docuit S.Thom. 2. *contra Gent. c. 79.* infinitæ sunt autoritates Scripturæ, quæ animæ immortalitatem protestãtur.

Sed quæri potest, an anima nostra sit immortalis tantùm ex dono Dei, vel etiam ex natura sua. Respondeo cùm Patres dicunt animam esse immortalem, intelligendos esse secundùm suam naturã, nunquam enim dicunt aliquid, ex quo possit intelligi, illos velle animam ex speciali miraculo duraturam post mortem, & hic sensus apertè videtur intentus à Leone X. in Concilio Lateranensi *sess. 8.* sic enim dicitur, cùm diebus nostria nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis esse mortalem, &c.

Et addit, Sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectualem esse mortalem, vel vnam in cunctis hominibus, vel hæc in dubitationem vertentes, cùm illa non solùm verè & per se & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in canone Clementis Pontificis V. generali Viennensi Concilio edito continetur, verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis multiplicata, & multiplicãda. quibus satis indicat & clarè Cõcilium animam rationalẽ per se & essentialiter esse immortalẽ, sicut & corporis forma, prætertim, cùm in hac definitione damnentur illi qui affirmabant secundùm suam naturam esse mortalem.

Vnde meritò Bañes 1. *part. quæst. 75. art. 6.* ait, certum esse secundùm fidem animam rationalem ex natura sua esse immortalem; & ob idem testimonium Molina 1. *part q. 50. art. 5. col. 1608.* ait esse periculosum in fide asserere Angelos suapte natura esse corruptibiles; quare existimo parum esse tutum in fide, dicere non esse certum secundùm fidem, animam rationalem esse immortalem ex natura sua, quod audacter affirmant aliqui iuniores.

Quæres tamen primò, quomodo in Concil. Constantinopolitano VI. *act. 12.* dicit animas, & cætera inuisibilia esse immortalia, non per naturam, sed per gratiam. Respondeo mentem Sophronij, cuius est illa epistola, esse nullam entitatem esse ex natura sua immortalem, quin egeat concursu Dei. quam doctrinam tradiderat Dionysius 4. *de diuinis nominibus, & 6.* vt bis locis aduertunt eius interpretes, & ipse se manifestè declarat *cap. 6.*

Quæres secundò, quomodo solus Deus dicatur habere immortalitatem. Respondetur quòd dicitur solus Deus habere immortalitatem sumptam pro omnimoda immobilitate, vt exponit Dionysius 1. *de diuinis nominibus,* & hoc modò explicat S.Thomas 1. *part. quæst. 50. art. 5. ad 1.* id quod dixit Damascen. 2. *de fide cap. 3.* Angelum esse substantiam intellectualem gratia, & non natura immortalitatem suscipientem, vult enim D.Thomas immortalitatem sumi à Damasçeno pro perfecta immotabilitate, omnis enim mutatio mors quædam est, vt inquit Augustinus *lib. 5. contra Maximum.* Et *epistola ad Dioscor. circa medium,* potest etiam Deus solus dici habere immortalitatem à se per suam essentiam, sicut dicitur bonus. Addendum verò est ex doctrina S.Thomæ 2. *contra Gentes, cap 30. & 55. & 1. part. q. 50. art. 5. ad vltim.* quòd licèt Angelus possit ab extrinseco deficere, tamen hoc non impedit, quin ex natura sua dicatur incorruptibilis, quia quantum est ex principiis extrinsecis, non habet vnde postolare possit decisionem: & idem est de anima: vnde huiusmodi res simpliciter possunt dici incorruptibiles, & immortales, quidquid malè dixerit Gabriel *in 2. dist. 2. quæst. 1.*

Quæres tertiò, quomodo dicatur Ecclesiastis 3. *Vnus est interitus hominis, & iumentorum.* Respondeo *ibi* Sapientem loqui ex persona impij & insipientis, vt docuit S.Thomas 2. *contra Gentes, cap. 79. in fine,* & expositores Scripturæ *loco citato,* & suprà citati autores agentes de immutabilitáte animæ. legatur S.Thomas 1. *part. quæst. 75. art. 6. ad 2.* Canus 12. *de locis theolog.* Sotus 4. *dist. 43. quæst. 1.* Et aliam expositionem attulimus suprà, vt Sapiens loquatur de homine quantum ad corpus, de quo etiam nonnulla verba sequentia possunt intelligi.

Restat ergo vt videamus an hæc fidei veritas possit probari ratione naturali; in quo supponẽdum est, non posse impugnari ratione naturali hanc veritatem, quia contra veritatem nullum habet medium ratio naturalis, & ideo præcipit Concilium citatum, vt rationes philosophicæ factæ contra veritatem fidei soluantur à catholicis autoribus.

His positis, multæ sunt rationes quibus autores conantur probare animæ nostræ immortalitatem, plures affert Toletus 3. *de anima, quæst. 16.*

Prima ratio ſit, qua ſæpe vtitur S. Thomas: Anima noſtra habet operationem ſpiritualem; ergo eſt ſpiritualis; ergo independens à materia; ergo ex ſolo defectu materiæ non eſt corruptibilis. Probatur primum antecedens. nam intellectus cognoſcit res ſpirituales; ergo operatione ſpirituali. Conſequentia fundatur in proportione requiſita inter operationem, & obiectum. Antecedens probatur, quia iudicat inter res materiales & ſpirituales.

Dices intellectum noſtrum cognoſcere ſpiritualia per ſpecies rerum materialium. Sed contrà eſt, quia licèt vtatur huiuſmodi ſpeciebus, tamen aliqua prædicata reuera affirmat de ſpiritualibus quæ nullo modo poſſunt conuenire rei materiali, quod efficaciter arguit hoc obiectum eſſe intra latitudinem obiecti huius potentiæ; quòd verò pro hoc ſtatu non vtatur propriis ſpeciebus, ſolùm arguit imperfectam cognitionem pro hoc ſtatu: at ſi dentur illi ſpecies propriæ, perfectè poterit ea obiecta cognoſcere.

Secundò declaratur ampliùs, quia ſæpe intellectus cognoſcit res abſtrahendo illas à tempore & ſingularitate diſtinguens prædicata indiſtincta, qui modus reuera videtur excedere facultatem potentiæ materialis: aliàs non poſſet efficaciter probari bruta non habere ſimilem modum cognitionis. Et declaratur ampliùs, tum ex reflexione intellectus ſupra proprium actum, & ex vi diſcurſiua, qua ex vno infert aliud, & per omnia entia & non entia diuagatur mirabiliter.

Quòd ſi habet ſpiritualem operationem, ſtatim ſequitur ipſam eſſe incorruptibilem, quia ſi habet operationem independentem à materia, neceſſe eſt habeat eſſe independens à materia, quia ipſa operatio infert tale eſſe. Ex quo fit vlteriùs, quòd hæc forma non poſſit corrumpi per ſolam expulſionem à materia, quia aliæ formæ ex eo corrumpuntur quando expelluntur à materia, quia ex natura rei pendent in eſſe à materia, neque habent operationem quam poſſint exercere independenter à materia, ex quo colligo animam rationalem non poſſe eſſe corruptibilem ratione contrarij, neque ad defectum ſubiecti, neque ex defectu agentis, quia pendet immediatè à ſolo Deo, quam ratiocinationem doctè perſequitur S. Thomas multis in locis, ſpecialiter legi poteſt 2. *contra Gentes, cap.* 79.

Sed dices. Licèt anima modò non dependeat in ſuo eſſe à materia, atque adeò inde pendeat à corpore, vt à ſubiecto, quoad operationem ſpiritualem, pendet tamen de facto à corpore vt ab obiecto, id eſt, vt à miniſtrante ſpecies obiecti; ergo deficiente hac potentia miniſtrante obiecta, deficit anima. Reſpondetur quòd licèt de facto habeat anima hanc connexionem cum materiali potentia miniſtrante ſpecies; tamen hoc ipſo quòd habet ſpiritualem operationem, quæ eſſentialiter non requirit huiuſmodi connexionem actualem, neceſſariò fit vt hæc forma ſit ſeparabilis à materia, quia poteſt exercere hanc operationem, vel per ſpecies receptas in corpore, vel per ſpecies receptas à prima cauſa, quod fusè perſequitur, vel de fide ſacra, Philoſoph. *cap.* 4. *pag.* 88.

Et ex hac doctrina intelligitur diſcurſus S. Thomæ 1. *part. quæſt.* 75. *artic.* 6. & nonnulla alia quæ docuit agens de incorruptibilitate Angelorum 1. *part. quæſt.* 50. *art.* 5. & *ibi* eius Diſcipuli, *&* 2. *contra Gentes, cap.* 55. legatur Canus *loco citato*, Fracaſtorius *dialogo de anima*. Perez *quæſt. vltima* 3. *de anima*.

Sancti etiam Patres immortalitatem animæ co-

A nati ſunt, Auguſtin. 2. *libro ſoliloquiorum*, *&* *libello de immortalitate animæ*. Ambroſius *lib. de bono mortis*, Chryſoſtom. *homilia* 4. *de prouidentia*. Et quamuis plures afferant rationes, ea tamen quæ ſumitur à prouidentia Dei, viſa eſt Patribus valde efficax; ſuppoſito enim eo quod videtur lumine naturali notum, ſcilicet Deum habere prouidentiam, (vt fert communis Philoſophorum & Theologorum ſchola) ſtatim videtur ſequi animam duraturam poſt mortem, in omni enim republica bene inſtituta ſpecialis prouidentia gubernatoris eſt pœna afficere malos, præmio bonos, quod tamen ex omni parte & perfectè non videmus exequi in hac vita, cùm ſæpe mali delicioſè viuant, boni verò multis ma-
B lis afficiantur vſque ad mortem; ergo neceſſe eſt vt in altera vita mali puniantur, boni verò præmio afficiantur.

Vnde (vt refert Clemens Romanus *lib.* 3. *recognitionum*) dixit D. Petrus: Si Deus iuſtus eſt, anima immortalis eſt. Similem rationem indicat Plato *dialogo de immortalitate animæ, in fine*, & Socrates, vt Tuſculana 1. refert Tullius, & ſimile quid dixit Epicarmus, vt refert Eugubinus *lib.* 9. *de perenni philoſophia, cap.* 15. quam rationem pluribus verbis perſequuntur Patres, & citati autores; & reuera hæc ratio efficaciſſima eſt.

Vnde meritò diſplicet Scotus multis autoribus; audacter enim 4. *diſt.* 43. *q.* 2. putat rationem hanc
C inefficacem eſſe. Primò, quia exiſtimat non eſſe lumine naturali notum, Deum habere prouidentiam. Secundò, quia etiam ſi hoc principium probetur, tamen ſufficiens præmiū virtutis eſt virtutis ipſius delectatio; & pœna ſufficiens malum eſſet ipſa inordinatio ſuæ voluntatis. Verùm circa illud primū Scoti legendi ſunt autores in materia de prouidentia, & contra illum diſputat Canus *loco citato*.

Neque videtur ſufficiens ex omni parte præmium virtutis ſola naturalis delectatio, cùm ſæpe opera virtutis fiant magno labore: tum etiam, quia vitium non ſemper habet annexam tantam pœnam, quantam delectationem. Præterea, quænam delectatio eſſe poſſet, in ſola perferenda acerbiſſi-
D ma morte, ſi nulla eſſet ſpes futuri præmij. Et reuera vix videtur tantam potiùs ſe habere difficultatem *Ieremiæ* 12. *Iob* 21. *Habacuc* 1. *&* 2. Dauid *Pſalm.* 71. circa inquiſitionem cauſæ, ob quam Deus ſinit malos delitioſè viuere in bonis, bonos verò doloribus affici.

Vlteriùs, ſi vera eſſet mens Scoti, quomodo verificaretur illud Pauli 1. Corinth. 15. *Si in hac vita tãtùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Præterea ſi nulla eſſet alia pœna peccatorum, quomodo homines poſſent auerti à vitiis? quis eſſet timor pœnæ? qualis virtutis amor?

Eſt etiam non leue argumentum pro immortalitate animæ petitum ab autoritate ſapientiſſimorum
E Philoſophorum, multarúmque gentium, videtur enim inſita à natura notio homini, vt in ſimili *Tuſculan.* 1. argumentatur Cicero, vt probet Deum eſſe. Peti etiam ſolet alia ratio non leuis momenti in philoſophia petita à fine hominis, quia neceſſariò videtur eſſe affirmãdum hominem habere vltimum finem ſuum, quem tamen in hac vita miſeriis plena non videtur conſequi.

Eſt tamen dubium, an hæ rationes demonſtrent animæ immortalitatem. Scotus enim ſuprà exiſtimat non eſſe demõſtratiuas, & Vatablus *Eccleſiaſt.* 3. *num.* 21. exiſtimat ratione naturali non cognoſci immortalitatem animæ. Valles tamen, & Canus aliíque iuniores communiter exiſtimant rationem

illam

illam petitam ab operatione esse demonstrationem philosophicam, & ideo Toletus *quæst.* 16. existimat sententiam Scoti esse temerariam, de qua censura modò non disputo. Chrysostomus *loco citato*, existimat suam rationem esse hac clariorem, atque eos qui dubitant de immortalitate animæ posse etiam dubitare an in meridie sit dies, neque fundamentum Vatabli aliquid habet efficacitatis, quia, vt diximus, in illo capite sermo est ex persona insipientis.

Sed potest aliquis pro Scoto obiicere ex Augustino 13. *de Trinitate, cap.* 9. ait enim paucos cognouisse immortalitatem animæ. Respondetur tamen quòd expressè in eo cap. Augustinus affirmat aliquos ratione naturali inuenisse immortalitatẽ animæ; videtur autem loqui de his qui proprio labore huiusmodi cognitionem adepti sunt. Addi etiam potest quòd Augustinus *ibi* non loquitur de qualibet immortalitate, sed de immortali statu futuro post hanc vitam simul cum beatitudine.

Secundò obiicit Scotus ex Gregorio *lib.* 4. *moralium, in fine*, qui adductis quibusdam rationibus pro immortalitate animæ, addit: Qui propter has rationes non vult credere, credat propter fidẽ; quasi supponat Gregorius rationes nõ esse omnino efficaces, quæ verba non inuenio apud Gregorium, & tamen quamuis sint illius, facilè possunt explicari. neque enim affirmat Gregorius rationes esse inefficaces, sed cùm ad fideles esset sermo, meritò potuit dicere, si quis non mouetur his rationibus, credat propter fidem.

Quæret aliquis, an bene Aristoteles ex operatione probauit immortalitatem animæ, dubiolum hoc propositum est, vt explicẽtur nõnulla, quæ circa hoc dixit Aristoteles. 1. enim *de anima à textu* 12. ponit aliquas propositiones. Prima est, si intelligere est imaginatio quædam, aut non sine imaginatione, non erit sine corpore. Secunda, si anima humana aliquam habet propriam operationem, fieri potest vt à corpore separetur: si autem nulla sit propria operatio animæ, separabilis non est.

Circa vltimam notandum est, multum laborare Themistocl. Auerroem, Ægidium & alios interpretes, in explicando modo argumẽtationis, quo vtitur Aristoteles, & mihi placet breuiter affirmare, illam ratiocinationem Aristotelis ratione materiæ esse bonam, sic docuit Apollinarius & alij, quãuis etiam possit dici quod docuit S. Thomas, non esse ibi aliquam ratiocinationẽ, sed contineri duas propositiones, quæ possint deseruire ad inuestigandam animæ immortalitatem, quod alij etiam amplectuntur.

Secundò oportet explicare, quid intelligat Aristoteles nomine propriæ operationis. Pro quo notandum est, quòd licèt omnes operationes vitæ procedant ab anima, tamen quædam sunt, quæ in corpore vt in subiecto, & organo recipiũtur, ac perinde pendẽt ab illo vt à causa materiali. Alia potest esse operatio, quæ & ab anima fit, & non recipiatur in corpore, atque adeò nec pendeat à corpore, vt à subiecto, vel organo. Cùm ergo Aristoteles ait, animã esse separabilem si habeat propriam operationẽ, de operatione propria loquitur. Secũdo modo intelligendus est secundùm S. Thomã & alios, & communiter recipitur à iunioribus, quamuis Toletus velit quòd loquatur Aristoteles de operatione, quòd neque à corpore vt obiecto dependeat, hæc autem, inquit ille, est cognitio intelligentiarum. Verumtamen (vt dicam suo loco) nulla est talis cognitio in hoc statu, & ideo de illa non potest explicari Aristoteles, & in his quidem propositionibus conditionalis est sermo Aristotelis. Quòd verò ipse senserit animam habere propriam operationem, colligendum est ex locis suprà citatis, pro immortalitate animæ, ex mente Aristotelis.

Sed quæres, quomodo Aristoteles 3. *de anima textu* 30. docuerit intellectum nunquam intelligere sine phantasmate, videtur enim sequi ex mente illius animam esse mortalem.

Hoc argumentum adeò efficax visum est Caietano, vt propter illud dixerit Aristotelem his libris sensisse animam esse mortalem, quia *lib.* 1. *loco citato*, docuerat animam esse mortalem, si est imaginatio, vel non sine imaginatione.

Sed si hoc ita esset, vix posset à contradictione liberari Aristot. vt constat ex *loco* 12. *cit. Metaphysicæ*.

Secundò contra hoc est quòd si Aristot. 1. *lib. de anima, textu citato*, nomine *propriæ operationis* intellexisset eã quæ non pendet à corpore vt obiecto, quod tenetur dicere Caietanus, ferè euidenter sequeretur supponi statum separationis, vel saltẽ pro hoc statu esse talem modum operandi: hoc autem secundum omnino pugnat cum experiẽtia, illud verò magnum vitium esset in argumento. Tum etiam quia (vt vidimus) ex operatione independenti à corpore vt à subiecto, colligitur independẽtia animæ à materia: ergo sufficit si nomine *propriæ operationis* hanc intelligat.

Ad dubium ergo propositum respondent aliqui, quòd Aristoteles 3. *de anima, loco citato*, dixit animam non esse sine imaginatione, quod intelligendum est pro hoc statu; cùm verò 1. *de anima* dixit quòd si anima est phantasia, vel non sine illa, nõ est separabilis, intelligendus est, si pro nullo statu sit sine illa: sed hæc explicatio etiam videtur inuoluere duplicẽ statum, illúmque supponere, & ideo ex dictis possumus explicare Aristotelem. Pro quo notandum est, quòd tribus modis potest dici aliqua operatio pendere à potentia materiali, vno modo vt ab efficiẽte immediatè, sicut visio pendet à visu. Alio modo tanquam à proponente obiectum, sicut actus appetitus sensitiui pendet ab operatione sensus interni. Tertio modo tanquam à concomitante, propter connexionem cum eadem anima, qua ratione (vt suo loco dicam) pendet intellectus ab operatione sensus interni, etiã postquam habet speciem obiecti; cùm ergo Aristoteles dixit, quòd si anima aliquam habet propriã operationem, est separabilis, nomine *propriæ operationis* intelligit operationem independentem à potentia materiali, non tantùm tanquam ab eliciente, sed etiam tanquam à proponente obiectum, ita vt aliquo modo solùm pendere possit à potentia materiali propter concomitantiam, quam operationem habet reuera anima in hoc statu.

Cùm verò dicit Aristoteles animam non esse separabilem si est phantasia, vel non sine illa, iuxta duos modos priores intelligendus est. At cùm 3. *de anima*, ait non esse intellectum sine phantasia, iuxta tertium modum intelligendus est, & hanc explicationem meritò amplectũtur plures huius ætatis. legatur Aristoteles 1. *de anima, textu* 12. & 14.

DISPVTATIO VI.

Moralis, & Scholastica.

An sit præceptum aliquod suscipiendi extremam vnctionem in periculo mortis.

IN hac controuersia communior opinio est, nullum esse præceptum: citatur S. Thomas *in* 4. *dist.* 23. *art.* 1. *quæstiuncula* 3. *ad* 1.

& apertè sequitur Paludanus *ibi quæst.* 3. Soto *quæst.* 1. *art.* 1. Supplem. Gabrielis *quæst.* 1. *dub. vltim.* Syluester *verbo extrema vnctio, quæst.* 9. Nauarrus *in summa, c.* 22. *num.* 16. Caietanus *verbo vnctio extrema.* Armilla *eodem verbo, num.* 1. Victoria *in summa, num.* 219. Ruardus *artic.* 12. Couarr. *in cap. alma mater,* 2. *part.* §. 2. *n.* 6. P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 44. *sect.* 1. & alij huius ætatis communiter.

Et solet prohari hæc sententia ex eo quòd non satis constat principium ex qoo possit colligi tale præceptum. nam ex Seriptnra non colligitur præceptum diuinum, quia ex Iacobo promulgante hoc Sacramentum, non deducitur, solùm enim dixit, *Infirmatur quis in nobis, inducat presbyteros,* &c.

Item ex Conciliis, vel ex traditione Ecclesiæ non colligitur præceptum aliquod dininum, vel Ecclesiasticum. Et Concil. Tridentin. *sess.* 14. agens de hoc Sacramento, solùm dixit, non posse hoc Sacramentum à Christianis contemni sine peccato.

Secunda opinio fuit Petri de Soto *lectione* 2. de hoc Sacramento, qui agens de necessitate huius Sacramenti, planè videtur sentire esse præceptum, & indicat se loqui de præcepto diuino, quia suam senteoriam probat ex testimonio Iacobi in sua epistola, & prudenter expendit vsum Ecclesiæ. nam Parochi, & ministri seriò hortantur fideles in articulo mortis ad suscipiendum hoc Sacramentum. Expendit etiam necessitatem & vtilitatem Sacramenti huius in periculo mortis.

Et videtur sententia Magistri 4. *dist.* 13. vbi ait esse peccatum omittere hoc Sacramentum, vel ex contemptu, vel ex negligentia, vbi secunda particula iudicat præceptum, & Bonauentura *ibi,* in expositione textus eandem sententiam videtur amplecti, quia verba illa Magistri, *ex contemptu, vel negligentia,* copolatiuè intelligit, & docet quòd ita loquitor de hoc Sacramento, sicut de Sacramento Eucharistiæ, & de Sacramento Euchatistiæ non est dubium esse præceptum.

Potest etiam probari ex Concilio Coloniensi anno 1536. *pag.* 7. *cap.* 50. dicens, est autem vnctio impendenda ex mandato Apostolico, *Infirmatur quis in vobis.* &c. Ponderandum est illud verbum, *ex mandato Apostolico,* & hanc sententiam viri docti, & pij huius ætatis prubabilem putant.

Pro explicatione notandum est, propositum dubium posse intelligi de præcepto diuino positiuo, vel secundò de præcepto Ecclesiastico. tertiò potest intelligi de præcepto charitatis propriæ, an obliget hominem in articulo mortis ad suscipiendum hoc Sacramentum extremæ vnctionis, cùm sit remedium valde vtile, & periculum tam graue, & de his omnibus dicemus.

Circa primum de præcepto diuino videntur esse contrariæ opinionis, iuxta ea quæ suprà retulimus. nam Magister sententiarum, Bonauent. & Petrus Soto suprà citati planè videntur affirmare esse præceptum diuinum, & aliqui recentiores probabile putant. Alij verò cum communi opinione sentiunt non esse tale præceptum, quia non apparet testimonium aliquod, ex quo id possit efficaciter probari; & quod apud me magni momenti est pro communi opinione; quia si esset tale præceptum, cognitum planè esset ab Ecclesia, & tamen communiter homines etiam docti existimarunt non esse tale præceptum; quod bene explicuit P. Suarez *suprà,* qui citat Concil. Tridentin. quod *sessione* 14. agens de hoc Sacramento, solùm dixit non posse hoc Sacramentum à Christianis contemni, sine culpa;

A quod etiam alia Concilia docuerant, quæ citat P. Valentia *tom.* 4. agens de hoc Sacramento, & interpretes loci Iacobi suprà citati. Verba Iacobi solùm explicant de exhortatione, & consilio, & hæc sententia mihi est probabilior, & magnæ autoritatis est sensus D. Thomæ *in* 4. *loco citato,* vbi dixit hoc Sacramentum non esse de necessitate salutis: intelligit autem non de necessitate medij, sed de necessitate præcepti, loquitur enim de illo sicut & de Sacramento confirmationis, de quibus nunquam aliquis dixit, hæc duo Sacramenta esse de necessitate medij: quis autem existimet S. Thomã ignorasse præceptum aliquod affirmatiuum diuinum (si esset) huius Sacramenti, in re tam vtili, morali & B ad praxim pertinenti.

Sed placet aduertere hoc loco contrariã opinionem nullam mereri censuram, neque vllus, quem viderim, hactenus illam reprehendit tamquam censura dignam, sed solùm vt falsam: & ad excusandum illam à censura, magni momenti est autoritas Magistri, & Bonauenturæ, Petri Soti, & aliquorum recentiorum, qui dixeront illam esse probabilem: & licèt probabiliora & veriora sint fundamenta communis opinionis, tamen, simpliciter loquendo, non videntur probare opinionem Petri Soti esse dignam censura.

Circa secundam partem de præcepto Ecclesiastico etiam videntur esse diuersæ opiniones. nam C S. Thomas, & alij, quos citat & sequitur P. Suarez *suprà,* simpliciter negant præceptum huius Sacramenti & omissionem eius non esse peccatum, nisi fiat ex contemptu, vel sit scandalum.

Alij verò videntur sentire esse præceptum saltem Ecclesiasticum huius Sacramenti, & videtur colligere ex cura quam habet Ecclesia per suos ministros exhortandi homines in periculo mortis existentes, ad suscipiendum hoc Sacramentum.

Sed in hac cõtrouersia mihi etiam est probabilius non esse tale præceptũ Ecclesiasticum, quia non video testimonium aliquod Conciliorum, vel Pontificum, ex quo possit colligi tale præceptũ, & in hac & similibus materiis non est aliquid de præcepto affir- D mandum sine graui & sufficienti fundamento.

Neque ratio contrariæ opinionis efficax est, quia cura illa & exhortatio oritur ex magna vtilitate huius Sacramenti, & periculo infirmi.

Circa tertium aliqui videntur sentire etiam in tali articulo præceptum propriæ charitatis, non obligare hominem ad sumendum tale remedium, quantumuis vtilissimum, & in grauissimo periculo, quia per confessionem, & sumptionem Eucharistiæ, potest quis consequi vitam æternam, & per alia opera virtutum quæ fieri possunt in eo articulo; ita philosophatur P. Suarez *sect. citata num.* 4.

Alij verò indicant in eo articulo præceptum propriæ charitatis obligare hominem ad susceptionem E extremæ vnctionis, propter magnam vtilitatem & efficacitatem huius Sacramẽti, ad vitandum periculum æternæ damnationis, & huic opinioni fauent, Maior, Paludanus & Ruardus infrà citandi, quia in sola negligentia suscipiendi Sacramentum putant esse peccatum graue, & eodem modo fauet Michaël Episcopus Merspurgẽsis loco infrà allegando, & explicari potest, quia licèt per alia sacramenta possit homo comparare gratiam ad vitam æternam, tamen negari non potest hoc Sacramentum specialiter institutũ fuisse à Christo ad peculiarem effectum pro extremo periculo vitæ in ordine ad consecutionem vitæ æternæ. legatur P. Valentia *tomo* 4. *disput.* 8. *quæst.* 1. *punct.* 1. *obiectione* 6. Vnde non mirum si facta

institu

institutione huius Sacramenti charitas supernaturalis propria obliget ad sumendum hoc sacramentum, quando commodè fieri potest, & licèt alia opera virtutum ex gratia Dei possint iuuare ad consequeodam vitam æternam, tamen non semper sunt ita facilia, neque efficacia, sicut Sacramentum est efficax ex opere operato; & ideo meritò Sancti Patres & Concilia, qnæ citat P. Valentia *loco citato*, docent hoc Sacramentum ministrandum esse in extremo periculo vitæ, ad quod hortantur Sacerdotes ad ministrandum, & infirmos ad suscipiendum, & Concilium Tridentin. *loco suprà citato*, meritò dixit non posse contemni hoc Sacramentum sine peccato, quod potest explicari, quia Concilium non videtur solùm loqui de contemptu huius Sacramenti expresso, quatenus est res sacra, & Sacramentum à Christo institutum, quia hoc sensu res est certissima, & idem dici potest de qualibet alia re sacra, sed videtur Concilium ita loqui de hoc Sacramento propter peculiatem effectum eius, & periculum infirmi existentis in extremo vitæ; & fortè loquitur Concilium de contemptu solùm virtuali & generali incluso in negligentia, & propter prædictam ratiunem de periculo damnationis æternæ, concedit P. Suarez *suprà sectione citata, num.* 7. posse esse obligationem suscipiendi hoc Sacramentum ortam ex præcepto propriæ charitatis, in casu quo infirmus non possit suscipere aliud Sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, vt infrà referemus. Et eodem modo videntor loquuti Magister & Bonauentura suprà citati. Et difficile apparet quòd possit quis ex negligentia omittere susceptionem huius Sacramenti sine aliquo peccato, agnoscens periculum suum, & efficacitatem huius Sacramenti, & quòd sit aliquale peccatum, manifestè videtur sentire P. Suarez *num. citato*, vbi licèt neget esse peccatum mortale sine causa omittere susceptionem talis Sacramenti, tamen manifestè concedit esse prodigalitatem quandam spiritualem; quibus verbis significat esse peccatum veniale prodigalitatis spiritualis: at verò si semel admittamus esse peccatum talem omissionem, probabilius videtur esse peccatum graue, propter magnitudinem periculi, & insignis vtilitatis huius Sacramenti.

Ergo propter hæc omnia hæc posterior opinio à multis viris doctis huius ætatis iudicatur valde probabilis, de cuius probabilitate aliis iudicium relinquo.

Sciendum verò est, autores communiterquamuis negent præceptum huius Sacramenti, sentire, & docere posse ex accidenti esse peccatum mortale omissionem huius Sacramenti, nempe si talis omissio consideratis circumstantiis esset causa scandali, id est, quando ex illa alij inducerentur ad graue aliquod peccatum, iuxta generales regulas scandali, de quibus diximus 2. 2. *tom.* 1. *ad quæstionem* 43. sed hoc peccatum scandali rarò contingere in hac materia.

Vlteriùs docent autores posse esse peccatum mortale, si quis voluntariè omittat susceptionem huius Sacramenti, ex graui contemptu. Putant autem nonnulli sufficere ad contemptum graue in hac materia, si quis sciens & volens nolit recipere hoc Sacramentum, licèt ad id solùm moueatur ex notabili negligẽtia, seu acedia, aut ex aliquo timore humano, ita sensit Maior 4. *d.* 23. vbi legi potest Richardus, & Michaël Episcopus Mersputgensis *in Catechis. concione* 75. & 76. & Ruardus *art.* 12. dixit vix posse aliqoem excusari à peccato mortali,

A qui ex graui negligentia Sacramentum hoc prætermittit, qoi autores manifestè videntur supponere esse aliquod præceptum huius Sacramenti pro illo articulo, aliàs sola negligentia rei oon præceptæ non sufficit ad peccatum mortale, neque ad contemptum talis rei, vt bene contra hos autores arguit P. Suarex *sect. citata, num.* 6. Et ideo P. Suarex affirmat necessarium esse vt quis parui pendeat Sacramentum hoc, & fructus eius, qui modus contemptus vix potest in aliqno reperiri sine hæresi, vel errore circa tale Sacramentum, & propter hoc ego suprà dicebam Doctores loquentes de peccato ex contemptu loqui de contempto virtnali incluso in sola negligentia, quæ si non sit circa rem præceptam vix
B poterit esse peccatum graue.

Et iuxta dicta possunt intelligi verba Concilij Coloniensis sub Adelphoro *cap. vltimo*, quæ sic habent. Relatom nobis in Concilio est impios quosdam homines infirmitatis suæ tempore vnctionem sacram respuisse ac contempsisse; quamobrem statuimus, vt si quis Sacramentum illud nobis ab Apostolo Iacobo tantopere commendatum contempserit, Ecclesiastica careat sepultura. Ponderandum autem est Concilium loqui de hominibus impiis, non dicitur autem impius bonus fidelis, ob solam negligentiam sine prauo iudicio intellectus. Item illud verbum *respuisse* plus dicit quàm solam negligentiam.

C Vult autem P. Suarez. sic esse intelligendum Nauarrum *in summa, cap.* 21. *num.* 57. vbi dicit peccare infirmum qui ex contemptu non petit hoc Sacramentum: sed arbitror Nauarrom non loqui de contempto expresso & formali orto ex prauo iudicio, hic enim hominibus fidelibus & Christianis, qui piè susceperunt Eucharistiam, nõ facilè occurrit: videtur ergo Nauarrus loqui de contemptu virtuali, & generali incluso in negligentia, atque adeò videtur supponere talem negligentiam esse contra aliquod præceptum, quo etiam modo alij loquuntur; ac proinde eodem modo Nauarrus & alij sunt intelligendi; & eodem modo loquitor Nauarrus de peccato patris, quando non petit hoc Sacramentum
D filio conferendum, qua fide filius laborat extremo periculo mortis.

Tertium casum assignat Paludanus 4. *distinct.* 23. *quæst.* 1. *art.* 3. *conclus.* 4. quando infirmus ex vna, vel altera causa non possit recipere alia Sacramenta, vel sacerdos nolit illa ministrare, aut non posset, & posset ministrare hoc sacramentum extremæ vnctionis, quem casum data hypothesi admittit P. Suarez, & vult tunc esse obligationem ex charitate propria, propter rationem suprà à nobis relatam ex vtilite Sacramenti, & necessitate infirmi, & quia in hoc casu tale Sacramentum videtur mediom necessarium ad comparandam vitam æternam.

Tandem placet hoc loco aduertere in fauorem
E opinionis Petri Soti, non solùm illum eam tradidisse, vt aliqui recentiores pronunciant, quia, vt vidimus, eam tradidit Magister & Bonaoentura locis suprà citatis, vt rectè expendit P. Suarez *sect. citata*, referens opinionem Petri Soti, &, vt suprà vidimus, fauent huic opinioni Maior, Paludanus & Ruardus, Nauarrus, & Michaël Episcopus Merspurgensis, & admittunt saltem vt probabilem opinionem Petri Soti viri docti huius temporis.

Plura de hoc præcepto in materia de extrema vnctione dicentor.

DISPVTATIO VII.

SCHOLASTICA, & MORALIS.

Ad explicandum aliquo modo naturam humilitatis ex aliquibus effectibus illius.

DVBIVM I.

Quo sensu sint intelligenda verba S. Ioannis Climaci, dicentis cap. de humilitate, Humilitas est gratia sine nomine.



N hoc duhio posset aliquis existimare humilitatem diei gratiam sine nomine, eo quòd sub nomine isto humilitatis nun fuerit cognita à Philosophis gentilibus, vt dixi 1. *parte selectarum, disputatione de hac re,* vhi retuli hanc virtutem fuisse cognitam à Gentilibus sub nomine moderationis, vel simili, vt sensit Origenes *homil.* 8. *in Lucam tom.* 3. quem sequutus est S. Thom. 2. 2. *quæst.* 161. *art.* 4. *in argumento sed contrà*, & P. Vaxquex, quem ibi citaui, sensit humilitatem eognitam à Philosophis sub nomine magnanimitatis, putat enim humilitatem esse partem subiectioam magnanimitatis. S. Thomas verò *quæst. citata, articul.* 4. *ad* 3. sensit bumilitatem esse pattem potestatiuam magnanimitatis, de qua controuersia dixi 2. 2. *suo loco.*

Vlteriùs, quia humilitas est virtus magna & nubilis, & tamen nomen ipsum humilitas significat abiectionem & vilitatem, & ita videtur carere nomine eonuenienti suæ naroræ.

Prætetea potest dici sine nomine, eo quòd eius excellentia tanta est, iuxta doctrinam Parrum, vt non facilè explicetut quouis nomine; sicut dici solet de aliis tebus nimis excellentihus.

Sanctus Ioannes Rayıhu *super gradum* 26. *Ioannis Climaci*, habetut *tom.* 5. *Bibliotheca magna Parisiensis*, explicat humilitatem dici gratiam sine nomine, quia humiles viles se esse putant, & ideo coram Deo nihil se esse cognoseunt & seutiunt, id est, bumilis verus & perfectus agnoscens suam inutilitatem coram Deo, nullo nomine nobili se dignum putat, neque illud quærit cuius contrarium contingit in superho, qui & desiderat nomen honotabile, siue sanguinis, siue tituli, aut dignitatis, vel officij, & hoc pertinet ad octauum gradum humilitatis assignatum à D. Benedicto, & quia nomen apud Latinos plures habet significatus, eorum aliqui plurimum quadrant in hunc locum & materiam, nomen enim solet sumi pro cognitione, & humilitas est gratia sine nomine, quia humilis nõdum ab aliis cognoscitur sub aliqua ratione honorabili. Itẽ nomẽ significare solet generositatem & nobilitatẽ; quam tamen humilis, etiamsi illam habeat, contendit occultare, neque ab aliis ea ratione vulgo honorari. Vlteriùs nomen non semel apud Tullinm ad Atticum pro debito sumitur, & humilitas est gratia sine debito, quia bumilis corde & verè nihil putat sibi ab aliis deberi, quia suæ vilitati & nibilitati iudicat nihil esse debitum nisi contemptum, & ex hoc oritur alius effectus humilitatis, nempe insignis gratitudo, quam babet humilis, propter quodlibet beneficium sibi collatum, quantumuis exiguum, illud enim humilis iudicat magnum comparatum suæ vilitati. Dici etiam potest gratia sine debito,

A eo quòd humilis soluit omnia quæ debet, facilè & libenter, Qeo rimorem & amorem, quod pertinet ad 12. gradũ bumilitatis, superiorihus obedientiam, quæ pertinet ad tres gradus humilitatis, nonum, decimum & vndecimum. Item soluit quæ dehet legihus sibi conuenientibus, quod pertinet ad sex priores gradus humilitatis. Item soluit quæ dehet virtuti humilitatis, quod pertinet ad septimum & octauum gradum. Sunt autem gradus. Primus corde & corpore humilitatem ostendere, secundus vt pauca voce non elamorosa quis loquatur, tertius vt non sit facilis ad risum, quattus silentium donec intertogetur, quintus communis regulæ obseruatio, sextus credere & pronunciare se
B omnibus viliorem; septimus ad omnia inutilem & indignum se credere, octauus confessio peccatorum, nunus experientia patientię in omnibus, decimus vt cum obedientia se subdat maiori, vndecimus vt voluntatem propriam non delectetur implere, duodecimus vt Deum rimear, & memor sit omnium præceptorum. Et dè numine debiti statim nõnulla subticiemus. Ex his etiam possunt intelligi quæ de gradibus humilitatis docuit Bernardus. Prætetea nomẽ significare solet dignitatem, & humilis ante Deum se eognoscit sine vlla dignitate, & respectu hominum nullo modo illam quætit, neque appetit, neque vult acceptare: sed coguito thesauro humilitatis, & seruato in abscondito cordis omnia quæ habet ven-
C dit, id est, contemnit omnia secularia desideria & carnales affectus, vt emat prædictum thesaurum, & pretiosam margaritam virtutis humilitatis.

Et ex dictis facilè intelligitur quod dixit Augustinus *tomo* 9. *in lib. de pœnitentia medicina, cap.* 1. quòd humilis est qui eligit habitare in domo Domini magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: hoc autem prouenit ex eo quòd humilis non vult secularium honores, vel dignitates, neque ab illis cognosci, sed in domo Domini abscondi, & in secreto viuere.

Et ex eadem natora humilitatis oritur quod dixit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 161. *artic.* . . quòd humiles rimentes & verecundati consueuerunt maximè ocu-
D los deprimere, quasi nón non audentes se aliis comparare, & ideo à contrario extollentiam oculorum dici signum superbiæ.

Deinde ex humilitate oritur quòd humilis, qui veram babet sui eognitionem coram Deo quantum est ex se omnibus se subiiciat, iuxta illud ad Philippens. 2. *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.*

Et iuxta dicta facile erit explicare aliquos gradus humilitatis assignatos à D. Benedicto, de quibus S. Thomas *quæst. citata, artic.* 5. & generatim iam de omnibus diximus.

Et secundùm doctrinam traditam addere possumus ad maiorem explicationem, humilem verè soluere omnia quæ debet; nam Deo amorem tribuit &
E obedientiam, superioribus ohedientiam, pauperibus misericordiam, æqualibus affabilitatem & vrbanitatem, constitutis in dignitate honorem, parentibus pietatem, benefactotibus gratitudinem, amicis mutuam heneuolentiam, & omnibus charitatem; igitur humilitas gratia est sine debito, quia humilis, vt dixi, paratissimus est ad soluendum, neque vult alicui aliquid debere, nisi adinuicem diligat; iuxta Paulum.

Ex quo facilè intelligitur causa, propter quam etiamsi humili plures occurrant ohedientiæ, non prematur, neque anxietate affligatur, quia diues est ad soluendum ex gratia Dei, & maximè inclinatur ad solutionem: è contrario autem etiamsi

ab aliis non honuretur, non afficitur tristitia, neque ira, quia agnoscit nihil sibi deberi, quod facilè in aliis materiis potest intelligi.

Post hæc omnia placet secundùm veram Theologiam explicare, quomodo humilitas possit dici gratia sine nomine, sciendum enim est peculiare esse virtutis humilitatis, vt prohibeat ipsum humilem se appellare humilem, & hoc propter vitandum periculum vanæ gloriæ; itaque tribuit effectum formalem humilis, & prohibet vt ipsa persona se appellet humilem, neque desideret, aut velit, aut permittat ita se appellari ab aliis, quod, vt dixi, peculiare est huius virtutis, non aliis, v.g. iustitia facit hominem iustum, sed non prohibet illum hominem iustum se appellare; hæc enim prohibitio pertinet ad humilitatem, & idem est de aliis virtutibus.

Sed quæret aliquis, quomodo ergo Christus se appellauit humilem, dicens Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Responsio est facilis, quia Christus per hoc non exponebatur alicui periculo peccati, vel defectus, sed veritatem pronuntiabat, & docebat discipulos & hortabatur ad imitandam sui humilitatem, & mansuetudinem.

DVBIVM II.

Quo sensu dicatur pænitentia, humilitas spiritus, annihilans peccatum; Gregor. *homil. 22. in Ezechielem.*

PRædicta verba Gregorij adduxit S. Thomas *in additionibus ad 3. partem, quæst. 1. art. 1. ex 4. sententiar. dist. 17. quæst. 2.* vt notaui *tomo de pænitentia, ad citatam quæstionem, & articulum, disput. 15. dub. 1.* & hæc loquutio iuuat ad cognoscendam perfectionem humilitatis. Possunt autem prædicta verba intelligi ita, vt per humilitatem explicetur natura pœnitentiæ, tanquam per effectum, vel tanquam per causam; potest enim contingere vt humilitas vera interdum oriatur ex pœnitentia & contritione; aliquando verò econtrario, ex humilitate potest oriri confessio peccatorum, qua ponitur actus humilitatis à S. Benedicto, siue sit elicitus ab humilitate, siue imperatus. nam, vt docuit S. Thomas *art. citato dub. præcedenti,* actus humilitatis assignati à S. Benedicto, aliqui sunt eliciti ab humilitate, quia sunt proprij illius; alij dicuntur imperati, quia sunt proprij aliarum virtutum ad eos; tamen frequenter mouet humilitas, & homo illos facit ex motione, & imperio humilitatis.

Ponendum deinde est humilitatem disponere ad remissionem peccati, & ità S. Thomas *quæst. illa 161. art. 5. ad 1.* dixit peccatum per humilitatem remitti, & adducit illud publicani *Lucæ* 18. & affirmat S. Thomas quòd merito humilitatis descendit iustificatus in domum suam; quæ verba S. Thomæ intelligenda sunt de merito de congruo, & per modum dispositionis.

Et tomo de gratia *disp. 3. de merito, dub. 3.* cum multis Scholasticis probauimus opera ex gratia facta posse esse meritum de congruo iustificationis. Tertullianus *libr. 4. contra Marcion. cap.* 18. id docuit, loquens de pœnitentia Magdalenæ, Ambrosius *sermone de eleemosyna. & sermone de pænitentia,* loquens de filio prodigo. Hieronymus *libro 2. contra Pelagianos* ait. Qui peccata simpliciter confitetur humilitate, meretur clementiam Saluatoris. Circa quæ verba duo ponderanda sunt, alterum est quod confessionem manifestè indicat esse actum humilitatis: alterum quod apertè dicit humilitate mereri clementiam Saluatoris, hoc est, misericordiam, & remissionem peccatorum. Idem Cyprianus *serm. 6. de oratione Dominica.* Gregorius *in 1. Regum lib. 3. cap. 4.* & eandem doctrinam sæpe tradit August. *epist. 89. q. 4. & tractatu 44. in Ioann. & epistola 105.* generalem rationem assignauimus *loco citato*, desumptam ex conuenientia, & congruitate operis ex gratia facti cum remissione peccati & iustificationem.

Item potest dici annihilare peccatum, quando mouet ad perfectam contritionem supernaturalem, quæ vel est vltima dispositio, vel forma expellens peccatum, & omnino destruens maculam peccati, ac proinde destruens dignitatem pœnæ æternæ, vt diximus in materia *de pænitentia.* Præterea, vt in eadem materia diximus, interdum contritio potest esse ita perfecta, vt non solùm expellat & auferat dignitatem pœnæ æternæ, sed etiam ita emundet animam, vt non relinquat in illa reatum alicuius pœnæ temporariæ; & quia aufert culpam, & dignitatem pœnæ, omnino potest contritio dici annihilare peccatum, & humilitas quatenus imperat contritionem, & pœnitentiam perfectam.

Sed oportet ampliùs explicare vim & significatum illius verbi *annihilare*, & secundùm veram & propriam philosophiam non dicitur annihilatio sola destructio & corruptio alicuius formæ, sed necessaria est etiam destructio subiecti illius formæ: hoc autem moraliter facit humilitas quæ subiectum suum reddit moraliter in nihilum, verissima cognitione intellectus, & perfecto contemptu voluntatis, iuxta ea quæ suprà diximus de natura humilitatis quantum ad cognitionem & affectum personæ humilis.

Sed cùm peccatum sit nihil, non potest annihilari, nisi per aliquod esse contrarium, sicut esse annihilatur per non esse, & ita in hac annihilatione homo amittit moraliter esse naturale affectuum, & acquirit esse quoddam supernaturale humilitatis, contritionis, & gratiæ iustificantis, & quia humilitas, pœnitentia, & iustificatio oriuntur tanquam ex radice à primo auxilio gratiæ, ideo S. Thomas *4. dist. 17. quæst. 3. art. 2. quæstiune 3. ad* 3. attribuit contritionem attributo Dei, quod est misericordiæ. nam primum auxilium gratiæ datur homini ex puta misericordia Dei, & Christi.

Vlteriùs notandum est rectè dici per contritionem perfectam annihilari peccatum, contra hæreticos, quos damnat Concil. Tridentin. *sessione 5. §. penultimo*, qui dicebant per iustificationem non tolli omnino peccata, sed radi, vel non imputari.

Præterea in prædicto verbo *annihilare* significatur quidam effectus moralis humilitatis. nam cæteræ virtutes morales non annihilant passiones, propter quod Bernardus *sermone 58. in Cantica*, inquit, *credite mihi, & vitia putata repullulant, & effugata redeunt, & extincta denuo reuiniscunt, & sopita denuo excitantur.*

Et pseudo-Augustinus *lib. 2. de visitatione infirmorum cap. 5.* de peccatis loquens dixit, si denudentur cum pœnitentia euanescunt, & in nihilum redigenda ordine competenti. Ponderetur illud verbum *in nihilum.*

Et propter magnam excellentiam humilitatis dixit Ambros. *lib. 8. in cap. 17. Lucæ*, nihil excelsius humilitate, quæ tanquam superior nescit extolli, quia nemo id affectat quod intra se indicat. Quæ verba ita sunt intelligenda, vt humilis nesciat seipsum extollere & exaltare, exaltabitur tamen qui se humiliat à Deo, iuxta promissionem Christi, *qui se humiliat exaltabitur*, quod explicat S. Thom. *dicta q. 161. art. 5. ad* 3. ideo promitti exaltationem humili, quia

humilitatis proprium est contemnere sublimitatem A terrenam. Et Augustinus *libro de pœnitentia*, Ne putes eum qui se humiliat semper iacere, cùm dictum sit *exaltabitur*. Et verba citata Ambrosij possunt intelligi ita vt humilitas dicatur excelsior omnibus honoribus & dignitatibus purè humanis, hæc enim omnia humilitatis proprium est contemnere, & sub se habere; meritò ergo dicitur superior, & illi promittitur honor spiritualis. Quomodo verò etiamsi tanta sit excellentia humilitatis, non sit tamen potissima virtutum, explicuit S. Thomas *q. illa* 161. *art.* 5. vbi *ad* 2. explicat humilitatem dici fundamentum aliarum virtutum, quatenus remouet impedimenta quæ possunt impedire ædificium spirituale aliarum virtutum, & ita remouet quod vanum est B & infirmum. Sicut in ædificio corporali, antequam proiiciantur lapides fundamenti, aufertur quidquid vanum est, & parum firmum & mobile & inconstans, ita humilitas moraliter aufert superbiam & vanam æstimationem propriam, & inordinatum affectum honoris, donec constituat hominem quantum ad cognitionem & affectum, in abysso & latitudine nihilitatis, ex quo etiam intelligitur quod suprà dicebamus, humilitatem iuuare ad annihilandum peccatum.

Constituit etiam hominem beatum. nam secundùm Augustinum in illud, *Beati pauperes spiritu*, & alios qui eum sequuntur, prima beatitudo est humilitas, beatitudo autem vera coram Deo, quanto per- C fectior est in hac vita, minus admittit peccati.

Et humili in Scriptura promittuntur plura. *Apocalypsi*. 2. *in fine*, promittitur stella matutina, Beda & alij *ibi* intelligunt Christum qui in eodem Apocalypsi dicitur stella matutina. Richardus gratiam sanctificantem, vel visionem Dei, quæ duo pugnant cum peccato. Ioachimus donum scientiæ, quæ etiam iuuat ad cognitionem necessariam in humili. Potest etiam intelligi nomine stellæ matutinæ Beatissima Virgo, sic enim appellat eam Ecclesia & Patres, & est verè mater & Regina humilium, quæ verissimam habuit cognitionem propriæ nihilitatis, ex solis naturæ viribus, & ita dixit, quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, Græci Codices ha- D bent, quia respexit Dominus nihilitatem ancillæ suæ. expendatur illa vox *nihilitatem*.

Alij explicant de Ioanne Baptista, cuius fauor promittitur humilibus, & à Patribus solet appellari stella matutina, quæ significabat Christum solem iamiam præsentem. Rursus non desunt qui per stellam matutinam intelligant Angelum custodem. nam Angeli in Scriptura & Patribus nomine stellæ solent significari, & cùm sancti Angeli sint verè humiles, inclinantur ad ferendum auxilium hominibus humilibus.

* Et Chrysost. *homil.* 53. *super Ioann.* dixit humilitatem esse principium beatitudinis, quod intelligendum est, quia humilitas in hac vita est beatitu- E do imperfecta, & principium futuræ beatitudinis perfectæ in alia vita. Et Ambrosius *sermone* 11. dixit, Quisquis cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur.

***

DISPVTATIO VIII.

SCHOLASTICA, & MORALIS.

De gratiarum actione, qui est actus religionis.

DVBIUM I.

Quis sit sensus Pauli 1. ad Timotheum 2. enumerantis partes orationis.



PAVLVS 1. *ad Timotheum* 2. sic ait, *Obsecro igitur omnium primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* S. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art. vlt.* exponit hunc locum Pauli, & dicit, per orationem intelligi ascensionem mentis in Deum. Secundò ponitur petitio quæ est idem quod postulatio. Tertio loco ponitur obsecratio, qua significatur ratio petendi ex parte Dei, id est, eius sanctitas. Quartò ponitur gratiarum actio, quæ est ratio petendi ex parte hominis.

Refert etiam S. Thomas explicationem prædicti loci ex Cassiano *collatione* 9. *cap.* 11. 12. *&* 13. vbi dicitur quòd obsecratio est imploratio pro peccatis, oratio cùm aliquid Deo vouemus, postulatio cùm pro aliis petimus.

Non desunt interpretes qui putent tres illas voces, obsecrationes, postulationes, & orationes, idem omnino significare, ita Theophylactus & Gagneius *ibi*, & indicat Chrysostomus. Sed interpretes communiter putant eas voces non omnino idem significare, quamuis diuersa ratione explicent, & ita noster Marianа in eum locum Pauli dixit, eas voces non esse synonymas; & idem docuit P. Suarez *lib.* 3. *de oratione cap.* 2. *num.* 8. qui duos affert modos explicandi eas voces, alter est quem ex D. Thoma retulimus: alter vt illis vocibus explicentur humiliatio, confessio, petitio, & gratiarum actio.

Et licèt in oratione possint exerceri alij actus vel religionis, vel aliarum virtutum, de quibus alibi dicendum est, tamen Paulus *loco citato* non intendebat referre omnes actus qui possunt in oratione interueniri, vt bene docuit P. Suarez *lib.* 3. *cap.* .. *num.* 11.

Notandum deinde est quod notant interpretes, Paulum *in citato loco* specialiter loquutum fuisse de his, quæ fiunt in orationibus publicis Ecclesiæ; non est autem dubium eosdem actus posse reperiri in oratione priuata, siue vocali, siue mentali.

Notandum deinde est quod S. Thomas in citatum locum Pauli *lect.* 1. peculiari alio modo exponit verba Pauli, vt obsecratio referatur ad difficilia impetranda, v.g. ad conuersionem impiorum: oratio quando pro illis iam iustificatis imploramus gratiam vt proficiant, postulatio vt præmia meritorum illis retribuantur, & pro beneficiis iam acceptis gratiarum actio: sed prior modus, quem in citato articulo tradit S. Thomas, frequentiùs recipitur ab Scholasticis.

Notandum etiam est non esse necessarium in omni spatio orationis efficere omnes quatuor actus prædictos, siue loquamur de oratione vocali, siue de mentali, sed vel vnus, vel aliquis eorum possunt exerceri ex deuotione, vel necessitate orantis, vel ex alia rationabili causa.

Restat

Restat aliquid dicere de ordine horum actuum in oratione seruando, de quo iamiam dicemus; ponimus autem hos actus esse virtutis religionis.

Dubium II.

Quis ordo seruandus sit in prædictis actibus.

Ponendum est, in oratione publica Ecclesiæ seruandum esse ordinem assignatum à Pontificibus in Missàli, vel in Breuiario, & S. Thomas posuit exemplum in oratione quæ dicitur sanctissimæ Trinitatis, quæ talis est: *Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Trinitatis orare vnitatem: præsta quæsumus vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. Circa quæ S. Thom. in illis verbis, *Omnipotens sempiterne Deus*, agnoscit orationem quæ dicitur eleuatio mentis in Deum: in illis verbis, *qui dedisti famulis tuis*, &c. recognoscit gratiarum actionem, quia in illis recognoscitur benedictio: illa verba, *præsta quæsumus*, pertinent ad postulationem; *per Christum Dominum nostrum*, pertinent ad obsecrationem. Et ex his constat secundùm mentem D. Thomæ, Ecclesiam in prædicta oratione non seruasse ordinem assignatum a Paulo *loco cit. 1. ad Timoth. 2.* nam *ibi* Paulus ponit gratiarum actionem vltimo loco, S. Thomas autem in prædicta oratione Trinitatis assignat secundo loco gratiarum actionem, & in qualibet oratione Ecclesiæ obseruandum est quod dixi, nempe ordinationem partium illius ex voluntate Pontificis; in oratione verò priuata variis modis solent orantes ordinare actus illius: communiter autem, qui exercent officium orandi, incipere solent ex consilio Patrum spiritualium, qui de hoc tractant à petitione qua petunt à Deo gratiam, vt tempus illud & spatium quod contendunt consumere in exercitio orationis, & meditationis, fiat ad maiorem gloriam Dei, & vtilitatem ipsius orantis. legantur exercitia spiritualia S. P. nostri Ignatij a Pontifice approbatà, & laudata, per quæ, Deo adiuuante, S. noster Ignatius & Societas Iesu mirabiles fructus in Ecclesia fecerunt, & faciunt quotidie. In aliis verò actibus non est ordo aliquis ex præcepto seruandus.

Peculiaris autem difficultas est, quam tetigit S. Thomas *q. illa 83. art. vltimo citato*, an gratiarum actio debeat esse prior petitione, communiter enim gratiarum actio solet poni in fine orationis, & meditationis, iuxta ordinem assignatum à Paulo *loco cit. 1. ad Timoth. 2.*

Ex alia verò parte idem Paulus *ad Philippenses 4.* dixit, *in omni oratione cum gratiarum actione petitiones tres innotescant apud Deum*. vbi prius assignat gratiarum actionem, quàm petitionem, & S. Thomas *art. citato*, prius ponit gratiarum actionem, quàm petitionem, & ita explicat partes orationis ibi relatæ sanctissimæ Trinitatis.

Et idem S. Thomas *in citata verba ad Philippenses 4.* eamdem doctrinam tradit, dicens, in omni oratione Ecclesiæ inueniri quatuor. Primò inuocatur Deus, secundò commemoratur diuinum beneficium, tertiò petitur beneficium, quartò ponitur obsecratio per Dominum nostrum, &c. vbi manifestè ponit gratiarum actionem secundo loco, & petitionem in tertio. Vbi per obsecrationem, quæ ponitur primo loco, intelligit orationem quæ fit cum contestatione diuinæ sanctitatis, quam *art. illo vltimo citato quæstionis* 83. dixit esse rationem ob quam nos petimus, & quæ tenet se ex parte Dei: ponit autem secundo loco gratiarum actionem per commemorationem beneficij, quia in gratiis de beneficiis acceptis indignus est vt alia accipiat, & ideo vult vt gratiarū actio pro beneficiis acceptis sit prior petitione noui beneficij; prædictam verò obsecrationem per Dei sanctitatem dicit S. Thomas *in citatum locum ad Philippenses 4.* esse actum humiliantis se, & adducit illud Prouerb. 18. *cum obsecratione loquitur pauper.*

Et S. Bernardus de Christo loquens ait, sicut de veteribus beneficiis terminandis, sic de nouis incipiendis Christus gratias egit, citatur à Gabriele *lectione 36. in canonem*, de quo nonnihil *infrà*.

In hac difficultate existimo, optimam dispositionem esse ad petendum noua beneficia in oratione elicere aliquem actum gratitudinis, & ita S. Thomas *in citatum locum ad Philippens. 4.* dixit gratitudinis actum esse priorem petitione, quia ingratus circa priora beneficia non est dignus nouis beneficiis accipiendis, & P. Suarez *libro 2. de oratione c. 3. num. 7. in fine*, dixit, quòd gratitudo de recepto beneficio disponit ad nouum recipiendum, & maximè placet benefactori, &, vt dixit S. Thom. 2. 2. *quæst illa 83. art. vltimo*, sicut ratio petendi aliquid ex parte Dei est eius sanctitas quam orans allegat pro titulo suæ petitionis; ita inquit sanctus Thomas, gratitudo pro acceptis beneficiis est ratio alleganda ex parte orantis. quam doctrinam rectè agnouit S. noster P. Ignatius, qui in principio examinis docuit, primò faciendas esse gratias pro beneficiis acceptis, deinde petenda noua beneficia.

Secundù existimo gratiarum actionem, quæ ab autoribus agentibus de partibus orationis assignatur in fine orationis, intelligendam esse de beneficiis acceptis in ipsa oratione, vel etiam cum illis de omnibus aliis beneficiis collatis, & ita S. Thom. *quæst. 83. citata, art. vlt. ad 3.* distinguit hos duos actus gratiarum actionis.

Et iuxta hanc distinctionem rectè intelliguntur duo loca Pauli suprà citata. nam 1. *ad Timoth. 2.* gratiarum actionem posuit vltimo loco, & *ad Philippens. 4* priùs assignauit gratiarum actionem, & postea petitionem. Vnde sine causa sufficienti recentiores aliqui Interpretes dixerunt, gratiarum actionem, de qua ibi loquitur Paulus, faciendam esse post petitionem, & probant, quia gratiarum actio supponit beneficium acceptum.

Sed S. Thomas *in eum locum* intelligit de gratiarum actione, quæ est prior petitione, iuxta distinctionem traditam. Ex qua etiam manet solutum argumentum recentiorum, qui non distinxerunt prædictos actus gratitudinis respectu diuersorum beneficiorum.

Vnum est hoc loco maximè aduertendum cùm de partibus orationis occurrit sermo, petitioni, prout ab aliis actibus distinguitur, factam esse promissionem significatam illis verbis Christi, *petite & accipietis*. De conditionibus verò, quas debet habere hæc petitio, diximus 2. 2. *ad quæst. 83.* aliis verò partibus orationis, factæ sunt generales promissiones, quæ factæ sunt aliis bonis operibus ex gratia factis, possunt etiam iuuare vt petitio ipsa fiat cum maiori efficacitate, feruore & fiducia, quod magni momenti est.

Quod autem suprà dicebamus de actione gratiarum facienda ante orationem, potest probari & explicari ex pacto Christi relato in canone Missæ, ex Lucæ 22. & Marc. 26. *gratias agens*, &c. cuius varias causas assignant interpretes. Innoc. dixit non pro se gratias egisse Christum, sed pro nobis, in cuius

vtilitatem

vtilitatem instituebat sacramentum Eucharistiæ. Chrysost. dixit hoc fecisse Christum vt doceret nos, quomodo in tribulationibus nos debeamus gerere. Facit etiam pro eadem doctrina quòd Christus volens resuscitare Lazarum *Ioann.* 11. dixit. *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis.* legatur Maldonat. *ibi*, *versu* 42. & *Matth.* 15. antequam faceret miraculum septem panibus ad sustentandas turbas in deserto, gratias egit. Idem sumitur ex *Marco cap.* 8.

Propter quod Bernard. suprà citatus dixit, Christum pro beneficiis veteribus terminandis & pro nouis incipiendis, gratias egisse.

DISPVTATIO IX.

MORALIS.

DVBIVM VNICVM.

Quibus attributis Dei respondeant tres partes pœnitentiæ, contritio, confessio & satisfactio.



Anc difficultatem breuiter attigit S. Thom. 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæstiuncula* 1. *ad* 3 vbi sic ait. Ad tertium dicendum, quòd secundùm quandam adaptationem partes pœnitentiæ tribus attributis personarum adaptari possunt, vt contritio misericordiæ, vel bonitati respondeat, propter dolorem de malo: confessio sapientiæ, propter veritatis manifestationem: satisfactio potentiæ, propter satisfaciendi laborem; & quia contritio est prima pars pœnitentiæ, efficaciam aliis partibus præbens, ideo eodem modo iudicatur de tota pœnitentia sicut de contritione. Quibus verbis docet S Thom. quibus attributis respondeant tres partes pœnitentiæ per quandam adaptationem, & accommodationem, & assignat rationem doctrinæ quam tradit.

Et primò docet contritionem respondere misericordiæ, vel bonitati Dei, & assignat rationem, propter dolorem de malo, quæ verba vt amplius intelligantur notandum est, nomine *contritionis* posse intelligi vel contritionem imperfectam, quæ dicitur attritio, vel perfectam, quæ est vera contritio distincta ab attritione. Et attritio quidem dolor est de malo peccati, vel propter turpitudinem peccati, vel propter pœnas inferni, iuxta Concil. Trident. & ita attritio includit odium peccati, & quia malitia peccati maximè contraria est summæ bonitati Dei, ideo S. Thomas vult contritionem respondere bonitati Dei.

Difficilius est quod dixit de misericordia, si per misericordiam intelligit aliquid distinctum à bonitate, nihilominus explicari potest primò, si nomine misericordiæ intelligatur idem quod bonitas, deinde si misericordia specialiter sumatur pro affectu subleuandi miseriam, misericordia Dei respicit subleuationem peccati tanquam malum peccantis, & ita verum potest habere sensum ratio D. Thomæ quòd attritio respondeat misericordiæ Dei propter dolorem de malo, de quo dolet homo per attritionem tanquam de malo proprio, propter motiua suprà dicta ex Concil. Trident.

Deinde si sermo sit de contritione perfecta, rectè intelligitur ratio S. Thomæ, quia contritio perfecta includit amorem charitatis Dei super omnia, atque

A adeò dilectionem Dei propter summã eius bonitatem, & ita contritio respicit peccatum tanquam malum quod odio prosequitur, & hoc propter Dei bonitatem summam, tanquam propter rationem formalem: optimè ergo contritio perfecta per quandam adaptationem & accommodationem dicitur respondere Dei bonitati; si autem de misericordia Dei loquamur, etiam potest explicari ratio D. Thomæ, quia contritio perfecta tendit ad destructionem peccati, quod est miseria hominis, quam misericordia Dei etiam vult tollere.

Deinde dicit S. Thomas, confessionem respondere attributo sapientiæ, & assignat rationem, quia confessio est quædam manifestatio veritatis, & Dei
B sapientia manifestatiua est & repræsentatiua omnium veritatum.

Circa hanc autem doctrinam notandum est, in Deo esse attributum sapientiæ, quod pertinet ad intellectum diuinum; est etiam attributum veritatis, quod pertinet ad voluntatem Dei, qua vult veritatem dicere, nec potest velle dicere falsum. Confessio igitur potest considerari & vt est manifestatio vera peccatorum, & sic rectè adaptatur attributo sapientiæ, & potest etiam considerari vt procedit à voluntate dicendi verum, ad quod inclinat virtus veritatis, & ex hac parte potest accommodari attributo veritatis diuinæ, licèt confessio, vt pars est sacramenti, à contritione debeat procedere, licet quate-
C nus manifestatio veritatis etiam pertineat ad virtutem veritatis, siue imperatiuè, siue elicitiuè.

Deinde docet S. Thomas, tertiam partem pœnitentiæ, quæ est satisfactio, accommodari attributo potentiæ diuinæ, & assignat rationem his verbis, *propter satisfaciendi laborem*, quibus verbis significat difficultatem & laborem magnum, qui solet esse in implenda satisfactione imposita, ad quam implementionem necessarium est adiutorium diuinæ omnipotentiæ, imò etiam si satisfactio leuis & facilis sit, vt tamen euadat actus honestus, necessarium est auxilium gratiæ, quod procedit à potentia diuina. Addit S. Thom. contritionem esse primam partem pœnitentiæ Sacramenti, quod verum est siue lo-
D quatur de contritione imperfecta, vel perfecta. Addit ab hac contritione quæ est prima pars, confessionem & satisfactionem sumere efficaciam. quod intelligi potest, quia confessio vt sit pars sacramenti, debet procedere à contritione, siue dicatur procedere elicitiuè, siue imperatiuè, satisfactio etiam sacramentalis dicit habere efficaciam à contritione, quia in contritione, quæ est pars sacramenti, includitur virtualis voluntas satisfaciendi, & implendi pœnitentiam imponendam à sacerdote. Deinde quod ad satisfactionem attinet, vt operetur ex opere operato tanquam pars sacramenti, contritionem supponit.

Sciendum autem est S. Thomam 4. *sententiarum*
E *dist. & quæst. citata, quæstiunc. illa* 3. *argumento* 5. attigisse dubium de confessione peccatorum, an pertineat ad veritatem, vel ad pœnitentiam, & in corpore illius quæstiunculæ docuit confessionem absolutè pertinere ad veritatem, tamen quatenus habet specialem rationem pertinentem ad pœnitentiam, vt à contritione procedit pertinere ad virtutem pœnitentiæ.

Hæc diximus circa doctrinam S. Thomæ, sed non est difficile prædictas partes pœnitentiæ aliis attributis diuinis accommodare. nam contritio si perfecta sit quæ est actus charitatis supernaturalis, accommodari potest attributo diuinæ sanctitatis, de quo diximus in materia *de gratia*, & 1. *parte selectarum*.

ſelectarum : contritio autem imperfecta reductitiæ poteſt etiam tali eidem attributo accommodari.

Deinde confeſſio, iuxta doctrinam S. Benedicti, actus poteſt eſſe humilitatis, ac proinde poteſt accommodari excellentiæ diuinæ, quam humilis recognoſcit, iuxta illud, *Magna eſt potentia Dei, & ab humilibus honoratur.* Vlteriùs, ſatisfactio quatenus eſt aliqualis actus iuſtitiæ per recompenſationem, poteſt accommodari & adaptari attributo diuinæ iuſtitiæ, imò hac ratione omnes actus pœnitentiæ poſſunt iuſtitiæ diuinæ accommodari.

Et iuxta ea quæ diximus, poſſunt accommodari diuerſis attributis diuinis definitiones quas adducunt Patres de contritione, de confeſſione, de ſatisfactione. B

Et primò aliqui ita definiunt contritionem, contritio eſt dolor de peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. Secundò Iſidorus *libro 2. de ſummo bono. cap.* 12. dixit, contritio eſt humilitas mentis, & compunctio. Tertiò Auguſtinus *in Pſalm.* 146. contritio eſt dolor remittens peccatum. Quartò Gregorius *homil. 22. in Ezechielem*, contritio eſt humilitas ſpiritus, annihilans peccatum, & ſecundùm primam definitionem rectè contritio poteſt accommodari attributo bonitatis, vel ſanctitatis Dei, iuxta dicta. Secunda verò definitio Iſidori ita poteſt intelligi, vt contritio quatenus vel eſt cauſa, vel effectus humilitatis, accommodetur C attributo excellentiæ diuinæ, quam humilis recognoſcit. Deinde Auguſtini definitio apprimè accommodatur miſericordiæ, aut bonitati Dei. Gregorij verò definitio, quatenus dicit contritionem eſſe humilitatem ſpiritus, poteſt accommodari ſicut definitio Iſidori; ſecundùm verò particulam illam *annihilans peccatum*, accommodari poteſt attributo omnipotentiæ diuinæ, cuius eſt proprium annihilare, ſicut & creare. quas definitiones adduxit S. Thomas *in 4. ſententiar. diſt.* 17. *quæſtione* 2. *art.* 1.

Deinde in Concil. Florentino, & poſtea in Trident. *ſeſſione* 14. *cap.* 4. definitur contritio, *Dolor de omni peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi.* D quæ verba includunt perfectam & imperfectam contritionem, & accommodari poſſunt iuxta dicta.

Deinde quantum ad confeſſionem attinet, varia adducuntur definitiones confeſſionis, & primò auctor de vera & falſa pœnitentia apud Auguſtin. ſic ait, Confeſſio eſt, per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur. Secundò Gregorius *homil. 4. in Euangelia* ait, Confeſſio eſt peccati deteſtatio & ruptio vulneris. Alij verò, vt refert S. Thomas *quæſt. 7. in additionibus ad 3 part. art.* 1. ſic definiunt confeſſionem. Confeſſio eſt legitima coram ſacerdote declaratio peccatorum. Alij, Confeſſio ſacramentalis eſt delinquentis accuſatio ex erubeſcentia, & per E claues Eccleſiæ ſatisfactoria, obligans ad implendam pœnitentiam iniunctam.

Notat verò S. Thomas *art. citato*, in definitione Auguſtini explicari ſubſtantiam actus, nempe manifeſtationem, & rem manifeſtatam, & cauſam aliquam, nempe ſpem veniæ ex qua mouetur pœnitens ad confitendum. In aliis verò definitionibus explicatur etiam perſona cui fit confeſſio, & effectus, remiſſio ſcilicet peccati.

Alij verò recentiores definiunt confeſſionem ſacramentalem ſic. Eſt accuſatio peccatorum facta ſacerdoti ad obtinendam remiſſionem, beneficio clauium Eccleſiæ.

A His notatis definitio pſeudo-Auguſtini accommodari poteſt, non ſolùm veritatis ratione, & manifeſtationis, veritati & ſcientiæ Dei, ſed etiam miſericordiæ, quatenus ex manifeſtatione morbi deſideratur curatio, & quatenus ad hoc mouetur pœnitens ex ſpe veniæ accommodari poteſt omnipotentiæ Dei, quæ innititur ſpei.

Definitio autem Gregorij, quatenus dicit confeſſionem eſſe deteſtationem peccati, bonitati Dei poteſt accommodari, & intelligitur de confeſſione, vt procedit à contritione: illa autem verba, ruptio *vulneris miſericordia Dei*, accommodantur, quam pœnitens deſiderat.

Tertia definitio ſuprà relata veritati Dei & ſapientiæ poteſt accommodari. Sicut & quarta, in qua verbum illud *ſatisfactoria* iuſtitiæ diuinæ accommodandum eſt. Et ex his poteſt etiam explicari vltima definitio.

Tandem de ſatisfactione S. Thomas 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 2. dixit eſſe actum iuſtitiæ, & ita ex hac parte reſpondet attributo diuinæ iuſtitiæ, licèt propter difficultatem S. Thom. ſuprà accommodauerit illa diuinæ omnipotentiæ, ſiue pœnitentia ſit pars ſubiectiua iuſtitiæ propriæ, ſiue poteſtatiua, de qua controuerſia alibi à nobis diſputatum eſt.

DISPVTATIO X.

SCHOLASTICA, & MORALIS.

DVBIVM I.

An in anima Chriſti fuerit character ſacerdotalis eiuſdem rationis cum charactere ſacerdotij nouæ legis.



VPPONENDA ſunt hoc loco quæ de charactere docent S. Thom. 3. *part. quæſt.* 63. & *ibi* interpretes. Item ſciendum eſt præſens dubium non intelligi de charactere Baptiſmi, vel confirmationis, ſed de charactere ſacerdotali.

Et non defuit hoc tempore recentior Theologus, qui publicè defenderet in Chriſto Domino fuiſſe characterem ſacerdotalem, eiuſdem rationis cum charactere ſacerdotum nouæ legis, & hoc ſaltem eſſe probabile, cum quo ſimul concedebat Chriſtum eſſe ſacerdotem ratione vnionis hypoſtaticæ. Et poteſt explicari, quia iſte character non habet contradictionem, vel repugnantiam cum vnione hypoſtatica, vt facilè cognoſcet quicunque agnouerit naturam characteris ſacerdotum nouæ legis; qui ſecundùm communiorem opinionem Theologorum eſt qualitas indelebilis ordinata ad peculiares fines, de quo legi poteſt P. Vazquez 3 *p. tom* 2. *diſput.* 134. & P. Suarez *tom.* 3. *in* 3 *partem à quæſt.* 63. & ſacerdotalis character ordinatur ad officium ſacerdotis, & eſt quædam participatio ſacerdotij Chriſti, vt dixit S. Thomas 3. *part. quæſt.* 63. *citata art.* 5. *in corpore.* Hæc autem qualitas non videtur habere repugnantiam cum perfecta & plena poteſtate Chriſti ad munera ſacerdotis. Et vlteriùs poteſt explicari, quia Chriſtus eſt ſanctus ſubſtantialiter ratione vnionis hypoſtaticæ, & tamen etiam habet in anima gratiam habitualem, quæ eſt ſanctitas accidentalis, & quædam participatio diuinæ ſanctitatis: ergo à ſimili.

Communis

Communis tamen ſententia Scholaſticorum omnium eſt, in Chriſto non fuiſſe characterem ſacramentalem, qualis eſt in ſacerdotibus. ita videntur ſupponere, vel apertè dicere interpretes S. Thomæ *3. part. ad quæſtionem* 22. de ſacerdotio Chriſti, & *ad quæſtionem* 63. de effectu ſacramentorum qui eſt character, *circa articulum* 5. & apertè P. Vazquez *tomo 1. in 3. partem diſput.* 85. *cap.* 2. *à num.* 11. & P. Suarez *tomo 1. in 3. partem diſput.* 46. *ſect.* 3. *concluſ.* 1. *§. unde obiter*, & alij recentiores.

S. Thomas 3. parte q. 63. art. 5. in corpore clariſſimè.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, id quod fusè probat P. Vazquez *diſput. citata*, ex ſanctis Patribus, Chriſtum conſtitui ſacerdotem vnione ipſa hypoſtatica, citat Cyrillum *libro poſteriori de recta fide ad Reginas, capite de eo quòd Chriſtus ſanctificatus eſt. §. & nullus accepit ſibi*, &c. Nazianzenus *oratione* 40. Nicetas *ibi*, Elias Cretenſis *in oratione* 1. *Nazianzeni*. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus *in theoria rerum Eccleſiaſticarum, non longè à principio*, Damaſcenus *oratione* 2. *de B. Maria*, Dionyſ. Alexandrinus *in epiſtola ad Samoſatenos*. Clemens Romanus *lib.* 8. *conſtitutionum Apoſtolicarum, cap.* 46. quorum verba fideliter refert P. Vazquez *loco citato*.

Deinde notandum eſt quod S. Thomas docuit *3. part. quæſt.* 63. *art.* 5. his verbis. *Reſpondeo dicendum quòd* (ſicut ſuprà dictum eſt) *character ſacramentalis eſt quædam participatio ſacerdotij Chriſti in fidelibus eius, vt ſcilicet ſicut Chriſtus habet plenam ſpiritualis ſacerdotij poteſtatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc quòd participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu ſacramentorum, & eorum quæ pertinent ad diuinum cultum, & propter hoc etiam Chriſto non competit habere characterem.*

Ex quibus intelligitur primò characterem accidentalem non fuiſſe neceſſarium in Chriſto, cùm eſſet ſacerdos ratione vnionis hypoſtaticæ.

Deinde ſequitur talem characterem non competere Chriſto, vt inquit S. Thomas; quia Chriſtus habebat plenam ſpiritualis ſacerdotij poteſtatem, ac proinde non conueniebat illi character accidentalis, qui ſolùm eſt participatio quædam vniuerſalis poteſtatis Chriſti, vel ſignum poteſtatis ſacerdotalis, quæ eſt in puris hominibus, tanquam participatio ſacerdotij Chriſti.

Propter quod nulla ratione admittendum eſt placitum illud in principio dubij relatum vnius, vel alterius Theologi aſſerentis in Chriſto fuiſſe characterem eiuſdem rationis cum charactere ſacerdotali, qui eſt in alijs ſacerdotibus.

Neque admittendum eſt placitum illud vt probabile, imò graues Theologi putant dignum eſſe graui cenſura; & certè non videtur carere temeritate, cùm ſit contra Doctores communiter, ſine vllo fundamento.

Ad ea verò, quæ in contrarium obiiciuntur, facillimè reſpondetur.

Ad primum concedendum eſt characterem accidentalem, qui ponitur qualitas quædam, non habere phyſicam contradictionem cum vnione hypoſtatica, neque de hoc modo diſputamus, ſed dicimus omnino eſſe ſuperfluum, neque eſſe rationem aliquam, propter quam poſſit conſtitui in anima Chriſti, vt explicatum eſt ea doctrina & diſcurſu D. Thomæ.

Ad ſecundum reſpondetur eſſe diuerſam rationem, quia, vt diximus, non apparet cauſa neceſſaria, vel conueniens, propter quam ſit conſtituendus character in anima Chriſti; at verò ad conſtituendum habitum gratiæ in anima Chriſti, eſt ratio

A valdè conueniens: quæ explicatur, quia ſecundùm opinionem Scoti & diſcipulorum, humanitas Chriſti non ſanctificatur diuinitate, vel perſonalitate Verbi, & ita neceſſaria eſt gratia habitualis ad ſanctificandam animam Chriſti. Deinde, etiamſi ſecundùm veriorem doctrinam humanitas Chriſti ſanctificetur diuinitate, vel perſonalitate Verbi, tamen habitus gratiæ ponitur in Chriſti humanitate, ſi non diſtinguitur à charitate, vt multi putant, conſtituitur tanquam principium operatiuum, & productiuum actuum charitatis ſupernaturalis Dei: ſi verò diſtinguitur ab habitu charitatis, ponitur in eſſentia animæ tanquam radix & principium, cui ſunt connaturales habitus charitatis, &
B habitus ſupernaturales virtutum moralium, & ideo omnes Scholaſtici conſtituunt in humanitate Chriſti habitum gratiæ, & nullus ante hoc tempus poſuit in anima Chriſti characterem accidentalem eiuſdem rationis cum charactere aliorum hominum.

Dvbivm II.

An poſt hanc vitam maneat poteſtas ſacerdotalis, in his qui fuerunt ordinati Sacerdotes.

Certum eſt apud Scholaſticos manere in anima
C poſt mortem characterem ſacerdotalem, vt conſtat ex doctrina D. Thomæ *3. part. quæſt.* 63. quem ſequuntur communiter eius diſcipuli & interpretes eius in illam quæſtionem. Et licèt, vt notauit P. Suarez *ibi, in commentario articulo* 5. & P. Vazquez *diſput.* 133. *cap.* 5. *num.* 90. *in fine*, non ſit definitum ab Eccleſia characterem manere poſt hanc vitam, tamen omnes Scholaſtici docuerunt talem characterem perpetuò durare in anima, etiam poſt hanc vitam, & ideo non eſt licitum id negare, eſſétque inſignis temeritas, ſine idoneo fundamento, contra vnanimem ſenſum Scholaſticorum, imò aliqui putant, negare hanc veritatem eſſe dignum grauiori cenſura.

D Difficultas autem eſt, an poteſtas ſacerdotalis maneat in anima poſt mortem.

Et prima opinio eſt aſſerentium characterem ſacerdotalem eſſe poteſtatem ſacerdotalem, & participationem quandam plenitudinis & poteſtatis ſacerdotij Chriſti, & autores huius doctrinæ tenentur concedere poteſtatem ſacerdotalem manere in anima poſt mortem, quia cenſent talem characterem manere; & quòd character ſacerdotalis ſit poteſtas quædam, ſequuntur quàm multi Doctores, S. Thomas *3. part. quæſt.* 63. *art.* 4. *&* 5. & *ibi* eius diſcipuli, quos citat P. Vazquez in eam quæſtionem *diſp.* 134. *cap.* 4. *num.* 8.

Secunda opinio eſt aſſerentium, characterem
E quidem non eſſe poteſtatem ſacerdotalem, eſſe tamen ſignum, perpetuam habens connexionem cum poteſtate ſacerdotali, ita videtur expreſsè ſentire P. Suarez *3. part. ad quæſt.* 63. *diſput.* 11. dicit enim characterem non eſſe potentiam exiſtentem in intellectu, ſed habitum in eſſentia animæ, & tamen in commentario *art.* 5. *§. ſecundus ſenſus eſt*, dicit quòd ſi ſacerdos moriatur, & iterum ſuſcitetur, manebit ſacerdos, & non egebit noua ordinatione: ergo vel ſentit characterem, licèt non ſit poteſtas phyſica, eſſe tamen formam conſtituentem hominem ſacerdotem, vel ſaltem habere perpetuam connexionem cum poteſtate, vel forma, quæ conſtituit hominem ſacerdotem, & quidquid

ſit

sit de mente P. Suarez, aliqui recentiores sentiunt non solùm characterem, sed potestatem sacerdotalem manere perpetuò in anima post mortem, licèt enim prædicta duo distinguant, tamen expressè docent quòd si sacerdos moriatur, & postea ex voluntate Dei resuscitetur, non egebit noua ordinatione, quæ fuit expressa sententia S. Thomæ *in cap. 11. epistolæ ad Hebræos*, circa illa verba, *Obtinuerunt mulieres de resurrectione mortuos suos.*

Tertia opinio est asserentium distingui characterem & potestatem sacerdotalem, & characterem quidem manere post hanc vitam, potestatem verò sacerdotalem, quæ aliquid morale est, non manere in statu alterius vitæ.

Secundò docent autores huius opinionis quòd si sacerdos defunctus reuocaretur ad statum vitæ mortalis, statim reuiuisceret potestas moralis sacerdotalis, quæ ex institutione Christi coniuncta est cum charactere sacerdotali pro statu huius vitæ mortalis; ita philosophatur Ledesma 1. *parte 4. quæst. 4. artic. 5.* & fusiùs P. Vazquez *disp. citata cap. 5. num. 96.*

In hoc dubio mihi placet primò, negari non posse esse valde probabilem sententiam S. Thomæ & discipulorum aliquorum de natura characteris sacerdotalis, & ita etiam esse valde probabile potestatem sacerdotalem manere in altera vita, non quia ibi sit futurus vsus eius potestatis, sed quia manet character sacerdotalis, qui vel non distinguitur à potestate sacerdotali, vel habet connexionem cum illa, iuxta suprà relata.

Secundò dicendum est, quòd si defunctus Sacerdos resuscitaretur, & reuocaretur ad statum vitæ mortalis, non esset iterum ordinandus, vt omnes Doctores, quos suprà retuli, & hactenus vidi, apertè docent, & videtur sensus Ecclesiæ; hoc autem fundari potest in eo quòd potestas sacerdotalis vel non distinguitur à charactere sacerdotali, vel habet perpetuam connexionem cum illo pro statu vitæ mortalis, ex institutione Christi.

Tertiò probabilis videtur opinio Ledesmæ & P. Vazquez, quòd supposita distinctione characteris & potestatis sacerdotalis, potestas non maneat in statu alterius vitæ; sed concedendum est quod docuit P. Vazquez, quòd prædicta duo habeant connexionem pro statu huius vitæ mortalis, & ita in casu Sacerdotis defuncti & resuscitati concedendum est in Sacerdote resuscitato reuiuiscere moralem potestatem sacerdotalem.

Sed sciendum est non videri rationem aliquam quæ sit nimis efficax ad probandum, moralem potestatem sacramentalem non manere in statu alterius vitæ, vt constabit ex solutione argumentorum, quibus prædicta opinio solet probari.

Vnum est, quia videretur esse frustrà, cùm in eo statu non esset futurus vsus illius. Sed responderi potest permansuram eam potestatem propter coniunctionem cum charactere, & propter causas propter quas dicitur permanere character.

Secundò solet probari, quia si talis potestas maneret in statu alterius vitæ, posset habens illam potestatem prolatis verbis consecrationis consecrare panem, & vinum, quod videtur absurdum. Respondetur primò hoc non habere locum in anima separata, quia illa non potest proferre verba consecrationis sensibilia, quæ requiruntur ad consecrationem. Deinde etiam si post mortem anima reuniretur ex voluntate Dei corpori glorioso, non posset consecrare Sacerdos, eo quòd vsus prædictæ potestatis ex voluntate Dei solùm est concessus pro statu præsentis vitæ mortalis, secundùm communem legem.

Et explicatur vlteriùs, quia vel Sacerdos esset beatus, & in statu glorioso, & ille nihil vellet facere contra institutionem Christi, vel esset damnatus, & tunc non permitteretur illi efficax vsus prædictæ potestatis.

Tertiò solet obiici posse Sacerdotem in statu alterius vitæ absoluere hominem pœnitentem, & rectè dispositum, si illi concederetur ab ordinario pœnitentis iurisdictio, sed hoc etiam solutum est ex dictis. Primò si sermo sit de anima separata, dicendum est non posse absoluere, quia non potest proferre verba absolutionis sensibilia; de Sacerdote verò philosophandum est iuxta dicta. Plura de charactere pertinent ad materiam de Sacramentis in genere.

DISPVTATIO XI.

SCHOLASTICA.

DVBIVM I.

An B. Virgo de facto meruerit maternitatem Dei de condigno.



QVID dicendum sit de merito de congruo, explicuimus 3. *partem ad quæst. 2.*

In præsenti autem dubio recentiores aliqui ausi sunt dicere, B. Virginem meruisse dignitatem Matris Dei de condigno, & præcipuum fundamentum est, quia ex gratia Dei potuit esse aliquod meritum in Virgine respectu maternitatis, secundùm communiorem opinionem Theologorum; ergo si accedat promissio Dei, & ordinatio eius operis in ordine ad talem dignitatem, erit meritum de condigno, quia in materia de merito magnæ efficacitatis est acceptatio, & ordinatio Dei, quod explicatur secundùm opinionem asserentium ex promissione Dei posse oriri in nostris meritis ius iustitiæ, ac proinde prædictum meritum si præcedat promissio Dei, erit meritum de iustitia, & ita de condigno, quia inter tale meritum & tale præmium erit æqualitas iustitiæ: hæc est autem condignitas operis respectu præmij. Pium autem est & credibile respectu Virginis fuisse prædictam promissionem Dei in ordine ad maternitatem vt præmium.

Sed communis opinio est, B. Virginem non meruisse de condigno maternitatem Dei; ita planè sentiunt qui docent, B. Virginem non meruisse etiam de congruo prædictam dignitatem matris. Secundò idem sentiunt de merito de condigno multi interpretes sancti Thomæ 3. *part. ad quæst. 2.* legantur P. Vazquez, P. Suarez & alij recentiores in eam quæstionem.

Pro explicatione notandum est, id quod diximus in materia *de gratia*, ex promissione, aut voluntate Dei, non oriri dignitatem in opere meritorio, hæc enim dignitas oritur ex gratia, suppositis aliis conditionibus quæ requiruntur ad meritum, de quibus diximus cum communi Doctorum in materia *de gratia*, & per se videtur manifestum sola extrinseca voluntate, & acceptatione Dei non fieri opus dignum aliquo præmio, quo non erat dignum ex gratia.

Secundò ponendum est, inter hominem & Deum

A non esse institiam commutatiuam, aut distributiuam; qualis est inter homines, vt latè probauimus a. 2. *tomo* 2. agentes de iustitia, & 3. *part. ad quæst.* 1. & efficaciter probat P. Vazquez 1. *part. ad quæst.* 20. & 1. 2. *disput. vltima*, & 3. *part. tomo* 1. *ad quæst.* 1. Ex quo fit ex promissione Dei non oriri ius iustitiæ, & ita merita puri hominis ex gratia facta non habent ius iustitiæ ad vitam æternam (loquimur de iustitia, qualis est inter homines;) promissio ergo Dei solùm deseruit ad inducendam ex parte Dei obligationem fidelitatis reddendi præmium; & talia opera dicontur condigna vitæ æternæ, ex spiritu gratiæ, quia gratia adoptionis est semen vitæ æternæ in homine iusto, & est etiam condigna B ex tali gratia, quamuis non esset promissio ex parte Dei de reddenda vita æterna, de quo fusè dixi in materia *de gratia*, agens de conditionibus ad merendum.

Ex his principiis manifestè colligitur, B. Virginem non meruisse de condiguo dignitatem matris Dei, quia opera ipsa etiam facta ex gratia, non sunt condigna tali præmio, vt omnes fatentur. Deinde sola voluntate Dei nulla facta in rebus mutatione, non possimt fieri condigna præmio illo quo secundùm se ex gratia facta condigna non erant; præsertim, quia, vt probauimus *opusculo de voluntate Dei ad quæstionem* 19. 1. *partis*, inuariatis rebus, non potest esse in Deo diuersa voluntas.

C Vlteriùs ex promissione Dei non oritur ius iustitiæ in nostris operibus; ergo ex hac parte opera B. Virginis ex gratia facta non fuerunt condigna maternitate Dei, quia quantumuis essent facta ex gratia, erant opera puræ creaturæ, & ita solùm erant semen vitæ æternæ in persona operante.

Præterea quòd sola promissio Dei, acceptatio, vel ordinatio non faciat opus condignum præmio, quo secundùm se non erat condignum ex gratia factum, probari potest, quia aliàs sequeretur posse puram creaturam per opera ex gratia facta mereri, & satisfacere de condigno, supposita promissione Dei pro peccatis hominum. Ex quo vlteriùs sequeretur, ad D redemptionem hominum non fuisse necessariam Incarnationem Verbi, & satisfactionem illius; consequens est absurdum, & contra doctrinam Patrum, vt dicebamus 3. *part. ad quæst.* 1. vt fusè P. Vazquez & alij recentiores.

Et ex his principiis soluta sunt argumenta facta pro contraria doctrina, quæ nullo modo admittenda est in Theologia, & defensores illius planè sunt decepti specie pietatis.

Dices, potuisse Virgini concedi tantam intensionem gratiæ habitualis, & opera ex gratia excitante ita intensa, vt mererentur de condigno prædictam dignitatem, præsertim accedente promissione Dei. Respondetur intensionem gratiæ ha- E bitualis & charitatis & operum ab illa procedentium solùm iuuare ad maius meritum in eodem homine, id est, ad maius meritum gloriæ & vitæ æternæ in persona operante; quia augmentum principij fit in eodem ordine, non tamen extenditur de condigno ad præmium diuersæ rationis, qualis est maternitas Dei, & ex opposita doctrina sequeretur Abraham, & Dauidem meruisse de condigno esse progenitores Christi, quia habuerunt opera ex gratia Dei facta, & promissionem de Incarnatione futura: consequens autem absurdum est, & nullus conceder.

DUBIUM II.

An saltem de potentia absoluta potuerit B. Virgo mereri de condigno maternitatem Dei.

Aliqui Theologi licèt negent B. Virginem de facto meruisse de condigno dignitatem matris Dei, concedunt tamen de potentia absoluta potuisse mereri dignitatem matris Dei de condigno non simpliciter, sed aliquo modo.

Multi tamen Theologi docent B. Virginem etiam de potentia absoluta non potuisse mereri prædictam dignitatem de condigno. legatur P. Vazquez 3. *parte ad quæst.* 2. & multis placet. nam quæ adduximus *dubio præcedenti*, si quid probant, etiam conuincunt non posse esse tale meritum, quia ex natura gratiæ & charitatis opera iusti solùm sunt meritoria de condigno vitæ æternæ in persona operante: sola autem Dei voluntate, aut ordinatione non possunt talia opera fieri meritoria de condigno, licèt possint acceptari à Deo ad præmium, ad quod non ordinantur ex natura gratiæ, solùm erunt meritoria de congruo.

Item, vt dicebamus *dubio præcedenti*, sequeretur ex opposita sententia non fuisse necessariam Incarnationem Verbi, si opus vnius hominis iusti ex voluntate Dei posset fieri meritorium de condigno gratiæ & gloriæ alteri conferendæ: consequens autem planè est contra sensum Patrum, iuxta ea quæ docent Theologi in materia *de Incarnatione* 3. *parte ad quæst.* 1. Et certè vix potest intelligi qua ratione sola extrinseca voluntas Dei & acceptatio constituat opus condignum alicuius præmij, cuius ex natura gratiæ & charitatis non est dignum, & licèt aliquis concedat posse esse inter Deum & hominem iustitiam propriam, qualis est inter homines, tamen hoc est intelligendum inter opus & præmium, inter quæ est proportio & æqualitas præcedente promissione, secus non poterit esse talis iustitia. Declaratur. nam si operi hominis iusti merenti vnum gradum gloriæ promitteret Deus decem gradus, ex tali promissione non redderetur homo condignus decem graduum illorum: ergo multo minus quando præmium est diuersæ rationis, qualis est dignitas matris Dei respectu operis iusti, quod ex natura gratiæ solùm ordinatur ad præmium vitæ æternæ, quæ ratiocinatio probat nullum opus puri hominis quantumuis ex magna gratia factum posse esse meritorium de condigno Incarnationis personæ diuinæ, de quo latiùs in materia *de Incarnatione* 3. *part. ad quæst.* 2. qui discursus ex prædictis principiis deductus, ita videtur efficax in bona Theologia, vt multi putent contrariam doctrinam non esse probabilem, & certè loquendo de merito in sensu dubij præcedentis mihi non est probabile placitum illud vnius, vel alterius Theologi asserentis beatam Virginem de facto meruisse dignitatem matris de condigno.

DISPV

DISPVTATIO XII.

POSITIVA.

Circa aliqua loca Scripturæ.

DVBIVM I.

Quis sit sensus illorum verborum : In lumine tuo videbimus lumen, *Psalm.* 35.

DE locis, de quibus agemus in hac selecta, aliqua diximus *opusculo de lumine gloria, disp.* 1. *dub.* 1.

Hunc locum aliqui Scholastici sequuti Capreolum 4.*d.*49.*quæst.*4.*art.*3. in solutione argumentorum, existimarunt in hoc loco sermonem esse de lumine gloriæ, quod Theologi constituunt in Beatis ad videndum claré Deum.

Et Ægidius *lib.* 9. *de beatitudine, quæst.* 4. *artic.* 1. §.4.*num.*34. putat hæc verba Psalmi communiter explicari à Patribus de lumine gloriæ, de quo loquuntur Scholastici, & citat Origen. 1. *Periarch. cap.* 5. Basil. *lib.* 4. *aduers. Eunom. non longè à principio, pag.* 283. *& cap.* 9. *Isaia pag.*724. Hieronym. *eodem loco.* Augustin. *in soliloquys anima, cap.*36. *tom.* 9. & citat etiam Carthus. Titelman. Genebrad. Iansenium, & alios.

Sed omnino fallitur hic autor, vt constat ex his, quæ in illum locum *Psalm.* 35. adducit noster Lorinus doctè pariter, & eruditè. Et Hieronymus exponit de lumine increato, quod dicitur esse apud Deum, sicut Psalm. 129. *Apud Dominum misericordia*, & Fulgentius 3. *ad Mennmum, cap.* 5. *&* 6. multis probat idem valere aliquid esse apud aliquem, & in aliquo, vbi citat verba *Psalm.*35. de quibus nunc agimus.

Et multi Patres in his verbis notant Trinitatis mysterium, Basilius, Theodoretus, Euthym. Hesichius, Cyrillus, Hierosolym. Ambrosius, Augustin. contra Maxim. *lib.* 3. *cap.* 23. & Basilius *libro de Spiritu sancto cap.* 18. & aliqui ex hoc loco, *in lumine tuo videbimus lumen*, colligunt processionem Spiritus sancti à filio Beda, & Athanasius *serm.* 3. *contra Arrianos.* Origenes 1. *Periarch. cap.* 1. Ambros. *hic, &* 3. *de virginitate.* Hieronym. *in cap.* 3. *Abacuc.* Cyrill. *lib.* 1. *in Ioann. cap.* 7. Isidorus *de vocat. gentium, cap.* 3. ad Incarnationis mysterium refert. Nazianzen. *orat.* 6. *de Spiritu sancto*, ex hoc loco colligit tres personas Trinitatis. & Anastasius Synaita *lib.* 1. *de fidei dogmate.* Ambrosius *lib. de Spiritu sancto, cap.* 16. legatur Augustin. *in soliloquys, cap.* 36. *& cap.* 7. *& epistola ad Episcopos Africa.*

Ex his constat, Patres explicantes hunc locum longè aliter sensisse quàm referat Ægidius, de quo curandum non est.

Addit deinde Lorinus in citatum locum, ex illo non colligi sententiam de lumine gloriæ, de quo tanquam de qualitate aliqua loquuntur Scholastici, & idem docuit P. Vazquez 1. *part. disp.* 42. *cap.* 2. *n.* 6. Vbi rectè docet communem multorum sensum illius loci, *in lumine tuo videbimus lumen esse*, vt per lumen intelligatur fauor Dei, iuxta phrasim Psalmi 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, per quem fauorem, inquit, videbimus lumen, id est, felicitatem, quæ solet in Scriptura nomine lucis significari. Ex qua etiam explicatione constat, ex illo loco non posse sumi argumentum, ad probandum in beatitudine dari lumen gloriæ, quòd sit qualitas distin-

A cta à visione clara Dei, licèt ego existimem certissimum esse dari talem qualitatem.

Deinde licet S. Thomas 1. *part. quæst.* 12. *articul.* 5. adducat illa verba Psalmi, *In lumine tuo*, &c. tamen adducit in argumento sed contrà, quod non semper est efficax, sed solet adduci tantùm pro ratione dubitandi. Et ipse S. Thom. exponens Psalm. citatum, verbum illud, *in lumine tuo videbimus lumen*, scilicet Christum, qui est lumen de lumine, & sic est lumen quod est verus Deus; & paulo infrà per lumen intelligit veritatem creatam, quia Christus in quantum homo, est veritas, vel increata, &c. Dixerat autem paulo antea circa illud, *in lumine tuo*, esse triplex lumen, aliud rationis naturalis, iuxta illud Psalm. 4.
B *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Aliud lumen gratiæ iuxta illud ad Ephesios 5. *Exurge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Tertium lumen gloriæ. Ex quibus constat S. Thomam diuersis modis intellexisse illa verba Psalmi; & Scholastici plura sæpe testimonia Scripturæ adducunt, non in sensu litterali, sed solùm per accommodationem.

Item sciendum Cardinal. Bellarmin. *in citatum Psalmum* explicare illa verba, *In lumine tuo*, &c. vt idem sit quod, in te ipso te ipsum videbimus, & licèt referat sensum aliquorum Scholasticorum, dicit tamen in fine explicationis versus, sed prior explicatio videtur magis litteralis. Quod tamen nó diceret Bellarminus si existimaret sensum Scho-
C lasticorum esse communem Patrum multorum, vt putauit Ægidius.

Mihi etiam placet alia expositio, quam attulit Lorinus, vt sermo sit de lumine fidei, quo possumus cognoscere veritates, & mysteria, vel doctrinam ad diuina mysteria pertinentia.

Vlteriùs licèt concedamus ibi esse sermonem de lumine quo videtur Deus claré à Beatis: tamen non potest efficaciter probari sermonem esse de lumine, quod est qualitas per modum habitus distincta ab ipsa visione, quia ipsa visio cùm sit manifestatiua claré Dei, potest dici lumen, quo videtur Deus, vt bene dixit P. Vazquez.

Sed obiicit suprà Ægidius quòd non dicimus vi-
D dere Deum in visione, sed illa, & per illam. Sed hæc obiectio nullius momenti est, quia in Scriptura particula *in* frequentissimè sumitur pro particula *cum*, quod agnoscit etiam mediocriter versatus in lectione Scripturæ. Deinde in illa tanquam in imagine formali videtur Deus.

Ex his constat ex citato loco Psalmi non posse sumi efficax argumentum ad probandum de fide esse dari in Beatis lumen gloriæ, quòd sit qualitas per modum habitus. An verò ex alio capite res sit certa de fide, explicant Theologi in materia *de visione*, 1. *part. ad quæstionem* 12. constat etiam varios esse sensus loci illius Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, & quis sit communior sensus Pa-
E trum. Sciendum est S. Thom. *in citatum locum Psalmi*, intellexisse de lumine gloriæ. Esaiæ 60. *Surge, illuminare Ierusalem.* sed absque dubio sensus est accommodatitius.

DVBIVM II.

Quis sit sensus illius loci Apocalyps. cap. 21. Ciuitas non eget Sole, neque Luna, &c. nam claritas Dei illuminauit illam.

SErmo est in hoc loco de cœlesti Hierusalem, & patria Beatorum, de qua dicitur non egere Sole & Luna, sicut hic mundus inferior: circa illa autem

verba, *nam claritas Dei illuminauit eam*, est præsens difficultas, quid significetur claritate Dei? & nonnulli, quos sequitur Ægidius citatus *dubio praecedenti*, per illam claritatem intelligunt, more Scholastico lumen gloriæ, quod ponitur in Beatis, ad videndum Deum, tanquam qualitas distincta ab ipsa visione, nec video quo firmo fundamento hoc dicatur significari illis verbis Apocalypſ. *Claritas Dei*, nisi quòd verba ipsa possint accommodari in sensu Scholasticorum. nam ex antiquis Patribus nullus tradit eam interpretationem, sed solùm dicunt, illis verbis significari, Deum ipsum esse pro sole in ea ciuitate, de modo autem, quo illuminet mentes Beatorum, nihil ibi exprimitur. Et hanc communem explicationem sequutus est P. Viegas *in illum locum*, qui addit hæc verba; nisi per claritatem Dei velis intelligere lumen gloriæ; quibus verbis prædictus autor aliquid vult concedere Scholasticis nostris. P. autem Alcazar in prædicta verba Apocalypſ. 21. solùm dicit se iam explicasse illa verba *cap. 12. Apocalypſ. versu* 1. vbi fuse & eruditè multa tradit de sole & luna, quatenus accommodantur Deo & Christo homini. Alij verò recentiores dixerunt sensum Scholasticorum quorundam non esse litteralem, sed accommodaritium.

Deinde non desunt aliqui qui rem breuiter tractantes admittunt ibi esse sermonem de claritate Dei, quæ communicatur intellectui Beatorum: dicunt tamen ex illo loco non posse colligi lumen gloriæ habituale distinctum a visione, sed posse intelligi de ipsa visione, qua videtur Deus, quæ rectè potest dici claritas Dei qua Beatus clarè cognoscit Deum vt est in se, & ita admisit P. Vazquez *1. part. ad quaest. 12. loco citato, dubio praecedenti*, quæ explicatio non placet Ægidio *suprà*, & vult ex illo loco colligi lumen gloriæ habituale distinctum à visione: pro quo sensu nullum citat ex Patribus; posset tamen citare aliquos Scholasticos, qui cursim rem attingentes citant hunc locum Apocalypsis, fortè solum per accommodationem, quia non tractant ex instituto, quis sit sensus literalis illius loci.

Sed obiicit Ægidius quòd nomine claritatis debeat intelligi aliquid emanans ab ipso Deo lumine increato, in quo assumit probandum, quia, vt retuli, Viegas secutus communem sensum exposuit verba de lumine increato, & licèt Deus causet aliquid in mentibus Beatorum; tamen de hoc nihil ibi exprimitur, & licèt concedat P. Vazquez & alij, ibi esse sermonem de aliquo effectu creato, tamen contra illos nihil probat Ægidius, quia visio beata à Deo procedit; licèt etiam procedat ab intellectu, neque sufficienter probat Ægidius ex illo loco colligi claritatem illam esse aliquid procedens ab ipso Deo tantùm: nomine autem visionis P. Vazquez intelligit actionem intellectus, & verbum quod est terminus illius; nullius ergo momenti sunt quæ pro suo sensu adducit Ægidius. Semper tamen, vt certum, concedendum est dari lumen gloriæ creatum, quòd sit principium efficiens visionis claræ Dei: in præsenti autem solùm contendimus explicare sensum citati loci ex Apocalypsi.

DISPVTATIO XIII.

Circa sensum aliorum locorum Scripturæ.

DVBIVM I.

Quis sit sensus illorum verborum, Psalmi 118. Inclinaui ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.



ONCIL. Trident. *sess. 6. c. 11. in fine*, explicat hæc verba Psalmi de spe retributionis & præmij vitæ æternæ, quam spem definit esse honestam contra hæreticos, *in eo cap. & can.* 26. de qua doctrina alibi diximus, & prædictam veritatem probat Concilium ex citatis verbis Psalmi 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes, propter retributionem*, id est, propter futurum præmium beatitudinis, quem sensum communiter tradunt Patres *ibi*, Augustinus, Chrysost. Theodoret. Basilius, Hilarios, Ambrosius, Cassiodor. *variarum epistola* 16. Hieronymus; & fauent Hebræa, & Paraphrastes.

Alij verò ea verba exponunt, vt Dauid significet illis verbis affectum gratitudinis, & dicat se motum fuisse ad seruanda præcepta, & facienda bona opera, vt pro beneficiis à Deo acceptis aliquid retribueret ex gratitudine. quæ expositio ita potest admitti, vt tamen prior non excludatur, quia, vt diximus agentes de sensibus Scripturæ, bene potest vnus locus habere duos sensus literales, & nomen retribuendi ad significandum affectum gratitudinis ponitur *Psalmo* 115. in quo ait Dauid, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*. quæ verba per se satis nota sunt, & in hoc sensu explicantur à Patribus *ibi*. De gratiarum autem actione diximus *suprà*.

Hic occurrit aduertendum gratiarum actionem, si fiat Deo pro beneficiis ab illo acceptis, esse actum religionis; si verò fiat B. Virgini pro beneficiis ab ea acceptis, esse actum hyperduliæ; si verò fiat Sanctis, esse actum duliæ.

DVBIVM II.

De sensu illius loci ad Roman. 8. Spiritus sanctus postulat pro nobis, &c.

HÆretici ex hoc loco contendunt probare Spiritum sanctum non esse Deum, de qua hæresi diximus in suo loco, & eam refutauimus 1. *part. ad quaest.* 36. vbi interpretes S. Thomæ; nunc autem solùm contendimus explicare sensum illius loci, quia Catholici varios sensus adducunt.

Prima expositio est aliquorum, qui per *Spiritum* intelligunt spiritum gratiæ, quem Deus infundit mentibus hominum, qui illo excitantur ad postulandum. legatur Vazquez *in citatum locum ad Rom.* 8. *& 1. p. disp.* 110 *cap.* 2.

Secunda expositio est quam tradit Euthymius *in illud caput*, vt nomine *Spiritus* intelligantur rectores & superiores Ecclesiastici, qui ex officio debent orare pro subditis.

Tertia expositio est, vt nomine *Spiritus* intelligantur Angeli custodes, qui pro nobis orant, & quod dicitur *gemitibus inenarrabilibus*, significat feruorem & efficacitatem qua orant. hanc sequitur Lyra, & retulit Toletus & alij. Orta est autem hæc varietas expositionum ex nomine illo *Spiritus*, quod varios habet significatus. nam apud Scripturam & Patres significare solet Spiritum gratiæ,

gratiæ, & Angelos qui spirituales sunt, superiores etiam, & Rectores.

Tandem aliqui explicant de persona Spiritus sancti, ita Augustinus *epistola* 121. Nazianz. *oratione* 36. & alij non pauci, & docent Spiritum sanctum dici pro nobis postulare, quia per suam gratiam facit nos postulare, & hoc cum magna vtilitate orantis, & hoc significat illud, *gemitibus inenarrabilibus*, ineloquacibus legebat olim Enobatianus, quod aliqui tribuunt Tertulliano. Potest ergo oratio animæ orantis tribui Spiritui sancto, eo quòd Spiritus sanctus sit causa mouens.

Et hac ratione explicare soleo hanc causam quòd quæ ad pulchritudinem sponsæ pertinent, sponsi sumptibus comparari, & ipsius appellitari soleant, quæ ratio licèt moralis sit, maximè tamen est accommodata præsenti instituto, nisi velis felicem ac lætum animæ gemitus partum nobilioris parenti appellatione deseribi; habet enim sic hominum lex, & deprecationem cordis & lacrymarum functionem, tribui Spiritui sancto bonorum omnium optimo parenti.

Item sciendum est Augustinum *tract. 6. in 1. epist. Ioannis*. specialiter per spiritum intellexisse virtutem charitatis, quæ hominem mouet ad petendum à Deo peccatorum veniam, magnis gemitibus, & doloribus cordis: quæ explicatio non multum differt à prima, quæ valde probabilis est, & coniungi potest cum priori explicatione Augustini. nam Spiritus sanctus mouet hominem ad orandum per spiritum gratiæ: cùm autem iste effectus tribuitur Spiritui sancto, per accommodationem attribuitur tertiæ personæ Trinitatis, licèt reuera omnes effectus ad extrà procedant à Deo ratione omnipotentiæ, quæ communis est tribus personis. Duæ verò aliæ explicationes de rectore, vel pastore Ecclesiæ, & de Angelo custode minus quadrant in contextum. licèt doctrinæ morali possint deseruire. Legantur nostræ Societatis illustres Scripturæ interpretes Psalmeron, Manuel Sà, Cardin. Toletus, Mariana, Vazquez, Cornelius & Instinianus *in citatum caput ad Roman.* 8.

DISPVTATIO XIV.

THEOLOGICA, & PHILOSOPHICA.

De potentia motiua Angeli.



DE hoc dixi in materia de Angelis, modò autem propono hanc disputationem propter peculiarem opinionem P. Molinæ, quam statim referemus *dubio* 1.

DVBIVM I.

Quomodo Angelus moueat seipsum localiter.

POnendum est vt valde certum, Angelum posse seipsum mouere localiter, quamuis inter Scholasticos sit varietas opinionum circa modum quo se mouet. Deinde ponendum est in Angelo esse potentiam actiuam ad faciendum talem motum. Tertiò ponendum est duas esse communes opiniones de natura talis potentiæ, quas retuli 1. *part. disput.* 41. *dub.* 4. alteram asserentium potentiam motiuam in Angelo esse aliquid distinctum à voluntate & intellectu, quam sequitur P. Suarez *lib. 4. de Angelis, varijs capitibus*, cum aliis Doctoribus. Alteram asserentium potentiam motiuam non distingui ab actu voluntatis, vel intellectus. P. Vazquez 1. *part. disp.* 218. & alios, quos citaui *dubio allegato*.

Peculiaris est sensus Molinæ 1. *part. in quæst.* 54. *in art.* 5. qui docet Angelum mouere seipsum per impulsum in seipsum impressum, & dicit hoc esse principium proximum motus Angeli: quod intelligit si dicatur potentiam motiuam Angeli non distingui à voluntate. Docuerat autem ipse *quæst.* 53. *art.* 1. esse in Angelo virtutem motiuam distinctam à voluntate. Quam opinionem breuiter retuli *dubio cit.* hoc autem docet prædictus autor his verbis, quòd si dicamus in Angelo vim ad mouendum distinctam non esse à voluntate, potentiam ipsam voluntatis non esse id quod immediatè efficit motum, vel substantiæ Angeli, vel rei externæ, quam Angelus moueat, sed id quod immediatè efficit motum esse impulsum, quo Angelus suam substantiam impellit, aut rem externam: mediante autem actu voluntatis non quocunque, sed quo efficaciter vult se impellere.

Ex quibus verbis constat P. Molinam sentire Angelum mouere seipsum localiter, remotè per actum voluntatis, proximè per impulsum seipso productum, & idem sentit de motu corporis quod Angelus mouet, de quo infrà dicemus.

Item secundùm mentem huius autoris dicendum est talem impulsum esse qualitatem intensibilem, non tamen attingere intensionem infinitam. Item dicendum est, talem impulsum respectu motus proprij ipsius Angeli esse principium naturale motus, sed respectu motus corporum esse principium motus violenti.

Hanc sententiam quantum ad motum proprium ipsius Angeli, non video traditam ab aliquo, vel relatam, aut impugnatam.

Sed planè supponunt contrarium omnes qui indicant Angelum posse producere impulsum spiritualem in altero Angelo, quia putant talem impulsum spiritualem esse impossibilem. Item contrarium supponunt qui in Angelo ad proprium motum localem constituunt specialem potentiam actiuam distinctam ab intellectu, & voluntate. Præterea contrarium supponunt omnes, qui putant principium immediatum motus Angelici esse actum intellectus, vel voluntatis.

Et mihi hæc sententia non probatur. Primò, quia non video idoneum fundamentum pro sententia Molinæ. Secundò, si actus voluntatis, vel intellectus Angeli non est sufficiens principium motus angelici, magis consentaneum est rationi quod docuit P. Suarez cum aliis in Angelo esse potentiam motiuam distinctam ab intellectu ex voluntate Angeli, quæ sit qualitas permanens, & perfectio intrinseca, quæ tanquam passio oriatur ab essentia Angeli.

Deinde etiam est intellectu difficile, quòd detur talis impulsus spiritualis in Angelo ad mouendum seipsum, & si philosophicè loquendum sit, in omnibus rebus naturalibus, quæ se possunt localiter mouere, datur potentia motiua localis distincta ab impulsu; ergo & in Angelo concedenda est potentia, vel principium aliquod distinctum ab impulsu, licèt in corporibus interdum ex potentia motiua causetur aliquis impulsus.

Item sicut P. Molina docet actum voluntatis posse esse principium efficiens impulsus in ipso Angelo, posset faciliùs dicere esse principium productiuum ipsius motus localis intrinseci in Angelo; nec potest assignari ratio disparitatis ob quam possit

actus voluntatis producere impulsum spiritualem in ipso Angelo, & non motum spiritualem, neque videtur vlla necessitas talis impulsus. An verò vnus Angelus possit alterum mouere localiter per impulsum illi impressum, paulo pòst videbimus. Certè in corporibus agnouerunt Philosophi impulsum corporalem, propter experientiam, de quo diximus *ad 8. physicorum.*

Notandum autem est, secundùm opinionem P. Molinæ posse esse dubium, quo modo corrumpatur prædictus impulsus; & primò potest corrumpi ad defectum causæ conseruantis, quando Angelus vult cessare ab illo motu.

Dubium autem remanet, an possit dici corrumpi aliquando per contrarium impulsum, quando Angelus vult moueri motu contrario à priori; & tunc B oportet acutè considerare an priùs natura Angelus velit producere impulsum contrarium, vel cessare à conseruatione prioris impulsus. nam in vno casu primus impulsus corrumpetur ab impulsu contrario: in secundo autem casu intelligetur prius natura desinere esse ad defectum causæ conseruantis, quæ dicta sunt in gratiam opinionis Molinæ: qua supposita etiam restat explicandum, an sint impulsus diuersæ speciei in ipso Angelo ad diuersos motus proprios, quæ ex principiis generalibus Philosophiæ doctus quisque facilè poterit definire.

Præterea potest esse dubium, posita ea opinione, C an impulsus spiritualis, quo Angelus mouet seipsum, distinguatur specie ab impulsu spirituali, quo ex opinione aliquorum potest vnus Angelus mouere alterum Angelum, quæ controuersia etiam ex principiis philosophicis dirimenda est, nec difficilis explicatu: nobis satis sit difficultates indicasse, qui non probamus illam opinionem.

Alia de motu Angeli continuo, vel discreto diximus 1. p. in materia *de Angelis.*

DUBIUM II.

An vnus Angelus possit mouere alterum localiter. D

DUo possunt circa hoc occurrere explicanda. Vnum est, an possit vnus Angelus localiter mouere alterum. Aliud est, an possit mouere per impulsum spiritualem, impressum illi.

Circa primam partem aliqui sentiunt, vnum Angelum non posse alterum mouere localiter. Ita P. Vazquez 1. *parte disp.* 194. *cap.* 3. §. *vltimo.* Et potest probari, quia secundùm opinionem D. Thomæ, & aliorum, quos retuli in materia *de Angelis*, potentia motiua Angeli est actus voluntatis; magna verò perfectio videtur Angelum sola sua voluntate posse mouere alterum, vel detinere alicubi inuitum & repugnantem. E

Secundò non videtur ratio vrgens ad dicendum posse vnum Angelum mouere alterum localiter repugnantem.

Tertiò explicatur secundùm opinionem asserentium Angelum esse in loco per operationem transeuntem, quæ opinio multorum est, vt vidimus in materia *de Angelis*. Non apparet autem quomodo vnus Angelus possit alterum cogere ad operandum actione transeunti & externa, sine qua non erit præsens spatio locali per motum localem, vel terminum eius.

Quartò explicatur difficultas de Angelo inferioris perfectionis respectu Angeli perfectioris, quia perfectior Angelus potentior est, & maiorem habet virtutem: ergo non poterit ab inferiori cogi, si velit resistere.

Secunda opinio est asserentium posse vnum Angelum efficaciter mouere alterum secundùm locum, producendo in illo motum inhærentem, & præsentiam de prædicamento vbi, supponunt enim Angelum esse in loco per præsentiam inhærentem, & non esse necessariam operationem transeuntem. Ita sensit P. Suarez *in Metaphys. disput.* 35. *sect.* 6. & *tomo de Angelis lib.* 4. *cap.* 18. *à num.* 3. Et probat, primò, quia Angelus potest mouere corpus: ergo multo magis potest mouere alterum Angelum, quia cum Angelo habet maiorem proportionem.

Secundò probat, quia Angelus potest moueri ab extrinseco cùm sit capax talis præsentiæ secundùm multorum opinionem, & motus iste non est aliquid vitale, & ita sine dubio potest Angelus moueri à Deo; ergo poterit moueri ab altero Angelo, quia nec motus, nec terminus requirit infinitam virtutem in principio mouente: ergo talis virtus potest concedi in vno Angelo respectu alterius, præsertim cùm ipse Angelus possit seipsum mouere finita virtute.

Tertiò ex parte ipsorum Angelorum non videtur aliqua improportio, aut repugnantia, & hanc sententiam secutus est Cumel. 1. *part. quæst.* 53. *art.* 3. *quæst.* 5. Pesantius *art.* 1. *disp.* 2. & docuerat Maior *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 7. & multi recentiores hoc tempore. P. Molina 1. *part quæst.* 53. *in art.* 1.

In hac controuersia mihi placet primò secundùm opinionem asserentium Angelum esse in loco per operationem transeuntem, valde esse probabilem, vnum Angelum non posse mouere alterum localiter, quia secundùm prædictam opinionem Angelus non mouetur localiter per motum, & præsentiam sibi inhærentem, sed de nominatione extrinseca ratione operationis transeuntis, quæ voluntariè procedit à voluntate Angeli: non videtur autem quomodo vnus Angelus possit mouere voluntatem alterius vt per vim illatam applicentur ad operandum operatione transeunti: sine qua in prædicta opinione non mouetur localiter, vnus enim Angelus non potest inferre violentiam voluntati alterius, vt per se constat.

Secundò idem sentio secundùm opinionem asserentium Angelum non esse in loco per præsentiam inhærentem, sed per voluntariam aliquam appellationem virtutis, vel vnionis cum corpore voluntariè, eadem enim ratio habet locum secundùm eandem opinionem, quia, vt dixi, vnus Angelus non potest inferre violentiam alteri, vt cogat illum ad aliquam applicationem voluntariam, vel vnionem externam cum corpore, & ideo hoc modo rectè potest defendi opinio quam tradidit P. Vazquez 1. *part. disp.* 194. *cap.* 3. §. *vltimo*, asserentis vnum Angelum non posse mouere alterum localiter, supponit enim suam doctrinam de modo existendi Angeli in loco, dicit enim non esse per præsentiam inhærentem; sed per modum quendam vnionis cum corpore voluntariè producto ab ipso Angelo, qui se mouet localiter, & hoc supposito verum est quod *ibidem* dicit, moueri ab alio localiter videri proprium corporum, quod maximè aduertendum est in doctrina P. Vazquez, qui mirabiliter excellit semper in consequentia suæ doctrinæ, ex qua in præsenti facilè possunt solui, quæ contra illum obiicit P. Suarez *lib.* 4. *citato cap.* 18. *à num.* 3.

Meum

Meum verò iudicium est in hac re, probabile esse vnum Angelum posse alterum mouere localiter, supposita nostra doctrina quòd Angelus sit in loco per præsentiam inhærentem de prædicamento vbi, & habeat potentiam producendi talem motum in seipsum. Ex quo probabiliter potest colligi posse producere in altero præsentiam, & motum eiusdem rationis, in quo nihil apparet repugnantiæ, sicut de Angelo respectu animæ rationalis separatæ dixi ante quadraginta annos *disput. de anima separata*, in Metaphysica, & postea 1.*part.* in materia *de Angelis*, *disput.*73. *dub.*3. & in Metaphysica *loco citato*, citaui pro hac sententia Medinam 3.*part.quæst.*57.*in articulum* 3. & explicari potest, quia Angelus est capax talis præsentiæ à se productæ: ergo ex parte subiecti capax est illius, & ex altera parte potentia alterius Angeli est productiua præsentiæ eiusdem rationis, & non apparet causa aliqua, propter quam dicamus non posse vnum Angelum eam præsentiam in altero producere, & videtur consentaneum naturæ vt Angelus habeat talem vim erga alterum.

Secundò existimo Angelum inferiorem posse talem præsentiam & motum producere in Angelo superiori si superior non resistat, si tamen superior resistat, non poterit inferior illum mouere, aut detinere certo aliquo loco contra suam voluntatem: quomodo verò sit philosophandum de hoc motu, dicemus *infrà*. Nunc autem oportet ostendere, quomodo argumenta P. Suarez non probent contra P. Vazquez, supposita opinione ipsius P. Vazquez de existentia Angeli in loco per voluntariam vnionem cum corpore.

Ad primum dicendum est, esse diuersam rationem de Angelo respectu corporis, & respectu alterius Angeli in opinione P. Vazquez, quia P. Vazquez, vt *infra* videbimus, agnoscit rationem efficacem, propter quam affirmat posse Angelum mouere corpus, cùm tamen neget ex suis principiis non posse vnum Angelum producere in altero præsentiam & motum inhærentem, cuius non est capax, & tamen corpus est capax talis motus & præsentiæ.

Ad secundum facilè potest P. Vazquez assignare disparitatem ex doctrina à nobis suprà traditam, quòd in opinione ipsius Angelus mouetur per voluntariam vnionem cum corpore, non potest autem vnus Angelus inferre violentiam voluntati alterius, cùm tamen Deus possit cogere Angelum ad talem illam vnionem, vel modo alio quo ipse voluerit ad mouendum Angelum.

Ad tertium, ex doctrina tradita potest quis respondere pro P. Vazquez; mihi autem placet opinio P. Suarez, supposita opinione de existentia Angeli in loco per præsentiam inhærētem, quam priùs tradiderat P. Molina, & ex Thomistis etiam multo antea tradiderat Medina *loco supra citato*.

Quæ verò in principio dubij adducta sunt pro prima opinione, non habent efficacitatem, supposita nostra opinione de existentia Angeli in loco per præsentiam inhærentem, & ita ad primum dicendum est, non esse magnam perfectionem in Angelo quòd possit in altero producere præsentiam & motum, quæ potest in seipso, supposito quòd alter sit capax illius præsentiæ.

Ad secundum constat, propter quam rationem dixerimus vnum Angelum posse alterum mouere.

Ad tertium iam diximus quid probet.

Et idem dicendum est ad quartum ex dictis constare solutionem.

Solùm poterat contra nostram doctrinam obiici quod P. Vazq. & alij Doctores adducunt in materia *de Angelis*, ad probandum Angelum non esse in loco per præsentiam inhærentem, quæ tamen in eadem materia *de Angelis* à nobis soluta sunt. Restat explicandum, an vnus Angelus moueat alterum, causando immediatè motum & præsentiam, vel per impressum immediatè productum ab Angelo mouente.

Dubium III.

An vnus Angelus moueat alterum localiter immediatè producendo motum in illo, vel producendo impulsum in illum à quo causetur motus immediatè.

In hoc dubio aliquorum sententia est, vnum Angelum mouere alterum localiter, imprimendo illi impulsum. ita expressè P. Suarez *lib.* 4. *de Angelis cap.* 28. *num.* 6. & probat, quia sicut non repugnat dari motum spiritualem, non repugnabit dari impulsum spiritualem. Item quia non repugnat Deum mouere Angelum cum impulsu, aut sine illo. Et indicat P. Molina 1. *part. quæst.* 53. *artic.*1. §. *deinde circa motum*, vbi vtitur verbo *impellendi*. Et probari vlteriùs potest, quia Angelus potest mouere corpus per impulsum materialem; ergo poterit mouere Angelum per impulsum spiritualem, eadem enim videtur ratio, supposito quòd Angelus vnus possit mouere alterum localiter.

Sed contrariam sententiam docuit expressè P. Vazquez 1.*part. disput.*194. *cap.*3. §.*vltimo*. & supponit, omnes qui negant vnum Angelum sola virtute naturali posse cogere alterum, & producere in illo motum inhærentem, quia non potest cogere voluntatem illius, ita supponunt omnes qui docent Angelum solum esse in loco per voluntariam operationem transeuntem; & certè antiqui Theologi non videntur agnouisse talem impulsum spiritualem.

Mihi verò nunc res videtur dubia, neque video rationem efficacem quæ nos cogat ad constituendum talem impulsum, sicut inuenitur ratio ad constituendum impulsum corporalem in corporibus, de quo diximus *ad* 8. *physicorum*, & 1.*part.* in materia *de Angelis*, *disput.*70. *dub.*2. & statim dicemus de Angelo mouente corpus. Et explicari potest, quia vt vnus Angelus moueat alterum localiter, satis videtur potentia motiua Angeli, & productiua motus localis respectu alterius Angeli, & secundùm hanc opinionem dicendum Angelum mouentem semper debere esse proximum Angelo moto secundùm loci propinquitatem, iuxta communem philosophiam de propinquitate agentis cum passo & effectu. An verò possit Angelus mouere alterum Angelum distantem medio impulsu impresso in principio motus ab Angelo proximo existenti, pendet ex eo, an sit, vel non sit talis impulsus, & ex eo etiam, an Angelus sine immediata propinquitate locali possit agere in Angelum distantem, cuius pars negatiua mihi semper placuit in philosophia.

Quæ verò adduximus in principio dubij, facilem habent solutionem. nam qui negant motum inhærentem in Angelis, etiam negabunt talem impulsum. Nos verò licèt concedamus talem motum inhærentem in Angelo, tamen negamus impulsum, aut dicimus rem esse dubiam, & incertam,

quia non videmus rationem efficacem ad constituendum talem impulsum, cùm motus possit fieri immediatè a potentia motiua. Certum autem est Angelum posse moueri à Deo: ignoramus tamen an hoc possit fieri etiam per impulsum; dubitamus enim an talis impulsus sit possibilis.

DVBIVM IV.

Quomodo sit philosophandum de motu locali producto ab vno Angelo in altero.

Dubium intelligitur secundùm opinionem admittentium talem motum. Et dicendum est motum causatum ab Angelo in seipso voluntariè esse naturalem, sicut est motus progressiuus hominis voluntariè causatus ab homine in quamcumque partem fiat.

Si verò loquamur de motu producto ab vno Angelo in alterum, contra voluntatem Angeli moti, dicetur motus ille violentus simpliciter, licet ab aliquibus dicatur secundùm quid naturalis ratione potentiæ passiuæ, quia illam habet Angelus ad recipiendum motum eiusdem speciei, causatum intrinsecè à seipso quatenus est productiuus præsentiæ de prædicamento vbi; quòd si talis motus fiat consentiente Angelo, & cooperante, erit natnralis. Addit P. Molina 1. *part. quæst.* 53. *art.* 1. quòd erit talis motus præternaturalis comparatione potentiæ motiuæ Angeli motu. Sed non est omnino facile asserere quòd non consentiat Angelus motus quando non resistit, tunc enim virtualiter videtur consentire, cùm possit resistere, & non resistat, quamuis multis non videatur impossibile quòd possit Angelus in eo casu negatiuè se habere, vt aiunt.

Deinde considerandum est, an Angelus motus moueatur ab altero maiori velocitate, quàm Angelus motus posset se mouere virtute propria, tunc enim excessus ille velocitatis non potest dici simpliciter naturalis, sicut in simili de motu corporis dicebamus in Philosophia.

Deinde oportet explicare, quomodo corrumpatur motus iste localis productus in altero Angelo, & dicendum est posse aliquando corrumpi ex defectu causæ conseruantis, quæ motum illum produxit, quòd si motus productus sit in Angelo perfectiori, qui voluntariè passus est moueri, poterit corrumpi à contrario motu producto in se ipso ab Angelo illo perfectiori: motus autem quem in seipso Angelus producit, poterit corrumpi ex defectu causæ conseruantis volentis quiescere, sicut antea voluit moueri.

Vlteriùs si vnus Angelus potest mouere alium per impulsum, cessabit motus cessante impulsu. Quomodo autem corrumpatur impulsus spiritualis, si detur, statim dicemus.

DVBIVM V.

Quomodo sit philosophandum de impulsu spirituali supposita opinione asserentium illum dari.

Difficultas potest intelligi & de impulsu producto ab ipso Angelo in seipso, & de impulsu producto ab vno Angelo in alterum.

Circa primam partem ponendum est talem impulsum distingui à potentia motiua Angeli, qua mouet seipsum ex opinione aliorum, siue distinguatur à voluntate, siue non, quod facilè potest intelligi ex diuersa coodicione & natura vtriusque.

Item facilè intelligitur talem impulsum spiritualem distingui ab impulsu materiali, quo mouentur aliquando corpora.

Dubium autem potest esse, quomodo corrumpatur talis impulsus, & dicendum est corrumpi ad defectum causæ conseruantis, quæ seipsa illum produxit, quia sicut voluit mouere seipsam, potest velle quiescere, poterit etiam corrumpi ab impulsu contrario quo Angelus velit moueri in diuersum locum, quæ omnia facilè intelliguntur.

Præterea difficultas potest esse, an impulsus quo ipse Angelus mouet se sursum, sit diuersus specie ab eo impulsu quo se mouet deorsum. In quo fingi possunt diuersæ opiniones. Altera affirmans hos impulsus distingui specie, quia sunt principia motuũ contrariorum, qui motus in corporibus videntur distingui specie. Altera negans posse impulsus distingui specie. Et explicari potest, quia prædicti motus respectu ipsius Angeli, non videtur differre specie, quia & termini sunt eiusdem speciei, nempe duæ præsentiæ de prædicamento vbi; & comparatione subiecti quod mouet seipsum non est vnus motus magis naturalis quàm alius, quia Angelo non est magis naturalis motus sursum quàm deorsum respectu spatij extrinseci & loci materialis. Et hæc pars mihi est probabilior. An verò motus sursum, & deorsum in corporibus differant specie, in Philosophia explicandum est.

Circa alteram partem de impulsu producto ab vno Angelo in altero, etiam est certum distingui à potentia naturali motiua Angeli mouentis, siue distinguatur à voluntate, siue non, quod ex dictis facilè intelligitur.

Item certum videtur talem impulsum habere intensionem, quia potest esse principium velocioris, & tardioris motus, sicut contingit in impulsu quo mouentur corpora.

Deinde prædictus impulsus quando immediatè pendet ab Angelo mouente, quia est proximus secundùm spatium Angelo moto, poterit corrumpi ad defectum causæ conseruantis, voluntariè mouentis alterum Angelum: si autem ponatur talis impulsus eius conditionis, vt possit Angelus illum producere in altero, & relinquere illum, etiam discedens ab illo secundùm spatium, tunc est difficultas, à quo corrumpatur; sicut similis difficultas est de impulsu corporali, quo mouentur corpora proiecta à proiiciente, de quo *ad* 8. *physicorum* retuli communem opinionem eius temporis ante multos annos asserentium impulsum corporalem, non habere contrarium à quo posset corrumpi, sed paulatim languescere, & deficere absque vllo contrario formali Sed ad 2. *librum de anima*, refutaui talem modum philosophandi, & probaui nihil corrumpi, nisi vel ex defectu causæ conseruantis, vel per contrarium formale: in præsenti autem dubio de impulsu spirituali producto ab vno Angelo in alterum quasi per modum proiicientis, posset aliquis dicere paulatim deficere sine aliquo contrario formali, sicut de impulsu corporum referebam, aliquos ita sensisse: sed hæc philosophia mihi non probatur, qui tamen admittunt prædictos impulsus spirituales, dicere debent prædictum impulsum impressum ab vno Angelo in alterum, vel perire & deficere paulatim sine contrario, vt dicebam, vel in Angelo moto constituere debent alium impulsum, à quo corrumpatur, vt de impulsu corporali nos diximus *ad* 2. *de anima*.

DVBIVM VI.

Quomodo Angelus possit mouere corpus.

De hac materia dixi 1.*part.disp* 70. *ad quæst.* 110. S.Thomæ, de qua materia fusè disputat P.Suarez *lib* 4.*de Angelis, à capite* 29. Et primò potest esse difficultas an potentia, qua Angelus mouet corpora, sit distincta ab intellectu & voluntate, de quo, sicut de potentia, qua mouet seipsum, vel alterum Angelum, philosophari debet vnusquisque iuxta suam opinionem, & legi potest P. Suarez *cap.* 29.

Item disputant aliqui, an Angelus ad mouendum corpus localiter requirat propinquitatem aliquam cum corpore. Et res est explicanda ex principiis generalibus Philosophiæ. legatur P. Suarez *suprà cap.* 30.

Item certum est hanc potentiam Angeli ad mouendum corpora, non esse virtutis infinitæ, vel ad mouendum cum infinita velocitate, quæ omnia sine controuersia sunt apud Theologos, & legi potest P.Suarez *suprà cap.* 32.

Vlterius nos *disp. citata* cum communi Scholasticorum sententia diximus Angelum non habere virtutem producendi formam substantialem, vel accidentia, & qualitates, quæ disponunt ad formam substantialem producendam licèt possit applicari agens naturale ad producendam formam substantialem, sicut potest applicare igneio, vt ex ligno, v.g. producat alterum ignem.

Præterea certum est apud Scholasticos posse Angelum producere motum localem in corpore, quod non potest sine temeritate negari.

Aliqualis autem controuersia est an possit producere impulsum causatiuum motus in corpore. Et hoc tempore communiter affirmant Doctores. legatur Suarez *in Metaphysica disp.* 35. *& lib.* 4. *de Angelis, cap.* 31. P.Vazquez 1.*parte disp.* 182. *& disp.* 118. & nos diximus 1.*parte* in materia *de Angelis, disp.* 70. *dub.* 2. Et variæ rationes solent assignari, quæ legi possunt apud citatos Doctores, & apud aliquos interpretes S.Thomæ 1. *part. ad quæst.* 110. Item notandum est P.Vazquez sentiri Angelum habere virtutem producendi in seipso modum quendam spiritualem vnionis cum corpore, ratione cuius dicitur mouere localiter, vt retuli 1.*part.* in materia *de Angelis, disp* 36. *dub.* 6.

Potest autem esse peculiare dubium de natura huius impulsus corporalis, de quo multa dixi *ad* 8. *physicorum*, & nunc breuiter attingam aliqua capita, & primò certum videtur hunc impulsum corporalem productum ab Angelo esse eiusdem rationis cum impulsu corporali quo corpus mouetur ab alio agenti corporali, vterque enim est impulsus materialis & ordinatus ad motum corporalem: deinde, etiam est certum hunc impulsum corporalem esse diuersæ speciei ab impulsu spirituali, si talis spiritualis impulsus datur in Angelis.

Præterea, iste impulsus corporalis, qualitas est intensibilis, & remissibilis. Præcipua verò difficultas poterat esse, an impulsus qui mouent corpus ad diuersa loca, & contraria, sint diuersæ speciei, & ante aliquot annos opinio fuit aliquorum, hos impulsus esse diuersæ speciei, & essentiæ; sed non video satis firmum fundamentum; quia isti impulsus ordinantur ad mouendum corpus ad locum, ea intentione mouentis, siue ex aliquo aliu agenti naturali, quod ex aliqua causa corpus mouet

A violenter, siue sit sursum, siue deorsum, siue præter naturam, siue contra naturam corporis moti. Vnde non est eadem ratio de impulsu vno tendenti sursum, & de altero tendenti deorsum, & de grauitate & leuitate, grauitas enim, & leuitas sunt passiones essentiarum diuersæ speciei, nempe corporis grauis, & leuis: secus est dicendum de duobus impulsibus prædictis, ex quo etiam magis declaratur nostra opinio.

Illud videtur certum, hunc impulsum materialem, esse diuersæ speciei, à grauitate, & leuitate, & à potentia motiua, qua viuens corporeum mouetur motu progressiuo, quæ potentia interdum potest causare impulsum corporalem, de quo in

B Philosophia.

Tandem poterat esse difficultas de modo quo corrumpatur iste impulsus corporalis, de qua iam diai, aliquando fuisse opinionem asserentium istum impulsum corrumpi sine contrario, paulatim deficiendo, quo magis distat à primo producente, sed mihi probabilius corrumpi ab aliquo impulsu, vel qualitate contraria producta à corpore proiecto, & hanc corrumpi ad defectum conseruantis, hoc est corporis, producentis hanc qualitatem & impulsum solùm ad destruendum contrarium, quod fusiùs explicui in materia *de anima*.

C

DISPVTATIO XV.

POSITIVA, & SCHOLASTICA.

De incomprehensibitate Dei.

DVBIVM I.

An sit de fide, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato.

D DVBIVM intelligitur de intellectu creato etiam adiuto lumine, vel auxilio supernaturali, &, generatim loquendo, hoc tempore omnes fatentur de fide esse Deum esse incomprehensibilem, licèt in explicanda natura comprehensionis sit magna diuersitas. Et quòd Deus sit incomprehensibilis, & quòd sit de fide, docuit expresse P.Vazquez 1 *p.disp.* 53.*cap.* 2. licèt illi non satis placeat modus ille definiendi incomprehensibilem, aliquo modo incomprehensibilitatis, quem tradit S.Thom. 1.*part.quæst.* 12. *art.* 7. quem plures discipoli sequuntur, nempe quòd ad rationem incomprehensibilitatis requiratur quòd Deus non possit à creatura cognosci cognitione ita perfecta secundùm entitatem, sicut Deus ipse est; quòd verò Deus absolutè sit

E incóprehensibilis, docent communiter Theologi in materia *de visione*, neque est cur vnum, vel alterum referamus specialiter, licèt olim, vt refert Bonauentura 3. *dist.* 14. *art.* 1.*q.* 2. duæ fuerint sententiæ, quidam simpliciter affirmabant Deum esse incomprehensibilem; alij verò volebant essentiam Dei comprehendi posse, non tamen potentiam.

Citatur P.Vazquez *disp citata*, quasi senserit, non esse de fide Deum esse incomprehensibilem, cuius mentem infrà explicabimus.

Deinde P.Suarez 1. *tomo ad* 3. *partem disput.* 26. *sectione* 1. *colum.* 2. §. *nihilominus dico primo*, docet, de fide esse Deum esse incomprehensibilem. Secundò docet non esse certum de fide, in quo consistat

consistat propria ratio comprehensionis, quod colligitur ex eo quòd sectione citata parum ante primam conclusionem admittit esse probabilem opinionem asserentium Christi animam habere infinitum lumen, & videre omnia in Verbo, & tamen aliqui putant hanc esse comprehensionem, de quo infrà.

Et P. Valent. 1. *part. tomo* 1. *q.* 12. *punct.* 5. *pag.* 199. solùm rem definit de lege ordinaria, nihil dicens de potentia absoluta.

Ægidius 3. *tom. de beatitudine, in appendice quæst.* 1. *art.* 3. refutat P. Vazquez, & P. Suarez, & P. Valentiam, vtrùque non solùm esse de fide absolutè Deum esse incomprehensibilem, sed etiam esse de fide Deum esse incomprehensibilem in sensu comprehensionis explicato ab Augustino, & hoc etiam de potentia absoluta. Sed vt ostendamus quid dicendum sit, oportet explicare varios modos, quos assignarunt Scholastici incomprehensibilitatis Dei, vt examinemus quis illorum sit de fide, vel non.

DVBIVM II.

Qua ratione Franciscus Victoria, & aliqui alij, explicent incomprehensibilitatem Dei.

Ponendum est omnes Scholasticos fateri Deum esse incomprehensibilem, à quocunque intellectu creato, etiam ornato habitu, vel auxilio supernaturali. legatur P. Vazquez 1. *part. disp.* 53. *cap.* 1.

Sed diuerso modo explicant Scholastici hanc incomprehensibilitatem, & primò refertur Victoria, quem nonnulli secuti sunt, dicens Beatum non posse comprehendere Deum, etiamsi illum clarè videat; quia non videt omnes gradus veluti intensionis, qui sunt ex parte essentiæ diuinæ. Docent verò hi autores Beatum eo plures creaturas cognoscere in Deo, quo plures gradus, veluti intensionis in Deo cognoscit. Secundò docent, nullum Beatum posse cognoscere infinitos gradus essentiæ diuinæ.

Et licèt hic modus mihi sanè non probetur & impugnetur à multis variis rationibus. Impugnari autem potest, quia in Dei essentia non sunt gradus realiter distincti, imò nec formaliter ex natura rei, sed ipsa essentia est simplicissima entitas, & ita modo prædicto, non satis intelligitur Dei incomprehensibilitas: aduerto tamen nullum dixisse, Victoriam errasse contra fidem, quia non posuit modum explicandi comprehensionem, quem Ægidius suprà vult esse de fide, nempe comprehensionem esse ita cognoscere Deum, vt nihil illius lateat quod in ipso sit formaliter, vel virtualiter; in quo planè excessit Ægidius, & definitum esse ab Ecclesia, non solum Deum esse incomprehensibilem, sed esse de fide esse incomprehensibilem in peculiari sensu Augustini, quod ipse non satis probat, & vt retulimus *dubio præcedenti*, P. Suarez dicens de fide esse Deum esse incomprehensibilem simpliciter, cum hoc tamen affirmat probabilem esse opinionem asserentium animam Christi non solùm videre essentiam, & quæ in illa sunt formaliter, sed omnes creaturas: immeritò ergo Ægidius putat de fide Deum esse incomprehensibilem in prædicto sensu, & multi viri doctissimi hoc tempore sentiunt posse Beatum, ex auxilio Dei videre essentiam diuinam, & omnes creaturas, neque hoc sufficere ad hoc vt dicatur Deus comprehendi, quidquid sit de veritate, vel falsitate eius opinionis, sed solùm contendimus non esse de fide ex Scriptura & Patribus sensum Ægidij.

DVBIVM III.

Quomodo S. Thom. & alij explicent incomprehensibilitatem Dei.

S. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 7. docet ad comprehensionem requiri vt cognitio sit ita perfecta in genere cognitionis, sicut obiectum in genere cognoscibilis; & quia nulla potest esse cognitio creata infinitè perfecta, sicut Deus est infinitè perfectus in genere cognoscibilis, ideo nulla cognitio creata potest esse comprehensio Dei; hunc modum dicendi sequuntur alij Scholastici, quos refert P. Vazquez *disp. citata cap.* 2. Sed S. Thomas explicari potest in bono sensu, iuxta ea quæ tradit *articulo* 8. de quo infrà.

Circa hanc opinionem dicendum est in hoc sensu de fide esse Deum esse incomprehensibilem, quia impossibile est dari cognitionem creatam infinitè perfectam, quod etiam concessit P. Vazquez *dicta disp. cap.* 2. & verissimum est. Sed quis audeat dicere errare contra fidem qui in hoc sensu explicaret testimonia Scripturæ & Patrum loquentium de incomprehensibilitate Dei. Ex quo constat excessisse fratrem illum Ægidium, dum putat de fide esse Deum esse incomprehensibilem, iuxta doctrinam, & definitionem incomprehensibilitatis Augustini, licèt, vt dicemus, probabilior sit explicatio Augustini de natura comprehensionis, quia ad rationem comprehensionis non est consideranda perfectio entitatiua rei comprehendentis, vt constat in comprehensione rei corporalis, ex qua ad comprehensionem cognitionis comparatione rei cognitæ sumpta est translatio.

Deinde Nominales varias afferunt acceptiones comprehensionis, vt explicent quo sensu Deus dicatur incomprehensibilis, quas refert P. Vazquez *disp.* 53. *cap.* 3. & tamen nullus dixit illos errare in fide, licèt variis significationibus huius nominis comprehensio videatur effugere difficultatem.

Alij verò comprehensionem Dei negant esse possibilem, solùm quia putant non posse esse eandem cognitionem qua cognoscitur essentia, & creaturæ. Ita P. Becanus 1. *part. c.* 9. *q.* 11. §. 5. quam doctrinam de duabus cognitionibus, nullus hactenus dixit esse contra fidem, an autem sit vera, vel falsa, dicemus *infrà*.

Alij verò recentiores putant, ad comprehensionem non sufficere cognoscere Deum & creaturas, sed cognoscere tanta claritate, quanta essentia diuina cognoscibilis est, & isti manifestè supponunt non esse de fide Deum esse incomprehensibilem in hoc sensu quòd non possit cognosci essentia simul & creaturæ. Imò manifestè concedunt hoc esse possibile Ex quibus omnibus constat Ægidium sine idoneo fundamento loquutum contra P. Vazquez, Suarium, & Valentiam, quod ex dicendis ampliùs intelligetur.

In hac controuersia certum est. Primò de fide esse Deum non posse comprehendi à creatura viribus naturæ.

Secundò certum est, de fide esse Deum non posse comprehendi à creatura secundùm legem ordinariam, & hoc rectè probant, quæ ex Scriptura, & Patribus adducit P. Vazquez *disputat.* 53. *cap.* 2. 3. & 4.

Tertiò certum est de fide esse Deum esse incomprehensibilem, si sensus sit non posse cognosci cognitione tam perfecta entitatiuè, sicut perfectus est ipse Deus.

Quartò

Quartò etiam est certum esse de fide non comprehendi, si comprehensio significet cognitionem Dei ita claram secundùm intensionem, sicut est ipsa cognitio Dei ipsius, & nihil horũ negat P. Vazquez.

Controuersia restat an sit incõprehensibilis Deus in hoc sensu, vt etiam de potentia absoluta non possit creatura cognoscere essentiam diuinam, & creaturas omnes vt sunt in se. Et in hoc sensu non videtur res certa de fide. Ita videntur supponere autores sententiarum, quos suprà retuli, qui incomprehensionis naturam alio modo explicant. Item ita sentit P. Suarez suprà relatus ab Ægidio, qui licèt dicat esse de fide Deum esse incomprehensibilem; tamen parum ante primam conclusionem admittit esse probabilem opinionem asserentium Christi animam habere infinitum lumen, & videre omnia in Verbo.

Et P. Valentia 1. *p. q.* 12. *disp.* 1. *punct.* 5. *in fine, & 6.* ex professo tractat an de potentia absoluta possit intellectus creatus videre Deum & omnes creaturas simul, & adducit quæ probare possunt partem affirmantem, licèt nolit quæstionem definire de potentia absoluta, in quo satis ostendit se existimare in hoc sensu rem non esse de fide.

Et P. Becanus 1. *p. cap.* 9. *q.* 11. §. 5. ita ait. Quæres si Deus alicui Sancto reuelaret sua consilia & decreta, an is Deum comprehenderet; & respondet: Hæc quæstio potest intelligi vel de re, vel de nomine. Si de re agitur, certum est eiusmodi Beatum cogniturum omnia quæ in Deo sunt formaliter: alia quidem per visionem beatificam, vt essentiam, attributa & personas; alia verò per reuelationem, vt libera consilia & decreta. An autem hæc duplex cognitio possit vno nomine vocari comprehensio, quæstio est de nomine, & puto nõ posse, quia Theologi nomine comprehensionis videntur intelligere vnam aliquam intellectionem, per quam adæquatè & perfectè cognoscatur totum obiectum sicut in se est. In hoc autem casu non esset vna intellectio, sed duplex, vt dictum est; nempe visio & reuelatio. Hactenus Becanus. Quibus manifestè significat non esse de fide, Deum esse incomprehensibilem sumpta comprehensione in sensu Augustini, quod etiam senserunt alij recentiores.

Et ex antiquis aliqui Theologi, vt refert Bonauentura *in* 3. *dist.* 14. *art.* 2. *q.* 3. Gabriel 3. *dist.* 14. *q. vnica, art.* 2. *conclus.* 1. Et idem etiam de facto senserunt aliqui, Beatos videre Deum & omnes creaturas, vt refert Durand. 4. *dist.* 49. *q.* 3. & alij autores fauent, quos infrà referam, & manifestè Magist. *sent.* 3. *dist.* 14. *c.* 2. Alexand. 3. *p. q.* 13. *n.* 7 qui putant animam Christi cognoscere omnia possibilia in Verbo; ergo manifestè supponunt non esse de fide Deum esse incomprehensibilem in sensu comprehensionis, explicati ab Augustino.

Et idem supponunt alij, quos citat P. Salas 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *disp.* 4. *sect.* 6. *in principio.*

Deinde ratione potest probari; quia licèt absolutè concedendum sit, vt bene docuit P. Suarez Deum esse incomprehensibilem à creatura, tamen definitio comprehensionis Augustini non est certa secundùm fidem, vt omnes concedunt: ergo ex illa non potest colligi de fide in eo sensu Deum esse incomprehensibilem etiam de potentia absoluta.

Deinde talis definitio Augustini non est euidens lumine naturali, cùm Scholastici etiam doctissimi variis modis illam explicent, & variis conditionibus limitent, vt constat ex opinionibus suprà relatis. ergo ex maiori propositione de fide quòd Deus sit incomprehensibilis, & ex definitione Augustini non potest colligi conclusio certa de fide in sensu Augustini, quod videtur per se manifestum, propter quod P. Suarez *suprà* dixit probabilem esse opinionem asserentium animam Christi videre omnia in essentia diuina, & tamen docuerat paulo antea de fide esse Deum esse incomprehensibilem. An verò id quod dicit de anima Christi sit verum? modò non disputo.

Aduertere tamen placet, aliquos Doctores existimare hanc sententiam non esse dignam censura. P. Vazquez 1. *part. disp.* 49. *c.* 2. *n.* 5. & *tom.* 1. *ad* 3. *part. disp.* 50 *cap.* 3. *num.* 9. & 10. P. Suarez 1. *tom ad* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 3. §. *dico primò. pag.* 524. & 1. *part. lib.* 2. *de attributis, cap.* 26. *num.* 12. & *cap.* 22. *num.* 14. qui manifestè supponunt non esse de fide Deum esse incomprehensibilem, sumpta comprehensione in sensu Augustini. Et P. Erize 1. *part. tract.* 4. *disp.* 51. *c.* 4. *à num.* 21. manifestè ducet posse Beatum videre omnia possibilia in Verbo, & talem cognitionem non esse comprehensionem; & quamuis *disp* 4. *cap.* 2. iste autor contendat certum esse Deum esse incomprehensibilem, tamen ad comprehensionem requirit non solùm cognitionem omniũ quæ sunt in obiecto siue formaliter, siue virtute, sed etiam claritatem extensiuam ex parte cognitionis, in quo planè deceptus est, & in sensu Augustini, vt communiter explicatus est, Augustinus manifestè sentit, non esse rem de fide, quia concedit posse Beatum videre in Verbo omnia possibilia, in quo discedit manifestè à communiori sententia.

Deinde licèt áliqui Doctores putent sententiam asserentium, animam Christi de facto videre omnia in Verbo, esse dignam censura, tamen nullus eorum dicit esse hæreticam, etiamsi autores illius loquantur de facto, & tamen si existimarent secundùm doctrinam Augustini *de comprehensione*, de fide esse Deum esse incomprehensibilem, manifestè deberent dicere prædictam opinionem esse hæreticam. Considerandum etiam est quod loquuntur contra asserentes animam Christi de facto videre omnia in essentia diuina; ergo multo minus id dicerent contra asserentes de potentia absoluta id fieri posse. Autores autem qui reprehendunt prædictam opinionem de facto. Zumel 1. *p. q.* 12. *art.* 8. *q. vnica conclus.* 4. qui solùm dixit eam sententiam esse errori proximam, & Bañes *in citatum articulum*, Cabrera 2. *tomo ad* 3. *part. quæst.* 1. *n. art.* 2. solùm dixit esse plus quàm temerariam, & idem Molina 1. *part. q.* 12. *art* 8. *disp.* 5. valdè temerariam censet Nauarrete 1. *tomo controuers. controuers.* 43. dixit esse plus quàm temerariam; qui omnes tenebantur dicere sententiam esse hæreticam, si existimarent de fide esse Deum esse incomprehensibilem, in sensu Augustini.

Sed potest obiici, de fide esse Deum esse incomprehensibilem simpliciter. Deinde ratione naturali videtur constare definitionem Augustini de natura comprehensionis esse veram; ergo ex altera de fide & altera lumine naturali nota infertur Deum esse incomprehensibilem sumpta comprehensione secundùm doctrinam Augustini, vel saltem sequitur conclusionem talem ita esse certam, vt propositio contraria sit error: hac ratione semel & iterum vtitur Ægidius *suprà.*

Sed respondendum est ex doctrina tradita definitionem comprehensionis traditam ab Augustino non esse lumine naturali notam, siquidem suprà diximus, Doctores Scholastici diuerso modo illam explicant, & limitant diuersis conditionibus, & aliis modis contendunt explicare Deum esse incomprehensibilem, qui modi licet fortè sint

minus

minus probabiles: tamen nec sunt errores, nec facile excluduntur à ratione comprehensionis, secundùm quos possunt explicari testimonia Patrum & Scripturæ, præsertim quia si loquamur de potentia absoluta, non facilè potest ostendi, certam esse definitionem Augustini.

Dubium IV.

Quid colligatur ex Patribus, vel ex Scriptura circa incomprehensibilitatem Dei.

Plures Scholastici, præsertim recentiores, plura testimonia Patrum allegant, vt probent Deum esse incomprehensibilem. Et primò citant testimonia Patrum Latinorum, quæ refert P. Vazquez 1. *p. disp.* 51. *cap.* 3. & exactissimè, vt solet, examinat, & ostendit aliqua intelligenda esse de Deo respectu viatorū, & de intellectu creato viribus naturæ, non tamen de intellectu informato lumine gloriæ, ex gratia & auxilio Dei, videat ea curiosus lector. Ego autem existimo ex illis testimoniis non posse probari de fide esse Deum esse incomprehensibilem, sumpta comprehensione in sensu Augustini, vt dicebamus *dubio præcedenti*, vbi etiam vidimus aliquos Doctores, qui absolutè docēt de fide esse, Deum esse incomprehensibilem, simul docere probabile esse, animam Christi per visionem beatam videre omnia quæ sunt formaliter in Deo, & omnia possibilia. Ita P. Suarez *locis ibidem citatis*; & tamen hæc est comprehensio in doctrina Augustini, & alij Doctores licèt id negent, de facto tamen concedunt fieri posse de potentia absoluta, & tamen Patres solùm videntur contendisse quid de facto contingat. Specialiter potest legi P. Vazquez circa testimonia Augustini, quæ affert *cap. citato*, & mirum est quòd recentiores aliqui impugnantes doctrinam P. Vazquez ex prædictis testimoniis, non impugnent explicationes, quibus P. Vazquez explicat ea testimonia.

Deinde solent allegari aliqua testimonia Græcorum Patrum ad probandum esse de fide Deum esse incomprehensibilem, quæ refert P. Vazquez *suprà cap.* 4. & docet testimonia illa non esse ita clara, vt ex illis possit probari de fide esse Deum esse incomprehensibilem ex auxilio gratiæ, ac proinde alio significatu accipere nomen comprehensionis, & de intellectus ex viribus naturæ explicat testimonium Damasceni *ibi citato*.

Mihi verò placet iterum atque iterum repetere, ex illis testimoniis non probari Græcos Patres locutos fuisse de incomprehensibilitate Dei in sensu & doctrina Augustini, & de potentia absoluta, quidquid de te ipsa sit.

Vlteriùs solent adduci à recentioribus aliqua testimonia Scripturæ, quæ refert P. Vazquez *disput. citata cap.* 2. de quibus infrà, sicut & de testimoniis Patrum. Et quidquid sit de veritate huius controuersiæ, ex illis tamen testimoniis colligi non potest Deum esse incomprehensibilem in sensu Scholasticorum, quia, vt P. Vazquez rectè expendit, Scriptura præcipuè loquitur, non de incomprehensibilitate diuinæ essentiæ, sed de cognitione consiliorum Dei, quæ nullus potest cognoscere, nisi ipse reuelet, quæ est communis expositio Patrum in illa loca, vt legenti constabit, & contextus ipse satis ostendit.

Præterea licèt admittamus ex illis Scripturæ locis probari, Deum esse incomprehensibilem in sensu Scholasticorum, tamen probari non potest specialis incomprehensibilitas secundùm doctrinam Augustini. Vnde, vt vidimus *dubio præcedenti*, plures Scholastici aliis modis incomprehensibilitatis, explicant incomprehensibilitatem Dei.

Tandem hoc loco aduertendum est aliquos ex antiquis Scholasticis, licet dixerint Deum esse incomprehensibilem, tamen non dixisse an sit, vel non sit dogma fidei.

Dubium V.

In quo consistat ratio cognitionis comprehensiuæ Dei.

Multa de nomine comprehensionis tradunt Scholastici in materia *de visione*, interpretes S. Thomæ 1. *part. ad quæst.* 12. vel 1. 2. in materia *de Beatitudine*; nos breuiter aliqua dicemus.

Et primò certum est, nomen comprehensionis aliquando significare solam obiecti assecutionem & retentionem, quo sensu quilibet Beatus dicitur comprehendere Deum, quantumnis visione remissa, & de hac comprehensione non loquimur modò, sed de comprehensione, qua cognoscitur obiectum quantum cognoscibile est, & in assignandis conditionibus requisitis ad hanc cognitionem est varietas opinionum.

Et, vt constat ex dictis *dub.* 2. aliqui dixerunt, ideo Deum non comprehendi ab intellectu Beati, quia non cognoscit omnes gradus intensionis perfectionis Dei, quæ doctrina mihi non probatur, quia essentia Dei simplicissima est, neque habet gradus intensionis distinctos realiter ante intellectum, & omnes Scholastici fatentur Beatum videre omnia quæ sunt formaliter in Deo.

Deinde, vt constat ex *dubio* 2. aliqui requirunt ad comprehensionem, vt cognitio sit ita perfecta entitatiuè sicut obiectum, & in hoc sensu dixit vt certum esse de fide Deum esse incomprehensibilem, quia non potest esse aliqua cognitio creata ita perfecta essentialiter sicut Deus. Deinde non satis probatur hoc esse necessarium ad cognitionem comprehensiuam, quia comprehensio in corporalibus non requiritur vt corpus comprehendens sit ita perfectum sicut corpus comprehensum; quod cum P. Vazquez, & aliis bene docuit Ægidius *appendice citata, quæst.* 1. *art.* 1. §. 5. vbi bene refutat alium modum dicendi circa comprehensionem, quem etiam refert & refutat P. Suarez 1. *p. cap.* 19. *de attributis negatiuis, num.* 5. Modus autem est asserentium, necessarium esse ad comprehensionem, vt quantum obiectum cognitum excedit alia obiecta, ita cognitio illius excedat alias cognitiones, quod tamen sine idoneo fundamento dicitur.

Ibidem etiam Ægidius refert & refutat alium modum, quem etiam refutat P. Suarez, & P. Vazquez, & ego illum omitto, quia nullius momenti est. Et tamen ex comprehensione corporali loquutio translata est ad cognitionem comprehensiuis spiritualis.

Alij verò ad hoc vt obiectum sit comprehensibile, putant necessarium esse vt vnius cognitione cognoscatur quidquid in obiecto est formaliter, & virtualiter, ita vt si hoc fiat duabus cognitionibus, non sit comprehensio obiecti, & hoc modo philosophatur Becanus *ibi citatus*.

Quæ tamen sententia mihi nō placet, quia etiamsi in prædicto euentu neutra cognitio diceretur comprehensio; tamen obiectum reuera comprehensum maneret, quia nihil illius lateret vidētem, & in corporalibus manifestum est, vnum corpus per duo corpora

corpora diſcreta poſſe comprehendi, etiamſi quodlibet illorum adæquatè non comprehenderet, & ita planè videtur ſentire ipſe Becanus, qui dicit, quæſtionem poſſe eſſe de re, & de nomine, & ſecundùm rem fatetur videntem Deum, & creaturas duabus cogoitionibus, comprehenſurum Deum, & videtur loqui de potentia abſoluta: de nomine autem docet cognitiones illas non eſſe comprehenſiones, quia debet eſſe vna cognitio.

Alij verò ad rationem comprehenſionis requirunt cognitionem ita debere eſſe perfectam ſecundùm claritatem intenſiuè, & extenſiuè, ſicut obiectum eſt cognoſcibile, & in hoc ſenſu iam diximus eſſe certum de fide Deum eſſe incomprehenſibilem, quia non poteſt eſſe cognitio creata ita clara, ſecundùm infinitos gradus claritatis, ſicut cognitio qua Deus ipſe ſe cognoſcit.

Verùm hæc doctrina non habet firmũ fundamentum, deinde, vt antea dicebam, in corporalibus non requiritur vt corpus comprehendens ſit ita perfectum, ſicut comprehenſum; quis enim neget aurum poſſe comprehendi corporaliter à corpore inferioris naturæ. Vnde meritò prædictam doctrinam de claritate refutat Ægidius *ſuprà* §. 4. *in fine*, & P. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. d.* 26. *ſect.* 2. 3. *euaſione*, de quo infrà faciemus ſpeciale dubium.

Alij verò dicunt, Deum eſſe incomprehenſibilem ſecundùm legem ordinariam, de potẽtia autem abſoluta nolunt rem definire, vt retulimus ex P. Valentia *dub.* 1. & non pauci recentiores exiſtimant de potentia abſoluta poſſe Beatum cognoſcere Deum & creaturas vna, vel ſaltẽ duabus cognitionibus, quauis nolint concedere hoc ſufficere ad comprehẽſionem ſine æquali perfectione entitatiua, vel æquali claritate. Sed modò nolo diſputare, an de potentia abſoluta poſſint videri Deus & creaturæ eadem cognitione? & ego exiſtimo id fieri non poſſe, de quo alibi. legatur de materia huius dubij Ægidius *in appendice ad tom.* 3. *de beatitudine. quæſt.* 1. *art.* 1.

Deinde alij alio modo explicant naturam cõprehenſionis, vt explicent Deũ eſſe incomprehẽſibilem.

Notandum autem eſt ex Auguſtino *epiſt.* 112. *c.* 8. aſſignari diſcrimen ioter videre rem & comprehendere, his verbis. Aliud eſt videre, aliud eſt totũ comprehendere videndo: quandoquidẽ id videtur quod præſens vtcunque ſentitur; totũ autem comprehenditur videndo, & ita videtur quòd nihil eius lateat vidẽtem, aut cuius fines circumſpici poſſunt, ſicut te nihil latet præſentis volũtatis tuæ. Hanc doctrinam ſequitur Beda in illud 1. Ioannis 3. *videbimus eum ſicuti eſt*; colligi etiam poteſt ex Nazianz *orat.* 36. quæ eſt 4. *de Theologia, num.* 66. Nizeta, & Pſello *ibidem*, ex Chryſoſtomo *homil.* 5. *de incomprehenſibili natura Dei.*

Et ex prædicta doctrina colligit Auguſtinus *ſermone* 38. *de verbis Domini*, oculo corporeo non poſſe, aliquod corpus comprehendi, quia interiores partes non poſſunt videri, & Auguſtinus l. 2. *de ciuitate, cap.* 18. aliquid aliud colligit, de quo modò non diſputo.

Ex his ergo conſtat cognitionem comprehenſiuam eſſe, qua aliquod obiectum ita cognoſcitur, vt nihil illius lateat videntem: dicitur autem obiectum comprehendi ab intellectu, quando non ſolùm cognoſcitur, quidquid in obiecto eſt formaliter, ſed quidquid in illo continetur virtute.

Iuxta hanc ergo doctrinam facilè intelligitur, Deum non comprehendi à Beatis, quia licèt videant eſſentiam Dei, & quidquid eſt formaliter in illo, tamen nec vident omnia poſſibilia, neque omnia futura, & hunc modum tradit S. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 8. licèt alium tradiderit *art.* 7. *præcedenti*, & explicari poteſt, quia nullus dicitur comprehendere aliquod principium, niſi cognoſcat omnes concluſiones, quæ ex illo deduci poſſunt, & ſequuntur alij autores, quos citat P. Vazq. *d.* 55. *cap.* 3. vbi hunc modum ex inſtituto explicat, & mihi placet.

Sed pro maiori explicatione, & intelligentia aliqua notanda ſunt. Vnum eſt ſecundùm opinionem aſſerentium creaturas poſſe videri ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, dicendum eſſe, non eſſe poſſibilem cognitionem aliquam diuinæ eſſentiæ & omnium creaturarum poſſibilium ſimul ex vi eſſentiæ ipſius, aliàs ſecundùm prædictam doctrinam comprehenderetur Deus, & ideo mihi non placet placitum aſſerentium poſſibilem eſſe talem cognitionem, & non fore comprehenſionem, de quo alibi.

Deinde ſecundùm opinionem aſſerentium creaturas non poſſe videri ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ priùs viſæ vt rationis formalis, dicendum eſt, quòd licèt aliquis cognoſceret eſſentiam diuinam per vnam cognitionem, & omnia poſſibilia per aliam, non comprehenderet Deum, quia non cognoſceret obiectum ſecundarium ex vi cognitionis primariæ, vt citato capite ſecundùm ſuam doctrinam docuit P. Vazquez.

Et poteſt explicari, quia ſi quis cognoſceret principium & concluſiones, concomitanter ſolùm, & non ex vi cognitionis principij, non diceretur comprehendere principium; ſic ergo in præſenti. An verò poſſit communicari creaturæ vna cognitio omnium poſſibilium & futurorum, modò non diſputo, & mihi valde probabile eſt non eſſe poſſibilem talem cognitionem.

Sciendum deinde eſt ad comprehenſionem neceſſariam eſſe cognitionem euidentem, vt cum aliis docuit Ægidius *ſuprà* §. 4. & ratio eſt, quia ſi ſolùm cognoſceretur obiectum cognitione probabili, non cognoſceretur, ſecundùm perfectam rationem ſcibilis, atque adeò ratio illa lateret cognoſcentem. De materia huius diſputationis legi poteſt P. Suarez 1. *part. lib.* 2. *de attributis negatiuis, cap.* 29.

Sed poteſt obiici. Primò, quia ſi Deus eſt ſimpliciter incomprehenſibilis, & vltimus modus relatus continet veram rationem comprehenſionis, de fide erit Deum eſſe incomprehenſibilem, ſumpta comprehenſione in ſenſu Auguſtioi. Reſpondetur doctrinam Auguſtini traditam à nobis vt probabiliorem, & tamen non eſt certa ſecundùm fidem, neque lumine naturali nota, & vt vidimus, diuerſi Theologi diuerſas conditiones requirunt ad rationem comprehenſionis, vnde & P. Suarez, qui admittit vltimum modum explicandi comprehenſionem 1. *part. lib.* 2. *de attributis negatiuis, cap.* 29. tamen *cap.* 26. *num.* 12. docuerat non eſſe dignam cenſura opinionem aſſerentium, animam Chriſti cognoſcere in eſſentia diuina omnia poſſibilia, & reddit rationem, quia quòd talis cognitio futura eſſet comprehenſio ſolùm, eſt probabilis illatio, & prædictam opinionem eſſe probabilem docuit *tomo* 1. *in* 3. *part. d.* 26. *ſection.* 2. *in fine primæ concluſionis*; licèt ergo dicamus probabiliorem eſſe modum explicandi incomprehenſionem ſecundùm doctrinam Auguſtini, tamen non cogimur dicere illum eſſe de fide; & ideo in prædicta ratiocinatione deceptus eſt Ægidius *in appendice, quæſt.* 1.

Deinde poteſt obiici in comprehenſione corporali, vt corpus aliquod dicatur comprehendi, ſatis eſſe, ſi ipſum comprehendatur etiamſi effectus illius non comprehendantur; ergò, vt eſſentia Dei dicatur comprehendi, ſufficit ſi cognoſcatur omnia,

quæ in ipso sunt formaliter, licèt creaturæ non cognoscantur.

Respondet Bene P. Vazquez esse disparem rationem. nam quæ sunt extra aliquam quantitatem corpoream, nō dicuntur ad eam corporaliter pertinere; quare vt ipsa corporaliter comprehendatur, satis est si totum quod est in illa, intrinsecè claudatur & contineatur: at verò ad rem intelligibilem quatenus ad intellectum refertur, non solùm dicuntur pertinere quæ illi intrinseca sunt, sed etiam quæ ex illa fieri, aut deduci possunt, tanquam aliquid illius, sic enim intelligimus quid illa possit, & ideo est diuersa ratio.

Præterea obiiciunt aliqui recentiores prædictam doctrinam, & modum explicandi incomprehensibilitatem Dei esse rectum, secundùm opinionem asserentium, creaturas possibiles cognosci ex vi cognitionis essentiæ diuinæ priùs cognitæ, vt rationis formalis, non tamen secundùm opinionem P. Vazquez & aliorum asserentium, creaturas solùm cognosci ex vi cognitionis essentiæ causaliter per diuersam cognitionem, quia secundùm hanc opinionem non videntur aliquid conducere ad cognitionem essentiæ diuinæ. Sed neganda est consequentia, quia secundùm quamcunque opinionem concedendum est creaturas pendere ab omnipotentia Dei, & vt futuras esse effectus illius, ac proinde virtute contineri in omnipotentia, & intelligibiliter pertinere ad diuinam essentiam. Vnde prædicta ratiocinatio, etiam secundùm illam opinionem, locum habet.

Deinde sciendum est P. Suarez probare Deum esse incomprehensibilem, quia non potest esse cognitio, qua cognoscatur essentia diuina vt est in se, & omnes creaturæ possibiles ex vi illius: hoc autem probat, quia non est possibile infinitum lumen gloriæ; quam rationem etiam alij amplectuntur, ex qua tamen non potest efficaciter colligi de fide esse Deum esse incomprehensibilem, sumpta comprehensione pro cognitione clara diuinæ essentiæ, & omnium possibilium, quæ est comprehensio, secundùm doctrinam Augustini, & tamen non est de fide non esse possibile infinitum lumen gloriæ, & ipse P. Suarez *tomo 1. in 3. part. d. illa 26. sect. 2. in fine primæ conclusionis*, concedit, probabile esse animam Christi habere infinitum lumen, & videre omnia in Verbo, & probabilem esse opinionem hoc affirmantem.

Recentiores autem aliqui docent, probabile esse secundùm se, posse dari infinitum lumen gloriæ, simpliciter tamen negandum esse, ne sequatur possibilem esse comprehensionem Dei, quod est contra fidem; sed mirum est virum vel mediocriter doctum hoc asserere, quia duo illa coniungi nō possunt. nam propositio aliqua non potest esse probabilis, si ex illa sequitur hæresis, vel error, quòd si illa reuera est probabilis, ex eo solùm non sequetur error.

Dvbivm VI.

De sensu verborum Ieremiæ 32. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.

Hoc loco vtuntur aliqui Scholastici ad probandum Deum esse simpliciter incomprehensibilem, & hoc esse de fide. Alij tamen putāt Prophetam apertè loqui de incomprehensibilitate iudiciorum Dei circa operationē ex sua prouidentia, quod contextus ipse satis videtur ostendere, & communiter interpretes illius loci, quam explicationem fusè

A probat P. Vazquez *disp. 52. cap. 2.* Vnde cùm non sit vnus sensus interpretum explicantium de incomprehensibilitate diuinæ essentiæ, non potest ex illo loco sumi argumentum ad probandum de fide esse simpliciter, Deum esse incomprehensibilem: dicitur autem incomprehensibilis cogitatu, quia eius consilia, & ordinationes nullus intellectus creatus potest cognoscere, nisi Deus ipse reuelet; & eodem sensu intelligendum est illud Psalm. 91. *nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* & illud ad Romanos 11. *quàm incomprehensibilia sunt iudicia tua.* & illud Iob 11. *forsitan vestigia Dei comprehendes?* & illud Ecclesiastici 43. *Ne laboretis, non enim comprehendetis*, & similia alia.

B Et ideo P. Suarez *suprà* in probatione secundæ conclusionis fatetur quòd Scripturæ secundùm se non videntur omnino conuincere prædictam veritatem.

Et sanè cùm, vt sæpe diximus, P. Suarez concedat probabile esse, etiam de facto animam Christi videre essentiam diuinam, & omnes creaturas ex vi visionis, non potest ipse colligere Deum esse incomprehensibilem in sensu Augustini dicentis comprehensionem esse cognitionem ita perfectam vt nihil obiecti lateat videntem, quod ideo frequenter repeto in hac disputatione, quia P. Vazquez in eo sensu negat esse de fide Deum esse incomprehēsibilem, quia non videtur de fide non posse cognosci essen-

C tiam diuinā, & omnes creaturas, licèt ipse concedat hoc esse verum, non tamen certum de fide.

Et ex his constat ad omnia loca Scripturæ quæ recentiores adducunt 1. *part. quæst.* 12. *in articul.* 7. *vel* 8. & quæ colligit Salas 1. 2. *quæst.* 3. *tractat.* 2. *disputat.* 4. *sect.* 6. Item secundùm P. Valentiam & Becanum, qui videntur sentire de potentia absoluta posse cognosci essentiam, & omnes creaturas possibiles, non poterit probari ex citatis locis Deum esse incomprehensibilem in sensu Augustini de potentia absoluta. Vlteriùs, vt dicebamus suprà, de fide est Deum esse incomprehensibilem, non solùm à creatura ex viribus naturæ, sed etiam de potentia absoluta, quatenus comprehensio dicit cogni-

D tionem non solùm totius obiecti, sed etiam ita perfectam, secundùm entitatem, vel claritatem infinitam, sicut obiectum est cognoscibile.

Sed potest obiici, quia, si Deus dicitur incomprehensibilis solùm quia ab homine viatore non potest clarè videri, ita etiam homo viator viribus propriis non potest videre Angelum: sed hoc parui momenti est, quia Deus non dicitur incomprehensibilis solùm relatè ad intellectum hominis viatoris, sed ad intellectum quemcunque creatum ex viribus naturæ.

Secundò solet obiici, etiam non posse creaturam viribus propriis cognoscere habitum, vel qualitatem aliquam supernaturalem, & tamen talis qualitas non dicitur incomprehensibilis, sicut Deus. Re-

E spondetur primò Deum dici incomprehensibilem quantū ad sua iudicia, & consilia, vt *suprà* explicabamus, quod accidēti & qualitati non potest cōuenire. Rursus, Deus dicitur incomprehensibilis, variis modis suprà relatis, qui nō possunt cadere in qualitatem, vel accidens etiam supernaturale, vt constat.

Dvbivm VII.

De sensu Concilij Lateran. cap. firmiter, de summa Trinitate.

In hoc capite dicitur Deus incomprehensibilis, vt habent hæc verba: Firmiter credimus, quòd vnus

vnus solus sit Deus æternus, immensus, incompre- A hensibilis. Ez hoc autem capite recentiores aliqui contendunt probare de fide esse, Deum esse incomprehensibilem, in sensu Scholasticorum.

Sed P. Vazquez 1. *part. disp.* 52. *cap.* 3. docet ex isto capite non posse colligi de fide esse, & explicat, quia in eodem capite dicitur Deus ineffabilis, & tamen certum est Beatum adiutum lumine gloriæ posse loqui de Deo vt est in se.

Sed potest obiici, quia sicut in eodem capite definitur Deum esse immutabilem, ita definitur esse incomprehensibilem, sed ita est Immutabilis, vt etiam de potentia absoluta mutari non possit; ita erit incomprehensibilis, vt etiam de potentia absoluta non possit comprehendi. Sed hoc facilè po- B test solui, quia immutabilitas dicit prædicatum absolutum, & Deus nec ab alio, nec à se ipso potest mutari, & tamen à seipso potest comprehendi, & incomprehensibilis dicitur relatè ad intellectum: ergo non est eadem ratio.

Item licèt sit de fide esse incomprehensibilem, quia non potest cognosci cognitione ita perfecta entitatiuè, vel tam perfecta claritate, quàm perfecta cognoscibilis est Deus, tamen non potest efficaciter colligi, esse incomprehensibilem, hoc sensu quòd non possit cognosci, saltem de potentia absoluta essentia diuina, & quidquid possibile est, cùm ipse P. Suarez, cuius est prædictum argumentum *disput. illa* 26. *sect.* 2. fateatur, etiam de C facto, probabile esse, animam Christi videre essentiam diuinam, & omnes creaturas possibiles, quæ cognitio est comprehensio secundùm doctrinam Augustini.

Deinde oportet explicare sensum Patrum.

DVBIVM VIII.

Quid senserint Latini Patres de incomprehensibilitate Dei.

RECentiores aliqui multa congerunt testimonia Patrum Latinorũ, vt probent de fide esse, Deum esse incomprehensibilem, in sensu Scholasticorum. D

Primum testimonium est Gregorij *lib.* 10. *moralium*, *cap.* 7. *aliàs* 10. vbi dicit, In retributionis autem culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest, quia etsi hunc in claritate sua quandoque conspicimus, non tamen eius essentiam plenè contuemur. Videtur autem Gregorius loqui de cognitione Beati in beatitudine, & fatetur Deum posse cognosci, sed non plenè.

Sed meritò P. Vazquez putat *ibi* non loqui S. Gregorium de hominibus existentibus in beatitudine, sed de viatoribus, qui per gratiam contemplationis possunt in hac vita aliquo modo Deum cognoscere, licèt non omnino perfectè, & ita clarè, sicut E in beatitudine. Ponderetur illud verbum, *quandoque conspicimus*, id est, aliquando, quod in hac vita contingit. nam in beatitudine, non quandoque, sed Beati Deum vident.

Deinde licèt dicamus Gregorium loqui de cognitione Beatorum, tamen explicari potest vt Beati de facto non videant Deum tanta claritate, quãta ipse cognoscibilis est, & diutissimus: de fide est etiam de potentia absoluta non posse Deũ cognosci visione tam clara secundùm intensionẽ & perfectionem, quanta ipse cognoscibilis est; item non potest colligi ex Gregorio *in eo loco*, Deũ esse incomprehensibilem de fide, certum in sensu Augustini sæpe repetito.

A Secundum testimonium adducitur ex eodem Gregorio 18. *cap.* 28. *aliàs* 27. *in fine*, vbi loquens de Beatis ait, nec tamen videbimus sicut videt ipse se ipsum, longè quippe dispariliter videt creator se, quàm videt creatura creatorem. nam quantum ad immensitatem Dei quidẽ, nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur.

P. Vazquex fatetur in hoc loco Deum loqui de videntibus Deum in patria, docet tamen differentiam non esse quantum ad cognitionem, in sensu Scholasticorum, sed in eo quòd Deus videns se ipsum in se ipso quiescit, Beatus verò per alas visionis in ipsum Deum tendit, vt in illo quiescat. qui sensus planè colligitur ex contextu Gregorij, B & ex verbis quæ statim subiungit, vt ea legenti constabit.

Deinde licèt concedamus Gregorium in eo loco loqui in sensu Scholasticorum, tamen manifestum est illum loqui de omnibus Beatis & de facto: alia autem quæstio est de potentia absoluta. Præterea explicari potest Gregorius, vt loquatur de cognitione Beatorum comparatione visionis, qua se ipsum Deus videt, assignans discrimen, quantum ad perfectionem claritatis, secundùm quam de fide est non posse esse visionem creaturæ, ita perfectam secundùm intensionem claritatis, sicut est visio qua se ipsum Deus videt. Secus autem remanet quæstio de comprehensione in sensu Augustini, C vt sæpe diximus.

Tertium testimonium adducitur ex Beda in Illud 1. *Ioannis* 3. & aliqui absolutè referunt Bedam dicentem posse nos Deum videre, non comprehendere; sed verba Bedæ hæc sunt, Dei plenitudinem quisquam videre potest, non comprehendere: & adducit definitionem Augustini de comprehensione suprà à nobis citatam, quod testimonium specie tenus multum fauet opinioni recentiorum.

Sed P. Vazquez putat illa verba non esse intelligenda de Beatis, sed de viatoribus, & benè colligit ex contextu. Et sic sunt intelligẽda quæ Augustinus tradidit *epistola* 112. *cap.* 8. *&* 9. de quo sine causa miratur Salas *quæst.* 3. *tractatu* 2. *disp.* 4. *sect.* 6. *fol.* 281. D *colum.* 2. *in fine*. Sed admittamus Bedam loqui de Beatis, planè loquitur de eo quod contingit de facto, non tamen explicat, quid possit fieri ex voluntate, & potentia Dei.

Citatur etiam Augustinus *epistola* 112 *cap.* 8. *&* 9. vbi distinguit visionem à comprehensione respectu viatorum, vt legenti constabit, vnde sine causa Ægidius *in appendice*, *quæst.* 1. *artic.* 2. § 7. *num.* 5. dixit P. Vazquez ospitanter legisse Augustinum, quæ fratris verba mirantur viri modesti, & hunc fuisse sensum P. Vazquez, constat ex his, quę dicit circa testimonium Bedæ citatum *suprà*. Sed ibi non loquitur de visione & comprehensione Dei, & quamuis de hac loqueretur, non explicat quid possit E Deus facere de sua potentia. Citatur etiam Augustinus *libro de cognitione veræ vitæ*, *cap* 3. *in principio*, *& sermone* 38. *de verbis Domini*, in illud Ioannis 1. *In principio erat Verbum*. Sed in his locis dum Augustinus dicit hominem posse Deum attingere, & non comprehendere, & videatur loqui de Beato, tamen planè loquitur de viatore, & de beatitudine imperfecta huius vitæ, vt fusè & efficaciter ostendit P. Vazquez *suprà*.

Item potest quis dicere, quòd licèt loquatur de Beatis in patria, tamen solùm explicat quid de facto contingat, non tamen quid Deus possit facere.

Potest etiam citari Augustinus 4. *de Genesi ad*

literam, cap. 6. vbi loquitur de videntibus Deum: sed ibi solùm contendit Deum esse suam cognitionem, quod in Beatis non contingit, id quod bene exposuit Fulgentius *in libro responsionum ad Ferrandum Diaconum, ad quæst.* 3.

Citatur etiam Augustinus *libro meditationum, cap.* 29. *& libro Soliloquiorum, cap.* 31. vbi significat, Trinitatem sibi soli integre notam esse. Sed in primis, vt aduertunt viri eruditi, isti libri non sunt Augustini, & sub dubio relinquit Bellarmin. *libro de scriptoribus Ecclesiasticis*, in Augustino, agens de operibus quæ continentur *tomo* 9. Et autor istorum librorum solùm videtur contendere Beatos non cognoscere Deum cognitione ita perfecta secundùm claritatem, sicut est cognitio qua Deus se cognoscit, quod certissimum est, & de fide, nisi velis autorem istum solùm explicare quid de facto contingat.

Tandem solent citari Hilarius *in libro de Patris & filij vnitate, in principio*, & pseudo Cyprianus *in prologo de Cardinalibus operibus Christi*, ille appellat Deum inuisibilem, iste incomprehensibilem, sed apertè loquuntur de hominibus viatoribus, secundùm propriam naturam, citatur etiam Ambrosius 1. *in Lucam*, tractans illud Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam*, vbi videtur sentire, Angelos etiam in cœlo non comprehendere Deum, quem locum variè explicant recentiores; sed facillima responsio est, Ambrosium explicare, quid de facto contingat, vel loqui de cognitione infinitè perfecta secundùm claritatem; omitto quòd nonnulli putant Ambrosium, cum aliquibus Græcis sentire, Beatos non videre clarè diuinam essentiam, de quo modò nolo disputare. legatur P. Vazquez *disput.* 52. *cap.* 4 *& disput.* 37. *cap.* 2. & ex dictis possunt explicari similia testimonia quorundam Latinorum Patrum, quos refert Salas 1.2, *quæst.* 3. *tractatu* 2. *d.* 4. *sect.* 6.

Dubium IX.

Quid senserint Græci Patres de incomprehensibilitate Dei.

RECentiores qui putant de fide esse Deum esse simpliciter incomprehensibilem, adducunt pro hac sententia plures Græcos Patres, quos citat P. Vazquez *disp.* 52. *cap.* 4. vbi iste autor docet, ex illis non posse probari dogma fidei de incomprehensibilitate Dei, quia senserunt, Deum non videri clarè à Beatis, de quo ego nolo modò disputare, sed illos exponere de visione qua de facto vident Deum, & ita vt etiam de potentia absoluta non possit visio clara Dei esse ita perfecta secundùm claritatem, sicut est clara visio, qua Deus se ipsum cognoscit, & pro citato errore citantur ab ipso P. Vazquez Epiphanius, Chyrysostom. Cyrillus, Theophylactus, Basilius, Nissenus, Hieron. Primas. Isidorus, & qui frequenter cum Græcis Græcizat Ambrosius.

Addit præterea P. Vazquez citari pro contraria opinione Nazianzenum *oratione* 1. *pagin.* 219. Etiam in illa verba eiusdem orationis, *Huc me inferiori*. Respondet P. Vazquez, Nazianzenus non solùm addidit, sed in eadem oratione docet comprehensionem in præmium esse promissam hominibus, quod non est intelligendum de comprehensione in sensu Scholasticorum; notat verò P. Vazquez Nazianzenum in eadem oratione sub dubio de Angelis beatis loquutum, nobis satis sit ex Nazianzeno non posse probari de fide esse Deum esse incomprehensibilem in sensu Augustini, & quorundam Scholasticorum.

Citatur Irenæus *libro* 4. *cap.* 36. *in principio*, vbi docet Deum esse incomprehensibilem. Respondet P. Vazquez, Irenæum manifestè loqui contra hæreticos asserentes Deum propria nostra virtute posse comprehendi, quod colligitur etiam ex *cap.* 37. *sequenti*, & certum est de fide Deum non posse à nobis comprehendi viribus naturæ.

Deinde citatur Damascenus *lib.* 1. *de fide, cap.* 1. *&* 4. vbi dicit Deum esse incomprehensibilem adhuc à Beatis & Angelis, sed intelligendus est, si sermo sit de eorum naturæ viribus.

Plura alia testimonia ex Græcis Patribus adducit Salas *loco citato*, quæ tamen ex dictis explicanda sunt.

Ex his autem, quæ in tota disputatione tradidimus, intelligitur, cum quanto, & quàm graui fundamento loquutus fuerit P. Vazquez in hac materia, quidquid dicat Ægidius *appendice citata, quæst.* 1. *articul* 4. §. 4. *numer.* 6. Item constat P. Suarium doctissime loquutum, dum dixit simpliciter esse de fide Deum esse incomprehensibilem, licèt modus explicandi non sit de fide, quem sine causa reprehendit Ægidius *suprà num.* 8. & meritò viri docti mirantur largam fratris Ægidij licentiam frequenter in suis scriptis, contra Vazquium, & Suarium.

Ex his quæ hactenus diximus refutari potest opinio cuiusdam recentioris 1. *part. ad quæstionem* 12. *in articul.* 8. qui docet ad comprehensionem non satis esse, si cognoscatur, quidquid formaliter & virtute est in illo, sed necessarium esse vt cognoscatur tanta claritate, quanta obiectum ex se postulat, quia iste modus etiam tenet se ex parte obiecti, quia quodlibet obiectum ex se mouet ad certam quandam cognitionem cum claritate; sed de hoc oportet facere speciale dubium.

Dubium X.

An ad comprehensionem requiratur certa perfectio intensionis in cognitione.

IN superioribus, vt de aliquibus Doctoribus, diximus, ad comprehensionem solùm requiri euidentem notitiam, & claram eorum quæ in obiecto sunt formaliter & virtute; sed quia recentiores nonnulli contrarium videntur specialiter sensisse, ideo oportet rem fusè, & ex instituto explicare.

Quidam ergo recentiores docent. Primò necessarium esse ad comprehensionem vt cognoscatur clarè quidquid in obiecto est formaliter. Secundò, vt cognoscatur quidquid cognoscibile est, & virtute continetur in obiecto. Tertiò requirit in cognitione perfectionem claritatis, quæ respondeat claritati, qua obiectum ex se postulat cognosci. Duæ priores conditiones constant ex supradictis ex doctrina Augustini. Tertia verò conditio probatur ab aliquibus huius opinionis, quia obiectum non solùm est cognoscibile quantum ad id quod habet in se formaliter, & virtute, sed etiam quantum ad certum gradum claritatis, ad quem ex se mouet, & hoc declarat, quia obiectum sensibile vim habet efficiendi similitudinem ipsius, non quidem infinitam, neque indiuisibilem simplicem, sed certæ cuiusdam intensionis.

Deinde substantia spiritualis ex se habet vim mouendi ad cognitionem sui, certa quadam intensione maiori,

maiori, & perfectiori quàm habeat res sensibiles. Et idem iudicium est de qualibet alia re.

Sed aliqui recentiores ita defendunt hanc doctrinam, vt dicant non posse in Deo videri omnia quæ sunt in ipso formaliter, & virtute, nisi etiam cognoscatur Deus tanta claritate, quanta ipse est cognoscibilis, & in hoc sensu existimant esse de fide, Deum esse incomprehensibilem.

Alij verò ita censent, ad comprehensionem esse necessariam claritatem prædictam, vt tamen concedant posse Beatum videre omnia quæ in Deo sunt formaliter & virtute, & non comprehendere illum, si non communicetur tanta perfectio claritatis, quanta obiectum est cognoscibile.

Sed prædicta sententia mihi non placet. Primò, quia secundùm doctrinam Augustini, & magis proprium modum comprehensionis, comprehensio dicitur cognitio, per quam nihil obiecti lateat videntem, & hoc modo communiter recipiunt Scholastici doctrinam Augustini. Et potest probari ex sancto Thoma 1. *parte, quæst.* 12. *artic.* 8. vbi probat, Beatos non videre omnia, quæ sunt virtute in Deo. Si enim aliquis cognosceret omnia, quæ Deus potest facere, comprehenderet diuinam virtutem, ac proinde illius essentiam. Qua etiam ratione 3. *parte, quæst.* 10. *articul.* 1. & 2. probat animam Christi non videre in Deo omnia obiecta possibilia, quia comprehenderet diuinam virtutem, & essentiam, quam doctrinam recipiunt communiter discipuli sancti Thomæ *in citata loca.* Et Augustinus, ad comprehensionem solùm requirit cognitionem, per quam nihil obiecti lateat videntem: per visionem autem claram, sicut videntur omnia quæ sunt formaliter in Deo, ita videtur claritas quæ se tenet ex parte ipsius Dei. Et sine fundamento additur prædicta conditio ex parte cognitionis, supposito, quòd semel admittatur, comprehensionem requirere cognitionem eius quod est formaliter in Deo, & eorum quæ sunt virtute.

Et ex hac doctrina facilè soluitur argumentum contrariæ opinionis, quia claritas Dei licèt sit infinita, sicut alia attributa, tamen hoc ipso quòd obiectum videtur cognitione clara, tota videtur; ergo si aliàs cognoscatur quidquid continetur virtute in essentia diuina (si esset possibile) talis cognitio esset comprehensio.

Deinde licèt verum sit obiectum sensibile, vel intelligibile creatum, ex se moueret ad certum gradum perfectionis cognitionis proportionatæ; tamen hoc impertinens est ad comprehensioné, quando non iuuat ad cognoscendam aliquam rationem obiecti, cuius aliàs nihil lateat videntem, quidquid sit de perfectione creata, an sit, vel non sit magis intensa.

Sed dices, ad comprehensionem requiritur vt obiectum cognoscatur sub omni ratione cognoscibilis, & intelligibilis quam habet; ergo si habet infinitam claritatem, debet sub illa cognosci. Respondeo, maiorem esse veram absolutè, minorem autem ita esse intelligendam, vt cognoscatur ratio obiectiua, & ita videns Deum clarè, videt infinitam claritatem quæ tenet se ex parte cognitionis ipsius Dei, sed non requiritur vt cognoscatur infinita claritate, quæ tenet se ex parte cognitionis creatæ, & ita prædictam opinionem de claritate requisita ad comprehensionem, meritò refutarunt Ægidius *in appendice, quæst.* 1. *articul.* 1. §. 4. & P. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. disput.* 26. *sect.* 2. *euasione* 3.

A Deinde obiiciunt autores citatæ opinionis, bonitatem infinitam requirere ex parte voluntatis maiorem, & maiorem amorem, quia est magis, & magis amabilis; ergo idem erit de cognitione respectu ipsius Dei, qui est infinitè intelligibilis, & tamen nulla creata intellectio potest esse infinita. Respondetur, sine dubio creatam intellectionem ex auxilio Dei posse esse maiorem, & maiorem; contendimus tamen, solam perfectionem intensionis non requiri ad comprehensionem, nisi iuuet ad cognoscendam nouam rationem ex parte obiecti.

Vlteriùs prædicti recentiores contendunt colligere & probare suam opinionem ex D. Thoma B 1. *parte, quæst.* 12. *artic.* 7. & 8. ex quo deducitur ad comprehensionem requiri infinitam perfectionem intensionis, quia necessaria est vt cognoscatur infinita extensio obiecti, quod virtualiter continetur in essentia diuina. Respondetur mihi esse probabile, ad cognoscendum quidquid est in Deo, formaliter, & virtute simul, esse necessarium infinitum lumen & infinitam cognitionem: hoc autem necessarium est, quia lumen iuuat ad cognitionem extensiuam obiecti cognoscibilis, non tamen quia præter obiectum cognoscibile requiratur claritas æqualis claritati obiecti ad cognoscendam illam, de quo est præsens dubium.

C Vnde P. Suarez *sectione citata, disp. illa* 26. ex eo probat Deum non esse comprehensibilem, quia ad talem cognitionem requiritur infinitum lumen secundùm intensionem, & simul negat ad rationem comprehensionis non requiri cognitionem aliquam perfectionis creatæ, quæ non deseruiat ad ostendendam aliquam rationem ex parte obiecti. Et tamen prædicti recentiores contendunt præter cognitionem eorum, quæ sunt formaliter in Deo, & eorum quæ in illo continentur virtute, necessariam esse claritatem ex parte cognitionis creatæ, æqualem claritati obiecti.

Sed potest vlteriùs obiici, in comprehensione D requiri perfectionem intensiuam, & extensiuam; ergo præter cognitionem omnium rationum, quæ sunt formaliter & virtute in obiecto, requiritur perfectio intensiua, aliàs non erit omnino æqualis cognitio obiecti. Respondetur ad comprehensionem solùm requiri claram, & euidentem cognitionem omnium rationum obiecti, quæ formaliter & virtute sunt in illo: intensio autem perfectionis entitatiuæ, vel claritatis, non est necessaria, nisi quatenus iuuat ad cognitionem prædictarum rationum. Vnde & in comprehensione corporali, corpus perfectius secundùm naturam potest comprehendi à corpore imperfectiori.

Et ex his soluta sunt quæ pro sua opinione E modestè & prudenter adducit quidam recentior 1. *parte, ad quæstionem* 12. *in articulum* 7. *disput.* 13. *cap.* 4.

Alius verò recentior alia obiicit à nobis soluenda. Sed primò sciendum est istum autorem *cap. citato, num.* 27. *in fine*, audacter dixisse sine ausu temerario, & erroneo, non posse negari, quod negauit P. Vazquez, de fide esse Deum esse incomprehensibilem, quem recentiorem alij pij, & docti vehementer reprehendunt, propter immodestiam Magistelli non semper mali contra Vazquium Gigantem Theologorum. Ego ab his censuris, præsertim erga autores nostræ Societatis, semper abstinui. Solùm aduerto prædictum

autorem , non satis intellexisse mentem P. Vaz- A
quez , quia, vt suprà ostendimus , P. Vazquez concedit esse de fide, Deum non esse comprehensibilem cognitione creata quæ sit infinitè perfecta secundùm entitatem, & idem iudicium est de cognitione infinitè perfecta, secundùm intensionem & claritatem, & solùm docuit non esse de fide, comprehensionem Dei esse impossibilem, sumpta comprehensione in sensu in quo communiter explicatur Augustinus ab autoribus, &, vt etiam suprà retolimus, P. Suarez *disp.* 26. *sæpe citata*, docuit probabile esse placitum asserentium animam Christi etiam de facto videre omnia quæ sunt formaliter in Deo simul, & omnes creaturas possibi-
les ; & tamen probabile est hanc esse comprehen- B
sionem secundùm doctrinam Augustini. Et P. Valentia docuit, de fide esse Deum esse incomprehensibilem secundùm legem ordinariam, & cùm proposuisset quæstionem de potentia absoluta, & adduxisset quæ videntur probare partem affirmantem, nempe esse possibilem comprehensionem de potentia Dei absoluta, noluit determinare quæstionem: & P. Becanus, quem suprà etiam retuli, manifestè concessit de potentia absoluta, secundùm rem posse comprehendi Deum, licèt dicat quæstionem esse de nomine, an comprehensio sit futura vna cognitio, vel duplex, & citatus autor manifestè concedit posse Beatum, si
Deus velit cognoscere essentiam diuinam simul C
& omnia possibilia, & hoc est quod P. Vazquez contendit, non esse contra fidem, licèt aliàs ipse efficaciter defendat Deum esse incomprehensibilem.

Sed prædictus Theologus contendit probare ex Augustino, ad comprehensionem requiri non solam cognitionem omnium quæ sunt in obiecto formaliter, vel virtute, sed etiam claritatem æqualem claritati, qua est cognoscibile obiectum, & citat Augustinum 4. *de Genesi ad literam*, *cap.* 6. & citat etiam Fulgentium *libro responsionum ad Ferrandum Diaconum*, *responsione* 3. & Cyrillum Hierosolymitanum *catechesi* 6. quæ testimonia suprà
à nobis allata sunt, & explicata. Et quod attinet D
ad præsens institutum, nec P. Suarez, neque Ægidius, neque alius Theologus alicuius momenti ex citatis testimoniis & aliis similibus Patrum, quibus contendunt probare de fide esse, Deum esse incomprehensibilem, nunquam collegerunt, ad comprehensionem, necessariam esse illam perfectionem claritatis, quam modernus ille requirit, imò, vt vidimus, P. Suarez, Ægidius, & alij recentiores negant talem claritatem necessariam esse ad comprehensionem. Vnde de prædicto recentiore curandum non est, qui *loco citato* fusè contendit explicare sanctum Thomam, ne sit contra suam opinionem; sed loca quæ suprà
attulimus pro nostra doctrina, adeò sunt manifesta, E
vt non egeant explicatione, docuit enim, comprehensurum Deum, qui videret illum clarè, & omnia possibilia, neque aliquid aliud addidit; quia autem credat, summum & insignem Theologum, tractantem rem ex instituto, omisisse principalem conditionem necessariam ad comprehensionem ex mente prædicti recentioris.

***

A

Dvbivm XI.

An mereatur censuram aliquam opinio asserentium animam Christi de facto videre in Deo omnia possibilia.

In hoc dubio prima opinio est aliquorum, qui putant prædictam sententiam esse dignam censura. Zumelius 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 8. *quæst. vnica*, *conclus.* 4. dicit esse errori proximam. Alij putant esse plusquam temerariam; alij valde temerariam, quos refert Ægidius statim citandus. Valentia 1. *part. d.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 6. *pag.* 204. temerariam iudicat.

B Ægidius *in appendice*, *q.* 1. *art.* 4. §. 3. putat non esse sententiam tutam in fide, quorum fundamenta statim adducentur.

Sed P. Suarez 1. *tomo ad* 3. *partem*, *disputat.* 26. *sect.* 3. §. *Dico primò pagin.* 524. & *lib.* 2. *de attributis negatiuis*, *cap.* 26. *numer.* 12. & antea *cap.* 22. *num.* 14. dixit sententiam esse probabilem.

P. Vazquez 1. *part. d.* 49. *cap.* 2. *num.* 5. dicit non esse errorem apertè damnatum in fide, & 3. *part. tom.* 1. *in* 3. *partem*, *d.* 50. *cap.* 3. *num.* 9. & 10. dicit se hactenus non legisse damnatam à Pontifice, vel Concilio, & multi alij recentiores huius ætatis sequuntur P. Suarium, & existimant esse probabilem, & non esse dignam graui censura. Et
C confirmari potest hæc doctrina ex solutione eorum, quæ contra prædictam sententiam adducuntur.

Adducitur sub dubio damnatio Inquisitorum Tarracone, quam refert Americus *in directorio Inquisitorum*, 2. *part. quæst.* 11. Sed talem errorem non ferunt Bernardus Luzenburgensis, contra hæreses *verb. Arnoldus de Villanoua*, neque Prateolus in Elencho hæresum, & tamen referunt ex instituto errores Arnoldi de Villanoua.

Item dubia est damnatio quæ refertur in directorio Inquisitorum, neque scimus quo sensu fuerit talis sententia damnata in Arnoldo. Item adducitur sanctus Thomas *in disputatis*, *quæst.* 8. *de*
D *veritate*, *articul.* 4. *in corpore*, vbi videtur dicere, prædictam sententiam repugnare dictis Sanctorum, hoc testimonium citat Ægidius suprà pro sua censura; tamen ex sancto Thoma in illo articulo non potest sumi argumentum in fauorem Ægidij, quia expressè S Thomas *in citato corpore articuli*, refutat opinionem asserentium, omnes Beatos, & omnes Angelos in essentia diuina cognoscere omnia, & hoc necessariò, hoc ipso quòd vident diuinam essentiam; qui verò sequuntur prædictam opinionem, solùm loquuntur de anima Christi, & hoc ex speciali priuilegio, non ex necessitate solius visionis Dei, & licèt in citato articulo dicat animam Christi videre omnia præ-
E sentia, præterita & futura, vbi supponit non cognoscere omnia possibilia; tamen de cognitione circa possibilia agens de anima Christi, non assignauit censuram aliquam, sed solùm, vt dixi, agens de omnibus Beatis, & Angelis, & autoritas quam ibi adducit ex Dionysio, planè est de Angelis.

Ex prædictis ergo fundamentis non colligitur efficaciter grauis illa censura prædictæ sententiæ.

Vnum autem videtur argumentum, quo Ægidius & alij suæ opinionis videntur moti, ad damnandam prædictam illam sententiam: hoc autem est tale. De fide est Deum esse incomprehensibilem: comprehensio

prehensio autem est cognitio eorum, quæ formaliter, & virtute continentur in essentia diuina; ergo si anima Christi cognoscit hæc omnia, comprehenderet diuinam essentiam, quod est hæresis, vel manifestus error.

Sed hoc argumentum suprà à nobis solutum est. Et primò si argumentum aliquid probaret, sanè probaret prædictam sententiam esse hæreticam, & non solùm temerariam, vel errori proximam, quia prædicti autores censent, absurdum illatum sequi ex vna propositione de fide, & altera nota lumine naturali, ac proinde absurdum illud vel esset hæreticum, vel saltem erroneum, & ita autores illi non sunt loquuti consequenter.

Deinde, vt suprà diximus, non est lumine naturali euidens, ad comprehensionem sufficere cognitionem omnium quæ sunt in obiecto formaliter & virtute. nam, vt vidimus, Theologi etiam doctissimi, alias conditiones assignarunt ad comprehensionem necessarias; ergo non formatur prædicta ratio ex vna de fide, & altera nota lumine naturali; ergo licèt illa ratio probabilis sit, admitti debeatur vera; tamen non est sufficiens ad damnandam prædictam sententiam.

Et ex dictis facilè potest solui aliud dubium, nempe, an mereatur censuram asserere, de potentia absoluta posse Beatum videre omnia quæ sunt in Deo, formaliter & virtute, quod suprà tetigit P. Valentia, & P. Becanus, vt retulimus. Et si quis dicat eam opinionem mereri censuram, non adducet firmum fundamentum, quia, vt vidimus, non habent firmum fundamentum ad damnandum talem sententiam de facto. Aduerto autem, secundùm illam etiam de potentia absoluta philosophicè negandum esse prædictam cognitionem non fore comprehensionem, propter peculiares conditiones requisitas ad comprehensionem secundùm diuersas opiniones.

DISPVTATIO XVI.

MORALIS.

Diuersorum dubiorum.

DVBIVM I.

An habens votum castitatis, peccet contra votum per delectationem simplicem contra castitatem.



Dubium intelligitur, quando talis simplex delectatio est peccatum contra castitatem. Et refertur quidam recentior, non magni nominis, dicens talem delectationem non esse peccatum contra votum, neque habere malitiam contra religionem, cuius vix potest esse aliquod probabile fundamentum. Sed fortè potest probari, quia obligatio voti pendet ex voluntate vouentis, & vouens per votum non videtur voluisse se obligare ad vitandam simplicem delectationem.

Deinde secundò explicatur idem, quia non videtur impossibile hominem per votum velle se obligare ad vitandum actum efficacem in materia contra votum, non tamen ad vitandum simplicem delectationem, aut simplex desiderium; ergo poterit hoc fieri ex intentione vouentis.

Tertiò aliquorum opinio est, simplicem delectationem non semper habere omnem malitiam actus externi efficacis; ergo fieri poterit vt prædicta delectatio non habeat malitiam contra religionem, licet habeat malitiam contra temperantiam, & castitatem.

Prædictam tamen sententiam multi viri docti huius ætatis censent omnino improbabilem, imò temerariam, & errori proximam, & mihi vehementer displicet.

Et simpliciter dicendum est, delectationem simplicem, contra castitatem in habente votum castitatis, esse contra votum, & habere malitiam contra religionem, ita sentiunt viri religiosi, etiam doctissimi, habentes votum castitatis, & non minus curant vitare simplicem delectationem veneream, quàm actus efficaces, & videtur sensus communis fidelium; propter quod non dubito prædictam opinionem esse improbabilem, & P. Vazquez 1.2. *disp.* 112. *cap.* 2. *num.* 10. expressè docet, habentem votum castitatis, peccare contra votum per simplicem delectationem, in materia venerea, & post illum multi recentiores id expressè docuerunt, & ex antiquioribus nullus de hoc dubitauit, & ego ita docui iam olim in materia *de peccatis*, & typis mandaui opusculo *de delectatione morosa*, quod habetur tomo opusculorum diuersorum theologicorum. Et ratio est, quia semel demus, delectationem habere malitiam veneream, ea violatio eodem modo opponitur voto, sicut violatio per actum externum; ergo eodem modo opponitur eidem virtuti.

Est autem contra communem sensum asserere vouentem castitatem simpliciter, nolle obligare se ad vitandam simplicem delectationem veneream, quod vlteriùs declaro, quia non est dubium talem delectationem posse esse materiam voti, hoc est, posse vouentem se obligare ad vitandam illam; ergo quando votum castitatis fit simpliciter, & absolutè, absque vlla exceptione, contra votum erit prædicta delectatio: ad iudicandum autem de intentione vouentis, multum refert communis sensus, etiam doctissimorum hominum, de quo nullus sanè mentis potest hoc tempore dubitare.

Deinde si communiter ita fit votum castitatis, vt non excludat delectationem simplicem, sequeretur tale votum non esse castitatis simpliciter, quia non extenderetur ad omnem materiam, ac proinde in illo posset Episcopus dispensare, & commutari posset etiam per priuilegium Cruciatæ, aut alterius, etiamsi negetur facultas dispensandi, aut commutandi votum castitatis, quia hæc negatio intelligitur de voto castitatis simpliciter. Consequens autem est absurdum, & inauditum ante hoc tempus.

Vlteriùs vel autor illius opinionis admittit delectationem simplicem sumere malitiam ab actu externo, si admittit; ergo prohibito actu externo per votum, prohibita manebit simplex delectatio ex natura rei, secundùm communem vsum, nisi vouens expressè velit pro tali casu non prohiberi voto actum externum vt obiectum simplicis delectationis, & ita ex hac etiam parte votum illud non erit castitatis simpliciter. Si verò prædictus autor sentiat, simplicem delectationem non specificari ab actu externo vt obiectum, negare tamen non potest, talem delectationem respicere delectabilitatem veneream, & ita erit contra castitatem, quod est sine controuersia, ac proinde sequitur quod antea dicebamus, talem delectationem posse prohiberi per votum castitatis.

Ex qua doctrina facilè manet solutum primum argumentum. Dicendum enim est ex communi sensu,

ſenſu, & vſu fidelium vouentem caſtitatem ſimpliciter,& abſolutè velle ſe obligare ad vitandum,non ſolùm actum efficacem contra caſtitatem, ſed etiam ſimplicem delectationem.

Circa ſecundum. Dico primò, quidquid ſit de poſſibilitate illius conditionalis, de facto non ita contingere, ſed potiùs contrarium, vt diximus.

An verò poſſibiles ſint illæ duæ voluntates in vouente, volo obligare me ad vitandum omnem. actum externum contra caſtitatem,& nolo me obligare ad vitandam ſimplicem delectationem; controuerſia poteſt eſſe, neque omnino facilis. Dicam autem, qui poſſint eſſe in hoc modi philoſophandi. Primus poteſt eſſe,poſſibiles eſſe illas duas voluntates in vouente, eo quòd obligatio voti ab ipſo vouente pendet; ergo ſi expreſsè velit non ſe obligare ad vitandam ſimplicem delectationem, non manebit obligatus,quod faciliùs intelligitur,ſi ſimplex delectatio non ſpecificetur ab actu externo.

Alius modus dicendi poteſt eſſe, tales voluntates non poſſe eſſe ſimul in vouente, quia, licèt obligatio voti pendeat à voluntate vouentis, tamen hoc ipſo quòd vult obligare ſe ad vitandum actum externum, ex natura rei videtur manere obligatus ad vitandum omnem actum,qui ab actu externo ſpecificatur, quia prohibitio actus externi refunditur in omnem actum, qui circa externum, tanquam obiectum verſatur.

Tertius modus dicendi poteſt eſſe, poſſe eſſe voluntatem vitandi actum externum cum voluntate non excludente actum ſimplicis fornicationis, non tamen cum voluntate excludendi actum efficacem, quia actus efficax ex natura ſua eſt cauſa actus externi, ac proinde ſi ſemel admittamus, per votum eſſe prohibitum actum externum, manet ex natura rei prohibitus actus voluntatis internus efficax.hæc ſunt ratiocinationis initia, quæ mihi occurrebant hanc materiam meditanti.

Et meum iudicium eſt, non poſſe moraliter eſſe ſimul voluntatem obligandi ſe, ad vitandum actum externum, & voluntatem non ſe obligandi ad vitandum actum internum efficacem, propter rationem factam Et videtur doctrina conſentanea communi ſenſui Doctorum, qui in materia *de peccatis* ſine controuerſia docent, omnem voluntatem efficacem, habere omnes malitias actus externi, cuius eſt voluntas efficax,& ratio eſt manifeſta, quia talis voluntas eſt cauſa efficiens actus externi, & quia hoc non contingit in ſimplici delectatione reſpectu actus externi, ideo circa ſimplicem delectationem poteſt eſſe diuerſitas opinionum. nam qui putant, ſimplicem delectationem, ſicut actum efficacem,ſumere omnes malitias ab actu externo;eodem modo philoſophabuntur de ſimplici delectatione, ſicut de actu voluntatis efficaci.

Secundùm opinionem verò aſſerentium ſimplicem delectationem non ſumere malitiam ab actu externo, adhuc poteſt eſſe diuerſitas opinionum. nam poteſt aliquis dicere quòd licèt ſimplex delectatio non ſit cauſa actus externi, tamen reſpicit illum, vt obiectum, & ita prohibito obiecto videtur manere prohibita ipſa delectatio.

Aliquis tamen poterit dicere, circunſtantiam violationis voti, eſſe circunſtantiam perſonæ, & poſſet vouentem, ſi velit, expreſsè non obligare, ad vitandam ſimplicem delectationem, in quo caſu prohibitio actus externi,vt obiecti, non refundetur in ſimplicem delectationem,& hæc pars, metaphyſicè loquendo, non videtur carere probabilitate, quæ poteſt amplius explicari, ſecundùm opinionem multorum, quam retuli in materia *de peccatis*, aſſerentium, ſimplices delectationes non ſumere malitiam ab actu externo prohibito iure poſitiuo humano; ergo à ſimili poteſt quis philoſophari de actu externo prohibito,autoritate priuata vouentis.

Et ex dictis in hoc dubio poteſt ſolui aliud dubium,de quo non legi aliquid apud autores, nempe, an poſſit legiſlator humanus prohibere actum externum, non prohibendo actum internum, & poſſunt eſſe modi dicendi relati in hoc dubio de vouente, & facilè poterit vnuſquiſque conſequenter philoſophari ad dicta ſub diſtinctione de voluntate efficaci, & de delectatione ſimplici, quod indicaſſe hoc loco ſufficiat.

Sed poteſt aliquis obiicere hoc modo, probabilis eſt opinio aſſerentium delectationem ſimplicem veneream de fœmina habente votum caſtitatis non habere malitiam contra votum,vt ſenſit P. Vazquez & alij illum ſequuti, vt retuli in materia *de peccatis*, & opuſculo *de delectatione moroſa*; ergo idem erit quando votum ſe tenet ex parte perſonæ quæ delectatur. Reſpondetur eſſe manifeſtum diſcrimen. nam is qui vouit caſtitatem, ſola ſimplici delectatione contra caſtitatem, eodem modo facit contra votum,ac ſi violaret per actum externum, & ipſe eſt cauſa violationis voti proprij:at verò per ſolam delectationem ſimplicem de fornicatione cum moniali,ipſe neque delectatur de violatione voti alterius, vt patet, neque eſt cauſa violationis eius, cùm ſit affectus ſimplex,& non efficax,quod maximè in hac materia conſiderandum eſt. Deinde ſi rem ſubtiliùs explicemus,circunſtantia voti in priori caſu non eſt circunſtantia quæ tenet ſe ex parte obiecti, & ex parte perſonæ operantis, & actus, vnde non eſt neceſſarium, vt ſit volita actu reflexo, ſed ſatis eſt eſſe voluntariam,ſicut actus ipſe,& eius intenſio: at circunſtantia voti ex parte obiecti non eſt voluntaria, vt patet, neque eſt volita ex parte obiecti, ex eo ſolùm quòd ſit per accidens coniuncta cum perſona habente votum, vt dixi *locis citatis*.

Dubium II.

An post Concilium Tridentinum ſit validum matrimonium, præſente Parocho tantùm per tranſitum.

Dubium intelligitur quando tranſeunte Parocho per viam aliquam contrahentes protulerunt verba matrimonij, audiente Parocho & teſtibus.Et in hoc caſu non defuit vnus, vel alter Theologus qui diceret, matrimonium non eſſe validum, quia Parochus non fuit vocatus ad talem contractum, nec præſens ex fine, & intentione aſſiſtendi tali contractui.

Nihilominus, multi Theologi huius ætatis contrarium docuerunt, quibus vehementer diſplicuit prædicta opinio, & mihi placet prædictum matrimonium fore validum,& noui ego in Hiſpania matrimonium ita celebratum, & à iudicibus Eccleſiaſticis iudicatum fuiſſe validum, & meritò, quia, vt diximus in materia *de matrimonio*, Concilium Tridentinum ſolum requirit Parochum præſentem cum cognitione contractus celebrati, tanquam ſpecialis teſtis deſignatus ab Eccleſia, vt coram illo,& aliis teſtibus contractus ille dicatur publicè celebratus, & ita in materia *de matrimonio* referuntur plures caſus à Doctoribus, in quibus matrimonium celebratum eſt præſente Parocho contra propriam voluntatem, per violentiam, vel deceptionem, &

tamen

tamen simila matrimonia iudicata sunt valida, per iudicium Congregationis Cardinalium, & sapientissimotum hominum, & ratio est in his omnibus casibus, quia verè seruatur forma Concilij Tridentioi. oam matrimonium fit præsente Patocho & restibus, quidquid sit de violensia, coactione, vel deceptione Patochi, neqoe aliud requiritur post Concilium Trideotinum, & ideo non assequor argumentum alicuius momenti pro parte contraria.

Imò ex illa opinione poterunt sequi lites, & controuersiæ in foro exteriori circa valorem matrimonij, non sioe graui damno, præsertim filiorum, si ex tali mattimonio nati sunt, & ego noui, & agnosco, filios natos ex simili matrimonio, ante aliquot annos. Addendum deinde est, uon deesse viros doctos & pios, qui prædictam sententiam iudicent omnino improbabilem, neque tutam in praxi; nobis verò satis sit dicere, eam opinionem falsam esse, neque habere firmum aliqnod fundamentum: de alia censura modò non curo, solùm aduerto io rebus moralibus & quæ ad praxim pertinent, valde considerandum esse, quæ opinio legatur, ne vel ex illa possit oriri scandalum, vel aliquid contra bonos mores, & publicum bonum, & talis est materia præsentis dubij: quod pro aliis similibus obseruandum est.

Dubium III.

An simoniam committat Petrus, promittens Ioanni se daturum eleemosynam pauperi, vel loco pio, si Ioannes impetret Petro beneficium aliquod Ecclesiasticum.

EX variis opinionibus potest oriri in hoc dubio diuersus modus opinandi. Et primò qui putant non esse simoniam dare pecuniam pro intercessione ad impetrandum beneficium, facile in hoc casu dicent nou interuenire simoniam. Sed contraria opinio communis est moltorum asserentium etiam pro intercessione non posse aliquid dari sine peccato simoniæ, vt retuli 2.2. *ad quæstionem* 100. & illi fortè in hoc casu dicent esse simoniam.

Sed quidquid sit de hac controuersia, existimo in præsenti dubio, non interuenire simoniam, quia qui offert impetrationem beneficij, nihil accipit teoporale pro beneficio, aut pro intercessione: sed Pertus mouet illum ad bene operandum per oblationem pecuniæ ad actum honestum, sicut quando Pater, v.g. offert pecuniam, vel quid simile, filio, vel filiæ, vt moueat illam ad bene operandum, v.g. ad audiendam Missam, vel confitenda peccata, de quo dixi in materia *de simonia*, vbi alia etiam dubia explicui, & ostendebam quomodo posset fieri sine simonia promissio, v.g. de dando aliquid infideli, vt conuertatur ad fidem, vel infideli, vt ingrediatur religionem, semper enim dicendum est fieri sine simonia, si non detur per modum pretij rei spiritualis, sed solùm ad mouendum hominem ad bene operandum. legatur P. Thomas Sanchez *libro* 1. *de matrimonio disp.* 39. qui nostram doctrinam seqoitur in dubiis telatis.

In præsenti autem dubio non offert Petrus pecuniam Ioanni, sed promittit se facturum actum honestum, & gratum Ioanni, vt moueat illum ad impetrandum beneficium, sicut si filius promitteret patri, se facturum aliqua opera virtutum grata patri, vt pater illa filio conferret, non vt pretium rei spiritualis, sed motua ex gratitudine in quo non esset simonia: sicut neque econtrario, est simonia quando pater offert filio aliquid pretio æstimabile,

A vt moueat illum ad opera virtutum facienda, & eodem modo collator beneficij posset illud beneficium promittere alicui, vt moueret illum ad faciendam eleemosynam, non vt pretium beneficij, sed vt actum honestum, & Deo gratum.

Et idem iudicium est si offerretur eleemosyna alicui loco pio, vt aliquis moueretur ad impetrandum, vel cooferendum actum religionis militaris.

Tandem aduertendum est quòd licèt pro Coria Romana sit Bulla in qua prohibetur dari aliquid pretio æstimabile pro impetratione beneficij Ecclesiastici, tamen existimo, per illam Bullam non prohiberi casum præsentis dubij, quia hic reuera non B datur aliquid pro intercessione, sed, vt diximus, offertur pecunia ad actum honestum, vt alius moueatur ad impettandum, vel conferendum beneficium.

Dubium IV.

An pœnitens possit propria autoritate commutare sibi pœnitentiam iniunctam à Confessario in opus euidenter melius.

ANte hoc tempus satis sine controuersia erat communis doctrina, sed non defuit hac ætate recentior quidam, qui dixerit pœniteotem posse própria autoritate commutare pœnitentiam sibi in-C iunctam à Confessario in opus euidenter melius, & nullum pro se citat autorem, & solùm probat à simili, quia communis est opinio asserentium vouentem posse proprium votum commutare in opus euidenter melius; ergo idem poterit pœnitens circa pœnitentiam sibi impositam à Confessore.

Hæc tamen opinio noua & improbabilis, imò temeraria visa est aliquibus Theologis huius ætatis, quia neque habet autorem antiquiorem, nec fundamentum alicuius momenti, & hoc in re graui, & morali contra communem sensum Doctorum.

Communiter ergo Doctores supponunt, non posse pœnitentem propria autoritate commutare prædictam pœnitentiam, qaod mihi est valde D certum.

Ponendum autem est, confessarium legitimum habere autoritatem obligandi pœnitentem ad faciendum aliquod opus satisfactorium. Vnde postquam pœnitens simul acceptauit pœoitentiam, non potest propria autoritate illam commutare in aliud opus, talis enim commutatio facienda est virtute clauium, vel ab eodem confessario, vel ab alio, iuxta conditiones, quas tradunt Doctores in materia *de confessione*; nullus autem erga se ipsum potest exercere actum clauium, quod certissimum est in materia *de pœnitentia*.

Deinde, præceptum legitimum positum à soperiore, non potest subditus commutare in opus aliud, E quantumuis melius, quia obligatio illius operis faciendi orta est ex potestate superioris; ergo non subiacet voluntati inferioris, & oppositum est contra communem sensum fidelium, etiam doctissimorum; & planè per opinionem prædictam perturbatio iotroduceretur in materia obedientiæ, si postquam positum est præceptum ab aliquo superiori, subditi vellent facere aliud opus, quantumuis excellentius secuodùm se, & qoidem de præceptis in materia obedientiæ nullus hactenus dixit (quem viderim) posse subditum opus præceptum commutare in melius propria & priuata autoritate. Ad qnod confirmandum, multum iuuant plura quæ de obedientiæ virtute, tradunt sancti Patres, loquentes de

excellen

excellentia operis præcepti comparatione operis facti ex propria voluntate.

Item prædicta doctrina periculosa est, quia facile posset subditus errare circa talem commutationem, & ideo prædicta opinio tanquam perniciosa in praxi reprobanda est.

Neque ex simili illud de commutatione voti alicuius momenti est, quia obligatio voti orta est ex voluntate vouentis, ac proinde non mirum, si possit autoritate ipsius priuata commutare in opus euidenter melius, quod non contingit, quando obligatio operis faciendi oritur ex potestate superioris, vt dixi.

Item, certum est non posse fieri prædictam commutationem, quando pœnitentia iniuncta, medicinalis est (& de hac fortè non loquitur prædictus autor.) nam iudicium medicinæ ad medicum pertinet, non ad infirmum, secundùm regulas prudentiæ; præsertim cùm confessarius sit minister Christi, & vtatur potestate ab illo accepta, ad obligandum pœnitentem ad opus satisfactorium.

Dices, opus euidenter melius, & excellentius, erit Deo magis gratum; ergo poterit à pœnitente, vel subdito opus iniunctum, vel præceptum commutari in melius. Respondetur, quòd licèt opus aliquod secundùm se, iudicetur excellentius, tamen semel posito præcepto, de alio opere faciendo opus præceptum est magis obligatorium respectu subditi, neque relinquitur arbitrio eius facultas commutandi, propter dicta.

Dubium V.

An quando fit reuocatio priuilegiorum, quæ concessa sunt à Pontifice viuæ vocis oraculo, intelligatur facta reuocatio communicationis alicuius priuilegij facta viuæ vocis oraculo; quando principalis concessio facta est per Bullam expressam, & scriptum.

De hoc dubio nihil legi apud Doctores. Et existimare posset aliquis etiam prædictam communicationem factam viuæ vocis oraculo, reuocari per vniuersalem reuocationem eorum omnium, quæ concessa sunt viuæ vocis oraculo, hæc enim videtur efficacia vniuersalis reuocationis prædictæ: quæ comprehendit omnes gratias factas viuæ vocis oraculo.

Ex altera verò parte in prædicta reuocatione, non videtur includi communicatio gratiæ, etiam facta viuæ vocis oraculo, quando gratia prior concessa est alicui religioni, vel communitati, per expressam Bullam, & scriptum, aut constitutionem Pontificum; quia reuocatio solùm videtur intelligenda de his gratiis, quæ tantùm sunt concessæ viuæ vocis oraculo, & hæc propter peculiares causas, quæ possunt non habere locum, quando gratia iam erat concessa per Bullam & scriptum, & hæc pars videtur satis probabilis, potéstque defendi, donec Pontifex aliud declaret, quamuis si in vsu talis communicationis occurrat aliquod inconueniens, tutius erit non vti tali communicatione inconsulto summo Pontifice.

Ad ferendum autem iudicium, in hac materia multum refert considerare conditionem gratiæ communicationis concessæ, intentionem concedentis, & circunstantiam personæ cui conceditur.

***

Dubium VI.

An opinio quæ aliquando iudicabatur temeraria, possit successu temporis & varietatis rebus iudicari probabilis.

Aliquæ sunt censuræ, & qualitates propositionum quæ mutari non possunt, v.g. propositio quæ semel fuit hæretica, circa idem obiectum semper erit hæretica, & idē est de propositione erronea.

Alia tamen ratio videtur esse de qualitate propositionis temerariæ, aut improbabilis, quia aliqua propositio pro aliquo tempore potuit dici temeraria, quia neque habebat autores, neque manifestata erant argumenta grauis momenti in fauorem illius. Et tamen contingit aliquando, vt temporis successu, rebus seriò disputatis, & per controuersiam collatis, appareant rationes magni momenti, & illis permoti viri docti poterunt eam propositionem amplecti tanquam veram, vel saltem vt probabilem, & iam illa propositio non erit temeraria, & hæc vtilitas oritur ex disputationibus theologicis, de qua optimè loquitur P. Vazquez 1. *part. disput.* 12 *cap.* 2. *num* 4. vbi habet hæc verba: Vidi ego non multis retro annis, in materia *de gratia & prædestinatione* aliqua adeò obscura in vtranque partem a Theologis disputari, vt vtriusque partis propugnatores existimarent, nihil in ea re certi haberi posse, in qua tamen facilis via cœpit apparere. Contrà verò vidi aliquos leuiter & absque fundamento, ita suis opinionibus adhærentes, vt putarent, contrariam sententiam periculo erroris expositam; quod tamen prudens Theologus cauere debet, maturè semper de rebus iudicans, nec leuiter aliquid damnans. Disputatione verò assidua factum est, vt diligenter Scripturæ, & Patrum libris perspectis, res iam facilior appareat, & vbi periculum videbatur, ipsa veritas elucescat; & multa possemus adducere exempla, adducemus autem vnum, vel alterum.

Et quidem ante aliquot annos non censebatur probabilis opinio vnius, vel alterius asserentis Beatam Virginem non contraxisse debitum contrahendi peccatum originale, & tamen iam hoc tempore quàm multi in Hispania, talem opinionem probarunt vt probabilem; alij verò, etiam vt veram typis mandarunt, propter quod improbabiliter aliquis diceret, eam opinionem vel non esse probabilem, vel mereri aliquam censuram grauiorem.

Alterum exemplum sit quòd ante aliquot annos non defuit vnus, vel alter vir doctus, qui assereret, non esse probabilem opinionem asserentium, actum contritionis perfectæ, & dilectionis Dei super omnia, supernaturalem, ex auxilio gratiæ, habere vim sanctificandi formaliter animam; & tamen vt ostendebam in materia *de gratia*, opusculo *de forma sanctificante*, ea opinio, iam habet tot autores, & argumenta tanti momenti, & ita facilè soluit obiectiones contrarias, vt nullus prudenter possit negare, eam esse valde probabilem, quam etiam recentiores satis docti, hoc tempore vt veram sequuti sunt, & typis mandarunt, quotidiéque in Academia Complutensi in publicis actionibus vniuersitatis, & Religionum defenditur.

Multa similia exempla possemus adducere, quæ tamen viri docti agnoscunt, & iuxta dicta iudicandum est de aliqua sententia, quæ aliquando à quibusdam censebatur periculosa in fide, & non satis tuta, & tamen successu temporis factum est, vt iudicetur probabilis, aut vera, & sine aliquo periculo, vt suprà attigit P. Vazquez.

Idem

Idem indicium potest esse de propositione quæ aliquando iudicata est scandalosa:potuit enim fieri, vt variatis circunstantiis rerum cessatet scandalum.

Econtrario autem potest contingere, vt sententia, quæ aliquando habebatur probabilis, adueniente aliquo decreto Pontificio, nullo modo maneat probabilis, v.g. ante Sixtum V. opiniones erant inter Scholasticos, circa matrimonium Eunuchorum, an esset validum ex natura rei,& tamen post decretum Sixti V. videtur iam declaratum Eunuchos iure naturali esse inhabiles ad contrahendum matrimonium.

Aliud exemplum possumus adducere ex materia *de pœnitentia*, ad confirmandam doctrinam suprà traditam, de opinione, quæ successu temporis potest comparare magnam probabilitatem: illud autem est, quod ante aliquot annos aliqui Theologi contendebant, non esse probabile posse in aliquo casu confessarium absoluere pœnitentem, cum solis signis externis contritionis, quando non potuit in articulo mortis, in specie explicare peccata, cuius contrarium docuerunt viri doctissimi nostræ Societatis, & multi alij, quos retuli in materia *de pœnitentia, disp.*30.*dub.*1. Vbi etiam retuli verba quæ modò habentur in rituali Pauli V. de Sacramento pœnitentiæ *pagina* 45. sunt autem hæc verba. Quòd si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, vel loquela deficiat, nutibus, & signis conetur (scilicet Confessor) pœnitentis peccata cognoscere, quibus vtcunque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si desiderium confitendi, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est. Hactenus in Manuali; quibus positis iam nullus audebit negare probabilitatem prædictæ sententiæ. Plura occurrunt in materiis theologicis exempla, sufficiant tamen quæ adduximus ad illustrandum doctrinam traditam.

DVBIVM VII.

An impleat aliquis præceptum audiendi Missam, quando per raptum & ecstasim eleuatur in contemplationem diuinorum officiorum.

DE hoc dubio interrogatus sum à quodam Confessario, qui à fœmina quadam sua pœnitenti interrogatus est, an impleret præceptum audiendi Missam quando rapiebatur in ecstasim, quod dicebat frequenter sibi contingere. Et distinguendum est. nam vel ita contingit raptus & ecstasis vt sensus omnino abstrahantur ab attentione & cognitione, vel ita contingit raptus & contemplatio, vt maneat aliqualis cognitio sensuum, & attentio ad audiendam Missam.

Et in priori casu existimo obligari talem personam ad audiendam aliam Missam, quia in priori illa, non fuit præsens moraliter Missæ, & ad implendum præceptum audiendi Missam requiritur moralis, & humana præsentia respectu actionis Missæ; hæc autem non est quando non est attentio sensus externi respectu Missæ.

In secundo tamen euentu adimplebitur præceptum audiendi Missam, quia per aliqualem attentionem sensus externi potest esse moralis præsentia ad audiendam Missam, & personæ quæ dicunt in audienda Missa pati raptum ita vehementem, vt nullam omnino attentionem habeant respectu Missæ, seriò & grauiter admonendæ sunt vt conentur attentionem moralem habere respectu Missæ, ne fortè decipiantur à dæmone prætextu eleuationis ne im- **A** pleant præceptum audiendi Missam, quod periculum maximum est in fœminis propter naturæ leuitatem, & innatam vanitatem.

Illud docent autores, posse aliquem dum Missam audit, meditari aliquid diuinum circa mysteria Missæ, vel alia, ita tamen, vt non impediantur ab attentione morali & humana, requisita ad implendum præceptum audiendi Missam.

Occasione huius interrogatus etiam sum de aliquibus dubiis, quæ tangunt autores in materia de auditione Missæ.

Vnum est, an possit sine peccato mortali audire Missam, ita vt audiat vnam partem ab vno sacerdote, & alteram ab alio, v.g. si ab vno audiat à prin- **B** cipio Missæ vsque ad consecrationem, & ab altero à consecratione vsque in finem. Docent autem frequentiùs Doctores, per hoc non violari præceptum audiendi Missam grauiter: potest autem hoc contingere duobus modis, altero si prior pars priùs audiatur, & posterior posteriùs, & in hoc facilè apparet, non esse grauem violationem, quando non est interruptio magni temporis; secus quando est magna. & grauis interruptio, sicut diximus de recitatione officij diuini a.2.*ad quæst.*83.

Altero modo potest contingere vt quis audiat duas prædictas partes Missæ, ita tamen vt posteriorem priùs audiat, & deinde priorem, in quo non pauci viri docti existimant non esse graue pecca- **C** tum, quando non est magna interruptio temporis, quia solùm est ibi inuersio ordinis, quæ non videtur magna deformitas, sicut dicunt Doctores de inuersione ordinis in recitatione horarum canonicarum.

Quamuis non desint, qui existiment, inuersiona ordinis circa partes Missæ, posse esse graue peccatum in audiente, sicut sine dubio est graue peccatum in dicente Missam, si peruerteret ordinem statutum inter duas prædictas partes Missæ; sed quia non videtur eadem ratio, de audiente Missam, & de dicente illam, nolo damnare prædictam sententiam aliquorum Doctorum, sed relinquere iudicium doctioribus.

D Aliud dubiolum esse potest, an possit quis implere præceptum audiendi Missam sine graui violatione, si semel tempore audiat à duobus sacerdotibus ab vno à principio Missæ vsque ad consecrationem, ab altero simul tempore à consecratione vsque ad finem. Et referuntur aliqui recentiores existimantes, in hoc non esse grauem violationem præcepti audiendi Missam, quia non est difficile talem personam habere simul attentionem respectu vtriusqué partis Missæ.

Sed hoc mihi neque est probabile, neque tutum in conscientia, eo quòd præceptum audiendi Missam requirit attentionem veluti successiuam, circa partem Missæ proportionatam successioni, actionis **E** dicendi Missam, quod per se videtur manifestum, & viris doctis huius ætatis valde certum.

Ex quo vlteriùs infero quòd si alicui imponàtur à Confessario pœnitentia audiendi duas Missas, non satis faciet pœnitens, si velit duas Missas simul tempore audire à duobus sacerdotibus, hoc enim esset contra intentionem Confessarij, qui communiter intendit in hac pœnitentia imponere pœnitenti onus audiendi duas Missas diuersis temporibus, quod satis constat ex communi sensu Confessorum, & pœnitentium.

***

DISPVTATIO XVII.

MORALIS, POSITIVA & SCHOLASTICA.

De matrimonio Virginis cum Ioseph.

DVBIVM I.

An ex Patribus colligatur fuisse verum matrimonium inter Mariam, & Iosephum.

NON defuerunt hæretici qui dicerent, inter Beatam Mariam & Iosephum non fuisse verum matrimonium. hos hæreticos refert P. Vazquez *tomo* 2. *in* 3.*part. disp.* 125.*cap.* 1. & quòd non fuerit verum matrimonium, videntur aliqui Patres indicare. Tertullian.*lib.de velandis Virginibus, cap.*6. vbi sententiam cuiusdam prubat, qui videbatur negare Mariam fuisse veram vxorem Iosephi. Origenes *homilia* 1.*in diuersos*, in illud Matthæi 1. *inuenta est*, vbi videtur significare tunc temporis non esse futuræ vxoris. ponderentur illa verba *futuræ vxoris*. Hilarius *canone* 1. *in Matth.* apertè videtur dicere Mariam non esse vxorem Iosephi. Indicat pseudo-Cyprianus *sermone de Passione*, & Cyrillus Hierosolymit. *Catechesi* 12. Nyssenus *oratione in die natalis Christi*. Chrysostomus *homilia* 4. *in Matthæum*. Epiphanius *contra hæreses, hæresi* 78. Hieron. *in caput* 1.*Matth.* Gregorius *homil.*26. *in Euangelia*, & refertur 27.*quæst.*2.*canone sic quippe*. Chrysolog.*serm* 175. *in medio*, Bernardus *homilia* 2.*in laudibus Virginis, super Missus est,colum.*7.*sub finem.* Verba horum Patrum fideliter refert P. Vazquez *suprà*.

Sed contraria sententia certa est Patrum, ita docuit August. *lib.* 23.*contra Faustum cap.* 8. *& lib.* 1.*de nuptiis, & concupisc. cap.* 11. Hugo Victorin. *lib. de Maria virginitate perpetua cap.* 1. *§.videamus.* Origenes *homilia* 1.*in diuersos*, in illud, *Ioseph autem vir eius.* Basilius *homilia de humana Christi generatione, longè à principio.* Hieron. in illud Matthæi, *cùm esset desponsata.* Chrysost. *homil.* 4. *in Matth.* explicans illud cap.1. *priusquam conuenirent.* Autor Imperfecti apud Chrysost.*hom.*1.*in Matth.* in illud, *cùm esset desponsata.* Ambros.*lib.de institutione Virginum cap.*6.*in principio, & lib.* 2. *in Lucam, in principio.* Bernard. *sermone* 2. *in Missus est, colum.*6. Rupertus *lib.*11. *de victoria Verbi Dei, cap.*19. *in fine in* 2.*tomo.* S. Bonauent. & S. Thomas *in* 4.*dist.*30. Verba Patrum clarissima sunt, vt licitum non sit ab eorum sensu recedere, & illa refert P. Vazquez *suprà cap.* 2. adducunt verò citati Patres aliquas rationes, quas infrà examinabimus.

Solùm restant explicanda testimonia Patrum allata in contrarium, pro quorum explicatione generatim notandum est, Patres illos aliquando negare, Virginem fuisse vxorem Iosephi, solùm quia non fuit cognita à Iosepho per copulam carnalem, quasi negent, inter Mariam, & Iosephum fuisse matrimonium consummatum, non tamen velint negare, matrimonium ratum, & in eodem sensu dicunt aliquando Mariam fuisse desponsatam Iosepho, non nuptam, quia licèt contraxerit matrimonium per verba de præsenti, quæ faciunt matrimonium ratum, non tamen tale matrimonium fuit consummatum per copulam carnalem, quem sensum ampliùs explicabimus, & confirmabimus *dubio* 7. & nomine *sponsalium*, non solùm apud Latinos, sed etiam apud

A Hispanos, solet significari matrimonium ratum per verba de præsenti, ante consummationem, & per hanc doctrinam explicanda sunt testimonia illa Patrum, quæ sigillatim explicat P. Vazquez *disp. citata c.*4. & P. Suarez 2.*tom.in* 3.*part.disp.*7.*sect.*...§.*ad sanctos ergo.* De ratione quæ affertur pro hac veritate iamiam dicemus.

DVBIVM II.

An beata Virgo contraxerit matrimonium cum Iosepho post votum virginitatis emissum.

B CONtra prædictam veritatem de matrimonio Virginis fuit difficultas apud Scholasticos, quia si tale matrimonium contractum est post prædictum votum, non potuit esse licitum matrimonium.

Aliqui existimarunt, matrimonium prædictum fuisse contractum ante votum castitatis, ita S.Thomas 3.*part.quæst.*19. *art.*2. & sic facilè cessaret prædicta difficultas. Sed non admittimus talem opinionem, & ideo multi alij Scholastici docent potuisse B. Virginem contrahere matrimonium licitè, quia potuit subiicere se ordinationi Dei, qui nollet B.Virginem exponi periculo violationis voti. quam explicationem ex Magistro & aliis Scholasticis adducunt interpretes S. Thomæ *in* 3.*part. ad quæst.*29.
C & legi potest P. Vazquez *suprà cap.* 5. & secundùm hanc doctrinam explicandus est Canon *voventibus dist.*27.*&* 17.*quæst.*1. vbi dicitur, vouentibus virginitatem, non solùm nubere, sed velle nubere damnabile est. quæ verba explicantur quando, in contrahendo matrimonio exponitur persona contrahens, periculo violandi votum, quod in præsenti casu, & contractu non fuit. legatur P. Vazquez *suprà cap.*6. qui prædictam doctrinam fusè explicat.

Deinde ponenda est hoc loco doctrina, quam ex instituto tradidimus in materia de matrimonio cum multis Doctoribus, nempe esse validum contractum matrimonij, cum voluntaria conditione contrahentium de seruanda castitate, imò cum conditione
D expressa non petendi, aut non reddendi debitum. Vnde potuit B. Virgo contrahere matrimonium cum Ioseph, explicando conditionem seruandi castitatem quæ non est contra substantiam matrimonij, vt ostendimus in materia *de matrimonio*, quòd si B. Virgo talem conditionem explicuit Iosepho, non est dubium quin Iosephus illam conditionem acceptarit, quam doctrinam etiam vt veram tradidit P.Vazquez *suprà cap.*6.*citato.*

DVBIVM III.

E *Quomodo B. Virgo potuerit contrahere matrimonium post votum castitatis, cùm per matrimonium tradatur dominium corporis alteri contrahenti.*

HVgo Victorin.*tomo* 3.*lib.de Maria virginitate, cap.*1. nouo modo philosophatus est de essentia matrimonij; dixit enim primariè non esse institutum matrimonium ad generationem prolis, sed ad cohabitationem ex affectu charitatis; secundariò verò ad generationem prolis, & ideo facilè potuisse intelligi inter Beatam Virginem & Iosephum quantum ad primarium finem, non tamen quantum ad secundarium.

Hic tamen modus est contra omnes Theologos & Iurisperitos, qui docent contractum matrimonij

ordinatum

ordinatum esse radicaliter ad copulam & generationem prolis, non ad solam vnionē charitatis animorum & cohabitationē: quod efficaciter probat P. Vazquez, & alij; neque necessarium est in hoc immorari.

Scholastici ergo concedunt ad matrimonium necessarium esse aliquem consensum in copulam, non expressum, sed implicitum. Sed in explicando modo consensus impliciti est diuersitas opinionum.

Aliqui explicant hoc per consensum conditionalem, quia B. Virgo habuit consensum in copulam, si Ioseph peteret debitum, & Deus non remitteret tale debitum. Ita philosophantur, Richardus 4. *d.* 30. *a.* 1. *quaest.* 2. *ad* 3. Scotus *eadem dist. q.* 2. *§. secundo.* Durand. *q.* 2. *n.* 8. Supplementum *q.* 2. *art.* 2. *post* 7. *concl.* Almay. *quaest.* 2. *§. dicūt alij.* Henric. *quodl.* 9. *q.* 11. iodicat Abulens. *in c.* 30. *Numerorum, quaest.* 32. imò S. Thom. 4. *d. illa* 30. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1. Hic tamē modus philosophandi multis non probatur, quia cùm verius Virginem contraxisse matrimonium post emissum votum castitatis, sentiendum est Virginem absolutè habuisse voluntatem non consentiendi in copulam carnalem, quod maximè decuit B. Virginem.

Pro vera ergo intelligentia huius difficultatis notandum est, in contractu matrimonij duo esse, nempe translationem dominij corporis, & vsum illius, & translatio est radix vsus, & sua natura translatio dominij ordinatur ad vsum, & consensus in translationem dominij virtualiter, & implicitè continet consensum in vsum; sed B. Virgo ita consensit in translationem dominij, vt per votum haberet impeditum vsum, quod manifestatum fuit Iosepho. Item, quia secundùm nostram opinionem potuit esse expressus contractus, salua essentia matrimonij de abstinendo abusu & seruanda castitate, ita philosophatur Maior 4. *d.* 30. *quaest.* 4. §. 1. *in* 7. *ratione sua conclusionis.* P. Vazquez *suprà cap.* 7. *à num.* 78. quidquid dicat P. Suar. *d.* 7. *sect.* 1. §. *ad secundam confirmat.* Obiicit verò P. Vazquez aliquid, de quo nos diximus in materia *de matrimonio.* Obiectio autem sumpta est ex Almayno 4. *d.* 30. *quaest.* 2. & ea est, non videri possibile quòd aliquis habeat dominium rei, & quòd nunquam possit illa vti sine peccato. Hæc autem obiectio facilè potest solui, si notemus, habentem dominium alicuius rei impediri posse ab vsu, per obligationem religionis, & in hoc casu, si vir accederet ad vxorem habens votum non accedendi, peccaret quidem contra religionem, non tamen peccato fornicationis contra dominium radicale, ac proinde neque contra iustitiam respectu illius, quòd si in contractu vellent contrahentes excludere ius radicale, neque fieret matrimonium, neque translatio dominij corporum.

Quòd si contrahentes non fecerunt votum, sed mutuum pactum de non petendo, & reddendo, dixit P. Vazquez non peccare contra religionem si côiux vnus accederet ad alterum, neque contra iustitiā iuris radicalis, sed contra fidelitatem contractus circa vsum. de quo dixi in materia *de matrimonio.*

DVBIVM IV.

Qua ratione probetur à Patribus fuisse conueniens Virginem contraxisse matrimonium cum Iosepho.

PAtres nonnulli probarunt B. Virginem contraxisse matrimonium cum Iosepho, & hoc fuisse conueniēs ne pateretur infamiam B. Virgo cùm cognosceretur prægnans, si non putaretur nupta: hanc rationem assignarunt Origenes *hom.* 1. *in diuersis*, in

A illud, *Ioseph autem vir eius*, Matth. 1. Basil. *homil. de humana Christi generatione*, *longè à principio.* Hieron. in illud Matth. 1. *cùm esset desponsata.* Chrysost. *homil.* 4. *in Matthaeum*, in illud capitis 1. *priusquam conuenirent.* Imperfectus apud eundem Chrysostom. *homilia* 1. *in Matth.* in illud, *Cùm esset desponsata*, Ambros. *lib. de institutione Virginum*, *cap.* 6. *parum à principio.* Rupert. *lib.* 11. *de victoria Verbi Dei*, *c.* 19. *in fine, in* 2. *tomo.*

Quæ sanè ratio Patrum duobus modis potest exponi, vno vt dicamus Mariam contraxisse matrimonium cum Iosepho, vt ab infamiæ nota, & maligna suspicione in vniuersum, vel à nota fornicationis, vel violatæ virginitatis, vel adulterij virginitatis, liberaretur; & hoc modo loquuntur Ambrosius,

B Basilius, Chrysostomus, Imperfectus, & Bernardus, & sic intellecta facilis est ratio.

Altero modo, vt dicatur B. Virginem contraxisse matrimonium, ne poraretur adultera, & lapidaretur à Iudæis, vt intellexerunt Hieronymus, & Origenes. Circa quam rationem videntur esse difficultas. Primò, quia si B. Virgo peperisset ante matrimonium, non esset reuera adultera, quia adulterium est fornicatio personæ coniugatæ. Secundò, quia non videtur, quo loco Scripturæ præcipiatur, talem fœminam lapidari.

Hanc tamen difficultatem rectè soluit S. Thomas *quaest.* 29. *artic.* 1. *ad* 4. 3. *part.* loquitur enim, non solùm ea, quæ coniugata committebat adulterium,

C sed etiam virginem, quæ in domo patris custodita fornicabatur, puniri consueuisse tanquam adulteram, colligit ex *cap.* 22. *Deuteronomy*, vbi præcipiebatur, vt si quis vxorem suam non inuenisset virginem, & hoc contra eam probaret, lapidaretur sicut adultera: subdit autem Scriptura causam his verbis, *Quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui.* Vnde Patres citati per adulterium fornicationem intelligunt; vt notarunt P. Vazquez, & alij.

Addit S. Thomas in eadem solutione virginem de stirpe sacerdotali lapidari consueuisse, si fornicata fuisset, colligit ex *Leuit.* 21. virginem autem fuisse de stirpe sacerdotali certum est.

D Sed hæc doctrina difficilis est, quia illa lex expressè solùm loquitur de filia sacerdotis. B. autem Virgo non fuit filia sacerdotis. Aliam rationem adducunt Patres, quæ dubio sequenti examinabimus.

DVBIVM V.

Quo modo sit intelligenda ratio S. Ignatij Martyris.

ALiam rationem ex Ignatio refert Hieronym. in illud Matth. 1. *cùm esset desponsata*; ea autem est, B. Virginem contraxisse matrimonium, vt partus eius celaretur diabolo: eandem adducit Basilius *ho-*

E *milia de humana Christi generatione*, & Origenes *homil.* 6. *in Lucam*, eandem adducit Ambrosius *lib.* 2. *in Lucam*, *cap.* 1. Chrysostom. *homil.* 4. *in Matth.* Damascen. *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 15. *in medio.* Bernardus *homilia* 2. *super Missus est.* Efficacitas huius rationis in eo consistit, quod diabolus agnoscens Virginis insignem sanctitatem, non poterat cogitare Virginem concepisse ex fornicatione & peccato.

Oportet autem examinemus efficacitatem huius rationis. Aliqui enim existimarunt non esse efficacem, ita Scotus 4. *d.* 30. *quaestion.* 2. §. *hic sunt*, Abulens. *in cap.* 1. *Matth. quaest.* 31. & Noster Maldonatus *in cap.* 1. *Matth.* explicans illud, *cùm esset desponsata*, & probant, quia non potuit latere diabolum

virginitas Virginis, quæ in integritate corporis consistit, & habet Angelus naturalem vim cognoscendi omnia naturalia.

S. Thom. 3. *part. quæst.* 29. *art.* 1. *ad* 3. vt prædictam Patrum rationem defendat, inquit, Dæmonem quidem potuisse virtute naturali cognoscere integritatem corporis Mariæ, in qua virginitas eius consistebat: id tamen Deum non permisisse. Sed hoc modo non videtur explicari satis efficacitas rationis Patrum, qui videntur contendere, ratione solius matrimonij existimasse dæmonem, virginem ex viro concepisse.

Alij verò recentiores cum Soto *in* 4. *distinct.* 3. *quæst.* 2. *articul.* 3. *ad* 2. ita prædictam rationem defendunt. Quia Patres persuasum sibi habuerunt dæmonem nunquam suspicari potuisse, B. Virginem ex fornicatione concepisse, eo quòd eius sanctitatem satis perspectam haberet: vt igitur, inquiunt, commodiùs ei mysterium occultaretur, & ipse à curiosa inuestigatione faciliùs abstineret, ad quod accommodatissimum medium fuit matrimonium. De quo legi potest P. Suarez *in citatum articulum D. Thomæ, in commentario illius.*

Sed adhuc manet difficilis ratio Patrum, quia absolutè potuit dæmon intueri fœtum conceptum in vtero Virginis, & simul integritatem illius circa sigillum virginale, & hoc absque discursu. Alia ratione possumus explicare prædictum argumentum Patrum, pro cuius intelligentia notandum est, id quod diximus 2. 2. *tomo* 2. *disputat.* 30. *dubio* 1. & P. Vazquez *tomo* 2. *in* 3. *partem, disp.* 121. *cap.* 4. *&* *disput.* 125. *cap.* 2. ex peritissimis Medicis experientia edoctis, in violatione virginitatis nullam rumpi pelliculam, sed solùm laxari partes sigilli virginalis, nulla enim talis est pellicula. Vnde ex cognitione sigilli virginalis, non est facilè iudicare, an fœmina fuerit violata, vel non, & cognito fœtu facilè potuit dæmon decipi, existimans Virginem ex coniunctione cum viro concepisse.

Solùm restat explicanda difficultas, an Angelus possit cognoscere præterita naturalis ordinis, etiam quando illa non cognouit vt præsentia, quia si non potest cognoscere præterita, nisi quæ aliquando cognouit præsentia, efficacior esset ratio Patrum, quia dæmon, videns B. Mariam Virginem concepisse, non posset cognoscere per memoriam, an conceperit ex coniunctione cum viro, quia talem coniunctionem nunquam cognouit dæmô, & ita non potest habere memoriam illius, quia memoria est de obiecto priùs cognito vt præterito. Et ita de Angelo philosophati sunt aliqui Theologi, vt Bañes & quidam alij recentiores, quos retuli 1. *part.* in materia *de Angelis, disp.* 45. *dub.* 3.

Aliorum sententia est, quam ego secutus sum in materia *de Angelis, loco proximè citato*, Angelum posse cognoscere præterita ordinis naturalis, etiamsi non cognouerit illa quando erant præsentia, & *ibidem* proposui obiectionem contra eam doctrinam, quia ex illa sequeretur eneruari præsentem rationem Patrum, quod tandem videtur concedere P. Vazquez 3. *part. disput.* 125. *cap.* 2. *num.* 20. *in principio.* Ego verò in materia *de Angelis loco citato*, respondebam prædictæ obiectioni facile potuisse dæmonem decipi, quia postquam vidit conceptum Christum, non erat necessarium vt ageret de cognoscendo, an fœtus ille ortus esset ex coniunctione fœminæ cum viro, & licèt de hoc ageret, posset decipi, quia illic interuenie-bat aliquid supernaturale, quod ipse non poterat

A certò cognoscere. Et fauet Augustin. 2. *de Trinitate, cap.* 7. vbi dixit, quòd diabolus multa potest cognoscere virtute suæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute diuina, quod in præsenti difficultate adducit S. Thom. 3. *part. quæst.* 29. *art.* 1.

Et explicari potest ex alia doctrina multorum Theologorum dicentium, dæmonem virtute naturali non potuisse cognoscere humanitatem Christi subsistere subsistentia Verbi diuini, & potuisse decipi si arbitrabatur ibi esse subsistentiam creatam, de quo fusè dixi in materia *de Angelis*, 1. *part. disput.* 47. *dub.* 1. Sicut ergo potuit in eo euentu decipi, ex permissione Dei, putans ibi esse subsistentiam creatam, quæ repræsentabatur cum humani-

B tate, ita in nostro casu potuit dæmon decipi, ex permissione Dei, si vtens specie quam habebat ad cognoscenda præterita naturalis ordinis iudicasset, puerum conceptum à virgine, conceptum fuisse ex coniunctione cum viro, quòd si non videbat coniunctionem, sed negationem illius, cogebatur suspendere iudicium, quia ipse non poterat scire quomodo illud factum esset; & quidquid sit de tota hac Metaphysica, facilè intelligitur, dæmonem videntem beatam Virginem prægnantem, existimasse puerum conceptum ex coniunctione cum viro, & ita Patres dixerunt illum existimasse Christum conceptum, & natum ex coniugata, non ex Virgine.

C Deinde bene docet P. Vazquez 3. *part. loco illo citato*, Patres illa ratione vti ad probandum inter Iosephum, & B. Mariam fuisse verum matrimonium, per hoc enim dabatur occasio deceptionis dæmoni.

Aliam rationem adducunt aliqui Patres, vt Hieronym. *in cap.* 1. *Matthæi*, qui dicit in Matthæo explicari Virginem fuisse desponsatam cum Iosepho vt per generationem Iosephi origo Mariæ monstraretur, quam bene expendit P. Vazq. *cap. citato, à n.* 21. Prædictas rationes & alias conuenientes adducit S. Thomas 3. *part quæst.* 29. *art.* 1. quas dubio sequenti breuiter referemus.

Dubium VI.

D *Quibus rationibus ostendatur conueniens fuisse Christum nasci de Virgine desponsata.*

Hoc latissimè & eruditissimè, vt assoler, explicat S. Thom. 3. *part. quæst.* 29. *art.* 1. & docet conueniens fuisse, Christum nasci ex Virgine desponsata, primò propter ipsum Christum, secundò propter Virginem, tertiò propter nos. Propter Christum quidem, nisi putaretur illegitimos, non reciperetur ab infidelibus: hanc rationem videtur tradidisse Ambros. *lib.* 1. *in Lucam, cap.* 1. illis verbis: Quid Iudæis posset ascribi, si natum ex adulterio persequuti fuissent? quæ ratio conueniens est, ad proban-

E dum inter Mariam, & Iosephum fuisse verum matrimonium, sine quo Christus non putaretur legitimus. Deinde vt genealogia Christi consueto modo Scripturæ posset describi. quam rationem attigit Ambros. *lib.* 3. *in Lucam,* illis verbis, Qui in seculum venit, seculi more debuit describi; & infrà, Consuetudo etiam instituit Scripturarum, &c. Tertiò vt parentes haberent tutelam pueri, & in hunc sensum explicat D. Thomas illud Ignatij, vt partus eius celaretur diabolo, de quo suprà. Tandem, vt à Iosepho nutriretur puer, vnde & propter officium nutritij pater dictus est.

Secundò principaliter fuit conueniens ex parte Virginis, ne iudicaretur concepisse extra matrimo-nium,

nium, lapidaretur vt adultera, de qua ratione iam diximus. Item vt per hoc B. Virgo ab infamia adulterij liberaretur, vnde Ambroſ. 7. *in Lucam* dixit, quòd deſponſata eſt, ne violatæ virginitatis adureretur infamia. Item, vt Ioſeph illi miniſtraret.

Tandem tertiò principaliter hoc fuit conueniens propter nos, quia teſtimonio Ioſephi probatum eſt Chriſtum ex Virgine natum, quam rationem attigit Ambroſius *lib. 2. in Lucam, c. 1.* illis verbis, *locupletior teſtis*, &c. Secundò, quia ipſa verba Virginis matris magis credibilia redduntur ſuam virginitatem aſſerentis, iuxta Ambroſium *lib. 2. in Lucam, c. 1.* Tertiò vt non remaneret excuſatio virginibus quādo ſunt incautæ circa vitandam infamiam honeſtatis. Quartò prædicto modo ſignificata eſt Eccleſia Virgo deſponſata vni viro Chriſto. Addit S. Thomas, rationem aliam, nempe vt hoc modo in Maria honoraretur virginitas, & matrimonium contra hæreticos.

DVBIVM VII.

An ſit de fide inter Mariam, & Ioſephum fuiſſe verum matrimonium.

Aliqui hæretici dixerunt non fuiſſe verum matrimonium, quos refert P. Vazquez *d. 125. c. 1.* & idem docuit Gratianus 27. *q. 2. canone, Quid autem, & canone, Inſtitutum,* & Michaël Medina *lib. 5. de continentia, cap. 61.* contendit probare non fuiſſe verum matrimonium. Et tandem *cap. 64.* vtranque partem dicit poſſe defendi. Et Caniſius *lib. 1. de B. Virgine, cap. 5. §. iam verò*, hanc controuerſiam poſuit inter arbitrarias, quarum quælibet pars poteſt defendi, vt docuerat *in §. præcedenti.*

Sed P. Vazquez *diſp. citata, cap. 3. num. 26.* dicit ita eſſe certam communem Scholaſticorum ſententiam, vt contraria ſit temeraria, quia eſt contra omnes Scholaſticos, & contra Patres frequenter, &, vt ſuprà oſtendimus, nullus ex Patribus contrarium docuit, & argumentum quo vſus eſt Gratianus, damnatum eſt tanquam error in fide; exiſtimauit enim non eſſe eſſentialiter matrimonium ſine copula carnali, quod eſt error, vt bene oſtendit P. Vazquez *cap. citato*; & res eſt certa in materia *de matrimonio*, matrimonium ratum eſſentialiter conſiſtere ſine copula carnali.

Addit P. Vazquez quòd ſi aliquis putet inter Mariam & Ioſephum non fuiſſe verum matrimonium, quia arbitretur ad matrimonium neceſſarium eſſe expreſſum conſenſum in copulam carnalem, & ſpem illius, etiam eſt error damnatus in Concil. Conſtantienſ. *ſeſſ.* 8. inter errores VViclephi.

Rectè autem oſtendit P. Vazq. deceptum fuiſſe Michaelem de Medina, quia non ſatis conſideratè legit damnationem VViclephi citatam.

Dixit etiam *in eodem cap.* P. Vazquez communem Scholaſticorum ſententiam non eſſe de fide certam. Primò, quia non videtur definitio aperta in aliquo Concilio. Secundò neque videtur eſſe aliqua traditio. Tertiò explicat, quia Patres indicant contrarias ſententias ſaltem in modo loquendi, vt ſuprà vidimus; ergo ſignum eſt apud illos non fuiſſe rem certam de fide, ex certa & conſtanti traditione Eccleſiæ.

Deinde ex Scriptura non videtur poſſe colligi vt certum de fide, quia licèt aliqua teſtimonia ſatis probabiliter videantur indicare verum fuiſſe matrimonium inter Ioſephum, & B. Mariam, tamen cùm Patres videantur variare circa explicationem illorum locorum, non videtur ex illis efficaciter colligi dogma fidei.

A Item ſcire oportet quòd licèt antiqui Scholaſtici omnes *in 4. d. 29. & 30.* tradiderint communem ſententiam, tamen multi eorum non dicunt rem eſſe de fide, ſicut allegant aliqui recentiores.

Sed non deſunt recentiores aliqui, qui exiſtiment de fide eſſe, inter Ioſeph & B. Virginem fuiſſe verum matrimonium ratum, & ita ſentit P. Suarez *tomo 2. in 3. partem, diſput. 7. ſect. 1.* Et probari poteſt ex locis Euangelij *Matth. 1.* vbi dicitur B. Virgo deſponſata Ioſeph, & Angelus dixit ad Ioſeph, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, & *Lucæ 1.* dicitur deſponſata, & idem *cap. 2.* per vocem *deſponſatam* planè videtur ſignificari matrimonium ratum, & *Matth. 1.* Ioſeph dicitur vir eius. Quæ loca multi B Patres, quos ſuprà retulimus, de vero matrimonio rato intelligunt, & Patres, qui contrarium videntur ſentire, explicuimus nos, vt ſolùm negauerint, eſſe matrimonium conſummatum; ergo admittimus ex communi ſenſu omnium Patrum, inter Ioſephum & Mariam fuiſſe verum matrimonium ratum. Communis autem ſenſus omnium Patrum circa ſenſum locorum Scripturæ rem facit omnino certam, quæ ponderatio mihi videtur ſatis efficax pro prædicta ſententia, quæ mihi videtur probabilior, omitto alia quæ P. Suarez & alij adeunt, quæ potius declarant rem, quàm probent efficaciter certitudinem fidei. Deinde vrgeo, quia per vocem *deſponſatam* in Euangelio, negari non C poteſt, ſaltem ſignificari ſponſam per verba de futuro: quis autem dicat Ioſephum, & Mariam per totam vitam manſiſſe in ſtatu ſponſalium de futuro, & nunquam contraxiſſe matrimonium per verba de præſenti. Vnde Patres aliqui qui indicare videntur per illa verba *deſponſatam* ſignificari ſponſalia per verba de futuro, non potuerunt probabiliter exiſtimare per totam vitam durasse contractum ſponſalitium, & numquam fuiſſe celebratum matrimonium ratum per verba de præſenti, præſertim cùm ex ipſo Euangelio conſtet Mariam & Ioſephum cohabitaſſe, quod proprium eſt eorum qui contraxerunt matrimonium per verba de præſenti.

D Et ex hoc colligo, nullo modo eſſe admittendam ſententiam Michaelis Medinæ ſuprà citati, dicentis liberum eſſe in hac controuerſia quamlibet partem defendere. Secundò non eſt admittendum quod Caniſius putauit, hanc controuerſiam inter arbitrarias eſſe numerandam. Et licèt aliqui Scholaſtici, præſertim ex antiquis, non dicant expreſsè rem eſſe de fide, tamen omnes ad probandum communem ſententiam vtuntur teſtimoniis Scripturæ & Patrum; quæ ponderanda ſunt, vt nos paulo antè diximus, & poſſumus addere, ſenſum omnium fidelium, qui cenſent S. Ioſephum fuiſſe ſponſum B. Virginis; quis autem credat fideles exiſtimaſſe per totam vitam Ioſephum ſolùm fuiſſe ſponſum per verba de E futuro, & nunquam contraxiſſe matrimonium per verba de præſenti, quod facilè poterant contrahere, cùm ſimul cohabitarent Ioſephus, & B. Virgo, & rationes Patrum, quas ſuprà retulimus, quibus probarunt, inter Mariam, & Ioſephum fuiſſe verum matrimonium, manifeſtè ſupponunt, quæ diximus, & mihi valde videtur certum, nullum ex antiquis Patribus voluiſſe negare, verum matrimonium ratum, inter Mariam & Ioſephum, ſed ſolùm voluiſſe negare matrimonium conſummatum.

Et ex his poſſumus reſpondere veritatem hanc de matrimonio inter Mariam, & Ioſephum colligi, vt certam de fide, ex traditione Patrũ, fundata in locis Scripturæ bene explicatis, vt probatum eſt.

Sed potest obiici, hoc modo Iosephus existimatus est communiter Pater Christi, & tamen reuera non erat; ergo similiter potuit existimari maritus Virginis, licet reuera non fuerit, & eius cohabitatio exterior cum Virgine potuit existimari à gentibus matrimonium, licet reuera non fuerit matrimonium.

Huic obiectioni respondet P. Suarez *tomo 2. in 3. partem, disputat. 7. sect. 1. §. nisi quis fortasse.* Et breuiter possumus respondere obiectionem esse nullius momenti, quia ad dicendum, Iosephum non fuisse Patrem Christi, habemus certum fundamentum in doctrina fidei: at verò ad dicendum, non fuisse verum maritum Virginis, non solùm non est probabile fundamentum, imò potiùs videtur contra citata loca Scripturæ, vt explicantur à Patribus, & in communi doctrina Patrum; &c. vt dicebamus, negari non potest Iosephum fuisse sponsum Virginis, saltem per verba de futuro, & ad munera, & officia, ad quæ assumebatur, cum cohabitatione Virginis, longè fuit conuenientius vt reuera esset maritus Virginis per matrimonium ratum, quod, vt diximus, planè supponunt Patres in suis rationibus.

Dubium VIII.

Quando fuerit contractum matrimonium per verba de præsenti inter Mariam & Iosephum.

Prima sententia est asserentium hoc matrimonium contractum fuisse post Incarnationem & annunciationem. hanc indicant Hieronymus, & Origenes, quos citat P. Vazquez *disp. 127. cap. 1.* fauet Ambros. *lib. de institutione Virg. cap. 6.* & Tertull. *libro de velandis Virginibus, cap. 6.* Et potest probari ex *Matth. 1.* vbi dicitur, *cùm esset desponsata, &c.* quod de sponsa per verba de futuro intelligunt aliqui, & postea dixit Angelus Iosepho, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, hoc est, ducere illam in vxorem, iuxta phrasim Scripturæ *Genesis 4.* vbi de Lamech dicitur accepisse vxores, & similis phrasis est *Genesis 6.* Et P. Maldonatus *in cap. 1. Matth.* citat Hilarium, Epiphanium, & Basilium.

Secunda opinio est asserentium, matrimonium fuisse contractum inter beatam Virginem & Iosephum ante annunciationem Angeli, pro qua sententia P. Vazquez *suprà cap. 8.* citat Ambrosium *lib. 2. in Lucam, cap. 1.* Chrysostomum *homil. 4. in Matthæum*, & alios, sequitur Caietan. *3. part. quæstione 29. in artic. 2. §. de primo.* Secundò idem supponunt Patres suprà citati, qui dicunt, Christum natum fuisse ex Virgine desponsata, vt partus eius celaretur diabolo, dum putat Christum ex vxore conceptum, non ex Virgine simplici. quam rationem fusè explicuimus *suprà*.

Et ex Scriptura probari potest, quia Angelus *Matth. 1.* non dixit, *noli timere accipere Mariam in coniugem tuam*, sed, *accipere Mariam coniugem tuam*, quibus verbis supponit Angelus iam esse suam, quod per se videtur satis manifestum.

Ex Patribus verò citatis pro contraria opinione eam videntur indicare Origenes, Hieronymus, & Ambrosius, non tamē alij, vt bene annotauit P. Vazquez *cap. 8. citato*, & ex his constat secundam sententiam probabiliorem esse, non tamen omnino certam, vt aliqui recentiores existimarunt.

Sciendum autem est Chrysostomum *loco citato* dixisse, morem antiquitatis fuisse, vt sponsæ in sponsorum domibus haberentur, & Bernardus *homil. 2. in Missus est*, dixit fuisse consuetudinem Hebræorum, vt sponsæ sponsis traderentur, & in suis domibus custodirentur, intelligendum est de sponsis post contractum matrimonium per verba de præsenti, aliàs non satis bene esset consultum castitati, & honori Virginum, & ex dictis soluta manet ratio pro prima opinione, non enim est idem accipere coniugem, & accipere suam coniugem, vt ponderauit P. Vazquez. legatur P. Suarez *tomo 2. disp. 7. sect. 2. conclus. 1.*

Dubium IX.

Quo tempore Iosephus, & Maria simul habitare cœperint.

In hoc dubio prima opinio est Caietani *3. p. q. 29. in art. 2. §. de primo*, qui dixit, Iosephum à tempore desponsationis, & toto tempore quo B. Virgo mansit apud Elisabetham, nō adduxisse in domom ipsius Iosephi B. Virginem, sed habitasse cum illa, vel in domo ipsius B. Virginis, vel Elisabeth. Probat Caiet. ex illis verbis Lucæ loquentis de B. Virgine, *postquam visitauit te Elisabeth, reuersa est in domum suam*, & pondetat Caietanus, non dixisse in domum sponsi sui. hanc sententiam priùs tradiderat Abulensis in illud cap. Matthæi *1. noli timere, &c.*

Aliorum sententia est tempore annunciationis Angelicæ non solùm fuisse iam contractū matrimonium per verba de præsenti, sed etiam B. Virginem iam habitasse in domo Iosephi. Et hanc sententiam sequitur P. Vazq. *cap. 9.* & colligit ex Chrysostomo, qui *homil. 4.* in illud Matthæi 1. *Ioseph fili David, &c.* expressè docet idem *homil. 5.* in illud, *surgens autem Ioseph.* consentit etiam Imperfectus *in Matth. homil.* in illud, *cùm esset desponsata.* Theophylactus, & Euthym. *in eundem locum*, qui dicunt, Iosephum mente sua, & proposito Mariam à se dimisisse: ab Angelo autem monitum fuisse, vt eam domi retineret; citantur alij Patres pro hac sententia, sed non ita clarè loquūtur. Eandem sententiā sequutus est P. Suar. *disp. 7. sect. 2.*

Dubium X.

In qua ætate Maria & Ioseph contraxerint matrimonium.

In hoc dubio prima sententia est asserentiū, B. Virginem (de cuius ætate priùs dicendū est) decimotertio anno suæ ætatis contraxisse matrimoniū, hæc sequitur ex sententia eorum, qui dicunt, decimoquarto anno peperisse Christum. ita Ioannes Annæus *in commentarijs chronographia Philonis*, Driedo *lib. 3. de dogmatibus Ecclesiasticis. tit. 3. cap. 5. part. 4.* testatur Annæus se id ex Hieronymo didicisse.

Secunda sententia est Caietani in illud Lucæ 1. *ad Virginem desponsatam*, qui probabile putat, Virginem fuisse vigintiquatuor annorum, & vt minimum habuisse decem & nouem annos quando Christum peperit, ac proinde vnum annum antea contraxisse matrimonium.

Tertia sententia est asserentium contraxisse matrimonium anno decimoquinto nondum expleto, ita colligit Cardinal. Baronius *in apparatu ad Annales. §. fidem adhibendam*, ex Euodio Apostolorum successore, apud Nizephorum *lib. 2. historia, cap. 3.* & ex Nisseno *oratione in diem Natiuitatis.* Damasceno *4. de fide, cap. 15.* Germano Patriarcha Constantinopolitano, in sermone de præsentatione Mariæ, Gregor. Episcop. Nicomed. *in sermone de præsenta*

præsentatione B. Virginis apud Metaphrastem, & Surium 21. Nouembris, & Cedreno *in compendio historia.* Cum Euodio conuenit autor libri *de Natiuitate B. Mariæ*, apud Hieronymum *tomo* 9. quem librum ipse Latinum fecit ex Hebræo. Alij citantur pro sententia Euodij, immeritò tamen. Et hanc sententiam communiter sequuntur alij historici, & ex Scholasticis P. Vazquez *disp. citata, cap.* 11. & P. Suarez sequitur Euodium *disp. citata, sect.* 3. Sed dicit B. Virginem paulo post inchoatum 14. annũ fuisse nuptam. Sed P. Vazq. *suprà n.* 126. § *cæterum*, iuxta Euodium docet, secundùm computationem Euodij dicendum esse B. Virginem inchoante 15. anno desponsatam fuisse, & post quatuor menses nupsisse, sed etiam inchoante 16. enixam fuisse.

Restat dicendum de ætate Iosephi, & prima opinio fuit asserentium fuisse octogenarium, aut valde senem. Primam partem docuit Epiphanius in Anchorato *hæresi* 78. *pagin.* 3. Secundam docuit Nizephorus *lib.* 1. *historiæ, cap.* 7.

Secunda opinio est asserentium, vel solùm fuisse Iosephum quinquagenarium, vel non ita senem, quin potens iudicaretur ad generandum. legatur P. Vazquez *suprà*, qui citat Gersonem, & Viguerium.

Tertia sententia est aliorum, qui generatim docent Iosephum fuisse maioræ cuiusdam ætatis, & potentem ad generandum; hac enim ratione Christus putabatur filius Iosephi, & B. Virgo putabatur concepisse ex marito, & non ex adulterio, quod planè videntur sensisse Patres *suprà* citati, qui dixerunt conueniens fuisse B. Virginem contraxisse verum matrimonium, ne aliàs haberetur adultera, & hanc sententiam sequitur P. Vazquez *suprà*, & P. Suarez *sectione citata*, aliique recentiores, & mihi placet propter rationem factam. De materia huius disputationis legatur P. Christophorus de Castro nostræ Societatis *lib. de vita B. Mariæ.*

DVBIVM XI.

Qua de causa Iosephus dimittere voluerit Mariam prægnantem, Matthæi 1.

OCcasione eorum quæ de matrimonio Virginis diximus, aliqui Scholastici quærũt causam, ob quam Iosephus voluerit dimittere B. Virginem, vt refertur *cap.* 1. *Matthæi*, de quo fusè & ex instituto tractant Patres & interpretes Matthæi *in illum locum.*

Prima opinio est asserentium, Iosephum non ex praua suspicione, sed ex magna erga Virginem reuerentia, eam dimittere voluisse, eo quòd magnum Sacramentum in illa agnosceret, ita expresse Origenes *homilia* 1. in diuersos, & Bernardus *homil.* 2. *in Missus est.* Theophylact. *in illum locum Matthæi* 1. Basilius *sermone de humana Christi generatione*, Hieron. & Anselmus *in* 1. *cap. Matthæi.*

Alij Patres putant Iosephum in suspicionem, & dubium de re incidisse, & mysterium ignorasse. ita Iustinus *dialogo cum Tryphone.* Chrysostomus *homil.* 4. *in Matthæum*, Euthymius *in illum locum.* Augustinus *multis in locis, sermone* 18. *de tempore, &* 16. *de verbis Domini, & in Enchirid. c.* 37. *& epistola* 54. Ambrosius *libro de institutione virginum, cap.* 5. Rupert. *lib.* 1. *de gloria & honore filij hominis*, in illud Matth. 1. Autor *libri de Natiuitate B. Mariæ*, apud Hieronym. *tom.* 9. Gregor. *homil.* 26. *in Euangelia.*

Et probari potest ex illis verbis Angeli ad Iosephum, *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam*

A *coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ex quibus verbis planè videtur colligi Iosephum antea non cognouisse mysterium. Addunt aliqui viri docti & pij, Iosephum non peccasse in illo dubio, propter magnum fundamentum quod habuit dubitandi.

Quod autem dicitur Matth. 1. *Ioseph autem cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, solùm significat Iosephum dubium de crimine, vel occasione illius apud se statuisse illud non diuulgare.

Secunda igitur expositio Patrum suprà relata magis videtur consentanea textui Matthæi, quam sequuntur multi interpretes, & P. Vazquez *suprà*
B *cap.* 10. & P. Suarez *disp. citata, sect.* 2.

Deinde notandum est id quod docuit P. Vazquez *vbi proximè*, non esse admittendam expositionem Origenis in illud, *inuenta est de Spiritu sancto*, quasi inuenta fuerit à Iosepho curiosa inuestigatione & licentia maritali, quod etiam docuerũt Hieronymus, & Anselmus, & alij *in prædictum locum*, quod eredendum non est, propter insignem reuerentiam, quam erga Virginem habebat Iosephus, & ipsius Iosephi prudentiam. legatur P. Vazquez *suprà cap. citato, num.* 125. & noster Maldonatus *in eum locum Matthæi.*

Bene autem notant P. Vazquez & alij, verba illa, *Ioseph autem cùm esset iustus, & nollet eam traducere*, non
C significare, quòd noluerit eam traducere in domum suam, iam enim erat in domo sua, vt *suprà* ostendimus, sed noluisse manifestare defectum eius, hoc enim significat verbum *traducere*, quod etiam alij notarunt; & de significatione verbi *traducere* doctè Maldonatus & P. Vazquez tractant.

Iuxta doctrinam traditam, solui potest aliud dubiolum, nempe, an Iosephus fuerit comitatus beatam Virginem, quando iuit ad visitandam Elisabeth? Et probabilior est pars negans, quia si Ioseph simul cum Maria visitasset Elisabeth, audisset quæ Elisabeth dixit, appellans B. Virginem matrem Domini, & quæ respondit B. Virgo, ac proinde non posset postea Ioseph dubitare, vel prauam aliquam suspi-
D cionem pati de Beatissima Virgine, vt rectè ponderauit P. Vazquez *disp. citata, cap.* 9. *num.* 108.

Sed quæri potest, quomodo dicat Matthæus *Virginem inuentam habentem de Spiritu sancto*, videtur enim significare Euangelista Iosephum cognouisse beatam Virginem concepisse de Spiritu sancto. Sed hoc non est admittendum, quia si Ioseph cognouisset illud mysterium, non diceret Angelus illi, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*; hæc enim ratio Angeli manifestè supponit, Iosephum ignorasse Virginem concepisse ex Spiritu sancto, vt bene aduertunt P. Suarez, & P. Vazquez *locis suprà citatis*, & alij interpretes non pauci; illa ergo verba, *inuenta est*, so-
E lùm significant Iosephum videntem Virginis vterum tumescentem, agnouisse conceptum, qui reuera erat ab Spiritu sancto, quamuis Ioseph tone non cognosceret mysterium conceptionis per opera Spiritus sancti.

De materia huius disputationis legantur interpretes Euangeliorum *in cap.* 1. *Matthæi*, & ex recentioribus nostris, P. Maldonatus, P. Mariana, & P. Manuel Sà.

Restat dicendum de virginitate B. Mariæ, & de votis illius, de quibus dicemus *disp.* 20. 21. *&* 23.

***

DISPVTATIO XVIII. SCHOLASTICA.

DVBIVM I.

An sit probabilis opinio asserentium, lumen gloriæ non distingui ab specie impressa visionis qua Deus clarè videtur.



DE materia huius disputationis dixi *opusculo de lumine gloriæ, disp.* 1. habetur *tomo opusculorum Theologicorum*, & oportet referre nonnulla quæ recentiores dixere.

Aliqui dixerunt esse opinionem nouam, ita Ægidius *tomo de beatitudine, lib.* 9. *quæst.* 8. *articul.* 1. § 3. & alij recentiores; sed falluntur, quia ex antiquis Scholasticis, Vdalricus expresse sensit speciem impressam, & lumen gloriæ non distingui realiter, vt apertè refert Carthusianus 3. *d.* 14. *quæst.* 3. & eandem refert Richardus 4. *d.* 49. *art.* 3. *quæst.* 1. ab aliquibus traditam, qui disputantes hoc dubium dixerunt, *siue lumen gloriæ distinguatur ab specie impressa, siue non*, signum est fuisse controuersiam de hac re tempore Richardi, vel ante illum, & hunc locum vidit Ægidius, vt ipse testatur *loco citato.* §. 4. *num.* 21. vt retuli *opusculo citato, disp* 1. *dub* 9. & sententiam Vdalrici refert Salas 1. 2. *ad quæstionem* 3. *tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 3. *fol.* 349. *column.* 1. *num.* 52. §. *quintò aly.* Et hoc tempore multi viri docti secuti sunt sententiam P. Vazquez. ita P. Gaspar Hurtado *tomo de Incarnatione*, agens de scientia infusa Christi. P. Didacus de Alarcon 1. *part. ad quæstionem* 12. & ego fusè eam tradidi, & probaui *opusculo citato, dubio* 7. 8. *&* 9. & multi alij recentiores eam sequuti sunt doctiores multo, quàm recentiores nonnulli, qui audacter sua scripta typis mandarunt, paruam, vel nullam habentes autoritatem, qui non tam scriptores, quàm scribentes appellandi sunt, & P. Arrubal 1. *part. in quæst.* 12. *disp.* 16. *cap.* 3. dixit prædictam sententiam P. Vazquez secutos fuisse grauissimos recentiores, qui eam satis probabilem reddiderunt. Item non defuit qui diceret omnes Magistros Societatis impugnare sententiam P. Vazquez, sed fallitur, vt constabit ex dicendis.

Deinde prædictus Ægidius, & quidam alij recentiores, ausi sunt sunt dicere prædictam sententiã de identitate speciei impressæ cum lumine gloriæ esse improbabilem, in quo sine fundamento loquuntur, quia prædicta sententia efficacissimam habet rationem, qua vsus est P. Vazq. quam ego ex instituto explicui *opusc. citato, dub.* 7. *&* 8. impugnans quæ recentiores aliqui tradunt, ad soluẽdam rationem P. Vazquez, & his quæ ego dixi, non video satisfactum.

Item probabilitatem eius sententiæ satis confirmat autoritas eorum, qui illã sequuti sunt vt veram, & P. Arrubal, vt vidimus, dixit satis probabilem. Item fauent illi opinioni, qui putant in scientia infusa Christi supernaturali, non dari habitũ realiter distinctum ab ipsis speciebus, ita sensit P. Valẽtia, & Medina 3. *p. ad q.* 11. agentes de scientia supernaturali infusa Christi, quos retuli *opusculo citato*.

Item ad ostendendam probabilitatem prædictæ opinionis oportet aduertere, olim Romæ cùm ibi P. Vazquez doceret Theologiam, sæpe in publicis actionibus illam traditam, cum approbatione & applausu sapientissimorũ omnium, qui veram, vel probabilem illam iudicarunt; postea verò P. Vazq. compluti illã typis mandauit, & sæpe defendebat in publicis actionibus nostræ Societatis, & alij in actionibus Academiæ illam defendebant, eandémque in Conuẽtu clarissimæ religionis S. Augustini eiusdem Vniuersitatis acriter, & acute illam defendit sapientissimus Magister frater Ioannes Marquez, & doctissimus Magister frater Basilius Legionensis, Illustrissimi Salmanticensis Academiæ Magistri, & principalium cathedratũ Moderatores, possẽntque referri plures alij viri aliarum religionum, qui in eadẽ Academia eandem doctrinam docuerunt, & ego certò agnoui multos viros doctos, qui in Academia Complutensi, & Salmanticensi iuridicè interrogati responderunt opinionem de identitate luminis cum specie impressa Dei, nullam mereri censuram, & esse probabilem, & principium de concursu causarum subordinatarum, quòd cuilibet debeat respondere aliqua ratio in effectu, quo principio vtitur P. Vazq. 1. *part. loco cit.* ad probandam suam sententiam repetit, & defendit 1. 2. *tomo* 1. *disp.* 34. *cap.* 3. quem tomum ex commissione senatus Regij approbauit Sapientissimus Magister Curiel, & grauissimis verbis laudauit, habetur eius approbatio in prima editione; in altera verò editione est etiam approbatio sapientissimi Magistri Basilij Legionensis, & in eadem Academia eandem defendit sapientissimus Doctor Dominus Ioannes de Pereda, Scoti Regens, & perdoctissimus Doctor Melchior de Bolibar Vespertinę cathedræ Moderator, & eandem doctrinã approbauit ex commissione supremi Senatus Regalis Castellæ doctissimus frater Gabriel Goldaraz in Burgensi Augustinianorũ cœnobio, cui commissus est tomus primus in primam partem, vbi ad quæstionem 12. habetur prædicta sententia, & eandẽ ex eodem iussu supremi Senatus approbauit perdoctus P. frater Ioãnes de Estrada, lector Theologus in suo collegio Complutensi, cui commissus est tomus primus in 3. partem, vbi ad quæstionem 11. habetur eadem doctrina. legat qui voluerit insignes approbationes horum Magistrorum, quæ circumferuntur in prædictis tomis, etiam hoc tempore, tantum inualuit vt à multis communiter defendatur viriliter.

Probabilitas prædictæ sententiæ non parum confirmatur ex solutione multarum obiectionum, quas contra illam fecerunt aliqui quas referebam & soluebam *dicto opusculo de lumine gloriæ, dub.* 9. & etiam soluit multas Ægidius *lib.* 9. *de beatitudine, q.* 8. *art.* 1. §. 4. à verbis illis: Quarto loco hæc omnia attuli, vt ostenderem, nullum virum prudentem, & mediocriter doctum posse negare probabilem esse hoc tempore prædictam opinionem P. Vazquez.

DVBIVM II.

An ex Clementina ad nostrum, de hæreticis, possit sumi argumentum contra opinionem P. Vazquez de identitate luminis gloriæ cum specie impressa Dei.

IN hoc dubio aliqui existimarunt, ex *Clementina ad nostrum, de hæreticis*, posse sumi argumentum contra prædictam sententiam P. Vazquez, ita sensit P. Suarez 3. *part. ad quæst.* 11. *&* 1. *part. lib.* 2. *de attributis negatiuis, cap.* 14. *num.* 8. & citantur alij in materia *de beatitudine*; quia non est credendum Concilium voluisse definire dari speciem Dei, hoc enim non videtur deseruire instituto Concilij contra hæreticos: voluit ergo definire, dari aliquod principium distinctum ab specie impressa.

Alij tamen docent, ex Clementina nõ posse sumi argumen

argumentum contra opinionem P. Vazquez. ita ca-presse Ægidius *lib. 9. de beatitudine quæst. 8. art. 1. §. 4. num 45.* à verbis, *sicut etiam, & alij huius ætatis*, & ego idem docui *opusculo citato disp. citata dubio 9. obiectione 9.* & explicari potest, quia Concilium solùm contendebat contra hæreticos non sufficere ea naturæ viribus ad videndum Deum, sed necessarium esse aliquod principium supernaturale ad visionem Dei. An verò tale principium supernaturale distinguatur ab specie impressa, vel non, non pertinebat ad institutum Concilij, neque circa hoc fuerat aliquis error: debet autem Theologus perspectam habere intentionem Concilij definientis aliquid, & cognoscere quem errorem intendat damnare, alias decipietur sæpe Theologus, & in re graui vtetur leuissimis argumentis, quod poterit vergere in detrimentum ignorantium, existimantium propter illa argumenta aliquam opinionem esse improbabilem, quæ re vera probabilissima sit. Plura de sensu Clementinæ citatæ legantur *opusculo citato, disput. 1. de lumine gloriæ, dubio 1. 2. & 4.* Neque dicimus Concilium in citata Clementina, voluisse aliquid determinare circa speciem impressam Dei, an detur, vel non detur? an distinguatur, vel non distinguatur à lumine gloriæ? hæc enim disputatio purè Scholastica, & metaphysica est, sicut & quæstio, an distinguatur hæc species à lumine gloriæ, an non? & ita senserunt multi huius ætatis, qui licèt dixerint, sententiam Patris Vazquez esse falsam, manifestè tamen docuerunt non esse contra Clementinam citatam, & vehementer mirantur viros doctos, ex illa Clementina velle sumere argumentum contra opinionem P. Vazquez. Et ideo meritò P. Fr. Gabriel Goldaraz Augustinianæ familiæ doctissimus, in approbatione tomi primi P. Vazquez in primam partem, vbi continetur sententia illa de specie impressa, & lumine gloriæ, dixit, nihil in disputationibus illius primæ partis quod orthodoxæ fidei rectæve institutioni fideliũ repugnet, apparere, quod nõ diceret, si existimaret prędictam opinionem non esse consentaneam Clementinæ citatæ. Et P. Fr. Ioannes Estrada, in approbatione tomi primi tertię partis dicit, doctrinam quam illud opus mirificum continet, solidam esse, & veram, Catholicæ Ecclesiæ consentaneam, nullóque modo à recto Ecclesiæ tramite deuiantem, quod non diceret prædictus Pater, si iudicasset doctrinam de identitate luminis cum specie impressa non esse consentaneam doctrinæ citatæ Clementinæ: habetur autem ea doctrina in illo tomo *ad quæstionem 11. S. Thomæ.* Demus omnes quos suprà retulimus admittentes prædictam opinionem vt veram, vel saltem vt probabilem, planè sentiunt, non esse contra Clementinam relatam.

Dvbivm III.

An ex opinione P. Vazquez sequatur, intellectum tam potentem esse respectu cognitionis obiecti supernaturalis, sicut respectu cognitionis obiecti naturalis.

ALiqui viri satis docti refutant opinionem P. Vazquez de identitate luminis gloriæ cum specie impressa, eo quòd ex illa sequeretur, tam potentem esse intellectum respectu obiecti supernaturalis, quàm respectu obiecti naturalis, quod est planè absurdum, & nullus concedit. Sequela probatur, quia respectu obiecti naturalis, intellectus est potens posita specie, & ablata non est potens, quia, vt supponimus ex Philosophia, intellectus indiget specie im-

A pressa ad cognitionem obiecti: idem autem contingit respectu obiecti supernaturalis, quia secundum opinionem P. Vazquez posita specie impressa Dei potest intellectus cognoscere Deum absque alio lumine, & sine illa non potest.

Alij putant hoc argumentum non habere vim contra opinionem P. Vazquez, ita sentit Ægidius *lib. 9. de beatitudine quæst. 8. art. 1. §. 4.* à verbis, expenditur quarta ratio, *num. 24.* qui fusè hoc explicat in fauorem P. Vazquez, & ego iam olim *opusculo citato de lumine gloriæ disp. 1. dub. 9.* respondebam huic argumento. Pro cuius explicatione notandum est potentiam intellectiuam non esse proportionatam obiecto supernaturali, quia eius actiuitas naturalis
B est, nec potest ea propria virtute elicere supernaturalem actum, nisi adiuuetur ab aliquo principio supernaturali, à quo dicitur eleuari, quia efficitur potens ad actionem superioris ordinis, & tale principium non est debitum naturali potentiæ: at verò potentia naturalis intellectiua respectu obiecti naturalis est proportionata, & in eodem ordine cum illa, & licèt egeat specie ad naturalem cognitionem producendam, tamen non eleuatur ab specie, quia relinquitur in eodem ordine rerum.

Hæc autem doctrina communis est Theologorum, & ex illa soluitur prædictum argumentum, & est manifestum discrimen, quia potentia intellectiua respectu obiecti & cognitionis naturalis, ita est
C potens vt per speciem impressam non eleuetur; at verò per supernaturalem speciem, potentia naturalis eleuatur ad superiorem ordinem rerum, siue species supernaturalis distinguatur ab habitu supernaturali, siue non, & hoc modo debent soluere prædictam obiectionem, qui docent, in scientia infusa supernaturali Christi Domini, non distingui habitum ab speciebus. Contra quam opinionem etiam militat prædicta obiectio, si aliquam vim haberet, pro ea autem opinione citauimus suprà Valentiam, & Medinam *3. part. ad quæst. 11.*

Et explicatur ex aliquorum sententia qui putant speciem intelligibilem naturalem esse instrumentum potentiæ intellectiuæ, & tamen docent spe-
D ciem supernaturalem, siue distinguatur ab habitu supernaturali, siue non, esse causam principalem partialem, quia potius eleuat intellectum, quàm eleuetur ab illo.

Et licèt aliqui contendant assignare discrimen inter scientiam supernaturalem infusam ex vna parte, & visionem claram Dei ex alia; tamen quantum ad hoc de quo agimus, non potest assignari discrimen, quia ad actum vtriusque requiritur intellectus, & aliquod principium supernaturale eleuans intellectum, & ita secundùm opinionem asserentium possibilem esse speciem impressam supernaturalem repræsentantem Deum, sicuti est, illa eleuabit intellectum ad visionem, sicut supernaturalis
E species infusa, ad supernaturalem cognitionem, & actum scientiæ infusæ.

Prædictam autem doctrinam fusè explicuit suprà Ægidius, dicens, in opinione P. Vazquez speciem impressam Dei, quæ simul est lumen gloriæ, exercere munus speciei, quatenus determinat intellectum ad tale obiectum, & munus habitus, & luminis, quatenus eleuat & complet efficacitatem potentiæ, in ordine ad supernaturalem actum visionis: & tamen naturalis species solùm habet determinare intellectum ad peculiare obiectum, non tamen eleuate illum, complendo efficacitatem eius, quia respectu cognitionis naturalis ipse est satis proportionatus.

Citat deinde Ægidius aliquos recentiores asserentes, lumen gloriæ, & speciem impressam Dei sola ratione distingui, & ait, istos prædicto modo debere satisfacere argumento proposito. Ego autem non legi tales recentiores qui typis mandauerint scripta sua, licèt prædictam opinionem retulerim *opusculo de lumine gloriæ, disp.1. dub.9.*

Vnus est Lorca, qui 1.2, *quæst.5. art.1. disput.30. pagina 166. col.1. in principio*, licèt refutet opinionem P. Vazquez, si intelligatur, quòd lumen gloriæ, & species impressa Dei, sint idem re & ratione: si tamen dicantur esse idem secundùm rem, non tamen secundùm rationem, posse sine nota eam opinionem defendi, affirmat, quia vt species tenebit se ex parte obiecti, & vt lumen tenebit se ex parte potentiæ, & complebit efficacitatem illius, eleuando illam. Et certè, qui hunc sensum admittit, non potest impugnare efficaciter sententiam P. Vazquez, qui ea duo officia agnoscit in eadem realitate, ac proinde planè videtur admittere distinctionem aliquam rationis in eadem re, in ordine ad duo officia prædicta.

Oportet autem explicare, an sit possibilis vna qualitas, quæ simul sit species impressa diuinæ essentiæ, & lumen gloriæ, de quo *dubio sequenti*.

DVBIVM IV.

An sit possibilis aliqua qualitas, quæ simul sit species impressa diuinæ essentiæ, & lumen gloriæ.

DE hoc nihil inuenio ex instituto disputatum ab autoribus, referam tamen vnum, vel alterum verbum quod inuenire potui, & nonnulla, quæ cogitaui. In præsenti ergo difficultate, vna opinio potest esse eorum, qui putant speciem impressam Dei, non esse possibilem, isti enim consequenter dicent non esse possibilem talem qualitatem, quæ simul sit species, & lumen: sed modò ponimus veram esse contrariam opinionem, nempe possibilem esse talem speciem.

Deinde, qui putant lumen gloriæ esse potentiam vitalem, dicere poterunt, non esse possibilem prædictam qualitatem, quæ simul sit potentia vitalis, & species impressa, quæ secundùm se non est aliquid vitale, sed semper à potentia vitali distinguitur; sicut non videtur possibilis aliqua potentia intellectiua, quæ simul sit species, comparatione cognitionis & obiecti alicuius. Item probari potest non esse possibilem prædictam qualitatem, quia in acquisitis naturalis ordinis non videtur possibilis entitas, quæ simul sit habitus & species, species enim est necessaria simpliciter ad producendam cognitionem: habitus autem acquisitus solùm concurrit ad facilitatem. Item species est principium cognitionis, & tamen habitus acquisitus est effectus ipsius cognitionis, quæ duo eidem entitati respectu eiusdem cognitionis conuenire non possunt: ergo à simili, species supernaturalis, & habitus supernaturalis infusus, non poterunt esse eadem entitas, & realitas.

Vlteriùs, species impressa determinat potentiam circa obiectum, habitus autem infusus potiùs concurrit per modum potentiæ cum ipsa potentia vitali, quasi determinatus ab specie impressa: eidem autem realitati non videntur posse conuenire ratio determinantis, & determinatæ. P. Vazquez fortassis diceret talem qualitatem non distingui ab specie impressa, quam ipse modò concedit de facto, cui tribuit munera, quæ alij tribuunt speciei & lumini

A simul; sed dubium intelligitur supposita opinione distinguentium de facto speciem à lumine.

Non desunt tamen aliqui, qui videantur sentire possibilem esse prædictam qualitatem; ita indicat Lorca citatus *dubio præcedenti*, & videtur Ægidius *lib.9. de beatitud. quæst.7. art.1. §... n.27.* admittere illis verbis. Quid enim implicat quidam recentior *opere quatuor tractatuum in 1. part. S. Thomæ, tractatu 4. disp.42. cap.1. num.3.* cùm attigisset quæstionem hanc de possibilitate, solùm dixit, quidquid sit de possibilitate in ordine ad potentiam absolutam, solùm assero speciem & lumen distingui realiter. Noluit ergo definire quæstionem de potentia absoluta.

Ponendum autem est secundùm opinionem valB de probabilem, possibilem esse speciem impressam, qua Deus possit clarè videri, de quo dixi *opusculo de specie impressa Dei*, & ita ex hac parte non repugnabit id quod vocatur in quæstionem.

Deinde etiam ponendum est, falsum esse id quod aliqui dixerunt, lumen gloriæ esse potentiam vitalem, quos refutaui *opusculo de lumine gloriæ*, ac proinde ex prædicto capite non assignabitur ratio, ob quam possimus dicere, implicare qualitatem supernaturalem, quæ simul faciat officium speciei, & luminis.

Deinde, absolutè loquendo, non video rationem ad dicendum, prædictam qualitatem implicare, quia munus speciei, & habitus supernaturalis non videC tur inuoluere aliquam repugnantiam, quia & species & habitus supernaturalis pertinent ad genus causæ efficientis. Deinde species & lumen gloriæ tenent se ex parte principij visionis, & tam lumen, quàm species est aliquid prius visione, neque à visione causatur in genere causæ efficientis, vel materialis. Item vtrunque principium est supernaturale, & vtrunque ordinatur ad concurrendum cum intellectu; ergo nihil apparet propter quod dicamus, rationem speciei, & luminis gloriæ, non posse conuenire eidem realitati, ita vt sit vna qualitas, quæ virtute contineat efficacitatem speciei, & luminis. Et licèt de facto istæ duæ rationes constituant diuersas realitates, tamen non videtur implicatio,

D quòd virtute contineantur in aliqua qualitate superioris naturæ.

Et explicari potest, quia licèt anima vegetatiua, & sensitiua, in diuersis distinguantur realiter; tamen non implicat, illas contineri virtute in anima rationali: ergo à simili non implicabit de potentia absoluta supernaturalis aliqua qualitas, quæ possit efficere munus speciei impressæ, & habitus luminis gloriæ, licèt de facto sint duæ qualitates distinguantur.

Vlteriùs licèt de facto species, & habitus ita se habeant vt species determinet habitum physicè, hoc tamen non est necessarium, vt fiat in eadem qualitate, quasi habeat partes physicè diuersas, sed

E sufficit, qualitatem esse talis naturæ, vt & teneat se ex parte obiecti, & eleuet potentiam intellectiuam ad visionem, in quo secundùm rationem intelligimus vnum prius alio in ordine ad producendam visionem Dei.

Et ex his potest intelligi discrimen inter speciem, & habitum acquisitum ex vna parte, & speciem impressam, & habitum luminis gloriæ ex alia, quia, vt diximus, tam species impressa, quàm habitus luminis, est principium cognitionis, quantum ad substantiam, & prius ipsa visione, neque ab illa pendet in genere causæ efficientis, vel materialis. At verò licèt species acquisita, vel infusa naturalis ordinis, qualis est in Angelis, sit prior ipsa cognitione,

tione, & principiom illius simpliciter quoad substantiam; tamen habitos acquisitus, secundùm communem legem, producitnr ab actibus, quamuis possit etiam à solo Deo pruduci, neque appareat implicatio contradictionis, ob qoam in naturalibus ooo possit esse idem principium, gerens munus speciet, & habitus.

Illud est peculiare aduertendum, circa habitum luminis gloriæ, quod uotabam aliquando, nempe, quòd licèt in habitibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis sit probabilis opinio multorum, quòd primus actus harum virtutum disponat ad infusionem habitus, tamen hahitus luminis glotiæ semper est prior ipsa visione Del, neque illam requirit vt dispositionem priorem, sed ipse habitus luminia gloriæ, est principium efficieos ipsius visionis, & ptius illa. & ipsa visio ex natuta sua perpetua est, & supponit suum principium, nempe habitum luminis glotiæ.

Concludamus ergo, oobis non apparere rationem aliquam, propter quam dicamus, prædictam qualitatem supernaturalem implicare contradictionem, solutæque iam sunt rationes dubitandi. Non est autem uegandum diuinæ omnipotentiæ aliquid, quando non apparet implicatlo contradictionis.

DVBIVM V.

Quomodo sit philosophandum de prædicta qualitate, quam diximus esse possibilem.

BReultet attingemus nonnulla, quæ de prædicta qualitate dici possunt.

Vnum est esse supernaturalem quantum ad substantiam, sicut de lumine gloriæ docent autores, quod ex principiis generalibus de accidenti supernaturali eaplicaudum est.

Deinde dicendum est prædictam qualitatem esse insensibilem, sicut de lumine glotiæ de facto docent Theologi. Vnde & habebit partes graduales intensionis, ac proinde compositionem earum, nullam verò aliam compositiouem habebit, vt coustat.

Dubium aotem esse potest, ad quam speciem qualitatis pertineat talis qualitas. In quo dubio possunt esse opiniones diuersæ, sicut in simili controuersia de lumine gloriæ, quas retuli *opusculo de lumine gloria, disput.* 1. *dub.* 7. *in fine.*

De hac qualitate alia possunt dubitari, quæ tractaui *de lumine gloria, opusculo citato*, quæ placet indicare. Primum est, an talis qualitas esset tota ratio agendi, per quam intellectus produceret visionem? & philosophandum iuata dicta de lumine gloriæ *opusculo citato disp.* 1. *dub.* 1. Secundum est, an talia qualitas, futura esset potentia vitalis? & theologizandum est, sicut in simili de lumine gloriæ *disp. citata dub.* 4. Tertiò inquiri potest, an talis qualitas sit incorrupribilis ex natura sua? quod dobium solui potest, sicut simile de lumine gloriæ, *disp. citata dub.* 5. Quartò potest esse difficultas, an talis qualitas sit vna specie infima, de quo legantur quæ diximua *disp. citata dub.* 6. Quintò potest esse quæstio, an prædicta qualitas habeat sub se plures qualitates numero differenres, non solùm secundùm intensionem, sed etiam secundùm eatensionem? & legi possunt quæ tradidimus *disp. citata. dub. vltimo.* Alia possunt inquiri de prædicta qualitate, quæ tractauimus *de lumine gloria opusculo citato disput.* 1. *dub.* 3. 4. 5. 6. 8. & 10. & de possibili possunt etiam tractari ea de quibus egimus *disp.* 1. *citata dub.* 11. 12. 13. Deinde de prædicta qualitate possunt inquiri ea de quibus egimus *opusculo citato disp.* 3. *dubio* 1. 2. 3.

Tandem certum videtur prædictam qualitatem distinctam esse secundùm essentiam, à qualitate, quæ solùm sit species impressa Dei, & à qualitate quæ solùm sit lumen gloriæ. nam talis qualitas, vt diaimus, virtutem contineret efficiendi munus speciei, & munus luminis gloriæ: sufficiat autem indicasse prædicta duhia, in quibus vnusquisque poterit philosophari luata sua principia, sicut in similibus de lumine glotiæ.

Solùm restat eaplicandum, in quo distingueretur ista qualitas ab specie impressa Dei, quam de facto constituit P. Vazquez ad producendam visionem.

Et primò facilè intelligitur, quomodo prædicta qualitas distinguatur à lomine gloriæ secundùm opinionem eorum, qui putant, lumen gloriæ esse habitum supernaturalem distinctom realiter ab specie impressa, siue admittam possibilem speciem impressam, siue non. Et eodem modo facilè intelligitor, talem qualitatem distingui ab specie impressa Dei, secundùm opinionem eorum, qui putant possibilem esse talem speciem, distingui tamen realiter ab habitu luminis gloriæ.

Illud superest explicandum, an secundùm doctrinam P. Vazquez possibilis sit respectu visionis Dei species impressa distincta realiter ab habito supernaturali, & infuso, qui possit esse principium visionis beatificæ. Potest enim aliquis dicere vtrunque principium esse possibile, licèt P. Vazquca dicat, vtrunque simul non posse concurrere ad eandem visionem, quia vnum esset superfluum.

Ea altera verò parte posset aliquis eaistimare, qnòd si ratio P. Vaaquez probat, de facto speciem impressam, & lumen non concurrunt ad diuersas rationes in effectu, ac proinde non distinguuntur, probat etiam, de possibili non posse distingui, quia ex modo concurrendi ad eamdem rationem in visione, & in eodem genere causæ efficientis, videtur colligi eadem natura in vtroque principio.

Sed quidquid sit de mente P. Vazquez, notandum est duobus modis posse constitui habitum aliquem supernaturalem distinctum ab specie supernaturali, vno modo ita vt habitus non respiciat aliud obiectum, quàm obiectum quod respicit species. Alio modo, ita vt habitos plura obiecta respiciat secundùm rationem communem supernaturalis; species verò ita vt respiciat peculiate aliquod obiectum, secundùm specificam rationem. Priori modo non videtur, secundùm opinionem P. Vaaq. per principia illius distingui habitum ab specie, & ideo, vt *infrà* referemus, P. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 19. *sect.* 4. distinait in scientia infusa lumen ab speciebus, dicens illud lumen esse idem omnino cum lumine gloriæ, & ita lumen gloriæ distingui ab specie impressa Dei, quia lumen gloriæ respicit omnia obiecta supernaturalia, secundùm communem rationem supernaturalis; species verò secundùm determinatam rationem talis obiecti.

Et quidquid sit, an habitus scientiæ infusæ sit idem cum lumine glorlæ, de quo diai 3. *p. ad quæst.* 11. & dicam *infrà.*

Mihi videtur, non implicare contradictionem dari habitum supernaturalem, distinctum ab specie impressa, modo dicto, nempe, vt species respiciat determinatum obiectum, habitus verò respiciat plura obiecta secondùm communem rationem, quia habitus eatendi solet ad plura quàm species, vt com communi sententia bene docuit Richardus *in* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 4. Et explicari potest, quia habitus

supetna

supernaturalis habet se instar potentiæ cuiuidam: potentia autem communiter ad plura obiecta se extendit quàm species. Et in hoc sensu dici potest talis habitus habere se ex parte potentiæ, quia eget adhuc determinatione per speciem. Et ampliùs explicari potest, quia si daretur potentia intellectiua supernaturalis, adhuc indigeret determinatione per species. Et declarari ampliùs potest, quia secundùm communem doctrinam, quam tradidi 2. *de anima*, potentia intellectiua, & anima concurrunt ad vitalitatem intellectionis, ita vt anima concurrat ad communem rationem vitæ cum hac, vel cum illa potentia; potentia verò ad specificam rationem talis actus. Simili ergo modo potest quis dicere, habitum supernaturalem concurrere ad communem rationem supernaturalitatis, & per hanc, vel illam speciem determinari ad hoc, vel illud obiectum, & in hoc non apparet implicatio contradictionis.

Sed notandum est, modum distinguendi habitum ab specie impressa, in supernaturalibus non habere locum, secundùm communem doctrinam aliquorum Scholasticorum, qui constituunt lumen gloriæ tanquam habitum qui versatur circa solum Deum, contra quos magnam habet efficacitatem, ratio qua vsus est P. Vazquez ad probandum, lumen gloriæ non posse distingui ab specie supernaturali impressa Dei; illa tamen efficacitas aliquo modo eneruaretur, si vera esset sententia P. Suarez suprà relata de identitate luminis gloriæ, cum habitu supernaturali scientiæ infusæ; quæ tamen mihi non videtur vera de facto, licèt de possibili verum existimem quod dixi de distinctione possibili speciei & habitus supernaturalis.

Sed potest obiici contra nostram doctrinam, si possibilis est prædicta distinctio speciei, & habitus supernaturalis, secundo illo modo suprà explicato: ergo sine causa opusculo de lumine gloriæ *disput.* 1. *dub.* 9. diximus speciem impressam Dei, & habitum luminis gloriæ, non distingui realiter.

Respondeo, nos ibi loqui, supposita communi opinione Theologorum, qui habitum luminis gloriæ constituunt, circa Deum ipsum clarè visum, quo posito mihi placuit ratiocinatio P. Vazquez. Deinde mihi non placet de facto esse eundem habitum realiter luminis gloriæ, & scientiæ infusæ, de quo *infrà*.

Sed potest aliquis obiicere contra prædictum modum distinguendi speciem & habitum de possibili, quòd de potentia absoluta non videtur impossibilis vna qualitas, quæ repræsentet omnia obiecta supernaturalia secundùm specificas rationes, & illa posita, non videtur possibilis habitus distinctus distinctione suprà explicata. Sed respondere possumus, valde esse dubium, an sit possibilis talis qualitas. Item, ex eo quòd illa sit possibilis, non videtur sequi esse impossibilem aliam qualitatem, quæ solùm habeteret vim attingendi obiecta supernaturalia in genere causæ efficientis solùm secundùm rationem communem supernaturalis, quæ posset sigillatim concurrere cum vna, vel altera specie repræsentante vnum, vel alterum obiectum determinatè tantùm.

Dubium VI.

An lumen gloriæ distinguatur realiter à lumine scientiæ infusæ Christi.

De obiecto, actu, & speciebus scientiæ infusæ Christi disputant interpretes S. Thomæ 3. *part.*

A *ad quæst.* 11. vbi S. Thom de hac scientia agit. Nos autem in præsenti aliquid dicemus de habitu huius scientiæ. Et præcipua difficultas est quam proposuimus, & possunt esse diuersi modi philosophandi, secundùm diuersas opiniones autorum.

Et primò qui putant lumen gloriæ, quod datur de facto non distingui ab specie impressa qua Deus clarè videtur, & habitum scientiæ infusæ non distingui ab speciebus infusis, facile dicent in dubio proposito habitum luminis gloriæ, & habitum scientiæ infusæ, distingui realiter, quia species impressa Dei, & species obiectorum supernaturalium realiter distinguuntur.

B Item qui putant habitum luminis gloriæ distingui realiter ab specie impressa Dei, & in scientia infusa non esse habitum distinctum ab speciebus, consequenter debent dicere habitum luminis gloriæ distingui realiter ab speciebus scientiæ infusæ: controuersia ergo manet secundùm opinionem asserentium habitum luminis gloriæ distingui realiter ab specie Dei, & habitum scientiæ infusæ distingui realiter ab speciebus huius scientiæ, an isti sint duo actus, vel vnus tantùm.

Et sanè qui censent, scientiam infusam Christi non fuisse infusam per se, sed solùm per accidens, dicent, habitum luminis gloriæ non esse habitum scientiæ infusæ per accidens, quia talis scientia est naturalis, & ex natura sua acquisita, & ita habitus

C illi proportionatus, erit naturalis & acquisitus natura sua.

Præterea communis sensus Theologorum, qui putant scientiam infusam Christi esse scientiam infusam per se, & habere habitum distinctum ab speciebus, etiam censent talem habitum distingui ab habitu, qui est lumen gloriæ, ita frequenter Thomistæ ad illam quæstionem, cuius aliquam rationem infrà assignabimus, & potest probari ex diuersitate obiectorum, & actuum.

Aliam opinionem adducit P. Suarez *tomo* 1. *in* 3. *part. disp.* 29. *sect.* 4. Est autem modus iste, habitum luminis gloriæ, & habitum scientiæ infusæ, non distingui realiter inter se, licèt distinguatur realiter

D ab speciebus. Et probat P. Suarez, quia lumen gloriæ sufficiens principium est per modum habitus, ad cognoscenda obiecta supernaturalia creata scientiæ infusæ, & explicat, quia lumen gloriæ absque alio lumine superaddito, potest esse principium cognitionis qua cognoscatur ipsum lumen gloriæ; ergo & alia obiecta supernaturalia eiusdem ordinis. Secundò idem explicat, quia lumen intellectus Angelici sufficiens principium est ad cognitionem sui ac obiectorum eiusdem ordinis, & idem explicat ex eo quòd intellectus Angeli cognoscit essentiam à qua oritur sine specie, & alias res eiusdem ordinis per species.

Et explicari potest, quia lumen gloriæ potest cau-

E sare cognitionem diuinæ essentiæ; ergo & rerum creatarum supernaturalium, quæ sunt participationes illius. Hunc modum dicendi dicit P. Suarez *loco citato*, in prima editione, in fine eiusdem sectionis, videri sibi valde probabilem, & verisimilem, propter discursum factum, qui non potest, inquit, facilè solui, cùm tamen in contrarium neque autoritas aliqua occurrat, neque ratio, quæ probabilem ingerat difficultatem. Addit se nolle hac ratione omnino definire, quia est noua. In tertia verò editione in fine eiusdem sectionis aliqua verba abstulit, & addidit modum quo satisfaciendum sit argumentis factis pro hac sententia secunda; nullum verò autorem refert pro secundo isto modo dicendi.

Contraria

Contraria tamen ſententia videtur communis Theologorum. nam licèt ante hæc tempora rem non vocauerint in quæſtionem, tamen planè videntur ſentire lumen gloriæ, eſſe habitum diſtinctum à lumine ſcientiæ infuſæ, vt ſuprà indicaui, Caietanus *3. part. ad quæſt.* 11. Vincentius de gratia Chriſti *q.* 5. *art.* 3. *pag.* 107. §. *caterùm*, & colligitur apertè ex Medina *art.* 5. *&* 6.

Meritò ergo P. Suarez *ſuprà* fatetur hanc eſſe communem ſententiam, & eam videri ſupponere omnes Theologos, quam ego iam olim ante multos annos tradidi, confirmaui & ſatisfeci argumentis, quæ facta ſunt pro contraria opinione. Et poſtea inuenio ſententiam illam de identitate luminis gloriæ, & ſcientiæ infuſæ refutatam ab Ægidio *libro* 9. *de beatitudine quæſt.* 2. *art.* 3. §. 5. *à num.* 29. vbi citat pro hac communi ſententia Theologorum P. Vazquez *3. part. diſp.* 54. *cap.* 1. *num.* 4. latè Cabrera *3. p. tom.* 1. *ad quæſt.* 11. *in art.* 6. *diſp.* 5. & idem P. Vazquez, quem ego retuli iam olim 1. *p. diſp.* 50. *cap.* 7. aliud tractans docuit, non poſſe eſſe lumen gloriæ deſeruire ad videndum Deum & creaturas, niſi creaturæ cognoſcantur ex vi viſionis Dei, vel ponatur diuerſa lumina ſecundùm ſpeciem, alterum ad videndum Deum, alterum ad videndas creaturas in proprio genere.

Pro explicatione eius communis ſententiæ, notandum eſt, quòd modus cognoſcendi res ex vi eſſentiæ diuinæ (ſi poſſibilis eſt, vt multi putant) & modus cognoſcendi res in proprio genere, primariè vt ſunt in ſe, ſunt valde diuerſi, & qui videntur inferre efficaciter duas ſcientias diuerſas, quod oſtendo primò, quia ſi loquamur de ſcientia infuſa naturali & naturalium obiectorum, diuerſa eſt à lumine gloriæ, quia etiamſi naturalia obiecta poſſint cognoſci ex vi eſſentiæ diuinæ, tamen cùm cognoſcuntur vt in ſe ſunt, non ex vi alterius obiecti primarij, conſtituunt peculiarem ſcientiam, neque per ſe requirunt principium aliquod ſupernaturale.

Deinde, ſi loquamur de cognitione rerum ſupernaturalium, quando cognoſcuntur in proprio genere, & non ex vi alterius obiecti, etiam eſt valde diuerſus modus, ab illo quo cognoſcantur ex vi eſſentiæ diuinæ. Quod ampliùs explicari poteſt, quia in ſcientiis, & habitibus naturalis ordinis diſtinctio ſumitur ex modo attingendi obiecta, ſecundùm certam philoſophiam: lumen autem gloriæ non tendit in obiecta creata, niſi quatenus primariè reſpicit eſſentiam diuinam: lumen autem ſcientiæ infuſæ immediatè tendit in obiecta creata ſupernaturalia, vt ſunt in ſe; ergo diſtinguũtur prædicta lumina, vt bene explicuit ſuprà Ægidius; & hoc eſt verum, etiamſi lumen gloriæ diſtinguatur ab ſpecie impreſſa Dei, & lumen ſcientiæ infuſæ ab ſpeciebus infuſis, in hoc enim ſenſu tractauit hoc lumen P. Suarez. Et ego olim alio argumento vtebar contra eum nouum modum philoſophandi, nempe, quia ſcientia infuſa aliquarum rerum ſupernaturalium communicari poteſt puro viatori permanenter, & tamen lumen gloriæ non communicatur permanenter puro viatori, vt ſuppono ex communi ſenſu Doctorum in materia *de viſione*.

Et ipſe P. Suarez *tomo* 2. *in* 3. *part. diſput.* 19. putat fuiſſe in Virgine ſcientiam infuſam ſupernaturalem permanenter, & tamen ſi ipſe admitteret prædictum modum philoſophandi, deberet concedere lumen gloriæ permanenter in Virgine, quod nullus hactenus dixit, vel in B. Virgine ſolùm fuiſſe ſpecies infuſas, non tamen habitum ab illis diſtinctum, quem ipſe admittit.

Et ex doctrina tradita ſolui poſſunt quæ pro nono
A illo modo philoſophandi attulit P. Suarez; dicendum enim eſt, quòd licet demus, (de quo modò non diſputo) lumen gloriæ eſſe principium cognitionis rerum ſupernaturalium, hoc ſolum eſt ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, qui eſt valde diuerſus modus à modo cognoſcendi res in proprio genere. Ex quo conſtat reſponſio ad ea quæ attulimus pro modo philoſophandi Suarez. Et circa hoc legi poteſt Ægidius *lib.* 9. *de beatitudine, quæſt.* 2. *art.* 3. §. 5. *à num.* 36.

Notandum autem eſt, Medinam & quoſdam alios *ad quæſt.* 19. indicare ſcientiam infuſam oriri à ſcientia beata, in quo non ſignificant lumen gloriæ eſſe habitum vtriuſque ſcientiæ, ſed ſolùm in Beatis ſcientiam infuſam ſupponere beatam.

B

Dvbivm VII.

An ſit probabilis opinio aſſerentium, in ſcientia infuſa Chriſti, non dari habitum diſtinctum ab ſpeciebus.

NOn diſputamus modò, an ſit, vel non ſit talis habitus, de quo ſunt contrariæ opiniones, & de hac controuerſia diximus *ad* 3. *part. ad quæſt.* 11. ſolùm intendimus explicare, an opinio aſſerentium in ſcientia infuſa Chriſti non dari habitum dictum ab ſpeciebus infuſis, ſit probabilis.

Et aliqui recentiores audacter, & non ſine aliqua
C temeritate dixerunt, non eſſe probabilem, & quidam frater Ægidius *lib.* 9. *de beatitudine q.* 11. *art.* 3. §. 1. *num.* 8. dixit, eam ſententiam eſſe ſingularem & nouam, & veluti paradoxa.

Meritò autem viri docti, & pij atque modeſti mirantur huius fratris largam licentiam, & negare non poſſumus eam eſſe probabilem, quam tradidit P. Vazquez *3. part. ad quæſt.* 11. & 1. *part. diſp.* 43. *cap.* 5. tradit illam, vt veram, & Medina *3. part. ad quæſt.* 11. *in art.* 5. putat probabilem, & eam videtur amplecti *art.* 6. & *in dicto art.* 5. refert ſic ſenſiſſe viros doctos; & P. Suarez 1. *tomo in* 3. *part. diſp.* 29. *ſect.* 1. fatetur eſſe aliquorum Thomiſtarum, & eam ſequitur P. Valent. *in* 3. *part. quæſt.* 11. *puncto* 1. & putat eſſe conſenta-
D neam doctrinæ S. Thomæ *art.* 6. *ad* 3. & multi viri docti hoc tempore illam iudicarunt probabilem, præſertim qui tomum primum primæ partis, & tomum primum tertiæ partis approbarunt, & in publicis diſputationibus defenderunt, quos retuli *dubio* 1. & modò frequenter defendunt in Academiis, ex quibus conſtat prædictam opinionem non eſſe ſingularem: ex fundamentis autem quibus illam probat P. Valentia, & P. Vazquez, & ex ſolutione obiectionum in contrarium, ſatis oſtenditur eius probabilitas, & cùm ſit valde conſentanea rationi, ſine cauſa ille frater dixit eſſe paradoxa, ſed nolo ego dicere quæ ille meretur audire, ſed quæ me decent effari.

E Nonnulla verò quæ ſolent obiici contra veritatem prædictæ opinionis, non impugnant eius probabilitatem, ex doctrina P. Vazquez 3. *part. loco citato*, facilè poſſunt ſolui, quod præſtandum eſt 3. *part. ad quæſt.* 11. & ex eorum ſolutione ampliùs intelligitur probabilitas illius ſententiæ. An verò ſecundùm ſententiam aſſerentium, in ſcientia infuſa dari habitum diſtinctum ab ſpeciebus, ſit conſtituendus vnus habitus, vel plures, explicabimus *dubio ſequenti*.

* * *

Dubium VIII. A

An in scientia infusa Christi sint plures habitus distincti ab speciebus infusis.

IN hoc dubio prima opinio est asserentium, in scientia Infusa Christi præter species infusas dari habitus duos, & alterum appellant lumen, alterum scientiæ, & dicunt lumen esse necessarium ad illuminandas species, & obiecta earum; scientiam verò, ad ferendum iudicium de connexione obiectorum. Ita philosophatur quidam Ægidius *lib. 9. de lumine gloriæ quæst. 5. art. 3. §. 6. à num. 53.*

Alij verò videntur constituere plures habitus, eo quòd existimare videntur eam scientiam esse per B accidens infusam, & natura sua acquisitam, & ita assignant plures habitus acquisitos distinctos ab speciebus.

Tertia sententia est asserentium præter species infusas solùm esse constituendum vnum habitum. ita *3. part. tomo 1. disp. 19. sect. 3.* & citatur Marsilius *3. quæst. 10. art. 5. part. 4.* sed hic autor non loquitur claré pro hac sententia, eam tamen tradit Richardus *3. dist. 14. art. 3. quæst. 4.* & Petrus Bermogensis in concordantiis locorum S.Thomæ *dub. 1516.*

Ponendum est, hoc dubium tractari supposita opinione eorum qui putant, in scientia infusa præter species ponendum esse aliquem habitum. Et dicendum est sufficere vnum habitum, quia ille suffi- C cit ad actiuitatem ex parte potentiæ (si species infusæ non sufficiunt:) species autem infusæ sufficient ad actiuitatem ex parte obiecti, & quidquid aliud dicatur necessarium, dicitur sine fundamento. Et explicari potest, quia in fide diuina, præter species obiectorum solùm ponitur vnus habitus, ex communi sensu Theologorum.

Neque audiendus est Ægidius, *suprà num. 56. & art. 6. num. 4.* quòd nullam habet probabilitatem, neque argumentum alicuius momenti.

Vlteriùs potest confirmari, quia in scientia beata, præter speciem, vel concursum obiecti, nullus posuit alium habitum distinctum ab habitu luminis gloriæ, nec potest assignari discrimen ex eo quòd D lumen gloriæ sit excellentius; quia lumen scientiæ infusæ, seu habitus satis est proportionatus suis obiectis, neque sunt multiplicandæ causæ alicuius effectus, sine manifesta ratione necessitatis, & duo illa officia illuminandi obiecta, & concurrendi ad iudicium, sufficienter reducuntur in vnum habitum, præsertim cùm cognitio sciétiæ infusæ, sit obiectio vt est in se, producta ab specie sine vlla cópositione.

Deinde in hoc dubio pónimos scientiam infusam Christi supernaturalem, esse per se infusam, & nullo modo acquisitam, & ideo quod dicebatur de habitibus acquisitis, non est admittendum, neque contra ea quæ diximos, video obiectionem alicuius momenti. E

Hic poterat disputari, an in Adamo præter species infusas fuerit aliquod lumen, vel habitus. Et sciendum est, Adamum habuisse scientiam per accidens infusam, vt docuit S.Thomas *1. part. quæst. 94. art. 3. ad 3. & ibi* interpretes, & hæc scientia non requirebat habitum per se infusum. An verò Adamus habuerit aliquam scientiam per se infusam aliquarum rerum supernaturalium, disputandum est ad quæstionem citatam D. Thomæ. Et hoc loco solùm est dicendum quòd si habuit aliquam scientiam per se infusam, vnusquisque debet de illa philosophari secundùm sua principia. legatur Ægidius *suprà art. 4. num. 2.*

Dubium IX.

Quomodo sit philosophandum de scientia per se infusa naturali.

TErtia parte *ad quæstionem 11.* diximus, in Christo fuisse scientiam per se infusam naturalem distinctam à supernaturali. Et posuimus hoc loco, species huius scientiæ fuisse per se infusas, sicut in opinione D. Thomæ constituuntur in Angelis, & multa quæ de illis poterant disputari, sumenda sunt ex his quæ tradidimus in materia *de Angelis*, quæ iam est typis mandata, cùm materia *de Trinitate.*

Solùm posset esse difficultas, an in hac scientia detur aliquis habitus distinctus ab speciebus. Et ponendum est, non esse aliquem habitum acquisitum, vt probabam in materia *de Angelis*, testat dicendum de habitu per se infuso.

Hactenus non legeram qui in hac scientia per se infusa naturali, posuerit habitum per se infusum, distinctum ab speciebus, siue in Angelis, siue in anima Christi. Sed iam inuenio quemdam fratrem Ægidium, qui *lib. 9. de beatitudine quæst. 2. art. 5. à num. 5.* existimauit, supposita opinione asserentium, esse scientiam infusam naturalem, concedendum esse lumen distinctum ab speciebus, & quamuis *loco citato* loquatur de scientia, per se tamen *num. 4. versiculo quamuis*, etiam loquitur de scientia infusa animæ Christi & Angelis, de quibus loquutus fuerat *lib. 9. de beatitudine quæst. 2. art. 5. §. 5. & art. 3.* & videtur loqui non solùm de scientia per se infusa supernaturali, sed etiam de naturali. Et de supernaturali nonnulla diximus *suprà*, & plura *3 part. ad quæst. 11.* Vbi etiam dixi in Christo fuisse scientiam per se infusam naturalem, & breuiter hic adiiciam nonnulla.

Vnum est, talem scientiam includere species per se infusas naturales circa obiecta naturalia, quales S.Thomas & discipuli constituunt in Angelis, vt in principio dubij indicabam, & prædictæ species naturales sunt, & essentialiter distinctæ ab speciebus acquisitis, & alia de his speciebus attingebam *3. p. ad quæst. 11.* & fusiùs in materia *de Angelis*, variis in locis.

In præsenti autem præcipuè explicandum est, an hæc scientia præter species habeat aliquem habitum distinctum ab speciebus per se infusum.

Et quidem Ægidius *locis citatis*, non obscurè videtur indicare etiam in hac scientia esse aliquod lumen distinctum ab speciebus, quia affirmat quòd secundùm opinionem asserentium in Angelis esse intellectum agentem, sufficiet assignare lumen intellectus agentis; ergo planè significat se etiam loqui de scientia naturali, & quia vniuersaliter potat in tali scientia dari habitum distinctum ab speciebus, imò & distinctum ab habitu scientiæ iuxta sua principia.

Contrariam tamen sententiam sequitur P. Suarez *tomo 1. in 3. part. disp. 59. sect. 5. in fine*, & P. Vazq. *1. p. disp. 199. cap. 5.* & ego docui iam olim. Et primò quod Ægidius dixit de habitu scientiæ distincto ab speciebus, nullam habet probabilitatem, neque argumentum probabile.

Secundò existimo non dari habitum per se infusum naturalem, distinctum ab speciebus per se infusis, & ratio videtur manifesta, quia circa naturale obiectum satis proportionatum principium in ratione potentiæ est, ipsa potentia intellectiua Angeli, quod nullus negare potest; ergo supposita specie infusa per se ex parte obiecti, nullum aliud

principium

principium erit necessarium, quia bis duobus principiis sufficienter respondent omnes rationes quæ sunt in effectu, nempe vitalis intellectio talis obiecti, neque oppositum potest aliqua ratione efficaci probari. Hoc ergo modo philosophandū est de scientia infusa naturali animæ Christi, & de scientia infusa naturali Angelorum, & ex eisdem principiis potest solui breue dubium de scientia animæ separatæ.

Difficultas enim est an in animabus separatis sit aliqua scientia infusa. Prima opinio est Scoti 4. d. 45. *quæst. 2. §. contra istam positionem*, & eius discipuli.

Secunda opinio est S. Thomæ *de veritate, quæst. 19. art. 1. & in 4. d. 50. quæst. 1. art. 1. & in quæstionibus de anima, quæst. 15. ad finem, & 1. part. quæst. 89. art. 1. ad 2. & artic. 3. in principio.* sequuntur Thomistæ, & latè B Capreolus 4. d. 50. *quæst. 1. artic. 1.* Caietan. 1. *part. quæst. 89. art. 3. in principio*, & esse simpliciter veram dicit Valentia *tom. 1. disp. 6. quæst. 7. punct. 4. §. quoad secundum, pagina* 1183. & Conimbricenses nostri *in tractatu de anima separata, disp. 3. art. 5. assertione prima*, probabiliorem putant; & ego vt veram tradidi olim *in Metaphysica, disputatione de anima separata*, & hoc consentaneum dicitur doctrinæ D. Thomæ de speciebus infusis Angelo, & hanc opinionem sequitur Ægidius *lib. 9. de beatitudine, quæst. 2. art. 5.* in quo recipimus illum; sed non est audiendus, dum putat præter species per se infusas requiri lumen distinctum ab speciebus, & habitum distinctum ab speciebus & lumine, quod dicitur sine probabili fundamento.

Dubium X.

An in viatoribus hominibus & Angelis, præter habitum fidei infusum detur aliquod lumen realiter distinctum.

Ponendum est vt certum in viatoribus fidelibus esse habitum fidei supernaturalem, & infusum, de quo multa diximus 2. 2. *tomo 1. per totam materiam de fide.*

Secundò certum est apud Theologos in Angelis viatoribus fuisse actualem fidem aliquorum obiectorum supernaturalium, ac proinde & habitum fidei infusum, vt diximus in materia *de Angelis*, & in materia *de fide*.

Deinde ponendum est hunc habitum supernaturalem distinctum esse realiter ab speciebus impressis, quibus vtimur ad eliciendum actum fidei, quæ sunt species naturales aliorum obiectorum, vt diximus 2. 2. *tomo 1. disp. 38. dub. 5.* & expresse P. Vazquez *disp. 43. cap. 2.* & alij communiter.

Difficultas autem esse potest, an præter talem habitum supernaturalem infusum detur aliud lumen infusum distinctum realiter.

Prima opinio est affirmantium, hanc docuit Ægidius *lib. 9. de beatitudine, quæstion. 2. articul. 6. num. 5.* & pro ea citat Arragonium, qui hanc sententiam probat, quia in qualibet scientia præter lumen intellectus necessarius est habitus quo potentia intellectiua inclinetur ad assentiendum; ergo in fide. Deinde Ægidius probat; quia habitus requiritur ad ferendum iudicium de connexione extremorum, lumen autem ponitur, vt faciat apparere prædictam connexionem.

Secunda opinio est asserentium habitum supernaturalem fidei, & lumen fidei non distingui realiter, ita Suarez 1. *tomo ad 3. partem, disput. 19. sect. 2.* & Bañes 2. 2. *quæstion. 1. articul. 1. dubitatione 1. ad 3. principale*, & frequenter alij Theologi

A in materia *de fide*, & mihi maximè placet. Quia ad actum fidei sufficiunt prædictæ species aliorum quantum ad apprehensionem, & quantum ad iudicium supernaturalis habitus, qui supposita sufficienti propositione obiecti credibilis fertur in materiale obiectum, propter testimonium Dei reuelantis, tanquam propter rationem formalem, vt fusè explicuimus in materia *de fide*, & talis actus fidei ab habitu accipit supernaturalitatem in genere causæ efficientis, & ab obiecto formali in genere causæ formalis, neque est probabile fundamentum ad constituendum alium habitum realiter distinctum necessarium ad prædictum actum. Et mihi vehementer displicet Ægidius, qui multus est in multiplicandis habitibus sine necessitate: prædictus autem fidei habitus supernaturalis etiam lumen dicitur à Doctoribus.

Et rationes contrariæ opinionis facilè diluuntur.

Ad primam dicendum est, etiam in aliis scientiis sufficere species & habitum, cum potentia intellectiua, neque probatur aliud esse necessarium, siue loquamur de scientia acquisita, siue infusa. Aliqui existimarunt sufficere supernaturales species infusas, vt constat ex his quæ suprà retulimus, & ex his, quæ diximus 3. *parte ad quæstionem* 11.

Ad secundam rationem Ægidij respondetur, eundem habitum fidei ostendere in genere causæ efficientis connexionem inter obiectum formale & C materiale, supposita propositione sufficienti ad credendum, & mouere intellectum ad ferendum iudicium.

Disputatio XIX.

De impeccabilitate Beatorum.



De hoc dixi in materia *de gratia*, opusculo *de forma sanctificante*; sed quia aliqui recentiores diuerso modo philosophari sunt, oportet hoc loco aliqua D iterum notare.

Dubium I.

An Beatus secundùm legem ordinariam possit peccare mortaliter, aut venialiter.

In hac controuersia referuntur aliqui errores, de quibus legi potest Ægidius *lib. 11. de beatitudine, quæst. 16. art. 2. §. 1.* Et ego aliquid dixi opusculo *de forma sanctificante, disp. 9. dub. 3.* vbi alios Doctores citaui. Sed de fide certū est Beatos in beatitudine peccare non posse peccato mortali, vel veniali, & hæc veritas constat ex communi sensu Ecclesiæ, & perpe- E tua traditione, & eandem veritatem docent Patres. Augustinus *in Enchirid. c. 56. & 57. & c. 19. 22. & 25. & tractat. 2. de diuer. & lib. 14. tractatuum tract. 20. tom. 9.* Fulgent. *de fide ad Petrum, c. 23.* Isidorus *lib. 1. de summo bono cap. 12. sententia 2. & 3.* Beda *tom. 8. q. 9. in lib. de quæstionibus.* Gregorius 34. *moralium, c. 7.* Epiphanius *hæresi* 54. Naxianz. & Bernard. *vbi suprà.* legatur P. Vazq. 1. 2. *tom. 1. disp. 18. c. 1.* & fauent alij Patres in illud Apocalypsis cap. 3. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Expendantur illa verba, *foras non egredietur amplius*, quæ significant statum beatitudinis non posse amitti, quod præcipuè pertinet ad non peccandum mortaliter.

Et in illud cap. 22. *Omne maledictum non erit amplius*, quod significat nullam in eo statu fore miseriam, ac proinde nec peccatum vllum; & statim dicitur, *regnabunt in secula seculorum.*

Et eodem modo intelligunt aliqui Patres illud ad Ephes. 5. *mundans* (eam) *lauacro*, &c. *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, nec rugam*, &c. quem locum de Ecclesia triumphante intellexit Hieronymus *in cap.* 31. *Hieremiæ*, August. *in libro de perfectione iustitiæ epist.* 50. D. Bernard. *serm.* 3. *de festo omnium Sanctorum.*

Non me latet hunc locum ab aliis Patribus explicari de Ecclesia militante, quos refert Bellarm. *tomo* 1. *lib.* 3. *de Ecclesia militante*, *cap.* 8. *ad finem*, & eodem modo intellexit Concilium Toletanum VI. *cap.* 1. Et hanc veritatem docuerunt Scholastici cum Magistro 2. *dist.* 7. *cap.* 8. *& in* 4. *d.* 25. *c.* 5. *&* 6. D. Thomas 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 4. *quæst.* 5. *art.* 4. & interpretes *ibi*. Vnde autem proueniat impeccabilitas, infrà dicetur.

Sed potest obiici ex Iob 4. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem*; sed hunc locum de Angelis viatoribus explicant Patres: in via enim multi peccarunt, & aliqui existimant illa verba significare reuerentialem timorem, quem habent Angeli, & ignorantiam, & infirmitatem, quam habent ea natura sua. legantur ea nostris P. Mariana, P. Sà, P. Pineda, & P. Gaspar Sanchez. Alia solent obiici leuioris momenti, quæ de industria omitto.

Dubium II.

Vnde oriatur impeccabilitas Beatorum.

IN hac quæstione, prima opinio est asserentium, Beatos esse quidem impeccabiles, non tamen per aliquam formam intrinsecam, sed ex voluntate, & ordinatione Dei, ita docuit Scotus 4. *d.* 49. *quæst.* 6. § *Dico ergo.* Supplementum Gabriel. 4. *d.* 49. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 6. & idem Gabriel *in* 2. *dist.* 7. *quæst. vnica, art.* 1. Ocham 2. *quæst.* 19. Gregorius 2. *d.* 7. *quæst.* 2. & communiter discipuli Scoti, putant enim hi autores visionem claram Dei non sanctificare formaliter beatum. Item docent beatificum amorem voluntatis non esse necessarium, sed liberum, de quo autores in materia *de Beatitudine.*

Aliorum sententia est communior, & probabilior, Beatos per formam intrinsecam habere rectitudinem, nec posse peccare, nempe per visionem beatificam, & amorem necessarium, qui ex illa sequitur. ita S. Thom. 1. *part. quæst.* 62. *artic.* 8. *&* 4. *contra Gentes, cap.* 92. Ferrara *ibi*. Richard. 2. *d.* 7. *artic.* 5. *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 1. *& d.* 23. *quæst.* 1. Maior 4. *d.* 43. *quæst.* 8. Sotus *ibidem quæst.* 3. *artic.* 4. Palud. *quæst.* 7. *artic.* 2. Et communiter interpretes 1. 2. *ad quæst.* 4. legantur *ibi* P. Vazquez, & P. Suarez, P. Valentia, & P. Salas.

Et quòd Beatus sit impeccabilis ex vi visionis, probat P. Vazq. 1. 2. *disp.* 18. *cap.* 2. ex Nazianzen. *oratione* 44. ab illis verbis, *neque aliunde perfectionem, & splendorem*, &c. Nizetas circa illa verba eiusdem orationis, *Posteaquam.* Elias Cretens. *in oratione* 3. Nazianz. in illa verba, *ad hæc quomodo.* Et idem probat ex Isidoro *lib.* 1. *de Summo bono, cap.* 12. *sententia* 3. ex Anselmo *lib. de casu diaboli*, *cap.* 6. August. *in Psalmum* 36. 37. *&* 49.

Et pro explicatione ponendum est hoc loco amorem beatificum in Beatis omnino esse necessarium, hæc autem necessitas oritur ex modo quo per visio-
A nem claram Dei proponitur voluntati Beati Deus, vt summum bonum: hoc autem suppono ex communi sententia cum D. Thoma in materia *de beatitudine*, & ex hoc sumitur ratio ad probandum Beatum circa Deum immediatè non posse peccare, & cum tali amore manifestum est pugnare peccatum mortale, imò & veniale propter perfectionem talis dilectionis, & amoris, & ita recentiores aliqui fatentur Beatum & visione simul & amore constitui impeccabilem. Et ratione amoris concedunt etiam, Beatum non posse peccare circa alia obiecta distincta à Deo in quæ Beatus fertur liberè.

Difficultas autem remanet, an ex sola visione in-
B telligatur Beatus constitui impeccabilis, si Deus sua potentia impediret amorem in voluntate Beati. Et aliqui negant, existimant enim actum intellectus non rectificare ipsam voluntatem, & ita existimant, cum sola visione secluso amore, posse esse peccatum circa obiecta distincta à Deo.

Sed P. Vazquez *cap. citato* docet, ex sola visione in prædicto casu, nempe impedito amore Beatum fore impeccabilem, & adducit plures rationes, præcipua est, quia, vt diximus in materia *de peccatis*, non potest contingere peccatum in voluntate, nisi aliquis defectus inconsiderationis præcedat in intellectu: hic autem defectus non potest esse in eo, qui clarè videt Deum. & iuxta hunc sensum explicari
C possunt quædam aliæ rationes, quas adducit P. Vazquez *cap. citato*, ex aliis Doctoribus. Item explicari potest, quia visio ita mouet quantum est ex se ad amorem Dei super omnia, vt non possit admittere Beatus aliquod peccatum, etiam veniale, siue commissionis, siue omissionis. Vnde non est admittendum posse etiam de potentia absoluta Beatum clarè videntem Deum peccare mortaliter, vel venialiter.

Hæc autem doctrina ita est intelligenda, vt Beatus non possit peccare, vel circa Deum quem clarè videt, vel circa alia obiecta ab ipso distincta.

Non est admittendum quòd de potentia absoluta cum visione Dei possit esse peccatum, circa alia
D obiecta ab ipso Deo distincta, in quo fallitur Ægidius *suprà* §. 3. *num.* 10. cum quibusdam aliis.

Et quòd peccatum habituale non possit esse cum visione actuali Dei, probaui *opusculo de forma sanctificante, disput.* 9. *dub.* 1. vbi etiam assignaui peculiarem rationem de efficacitate visionis claræ Dei ad sanctificandum formaliter, quam tradidi iam olim, nec video tactam ab Ægidio, & *in eadem disputatione dub.* 2. probaui visionem claram Dei habere vim expellendi ab anima maculam peccati venialis. Et *eadem disp. dub.* 4. docui visionem claram Dei habere vim sanctificandi formaliter ex natura sua, absque vlla condonatione, vel acceptatione extrinseca. Tandem *dubio* 5. *illius disputationis* disputaui, an vi-
E sio temporaria Dei habeat vim sanctificandi formaliter. legat, qui voluerit, disputationem citatam, nolo enim quæ ibi dixi, hoc loco repetere, & ex dictis in ea disputatione facilè quisque poterit refutare nonnulla quæ docet Ægidius *lib.* 11. *de beatitudine, quæst.* 16.

Illud vehementer mihi displicet, quod docet Fr. Ægidius *in fine illius quæstionis.* §. *vltimo*, *num.* 12. vbi docet, acceptationem ad amicitiam cum Deo, & condonationem maculæ, non cõsequi naturam gratiæ, & charitatis, quod ex instituto refutaui in materia *de gratia*, *opusculo de forma sanctificante.* Id etiam vehementer displicet, quod planè indicat idem autor *eodem num. citato*, nempe vnionem hypostaticam sanctifi-

sanctificate humanitatem Christi per acceptationem Dei. Et quòd humanitas Christi ratione vnionis cum diuinitate, ex natura rei sanctificetur, probaui *opusc.citato, disp. 10.varijs dubijs.& 3.part.ad q.7.& 16.* vbi doctissimè de hac re philosophatur P. Vazquez iuxta doctrinam Patrum, qui habent sensum Christi.

Dubium III.

An visio beatifica habeat vim emundandi animam à reatu pœna.

De materia huius dubij dixi vnum verbum *opusculo de forma sanctificante, disp. 10. dub. 11. in fine.* & aliquid *2.2.tom.1.disp.70.dub.3.*

Qui putant vnionem hypostaticam etiamsi habeat vim sanctificandi naturam, non habere vim emundandi illam à reatu pœnæ temporariæ, idem dicent de visione beatifica, de quo dixi *opusculo, & dubio citato, & 3.part.ad quæst.15.*

Item qui putant visionem beatificam non habere vim sanctificandi animam, consequenter dicent, non habere vim emundandi naturam à reatu pœnæ.

Sed de vnione hypostatica contrarium docui *locis citatis*, cum P. Vazquez. Deinde existimo, ipsam vnionem beatificam posse emundare naturam à reatu pœnæ temporariæ, in casu quo de potentia absoluta assumeretur ad visionem cum aliquo reatu pœnæ, & ita sensit P. Vazq vt retuli *locis citatis*. Et ratio est, quia homo constitutus in statu beatitudinis, quia est natura sua perpetuus est, non potest esse dignus pœna ex peccato præterito, pœna enim hæc, & dignitas, pugnat cum statu æternæ beatitudinis.

Sed potest obijci, cum beatitudine animæ potest esse aliquis dolor de potentia absoluta: ergo & pœna; ergo dignitas pœnæ. Sed respondendum est consequutionem esse inefficacem, quia aliud est dolor, & aliud dignitas doloris vt pœnæ. & quia beatitudo constituit hominem dignum omni bono, ideo non potest cum tali dignitate, esse dignitas pœnæ orta ex proprio peccato, vt per se videtur constare.

Secundò potest obijci, reatus, seu dignitas pœnæ non est malum culpæ; ergo non pugnat cum visione clara Dei, licèt sit forma sanctificans, sanctitas enim solùm videtur pugnare cum peccato. Respondemr sanctitatem visionis constituere hominem dignum, qui non puniatur eùm constituat statum beatitudinis, qui ex natura sua perpetuus est, & ita Beatus non potest dignè pati pœnam doloris, sed hoc ipso quòd assumitur ad beatitudinem, liberatur à dignitate pœnæ, orta ex proprio peccato.

Tertiò potest obijci hoc modo, reatus, & dignitas pœnæ debet tolli per formam oppositam, & nó sola voluntate Dei: visio autem beata non videtur forma opposita dignitati pœnæ, quia sanctitas in viatoribus potest esse simul, & de facto sæpe est, cum aliquo reatu pœnæ temporariæ. Respondetur concedédum esse secundùm veriorem doctrinam, reatum pœnæ temporariæ auferendum esse per formam contrariam ex natura rei, & non voluntate extrinseca Dei, dicimus tamen visionem beatam, ex natura sua, habere contrarietatem cum omni reatu pœnæ temporariæ, quia constituit hominem in statu perpetuo summæ felicitatis. Et licèt in viatoribus aliqua sanctitas possit esse cum aliquo reatu pœnæ temporariæ, tamen aliquis actus charitatis potest esse ita perfectus, vt excludat omnem reatum pœnæ temporariæ præcedentem, vnde non mirum, si visio beatifica, quæ constituit hominem in statu perfectiori perpetuæ felicitatis & sanctitatis inamissibilis, habeat vim prædictam, quod de actu charitatis Beati concedendum est. legantur quæ diximus in simili *suprà* de vnione hypostatica *opusculo citato, & 2.2. tom. 1. disp. 70. dub. 3.*

Dubium IV.

An visio beatifica possit simul esse cum habitibus vitiosis, qui in via acquiruntur per actus malos.

Hoc dubiū in simili de vnione hypostatica disputaui *opusculo citato, dub. vltimo.* Et dubium intelligitur si de potentia absoluta vellet Deus assumere ad beatitudinem animam habentem prauos actus, & quidem, aliqui disputantes de sanctitate vnionis hypostaticæ, existimarunt tales habitus prauos pugnare cum visione hypostaticæ? & fortè idem dicerent in hoc dubio, si de illo interrogarentur, & potest probari. Primò, quia non videtur conueniens diuinæ bonitati, vt in anima existenti in statu beatitudinis permittat tales habitus. Et explicatur secundò, quia si sermo sit de habitu vitioso voluntatis, ille inclinat ad malum peccati, quod in eo statu esse non potest. Si verò sermo sit de habitu intellectus inclinante ad falsum, etiam videtur pugnare cum statu, in quo intellectus Beati habet perfectissimam & claram cognitionem Dei.

Alij verò Theologi, vt retuli *dubio citato*, existimarunt prædictos habitus de potentia absoluta non pugnare cum sanctitate vnionis hypostaticæ. ita sensit P. Vazquez *3. part. tomo 1. disp. 61. cap. 6. num. 35.* qui faciliùs hoc diceret de habitibus comparatis cum visione beatifica, quæ est sanctitas finita, & tamen natura assumpta hypostaticè, infinitè sanctificabatur diuinitate, & terminabatur personalitate diuina Verbi, & hanc secundam opinionem sequuntur viri docti huius ætatis.

Meum in hac re iudicium est ex natura rei, statum beatitudinis postulare, vt in eo non permittantur tales habitus, & hoc oritur ex perfectione illius status.

Secundò existimo de potentia absoluta tales habitus posse esse simul cū statu beatitudinis, quia non habent malitiam moralem sicut peccatum actuale, & ita ex hac parte non pugnāt cum sanctitate, quòd verò inclinent ad malum, & peccatum quod in eo statu esse non potest, solùm probant ex natura rei, non esse futuros in eo statu, & ea inclinatio impeditur per sanctitatem illius status, nempe per visionem claram Dei, & idem est de sanctitate amoris, quæ est in voluntate.

Et ex hac doctrina soluenda sunt argumenta contraria, solùm enim probant, secundùm eum minimè rerum ordinem, non esse conueniens vt tales habitus permaneant in Beato, & ita respondendum est ad primum.

Ad secundum verò dicendum est, quòd licèt tales habitus inclinent ad malum, tamen, vt diximus, non habent malitiam moralem, sicut peccatum actuale, ac proinde de potentia absoluta non pugnant cum sanctitate.

Ad tertium facilè etiam respondetur, habitum intellectus vitiosum, qui inclinat ad falsum solùm speculatiuè, non pugnare vllo modo cum sanctitate; si verò inclinet quantum est ex se, ad errorem practicum, qui in via posset esse causa peccati, in statu beatitudinis impeditur ab illo effectu, & ita ex natu-

natura rei non potest esse ibi talis habitus; de potentia tamen absoluta non repugnat, propter assignatam rationem, nempe quia non habet malitiam moralem sicut peccatum.

Et doctrinæ traditæ consentaneum est, quod frequenter docent Theologi, in Beatis nō manere opinionem, & licèt loquantur de actu, tamen ex hoc colligitur ex natura rei secundùm legem ordinariam nun manere habitum opinionis.

Quod autem diximus de potentia absoluta, non repugnare facilè concedent qui putant, in intellectu Beati de potentia absoluta posse esse errorem, quod docuit Salas *1.tom.ad 1.2.quest.3.tract.2.disp.6. sect.10.§.dico tertiò, num. 38. pagin.* 400. *colum.* 2. Et idem concedent, qui putant de potentia absoluta hunc errorem potuisse esse in Christo, quam opinionem nec esse in fide periculosam, nec improbabilem, asserunt Medina, (de quo modò non disputo) *3.part. q.15.art.3.* & Cabrera *ibidem*, & P.Suarez *2.tom. ad 3.part. disp.24. sect.3. in fine*, qui faciliùs id concedent de babitu inclinante ad falsum, loquentes de potentia absoluta.

DISPVTATIO XX.

MORALIS.

De testamento cui deest solemnitas iuris.

DVBIVM I.

An testamentum minùs solemne in foro conscientiæ sit validum.

De hac materia legi potest Couarr. *in cap. cùm esset, de testamentis, à n.4. vsque in finem*, Antonins Gomez *in lib.3. Tauri. n.120. vsque in finem.* Sotus *lib.4. de iustitia, q.5. art.3.* Syluest. *hæreditas 3.§.7. testamentum 2. q.5. & Alienatio, q.13.* Adrian. *quodl.6. art.1. conclus.2. coroll.2.* P.Vazq. *opusculo de testamentis, c.3. dub.1.* & Molina *tom.1. de iustitia, tract.2. disp.81.*

Supponimus, in iure esse assignatam certam solemnitatem pro testamento, & quærimus, an illa deficiente testamentum sit validum in conscientia, ita vt hæres in illo institutus possit tuta conscientia retinere hæreditatem, si in foro exteriori non priuetur illa.

Prima sententia est asserentium, testamentum esse validum in foro consciētiæ, ita Syluester, Adrianus, & Medina *locis citatis*, quos referunt Couarruuias, & Antonius Gomez *suprà*, & probari solet. Primò, quia leges ciuiles, quæ annullant prædictum testamentum, videntur iniustæ, contra ius naturale, & diuinum, quod præcipit quòd in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & habetur *cap. cùm esset, de testamentis.*

Secundò, quia leges ciuiles videntur fundatæ in præsumptione, vt vitarētur fraudes quæ possent esse, v. g. si quis diceret se esse institutum hæredem, & non essent sufficientes testes; ergo, si cesset fraus, leges non annullabunt testamentum, & hanc opinionem videtur sequi Plinius iunior *5. lib. epistolarum ad Caluisium*, illis verbis: Hoc si ius aspicias irritum, si defuncti voluntatem, ratum, & firmum est; mihi autem voluntas, &c.

Secunda opinio est asserentium tale testamentum in foro conscientiæ validū esse; attamen in foro exteriori posse iudicari inualidum iustè, ita Sotus vbi A suprà. Primam partem probat Sotus, quia oppositum esset nimis rigidū; secundam multis rationibus, quas refert P. Vazq. *suprà*, & nos *infra* attingemus. hanc sententiam, sequitur Burgos de Paz *super leg.3. Tauri n.1460.* & alij non pauci Iurisperiti & Theologi.

Tertia sententia est asserentium, prædictum testamentum non solùm in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ esse nullum, ita docuerunt Couarruuias, & Antonius Gomez, & Padilla *in leg. cùm quis, C. de iuris. & facti*, &c. & sequitur P. Vazquez *loco citato*. Et probari potest primò, quia secundùm communiorem opinionem, leges ciuiles obligant in foro conscientiæ; ergo leges annullantes testamentum minus solemne, etiam annullant B pro foro conscientiæ.

Quòd autem leges absolutè annullent testamentum minus solemne, probat P. Vazquez ex verbis legis *hac consultissima. C. de testamentis.* & ex *lege 3. Tauri*, vbi dicitur, quòd testamentum aliter factum non faciat fidem neque in iudicio, neque extra iudicium; ponderanda sunt illa verba, neque in iudicio, hoc est, in foro exteriori, sed extra iudicium, quod planè pertinet ad forum conscientiæ.

Vlteriùs potest probari, quoniam si in foro exteriori probet quis se esse institutū hæredem in solemni testamento, & alius quòd fuit in minus solēni, probet tamen, & conuincat quòd fraude cessante institutus est in minus solemni testamento; nihilominus C iste condemnabitur, & priori dabitur & adiudicabitur hæreditas; ergo testamentum minus solemne non est validum in foro conscientiæ, aliàs magna esset perturbatio in republica, & contrarium esset contra bonam gubernationem reipublicæ.

Ponit autem hæc tertia opinio posse Principem per suam legem priuare aliquem propter bonum commune, iure, & dominio alicuius rei, quod aliàs haberet ex solo iure naturali, quod nullus potest prudenter negare, & hæc tertia sententia mihi est probabilior.

Oportet autem satisfacere argumentis primæ opinionis.

Ad primum dicendum est, prædictas leges non esse D contra ius naturale, aut diuinum. nam ius naturale, v.g. potest concedere dominium alicuius rei, ex sola voluntate domini: hoc tamen intelligendum est, nisi propter commune bonum appositæ sint aliquæ conditiones, iure positiuo, vt valida sit translatio dominij. Et explicari potest, quia ante Concilium Tridentinum validus erat contractus matrimonij clandestinus, & tamen post Concilium Tridentinum nullus est, nisi præsentes adsint Parochus & testes, vt diximus in materia *de matrimonio*, de quo nullus Catholicus potest dubitari; ergo à simili, licèt solo iure naturali considerato, possit quis per vltimam voluntatem relinquere sua bona alicui; tamen supposita lege positiua, requi- E rens certum numerum testium, vt voluntas illa sit valida, non erit valida deficiente tali numero, propter rationem, quam assignauimus, potest enim legislator propter commune bonum assignare certas conditiones, vt contractus & translatio dominij sit valida.

Ad secundum dicendum est, prædictas leges non fundari in falsa præsumptione, & iustas esse, sed illæ leges præsumūt vt plurimum posse dolos & fraudes interuenire in testamentis, ideo præcipit ad hoc euitandum; vt fiant prædicta solemnitate, adeò vt si deficiat ratio legis in aliquo casu, & motiuum, tamen lex vniuersaliter obligat, quando voluit vniuersaliter obligare, & nullū casum excipere. Et hoc

explican

explicandum est, ex doctrina autorum in materia *de legibus*, qui docent, aliud esse fundari legem in præsumptione, aliud verò præsumere tantùm, quia si fundatur in præsumptione, ordinat, vel vetat, vel irritat contractum, & tunc obligat in conscientia vt iacet, etiamsi præsumptio deficiat aliquo casu; secus est, quando tantùm præsumit de facto, vt si dicat, præsumatur, censeatur, &c. nec ordinat aliquid, tunc veritate cognita non est obseruanda, quia illa tantùm præsumit, non ordinat. legatur P. Vazq. in materia *de testamentis, loco cit.* & in materia *de legibus*.

Ad tertium nihil refert Plinium illum sensisse contrarium, cùm nostram sententiam tradiderint multi viri doctissimi, multa circa præsentem disputationem adducit P. Molina *loco citato*, legat qui B voluerit.

Dubium II.

An sententia asserentium, validum esse testamentum factum sine solemnitate requisita iure, ita sit probabilis, vt in praxi eam quis possit amplecti.

Casus facilè potest occurrere, vt cognoscat quis voluntatem testatoris manifestam fuisse relinquendi sibi hæreditatem, & tamen quia deficit solemnitas requisita à iure, non potest in iudicio illam repetere; dubium ergo est, an in hoc euentu possit prædictus hæres, vel retinere hæreditatem, vel partem illius, si res sit occulta illam retinere tuta conscientia donec contingat per iudicium ab eo auferri. C

Aliqui putant id non esse licitum, alij censent rem esse dubiam.

Alij tamē censent prædictum hæredem tuta conscientia posse retinere hæreditatem, vel partem illius, & probant, quia multi, & doctissimi sunt autores, qui docuerunt positiuas leges nun anullare testamentum sine solemnitate, pro foro conscientiæ, qua opinione posita, sequitur prædictam retentionem licitam esse, & ego non video quo modo possit quis negare relatam opinionem de validitate testamenti sine solemnitate, validum esse pro foro conscientiæ. D

Difficilius est, an quando aliquis institutus est hæres in testamento facto cum solemnitate iuris, & postea testator illud reuocat per testamentum sine solemnitate, possit hæres institutus, in secundo testamento facere sibi recompensationem hæreditatis modo occulto, quando hæreditas est in potestate prioris hæredis instituti in testamento cum solemnitate, quod postea fuit reuocatum per secundum testamentum, factum sine solemnitate requisita à iure.

Et aliqui putant, non esse licitam talem recompensationem, quia esset contra bonum iustitiæ communis; hæc tamen ratio si quid probat, solùm probat opinionem illam de validitate testamenti, sine solemnitate, esse falsam, sed non conuincit esse improbabilem; ac proinde alij autores fatentur illam recompensationem etiam in hoc casu esse licitam, propter opinionis probabilitatem. E

Sed dices, alter hæres institutus in priori testamento facto cum solemnitate iuris, habet ius petendi in iudicio hæreditatem, & illam retinebit, quando per iudicem illi adindicatur; ergo secundus hæres non potest illam à priore hærede occulté accipere, alias daretur verum iustum ex vtra-que parte, quod fieri non potest; sed ad hoc respondent qui contrarium putant, prædictam diuersitatem oriri ex diuersitate opinionum, & te ipsa hæreditatem pertinere ad secundum hæredem, nec mirum est, si in foro exteroo aliud iudicetur, vel propter præsumptionem, vel quia iudex probabiliorem putat sententiam asserentium leges eiusles absolutè annullare testamentum factum sine solemnitate requisita à iure, & ideo quantum ad praxim attinet, prudenter debet procedere confessor in foro conscientiæ, vel vir doctus de hoc dubio interrogatus.

DISPVTATIO XXI.

Scholastica, & moralis.

De votis B. Virginis.

Dubium I.

An B. Virgo aliquando habuerit propositum dandi operam liberis.



ALIQVI hæretici existimarunt B. Mariam aliquando habuisse propositum dandi operam liberis, ita refert noster Canisius *lib. 2. de Maria Deipara, c. 8.* Et pro hac sententia referuntur aliqui ex Catholicis, qui tamen non ita clarè loquuntur.

Sed dicendum est B. Virginem nunquam habuisse propositum dandi operam liberis, Bellarmin. *tom. 1. lib. 2. de monachis, cap. 22. versic. addo tamen secundò.* & P. Vazquez *tomo 2. in 3. partem, disp. 124. cap. 2.* Et probat, quia nullum fuit præceptum in lege veteri dandi operam liberis, sed potiùs seruare castitatem laudabilius fuit; certum autem est B. Mariam voluisse quod laudabilius erat.

Probandum verò est, in ea lege non fuisse vetitam virginitatem, id quod expressè docuit ex antiquis, Supplementum Gabrielis *4. d. 30. quæst. 2. art. 2. post 5. conclusionem*; ex recentioribus, Sotus *in 4. d. 30. quæst. 2. art. 2.* Abulens. *in cap. 30. Numer. quæst. 12. & quæst. 21.* Clichtoneus *in cap. 25. lib. 4. de fide.* Medina *3. part. ad quæst. 28. art. 4.* ibi P. Suarez *disp. 6. sect. 1. §. dicendum verò vlterius.* & colligitur ex Damasceno *loco citato*, & ex Hieronymo *lib. 1. aduersus Iouinianum*, vbi refert in veteri lege plures obseruasse castitatem, aut virginitatem, & colligitur ex Ambrosio *lib. 1. de Virginibus, col. 3.* Epiphanius, etiam contra hæreses *hæresi 30.*

Hoc autem facilè intelligetur, si explicemus loca, ex quibus aliqui contendunt colligere antiquitus fuisse præceptum de contrahendo matrimonium.

Et primò obiicitur illud Genesis 1. *Crescite, & multiplicamini*, &c. quo testimonio vtebatur Iouinianus, cui responder Hieronymus *libr. aduersus ipsum, in principio, post num. 17.* admittens pro illo tempore fuisse tale præceptum vt multiplicaretur genus humanum, postea autem reuocatum fuisse tale præceptum.

Scholastici verò in materia *de matrimonio*, frequenter docent illud præceptum non obligasse singulas personas, sed communitatem, vt docuit S.Thom. 2. 2. *quæst. 152. art. 2.*

Alij verò in illis verbis non agnoscunt præceptum, sed benedictionem Dei & fœcunditatem futuram. legatur P. Vazquez, & P. Suarez *locis citatis*.

Secundò potest obiici illud Deuterooomij 7. & Exodi 23. *Non eris apud te sterilis vtriusque sexus.* Sed in his locis non imponitur præcepium de matrimonio, sed significatur benedictio, & fœcunditas filiorum promittitur his qui seruauerint legem Dei. Et licèt in populo Hebræorom opprobrium esset sterilitas, non tamen virginitas.

Tertiò obiicitur ex *Deuteronomy cap.* 25. vbi dicitur, quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque libaris mortuus fuerit, vxor defuncti non nubat alteri, sed accipiat eam frater eius. Hunc locum explicat fusè P. Vazq. *disp. citat. c. 2. n.* 33. Et respondendum est in eo capite non imponi præceptũ fratri defuncti de contrahendo matrimonium cum vidua, sed concedebatur ius viduæ, vt coram multitudine inuitaret ad matrimonium priusquam alteri nuberet, de qua consuetudine plura possunt legi apud P. Vazquez *citato cap.* & ioterpretes Scripturæ *in locum allegatum.*

Deinde oportet ostendere, virginitatem apud Iudæos in maguo honore habitam fuisse, quod colligitur ex eo quod Hieronymus *lib.* 1. *contra Ioninianum post num.* 30. dicit Heliam, & Helisæum & vtrunque Ioannem fuisse virgines, & affirmat tres pueros Babylonis in castitate vixisse, & Apostolos qui vxores habebant, illas reliquisse propter Christum.

Deinde Ignatius *in epistola ad Philadelph.* docet præter supradictos castitatem obseruasse Melchisedech IESVS Naue, & Hieremiam. Et de Elia scribunt Ambrosius *lib. 1. de Virginibus, colum.* 3. Idem colligitur ex Damasceno *lib. 4. de fide, cap.* 24.

Et Epipbanius *hæres.* 30. asserit virginitatem apud Hebræos msgni habitam fuisse, propter Iacobum fratrem domi supponens castè vixisse.

Et quòd castitas apnd Hebræos fuerit magni habita, Iosephus Iudæus *lib.* 2. *de bello Iudaico, cap. 7. & lib.* 18. *antiquitatum, cap.* 2. satis apertè testatur. legatur Cardinalis Barooius *tomo* 1. *Annalium, sub anno* 64. *non longè à principio.* Et in apparatu annalium probat tempore legis antiquæ virginitatem fuisse in magno habitam. Et ex Gentilibus Plinius *lib.* 5. *historia naturalis, cap.* 17. & Solinus *cap.* 36. memoriam prodidisse, Essenos castè vixisse, cum magno honore, in communitate.

Et quòd in veteri lege fuerit in honore castitas, probari potest ex cap. vltimo Iudic. ex quo constat illam in honore habitam, quia castè vixit post mortem mariti.

Non desunt qui ex aliis locis Scripturæ idem contendanr probare; ex quibus tamẽ efficaciter non probatur, aliqua refert & expendit P. Vazq. *disp. citat. cap.* 3. de materia huius dubij legatur P. Suar. *tom.* 2. *in 3. part. disp. 6. sect.* 1.

DVBIVM II.

An B. Virgo emiserit votum virginitatis.

PRæmissis quæ diximus *dub. preced.* restat explicandum, ao B. Virgo non solùm seruauerit virginitatem, sed illam voto confirmauerit.

Certum autem est apud Catholicos, B. Virginem ante Annũciationem emisisse votum virginitatis, & colligunt Patres & Scholastici, ex illis verbis Virginis ad Angelum, Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* qoæ verba fusè expendunt Patres, & alij interpretes in eum locũ, & Scholastici agentes de bac materia. Legantur P. Vazquez & P. Suarez *disputationibus citatis,* & Bellarminus *tomo* 1. *lib.* 2. *de Monachis, cap.* 22. illa enim verba planè significant impedimentum voti, & ita colligitur ex Nisseno *oratione de Natiuitate Domini.* August. *lib. de sancta virginitate, cap.* 4. Beda *in cap.* 1. *Lucæ.* Ansel. *lib. de excellentia Virginis, cap.* 4 Ruperto *lib. 3. in Cantica.* Bernardo *serm. 4. super Missus est.*

Meritò autem P. Bellarmin. *vbi proximè*, reprehendit Caluinum temerariè & impiè loquentem contra sanctam Virginem, & Sanctos Patres exponentes citata verba *Lucæ* 1. qui hæreticus etiam se opponit omnibus Doctoribus Scholasticis.

Inter Catholicos autem difficultas est, an B. Virgo emiserit votum virginitatis, antequam contraheret matrimooium cum Iosepho.

Prima opinio est asserentium, Virginem non emisisse votum virginitatis ante matrimonium. ita S. Thomas 3. *part. quæst.* 28. *artic.* 4. Capreolus 4. *d.* 30. *quæst. vnica, art. 3. ad* 2. Scoti, Caietan. *in art.* 4. Sotus 4 *d. 30. quæst. 1. art. 2. §. Scotus.* Durand. *eadem dist q* 2. *num.* 8. Albert. 4. *dist. citata, art.* 11. *in corpore, & ad* 2. Lyra *in cap.* 1. *Lucæ.* Præcipua ratio pro hac sententia potest esse, quia aliàs non posset B. Virgo matrimonium contrahere contra votum priùs factum, quam rationem fusiùs persequuntur aliqui recentiores.

Et S. Thomas *in art. 4. citato in corpore* dicit, B. Virginem non vouisse castitatem ante matrimonium, quia oportebat tempore legis veteris generationi insistere tam mulieres, quàm viros. Et ad primum dicit, quòd videbatur tempore illius legis prohibitum, non dare operam, ad relinquendum semen super terram, ideo B. Virginem non simpliciter virginitatem vouisse, sed sub conditione, si Deo placeret. Postquam autem innotuit hoc esse Deo acceptum, absolutè vouit antequam ab Angelo annuntiaretur Iocarnatio. Et iuxta hanc doctrinam *ad* 3. expressè docet B. Virginem non emisisse votum virginitatis ante matrimonium.

Secunda opinio est asserentium B. Virginem ante matrimonium emisisse simpliciter votum castitatis. Ita sensit Scotus *in 4. dist.* 30 *q.* 2 Henricus *quodlib.* 9. *quæst.* 21. Supplementum 4. *d. citata.* Bonsuentur. *articul.* 1. *ad* 3. Richard. *artic.* 2. *quæst.* 2. Argentina *quæst. vnica, artic.* 4. Durand. *quæst.* 2. *num.* 8. Paludan. *quæst. 2. artic.* 2. Almayn. *quæst.* 2. *ad* 1. Maior *quæst.* 4. Abulensis *in cap.* 30. *Numerorum, quæst.* 32. & 34. & P. Vazquez *disp.* 124. *cap.* 4. P. Suarez *tom.* 2. *in 3. part. disp. 6. sect.* 2. & P. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q. 3. punct.* 5.

Ratio præcipua pro hac sententia debet esse desumpta ex his quæ diximos selecta *de matrimonio Virginis*, iuxta priocipia tradita in materia *de matrimonio*, nempe rectè potuisse B. Virginem ante matrimonium votum absolutè emittere, & postea sine peccato contrahere matrimonium, quod si potuit, hoc planè magis decuit B. Virginem.

Hanc sententiam apertè supponit Hugo de sancto Victore *lib. de virginitate perpetua, cap.* 1. Nissen. *oratione de natali Domini, post medium*, & apertè August. *lib. de sancta virginitate. cap.* 4. Rupertus *lib.* 3. *in Cantica, aliquantulum ante finem.* Abdias Babyloni. *in vita S. Bartholomæi*, & propter hæc quæ attuli, mihi hæc secunda opinio magis probatur, & quia quæ in contrarium adducuntur, facilem habent solutionem.

Ad primam rationem constat ex his quæ diximus selecta *de matrimonio.*

Ad id quod S. Thomas dicit in corpore, suprà ostendimus, io veteri lege virginitatem nõ esse prohibitam. Et eodem modo respondendum est ad id quod docet ad primum. Et eodem modo respoodetur ad vltimum.

Restat explicandum dubium, de tempore quo B. Virgo emiserit prædictum votum ante matrimonium.

nium. Et aliqui recentiores exiſtimant B. Virginem illud votum emiſiſſe ſtatim in principio vſus rationis. Alij cenſent ſaltem illud emiſiſſe, viuentibus illius parentibus, quod credibile putat Cardinalis Barouius *in apparatu annalium*; quo autem anno ætatis beatæ Virginis parentes mortui fuerint, incertum eſt, quidquid dicat Cedrenus *in compendio historia.*

Alij putant Virginem votum hoc emiſiſſe ſimul atque ex illuminatione Dei cognouit, illud eſſe gratum Deo: neque eſſe contra legem, quòd mihi ſanè pium & probabile videtur; alia verò quæ retuli, non habent idoneum fundamentum. Item ſine fundamento aliqui tribuunt ſanctis Doctoribus Eccleſiæ quod dixerint B. Virginem emiſiſſe illud votum in principio vſus rationis, ſed, vt vidimus, aliqui Sancti ſolùm docuerunt, illud emiſiſſe ante matrimonium. legatur P. Vazquez *cap. citato*, & P. Suarez *ſect. citata ad finem.* In fine huius dubij placet aduertere aliquos dixiſſe, B. Virginem poſt matrimonium contractum, & non antè habuiſſe reuelationem, ſeu inſpirationem Dei, circa emiſſionem voti virginitatis, quòd eſſet licita. Sed ſine ſufficienti fundamento negatur Virginem habuiſſe hanc cognitionem ante matrimonium.

Dubium III.

An B. Virgo fuerit prima quæ virginitatem voto confirmauit.

IN hoc dubio videntur eſſe contraria placita Patrum, quæ tamen fortè poterunt ſine contrarietate explicari, & primò aliqui Patres indicant non obſcurè, B. Virginem primam fuiſſe quæ virginitatem vouit, ita Bernardus *homilia 3. in laudibus virginis colum. 4. in fine*, Rupertus *lib. 3. in Cantica, non multum ante finem*, Beda *in cap. 1. Lucæ*, Origen. *in cap. 13. Matth.* Ambroſius *lib. de institutione Virginum cap. 5.* Auguſtinus *tractatu 15. in Ioann. colum. 2.* Hieron. *epiſtola 2. ad Euſtochium*, Abdias *in vita Bartholomæi Apoſtoli*, Abulenſ. *in cap. 18. libri 4. Regum quæſt. 19.* VValdenſ. *tomo 2. de ſacramentis cap. 130.*

Alij verò Patres, quos retulimus *dubio* 1. referunt plures ex antiquis ſeruaſſe virginitatem, & caſtitatem.

P. Vazquez *diſp. citata cap. 5.* docet, prædictos Patres poſſe conciliari vt citati pro prima opinione voluerint, B. Virginem fuiſſe primam, quæ virginitatem voto confirmauit.

Patres verò pro ſecunda opinione citati ita eſſe intelligendos, vt docuerint, aliquos ex antiquis Prophetis, & Sanctis virginitatem, aut caſtitatem ſeruaſſe, non tamen aliquos dixiſſe de emiſſione voti ad confirmandam virginitatem, vel caſtitatem.

Sed poteſt obiici ex Nyſſeno *cap. 19. de virginitate*, vbi ſequutus alios dixit, Mariam ſororem Moyſis virginem fuiſſe, & monetur, quia Scriptura ſemper facit mentionem ſui fratris, & non mariti. Sed non eſt certum, fuiſſe virginem, vt ex Ioſepho *lib. 3. antiquitatum cap. 2.* colligit Baronius *in apparatu ad annales §. ex eo verò*, de quo legi poteſt P. Vazquez *diſp. citata cap. 5.* & licèt Nyſſenus & alij dixerint illam fuiſſe virginem, tamen non affirmant ſuam virginitatem voto confirmaſſe.

Deinde poteſt obiici filia Iephte, quæ ſecundùm expoſitionem Vatabli, Arias Montani, & Lyra ibidem *in cap. 11. Iudicum*, non fuit occiſa à patre, ſed Deo dicata, vt virginitatem ſeruaret. Reſpondetur in primis ſenſum Vatabli eſſe contra communem

A doctrinam Patrum. Deinde, licèt admitteremus expoſitionem Vatabli, tamen non conſtat illam voto confirmaſſe ſuam virginitatem, imò ſi eam ſeruauit, planè fuit contra eius voluntatem, vt colligitur ex contextu *cap. 11. Iudicum citati.* plura de expoſitione Vatabli dixi *2. 2. ad quæſt. 88. in art. 2.*

Deinde quod de Virginibus veſtalibus ſolet afferri parui momenti eſt, quia vel ſolùm ſeruabant caſtitatem ad tempus, vel ſi illam promiſſione confirmabant, promiſſio non fiebat vero Deo, ſed falſo. legatur Alexand. *lib. 5. genialium dierum.* Circa materiam verò huius dubij, de primatu virginitatis, legatur P. Suarez *tomo 2. in 3. part. diſp. 6. ſect. 2.*

B

Dubium IV.

An votum B. Virginis, de ſeruanda virginitate, fuerit ſolemne, vel ſimplex.

HVius dubij, ex antiquis ſolùm inuenio Henricum qui mentionem fecit, *quodlibet. 9. quæſt. 11. litera F.* & dicit, B. Virginem quantum eſt ex parte ſua, illud fuiſſe ſolemne. Secundò docet, non fuiſſe ſolemne, quia tunc non erat ſolemnitas determinata ab Eccleſia. Tertiò affirmat, B. Virginem ante matrimonium occultè feciſſe votum, ſoli Deo cognitum: poſt matrimonium autem illud manifeſtaſſe.

Ex recentioribus verò P. Vazquez *diſp. citata, c. 5.*
C docet illud votum non fuiſſe ſolemne, & idem docuit P. Suarez *diſp. illa 6 ſect. 2. in fine.*

Ponenda autem eſt hoc loco diſtinctio voti ſolemnis, & ſimplicis, de qua diximus 2. 2. *ad quæſt. 88.* Item ſciendum eſt, ſecundùm noſtram doctrinam, & multorum opinionem, votum ſolemne, & votum ſimplex perpetuum, circa eandem materiam differre ſolemnitate, quæ ex noſtra opinione introducta eſt ab Eccleſia iure poſitiuo.

His præmiſſis, mihi placet, votum B. Virginis non fuiſſe ſolemne, quia tunc temporis non erat forma ſolemnitatis aſſignata ab Eccleſia. Suppono autem falſum eſſe placitum aliquorum, qui exiſtimarunt in veteri lege fuiſſe religioſos diſcipulos
D Eliæ, & emiſiſſe tria vota ſolemnia, & B. Virginem fuiſſe illius religionis, quod alibi impugnandum eſt; ex inſtituto ſolùm aduerto, totum hoc ante aliquot annos vehementer diſplicuiſſe Magiſtris Academiæ Complutenſis, & aliis multis doctiſſimis viris Hiſpaniæ, & de hoc dicam infrà.

Deinde certum eſt, intra genus voti, votum B. Virginis perfectius fuiſſe, & maioris meriti, quàm votum cuiuſlibet puræ creaturæ, propter magnum, & intentiſſimum Dei amorem, quo B. Virgo illud emiſit, vt docuit P. Vazquez *ſupra num. 95.* & cæteris paribus votum ſolemne, & ſimplex eiuſdem rationis ſunt, & in B. Virgine perfectiſſimum fuit, propter rationem aſſignatam.

E Deinde P. Suarez *diſp. 6. citata ſectione 1. in fine* docuit, veriſimile eſſe, quòd ex Auguſtino refertur *cap. B. Mater 27. quæſt. 2.* illam priùs in corde votum emiſiſſe, non tamen expreſſiſſe ore, niſi poſt matrimonium.

Dubitare autem poſſet aliquis, an B. Maria conſuluerit ſuos parentes circa emiſſionem voti, quod dubium locum non habet in opinione eorum, qui putant, B. Virginem emiſiſſe votum virginitatis & caſtitatis ſeruandæ poſt mortem parentum, & poſt contractum iam matrimonium.

Alij verò putant, viuentibus parentibus, & ipſis conſentientibus, B. Virginem votum virginitatis emiſiſſe, quod credibile eſſe dicit Baronius *in*

apparatu ad Annales.& videtur admittere P.Vazquez *disp.124.cap.4.num.*82. Sed res est iocerta. P.Suarez *sect.citata,in fine*, sentit B. Virginem ad emittendum votum prædictum,oon consuluisse parentes : neque fuisse boc necessarium , cùm ipsa ab Spiritu sancto regeretur.

Aliud dubium posset esse, an parentes Virginis si scirent, B. Virginem emisisse votum virginitatis, possent illud irritare.P.Suarez *loco citato*, solùm dixit oon esse timendum, quòd parentes Virginis votum illud irritarent,quia sanctissimi erant,& agnoscebant sanctitatem filiæ, & Spiritus sancti singulare regimen circa illam. Et certè , etiamsi cognouissent votum factum sine eorum consensu, prudenter tamen indicantes,illam filiam votum emisisse , non possent licitè,aut validè illud irritare contra voluntatem Dei.

DISPVTATIO XXII.

Scholastica, & Positiva.

De virginitate perpetua B. Virginis.

Dvbivm I.

An B.Virgo tempore conceptionis seruauerit virginitatem.



N hoc dubio dicemus de tempote conceptionis,deinde de tempore natioitatis , & de tempote post natiuitatem Christi.

Hæresis fuit asserentium,B.Virginem concepisse opera viri , & non ex virtute Spiritus sancti. ita docuit Carpocrates , & Chetinthus, vt referunt Irenæus *lib.1. aduersus hæreses c.24.& 25.* Tertullian. *lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap.48.num.3.10.& 312.* Epiphanius *lib.1. contra hæreses cap.27.&* 28. & alij, eandem hæresim tribuunt prædictis hæreticis. Idem error tribuitur Ebioni à Clemente Romano *lib.6. constitutionum Apostolicarum cap.6.*& à Tertulliano *cap.48.num.*313. licèt aliqui dubitent, an Ebion & eius discipuli perseuerauerint in hoc errore.

Pro eodem errore citantur multi Iudæi, & vulgus Mahometanorom , & quosdam Ethnicos, qoos sequuti sunt Iulianus apostata,& Porphyrius,vt notauit Canisius *lib.2.de Maria deipara cap.7.* & *cap.*8. refert alium hæreticum qui in Germania ante paucos annos eumdem errorem docuit.

Fides tamen Catholica docet , B.Mariam semper fuisse Virginem,& de tempore conceptionis,probatur ex *Matth.*1.vbi dicitur , *Inuenta est habens de Spiritu sancto* , & iterum, *Quod in ea natum est , de Spiritu sancto est*. De Iosepho autem , *& non cognoscebat eam donec peperit filium suum*.&c.Et eadem veritas probatur ex eo quòd cùm Maria diceret , quomodo fiet istud,quoniam virum non cognosco?Respondit Angelus,*Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*.&c.Quæ loca manifestè indicant hanc veritatem,& in hoc sensu explicantur ab omnibus sanctis Patribus & Catholicis.

Eadem veritas definita est in Concilio Lateranensi I.*consultat.5.cap.3.*& ex multis quæ infrà referemus, confirmabitur.

Doctè autem & eruditè Canisius *lib.2.de Deipara cap.6.* contra Iudæos eandem veritatem probat ex veteri Testamento. Et de virginitate B. Mariæ eruditè tractat Carranza Carmelitanus, *opusculo de ea re cap.15.* eandem virginitatem rectè ex testimoniis Rabinorum & Mahometi colligit Petrus Galatinus *lib.7.de arcanis fidei, cap.14.& 15.*

Dvbivm II.

An B.Virgo in partu virgo manserit.

IN hoc dubio hæresis fuit aliquorum asserentium, B. Mariam in parto oon mansisse virginem , ita Iouinianus , vt refert Augustinus *libro de hæresibus cap.*82. & Ildefonsus *lib. de illibata Virgine cap.*1. habetur 9. *tomo Bibliothecæ*.huius erroris meminit Ambrosius *epistola* 81. licèt non nominet specialem autorem. Alij etiam sequuti sunt hunc errorem , quos refert P.Vazquez *disp.121. cap.2.* qui eruditè tractat de opusculis B.Ildefonsi, & hæreticis , contra quos scribit.

Sed fides catholica docet primùm B.Mariam non tantùm in conceptione Dei , sed in partu virgioem fuisse,& Christum ex virgine absque vlla ruptione, vel dilatatione natum fuisse. Primam partem definiuit Martinus V. in Concilio I.Lateranens. *consultatione 5.can.3.*Idem defioitur io Concilio Constantioopolitano generali V. *consultatione* 8. *canone* 6. idem colligitur ex epistola Tarasi, quæ est in VII. Synodo *actione* 3.

Et probatur hæc veritas ex illo Isaiæ 7. *Ecce virgo concipiet,& pariet filium*,&c quem locum in hoc sensu explicat Matthæus Euangelista *cap.*1.& hoc sensu interpretati sunt multi Patres locum Isaiæ citatum. Ita ex Græcis Iustinus *in dialogo cum Tryphone pagina* 32.Athanasius *in epistola ad Epictetum pag.*2.Ignatius *epistola* 9.Cyrillus Hierosolymitan. *Catechesi* 12. Basilius *homilia* 25.Nyssenus *oratione de natali Christi, colum.*4.Epiphanius *aduersùs hæreses . hæresi* 30. Eusebius *lib.7.de demonstrationib.Euangelicis* 2.

Deinde ex Latinis,Tertullian.*aduersùs Iudæos c.9. & libro de carne Christi cap.*23. Lactantius *lib. 4. diuinarum institutionum cap.*12. Cyprian.*libro 2.epistola* 6. quæ nunc est 11.in ordine. Hieronymus *lib.1.contra Iouinianum num.* 40. Ambrosius *epistola* 81. Ruffinus *in symbolo apud Hieronymum tom.*9. Augustinus *sermone 6.de tempore* , & posteriores aliæ,quem locum rectè explicat P.Vazquez *suprà cap.*3.vbi ostendit , vocem,pro qua Latinus vertit virginem,propriè significare fœminam simpliciter virginem.

Sed obiiciunt Hebræi illud Prouerbiorum 30. *Viam viri in adolescentula* , vbi vox Hebræa non potest significare virginem , loquitur enim de ea quæ habuit congressum cum viro.

Propter hoc aliqoi dixerunt vocem Hebræam, quæ ex *Isaia* 7.significat virginem , non habere eandem significationem in hoc loco Prouerbiorum. Sed oon sunt audiendi , vt notauit P. Vazquez cum aliis , & licèt in boc loco Prouerbiorum significet, vt reuera significat , potest locus explicari , ex eo qoòd postquam Virgo violata est , ita se gerit ac si à nullo esset cognita , vel quia fieri potest violatio virginitatis absque vlla corruptione corporis sola dilatatione partium sigilli virginalis, vt notauit Vallesius *libro de sacra philosophia cap.*25.& doctissimi medici huius ætatis ducti experimento anatomico, quod alibi diximus, præsertim 22.*tom.*2. agentes de stupro. legatur P. Vazquez *disp.*121. *cap.3. à num.* 52. 53.& 54.

Deinde de fide etiam est , vterum B. Mariæ dum peperit filium,nec ruptum,nec dilatatum fuisse. hæc pars etiam est de fide , quam multi Patres tradiderunt,& præsertim Ildephonsus *loco cit.*& D.Thomas

3.*part.*

3. part. quæst. 35. art. 6. Ignatius *epist.* 10. aliàs 13. Cyrill. Alexandrin. *lib. 8. contra Iulianum. §. quid igitur, in fine.* Concil. Toletan. XI *in Confessione fidei, post medium.* Et expresse Ambros. *libro de institutione virginum c. 7. in fine,* Augustin. *epistola 3. colum. 4.* Eusebius Emissenus *serm. 2. de natiuitate.* Gregorius *hom. 26.* in Euangelia. Proclus *homilia de Christi natiuitate, quæ est in Concil. Ephesino tomo 6. cap. 7.* Leo I. *sermone 2. de natiuitate.* P. Chrysolog. *serm. 142.* Guerricus *homil. 2.* Zenon Veroneos. *serm. 2. de natiuitate Domini 2. tomo Bibliotheca sacra, parum ante finem.* Cyprian. sermone de natiuitate, & Hieron. *opusculo contra Eluidium num. 7. in fine.* Athanasius *sermone de natiuitate Christi apud Lippomanum 8. tomo.*

Et ratio sumenda est ex eo quòd virginitas hanc integritatem etiam requirit ex parte corporis, & ita dum Concilia & Patres docent B. Mariam semper fuisse Virginem, hoc etiam includunt, quod sine hæresi negari non potest: aliqua verò quæ contra hanc doctrinam obiiciunt hæretici, adducemus *infrà.*

DVBIVM III.

An B. Maria post partum semper permanserit Virgo.

IN hoc dubio non defuerunt hæretici, qui dicerent B. Mariam post natiuitatem Christi non permansisse virginem, sed fuisse cognitam à Iosepho, ita refert Epiphanius *lib. 3. aduersus hæreses, hæresi 78.* quæ hæresis dicitur orta ab Apollinario, vel eius discipulis. Eandem refert Augustinus *lib. de hæresibus ad Quodvultdeum cap. 56.* eundem errorem sequutus est Eluidius, vt refert Augustinus *libro de hæresibus cap. 84.* legatur P. Vazquez *suprà cap. 6.* & saeè Canisius *libro de Deipara cap. 10.* refert hunc errorem antiquissimum fuisse in Ecclesia, licèt non minet aliquem speciatim, & colligitur ex origine *homil. 7. in Lucam.*

Et manifestè hunc errorem secutus est Tertullianus *libro de velandis virginibus cap. 6. num. 48. & libro de carne Christi cap. 23. num. 174. & libro de monogamia cap. 80. num. 55.* & ita apertè errauit Tertullianus, vt Pamelius *in prologom. ad Tertullianum paradoxa 23.* non potuit hæc Tertulliani loca in bonum explicare sensum. Et eundem errorem sequutus est Eunomius, si fides adhibenda est Imperfecto apud Chrysostomum *homilia 1. in Matthæum.* Et ita senserunt aliqui hæretici huius temporis, vt refert Canisius *cap. citato.* Argumenta horum hæreticorum infrà diluemus.

Fides autem Catholica docet B. Mariam, etiam post Christi natiuitatem, semper mansisse virginem, vt apertè colligitur ex Conciliis, & Patribus suprà citatis.

Sed oportet soluere aliqua argumenta, quæ obiiciuntur contra catholicam doctrinam.

Et primò ad probandum quòd B. Maria non manserit Virgo in partu, obiiciunt hæretici quòd aliàs Christus non posset dici filius Mariæ, quia non nasceretur ex ea modo naturali, quo alij filij nascuntur ex suis matribus. Huic argumento respondebat iam olim Ildephonsus, & eius solutionem refert P. Vazquez *disp. citata cap. 5.* qui legi potest. Respondendum autem est concedendo, alios filios modo naturali in lucem prodire communi modo quo aliæ fœminæ pariunt, licèt modus ille introductus sit in pœnam peccati. Tertiò concedendum est Christum natum ex Virgine interueniente modo aliquo su-A pernaturali. Quartò nihilominus dicendum est Christum verè esse filium B. Virginis, quia, vt aliquis sit filius naturalis suæ matris, præcipuè consideranda est generatio & modus eius, secundùm veram philosophiam: vnde, si quis post mortem matris scisso ventre ederetur in lucem, verè esset filius matris suæ, licèt non nasceretur modo quo alij filij nascuntur, quod bene, & fusiùs explicat P. Vazquez *suprà,* & alij recentiores.

Secundò obiiciunt hæretici illud Lucæ 2. *& postquam impleti sunt dies purgationis eius,* &c. Ex quo loco duo inferunt hæretici. Alterum est Virginem eguisse purgatione, ac proinde fuisse maculatam in partu: alterum vuluam eius fuisse apertam, & ru-B ptam, quod etiam videtur concedere Tertullianus *libro de carne Christi cap. 4. num. 31.* & Origenes *homilia 14. in Lucam post medium.*

Huic obiectioni respondet Ildephonsus *loco citato,* cuius responsionem refert P. Vazquez *disput. citata cap. 5.* & respondendum est, Purificationem Mariæ intelligendam esse, non quia purificata sit ab aliqua macula, sed quia voluit adimplere tempus purificationis secundùm legem, quæ est communis expositio Patrum & interpretum.

Ad secundum bene respondet Ildephonsus sermone illo priori de parturitione, ac purificatione S. Mariæ *colum. 1. in fine,* Christum ita aperuisse potentia sua vterum Virginis quatenus per illud trans-C ibit absque impedimento, sicut ianuis clausis ingressus est ad discipulos post resurrectionem. Vt omittam recentiores aliquos explicare, idem esse aperire vuluam quod fœcundum reddere, sicut contrà claudere vuluam denotat sterilem reddere ex Scriptura *Genesis 20. 29. & 30. & 1. Regum 1.* & hoc sensu S. Thom. *3. part. quæst. 28. art. 2. ad 1.* explicat testimonium Ambrosij.

Et hoc sensu recentiores aliqui contendunt explicare quædam testimonia Patrum, quæ videntur fauere errori hæreticorum; sed difficilè explicantur. legatur de hoc P. Vazquez *disput. & capite citato.*

Deinde contendunt hæretici B. Mariam saltem post partum non mansisse Virginem, & probant ex D *Matthæi* 1. vbi dicitur B. Maria desponsata; ergo aliquando erat nuptura. Secundò ibi dicitur, *antequam conuenirent;* ergo signum est postea conuenisse. hæc est obiectio Eluidij cui respondet Hieronymus *opusculo aduersùs Eluidium.* B. Mariam dici desponsatam, hoc est, per matrimonium contractum, vt ex multis Patribus probauimus agentes de matrimonio Virginis. Deinde quod dicitur, *antequam conuenirent,* non significat postea conuenisse, sed Scriptura quid non factum fuit significat, quod fusiùs explicat P. Vazquez *suprà cap. 7.* & interpretes *in cap. 1. Matth.*

Secundò obiicit Eluidius *Lucæ* 2. quod dicitur, *Maria peperit filium suum primogenitum;* primogenitus autem non dicitur nisi comparatione aliorum E filiorum. Huic obiectioni respondet Hieronymus & recentiores ex illo primogenitum dici aliquando illum, ante quem prior alius natus non est, quod fusiùs explicat *opusculo citato.*

DVBIVM IV.

Quo sensu in Euangelio aliqui dicantur fratres Domini.

NEcessarium est explicare hoc dubium, quia diximus B. Mariam post partum etiam Virginem permansisse.

In hoc dubio aliqui Patres existimarũt, Iosephum alios

alios filios habuisse, non ex B. Virgine, sed ex alia vxore. Ita sensit Origenes *in cap. 13. Matth. circa finem.* Chrysostomus *homilia de annuntiatione B. Mariæ,* apud Surium, & Lippomanum *in festo illius.* Eusebius *lib. 2. historiæ cap. 1. parum a principio.* Epiphanius *aduersus hæreses hæresi 28. & hæresi 5. pag. 4. hæresi 78. pag. 3. in Ancorato pagina. 19.* Nicephorus *lib. 1 historiæ cap. 21. & libro 2. cap. 3.* Euthymius *in cap. 12. Matthæi.* Et aliqui ex Latinis. Hilarius *canon. 1. in Matth.* pseudo-Ambros. *in 1. cap. ad Galatas*, & Augustinus *eodem loco.*

Et probari solet. Primò ex quadam traditione Hebræorum, quam refert Origenes *suprà.* Secundò solet probari ex eo quòd S. Ioseph erat iam senex quando contraxit matrimonium cum beata Maria. Tertiò, quia hoc modo voluerunt prædicti Patres defendere virginitatem Mariæ, & de filiis Ioseph explicare aliqua loca Scripturæ.

Aliorum sententia est, quæ duo continet, vnum est, B. Iosephum cum sola Virgine matrimonium contraxisse. Alterum in Euangelio aliquos dici fratres Domini, solùm iure propinquitatis. Hanc sententiam rectè explicuit Hieronymus *in opusculo contra Elaidium à num. 9.* & sequutus est Beda *in Marci 6. cap. & Lucæ 8. & etiam Ioannis 2.* Anselm. *in c. 12. Matth.* Hugo Victorin. *tom. 1. quæst. 5. in epist. ad Galatas.* Ex Græcis Theodoretus *in cap. 1. ad Galatas.* Abdias Babylonicus *in vita Simonis & Iudæ.* Augustinus *sermone 14. de natiuitate Domini* Rupertus *lib. 1. de gloria & honore filij hominis*, Petrus Damianus *epistol. 11. cap. 4.* Bernardus *sermone 2. in laudibus Virginis,* Gerson *sermone de natiuitate B. Mariæ consideratione 2.* & posteriores alij interpretes Scripturæ, & Scholastici communiter.

Et potest probari ratione, qua vsus est Lyppomanus, & Surius *in præfatione ad homiliam Chrysostomi:* nam si Iosephus aliam vxorem duxisset, fuisset Maria, quæ dicitur Iacobi, hæc enim fuit mater eorum, qui dicebantur fratres Domini, quod fatentur autores contrariæ opinionis: hanc autem habere non potuit vxorem; ergo nullam aliam habuit. Minor probatur, quia si illam priorem habuit, ea mortua cum Virgine contrahere debuit; hoc verò dici non potest. nam tempore quo Christus mortuus est, inter alias mulieres aspicientes Iesum, vna erat Maria Iacobi, vt dicitur *Matth. 27. & Marci 15.*

Quòd si aliquis dicat Iosephum simul duas vxores habuisse, nullus catholicus hoc admittet, neque Patres primæ opinionis. Imò Epiphanius apertè sensit Iosephum mortua priore vxore cum B. Virgine contraxisse.

Sed dicet aliquis, cum Chrysostomo *homil. citata,* Iosephum repudiata prima vxore contraxisse cum Virgine Sed hoc absque vllo fundamento dicitur, & testimonia Scripturæ, quæ pro prima opinione adducuntur, optimam habent explicationem, vt dicemus. & hoc ex dicendis ampliùs explicabitur.

Alij verò Doctores, vt retuli, docuerunt, fratres Domini in Euangelio dici aliquos solo iure propinquitatis, sed quo iure fuerint, non satis conuenit inter Doctores; quod in sequentibus examinabimus.

DVBIVM V.

Quo iure propinquitatis aliqui in Euangelio dicantur fratres Domini.

PRæmittendum autem est, id quod notauit Hieronymus *opusculo contra Elaidium num. 13. parum ante finem*, in Scriptura quatuor modis fratres aliquis nuncupari, natura, gente, cognatione, & affectu. Natura, qui sunt ex eodem parente: gente, sicut Iudæos inter se; cognatione autem, qui sunt ex eadem familia alicuius gentis; & affectu, qui modi satis sunt manifesti, & Hieronymus supra exempla adducit ex Scriptura.

In præsenti autem dubio aliqui existimarunt fratres Domini in Euangelio dici consobrinos Christi, natos ex sororibus Virginis. Hanc sententiam primus tradidisse videtur autor Glossæ ordinariæ, in illud ad Galat. 1. *nisi Iacobum fratrem Domini* & Hugo de sancto Victore *quæst. 5. in epistol. ad Galat. 1. tomo,* & ex parte Glossa interlinealis *in caput 1. Actorum,* Echius *sermone in festiuitate sanctæ Annæ.* Et fauet Beda *in illud Actorum 1.* Hieronymus *in libro de viris illustrib. siue de scriptoribus Ecclesiasticis,* agens de Iacobo qui dicitur frater Domini. Isidorus *in libro de vita & morte sanctorum Patrum cap. 79.*

Sed hæc sententia communiter iam refutatur, quia absque vllo fundamento dicitur B. Annam mortuo Ioachimo, cum aliis viris contraxisse matrimonium, & ex illis habuisse alias filias, quod fusiùs explicat P. Vazquez *disp. 122. cap. 3.*

Ad explicandam probabiliorem sententiam oportet aduertere, quinam in Euangelio dicantur fratres Domini; quatuor verò homines tantùm inueniuntur in Euangelio dicti fratres Domini, Iacobus, Iosephus, Simon, & Iudas, *Matthæi 13. in finem ad Galat. 1. Actorum 1.* vbi prædicti nominantur, licèt non omnes speciatim dicantur fratres Domini. Et licèt vulgariter duæ fœminæ dicantur sorores B. Mariæ, tamen vnam tantùm speciatim sic dictam inuenimus in Euangelio, nempe Mariam Cleophæ, *Ioan. 15. cap.* plures autem fuisse sic vulgo dictas, constat ex illo Matth. 13. in fine, *& sorores eius*, &c.

Sed restat difficultas, an omnes isti qui dicuntur fratres Domini, nati fuerint ex eodem patre & matre. In quo dubio Cardinal. Baron. *in apparatu ad annales, §. iam verò reliquum est, post medium illius*, peculiarem sequutus est opinionem. Et primò putat, Iacobum, & Iosephum fratres Domini fuisse filios Alphei, & Mariæ, non Mariæ Cleophæ, sed Mariæ Iacobi, quam putat esse diuersam à Maria C[illegible]. Secundò docet Simonem, & Iudam [illegible] Cleophæ fratris Iosephi B. Virginis spo[illegible] terius Mariæ, quæ dicta est Cleophæ.

Primam partem probat, quia Iacobu[illegible]mini cognominatus fuit Alphei, *Matt*[illegible]ri 3. *Actorum 1.* consuetudo autem S[illegible], filios nomine patris nominare, sicut eti[illegible] Iacobus dici solet Zebedæi, constat etiam [illegible] Ioseph fratrem fuisse Iacobi. nam *Marci 15.* d[illegible], Maria Iacobi minoris, & Iosephi mater.

Secundò probat, Simonem, & Iudam filios [illegible] Cleophæ, non autem Alphei, ex Egesippo, qui apud Eusebium *lib. 3. cap. 10. & 26* aliàs *cap. 11. & 32.* dixit Cleopham fuisse fratrem Iosephi sponsi Virginis, & ex eo genitũ fuisse Simonem, vel Simeoné, qui Iacobo minori in Episcopatu Hierosolymitano successit.

Tertiò huius Cleophæ vxorem, & matrem Simonis & Iudæ, probat esse Mariam à marito suo Cleophæ nominatam, & distinctam à Maria Iacobi.

Sed diuersam sententiam S. Hieronymi, cum communi Doctorum, docuit P. Vazquez *suprà cap. 4.* & putat efficaciter confutari, & fusè confutat, doctè, & eruditè, vt assolet, qui legi potest: mihi enim nihil occurrit addendum diuersum.

Deinde docet cum Hieronymo, nempe matrem eorum fuisse Mariam Cleophæ, patrem Alpheum, Mariam verò fuisse cognominatam Cleophæ, vel

quia

quia fuerit filia Cleophæ, vel quia ex familia, vel à A marito Alpheo, qui dictus fuerit Alpheus Cleophas, quia habuit duo nomina, vel quia Cleophas esset proprium nomen eius, & Alpheus cognomen. Et de omnibus fratribus captesse dixit Hieronymus *Matthei* 12. in finem, fuisse filios Mariæ Cleophæ, & ideo dictos fratres Domini. Sed quo gradu propinquitatis esset Maria Cleophæ coniuncta B. Virgini, incertum est.

Illud videtur probabilius coniunctionem hanc fuisse ex parte Mariæ, non ex parte Iosephi, vt bene dixit P. Vazquez *suprà*, apud quem legi possunt minutiora quædam alia.

Hic posset disputari, an fuerint tantùm duo Iacobi, vel tres, de quo eruditè P. Vazq. *suprà disp.* 123. per B tria capita. De perpetua virginitate Mariæ legi potest P. Valentia *tomo* 4. *disp.* 2. *quæst.* 2.

DISPVTATIO XXIII.

POSITIVA.

Circa aliqua loca Scripturæ, quæ pertinent ad virginitatem B. Virginis.

DVBIVM I.

Quomodo intelligantur illa verba Prouerbior. 30. C Quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentula.

HVnc locum obiiciunt hæretici contra virginitatem B. Virginis, quem etiam obiiciunt Hebræi. Pro *adolescentula* verò ponitur vox Hebræa *Galmath*, quo in loco non videtur posse significare fœminam Virginem, quia ex congressu fœminæ cum viro magis relinquitur vestigium, quàm ex via nauis in mari.

Caietan. in illum locum, vt soluat obiectionem, dixit prædictam vocem ibi non significare virginem, nec puellam, sed corruptam, in qua non manet D vestigium, ex quo possit cognosci coniunctio habita cum corrupta. Sed Hieronymus & alij communiter docent prædictam vocem significare virginem, ex communi Patrum, quos refert P. Vazquez *disp.* 121. *cap.* 5. & iuxta hunc sensum potest explicari locus iste Prouerb. vt vox prædicta significet virginem, & dicat Sapiens, difficilem esse cognitu coniunctionem viri cum illa, proptet magnam curam qua solet prædicta mulier occultare suum defectum ne cognoscatur ab aliis, vt exponit *suprà* P. Vazquez Iansenius, P. Mariana & P. Sà *ibidem*, & alij in citatum locum Prouerbiorum, apud quos plura legi possunt.

Item dici potest talis coniunctio difficilis cogni- E tu, quia, vt alibi diximus, & P. Vazquez docuit *cap. citato*, cum peritissimis Medicis, in violatione Virginis nulla pellula corrumpitur, quod docuit Vallesl. in sacra philosophia *cap.* 25. quem alij sequuntur.

Sed potest obiici contra hanc sententiam Vallesij illud *Deuteronomi.* 22. vbi Dominus præcipit, vt si quis maritus volens repudiate vxorem, ei obiiciat, quòd in primo congressu eam virginem non inuenerit, parentes ferant secum signa virginitatis puellæ ad seniores, nempe pannum tinctum sanguine ex primo congressu: signum igitur est in primo coitu virginis etiam grandævæ sanguinem fluere.

Respondetur ex hoc loco nihil sequi contra sententiam Vallesij, quia Dominus ibi tantùm præcipit vt si patet seruauit huiusmodi pannum, deferat ad iudices, & hoc solo liberetur puella, neque quidquam contra eam valeat obiectio viri, aut aliud testimonium, pannum illum tinctum sanguine consueuisse dati parentibus puellæ coram testibus & tabellione, notauit Abulensis *in illud caput, q.* 4. & Vallesius *loco citato*, alioquin nulla fides ei adhiberetur, & quamuis hoc signum non esset omnino certum, considetata natura sigilli virginalis, voluit tamen Deus vt sufficeret ad probationem, vt *ibi* notauit Abulensis.

Cæterùm si patet non exhibetet huiusmodi pannum, vel quia illum non seruauit, vel quia filia eius cùm esset grandæua, non misit sanguinem, non propterea puella ex obiectione viri sui condemnabatur ex illa lege, sed aliunde se poterat defendere, quia sine culpa eius poterat accidere.

Deinde notandum est prædictum locum Prouerbiorum à Lyra, Iansenio, & aliis recentioribus explicari de natiuitate Christi ex B. Maria, qui egressus est de vtero conseruata matris virginitate. Item sciendum est septuaginta Interpretes, & vulgatam lectionem, non habere, *viam viri in adolescentula*, sed *in adolescentia*. & ita ex hoc loco nihil possunt Hebræi colligere contra doctrinam catholicam, & secundùm hanc lectionem sensus erit, viam iuuenis in adolescentia ita instabilem esse, & inconstantem, vt nullum relinquat sui vestigium, ita Hieronymus, & Beda de inconstantia iuuenis, quando deserit viam veritatis.

Alij verò non de inconstantia solius iuuentutis, sed totius vitæ ante senectutem, nonnulla alia circa hunc modum legi possunt apud P. Vazquez *cap. citato*; & de significatione vocis prædictæ *Galmath*, plura dicemus dubio sequenti.

DVBIVM II.

De sensu loci Isaiæ 7. Ecce vir concipiet, &c.

HVnc locum non solùm Ecclesiæ Patres, quos testimus de virginitate B. Mariæ interpretantur, ita vt fuerit prophetia de perpetua illius integritate; sed etiam Matthæus *cap.* 1. hanc sensum expressit. nam postquam narrauit quo pacto Angelus suasit Iosepho, vt acciperet Mariam coniugem suam, eo quod in ea natum erat, de Spiritu sancto erat, & quo pacto filius, quem in vtero habebat, redempturus esset populum suum à peccatis eorum, subiunxit, *Hoc autem totum factum est vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium*, &c. & in hoc sensu adductum esse testimonium Isaiæ à Matthæo exponunt Patres, quos citat P. Vazquez *disp.* 121. *cap.* 3.

Sciendum autem est Theodotionem, & Aquilam Iudæos locum Isaiæ ita vertisse, vt non transtulerint Virginem, sed adolescentulam, id quod reprehenderunt iam olim aliqui Patres, quos suprà citat P. Vazquez, & Chrysost. *homil.* 5. *in Matthæum* docuit maiorem fidem habendam esse LXX. interpretibus, qui verterunt, *Ecce Virgo concipiet*, & 100. annis ante Christi aduentum hunc locum transtulerunt.

Et Hieronymus in quæstionibus Hebraicis & aliis locis citatis à P. Vazquez rectè impugnat versionem Hebræorum, & ostendit vocem *Galmath*, quæ est in prædicto Isaiæ testimonio, non adolescentulam denotare, sicut denotat vox *Nathgra*, sed virginem, & ita sumitur ex aliis Scripturæ locis, vt Genesis

Genesis 24. *igitur puella cui ego dixero*, &c. & ita interpretatur P. Mariana in citatum locum Isaiæ, vocem eam *Galmach*.

Vnde non est audiendus Iansenius, qui *cap.7.concordiæ* dixit, explicans prædictum locum Isaiæ, *Galmach* non denotare propriè virginem, licèt in Scriptura nunquam dicatur nisi de virgine, in quo audacter opponitur sanctis Patribus in re grauissima, qua dedit occasionem errandi Iudæis & Hebræis, mitto historias Egesippi, & Nicephori, quæ in confirmationem huius solent adduci, & refert P. Vazquez *cap.citato*, nobis sufficiat autoritas Hieronymi, & aliorum Patrum, explicantium locum Isaiæ, & caput 1. Matthæi.

Et sanè Iansenius *loco citato* concessit vocem illam *Galmach* lingua Punica, ex qua Hebræa deriuatur, propriè significare virginem.

Sed obiiciunt Hebræi credibile non esse datum fuisse signum Regi Achaz, quo signum ipse visurus non erat. Respondetur signum illud non datum esse Regi Achaz, qui contempserat signum oblatum à Propheta, sed datum est signum illud domui Dauid, quæ duratura erat, & visura signum de virgine concipiente & pariente filium.

Sed obiiciunt aliqui, quòd licèt in citatis verbis Isaiæ prædicta vox significet propriè virginem, tamen ex illo loco, virginem quæ priùs fuerat virgo, permansuram virginem in conceptione & partu, & huic obiectioni fauet Erasmus *in annotationibus in caput 1. Matthæi*, & Iansenius *cap.7.concordiæ*, nosus est dicere ex solis verbis Isaiæ non posse efficaciter colligi B. Mariam permansisse virginem in conceptione & partu.

Sed certissimè asserendum est ex verbis Isaiæ colligi fidei veritatem de virginitate Mariæ in conceptione & partu, quia aliàs nullum esset signum promissionis diuinæ, si solùm significaretur mulierem amissa virginitate concepturam, & parituram: meritò ergo sancti Patres ex verbis Isaiæ collegerunt prædictam veritatem.

Item obiiciunt Hebræi, quòd Christus qui natus est de Virgine, non est vocatus Emanuel, ac proinde prophetiam Isaiæ *loco citato* non esse intelligendam. Sed respondetur Prophetam in eo loco noluisse significare, hoc fore nomen proprium Christi, sed rem significatam per nomen, illi conuenire, & ideo Tertullian. *libro aduersus Iudæos cap.9.* dixit non sono vocis, sed sensus esset futurum Emanuelem. legatur P. Suarez *tomo 2. in 3. part. disp. 5. sect. 2.* & alij interpretes S. Thomæ *3. part. ad quæst. 27. & in 1. caput Matth. & 7. Isaiæ.*

DISPVTATIO XXIV.

DVBIVM I.

An B. Virgo emiserit votum paupertatis.



ACTENVS diximus de virginitate B. Mariæ perpetua, & de voto, quo illam confirmauit, de quo voto disputant Scholastici occasione oblata de eius virginitate. Restat aliquid dicere de voto obedientiæ & paupertatis, an B. Virgo illa emiserit, de quibus Scholastici vix aliquod verbum protulerunt. Alij tamen viri pij & docti tractatibus de B. Maria aliquid dixeruot.

Et tria hæc vota emisisse generatim, docuit Spinelus *tomo de laudibus virginis cap.27. num.10. & 11.* A *& de voto virginitatis cap. 32. à num. 23.* de quo iam fusè diximus cum Scholasticis.

De paupertate autem Virginis multa & præclarè docent Patres. legatur Basilius *in constitutionibus monasticis cap. 5.* & Epiphanius Constantinopol. in vita Deiparæ, & Antonin. *4. part. titulo 15. cap. 43. §. 1. & cap. 32. §. 1.* Euthym. *in cap. 27. Matth.* ex traditione Patrum, Bonauentura in meditationibus vitæ Christi *cap. 9.* Carthusian. & Abulens. *in cap. 1. Matthæi quæst. 47.* & legi potest specialiter S. Antonin. *4. part. titulo 15. cap. 24. num. 1.* vbi citat Albertum, horum omnium Patrum verba refert fideliter Spinelus *cap. 37. citato à num. 12.*

B Et mihi placet B. Virginem emisisse votum paupertatis, vt docuit Spinelus *vbi proximè*, & Ioannes Eusebius Nierenbergius *libello de affectu Deiparæ*, pro qua sententia habemus præclarum testimonium sanctæ Brigittæ *libro 1. reuelationum suarum cap. 10.* vbi hæc verba dicit se audiuisse à B. Virgine, Omnia quæ habere potui dedi indigentibus, nihilque nisi tenuem victum, & vestitum reseruaui, & à principio voui in corde meo, nihil vnquam possidere in mundo. Expendatur verbum illud *voui*, & legatur *libro 7. earundem reuelationum cap. 25.* vbi de eadem paupertate Virgo loquitur cum Brigitta.

Sciendum autem est, reuelationes sanctæ Brigittæ magni esse momenti & ponderis, quia approbatæ fuerunt in Concilio Basiliensi à Gregorio X I. & ab Vrbano V I. & à Martino V. vt constat ex prologo Turrecrematæ præfixo libris eius reuelationum, vbi narrat modum quo non semel, sed iterum, atque iterum, hæ reuelationes examinatæ fuerunt. Primum in Concilio Basiliensi, à quo ipse cum aliis pro examine designatus est, deinde iussu Gregorij X I. & Vrbani V I. & tamen post hæc omnia in canonizatione confirmata sunt à Bonifacio I X. & Martino V. vt patet ex Bullis, quas *ibidem* Turrecremata refert. Hæc autem approbatio ita est intelligenda, non quasi sint de fide, sed quia prudenter, & piè credi possunt, & recipi à fidelibus, vt notauit P. Vazquez *tomo 2. in 3. partem disput. 117. cap. 6.* & alij recentiores. Ex qua doctrina multum confirmatur hæc sententia, quæ asserit, B. Virginem emisisse votum paupertatis. Et explicari potest. nam omnes qui approbarunt prædictam reuelationem, iudicarunt hoc posse prudenter & piè credi, & recipi, in quo nulla erat difficultas, & maximè decuit perfectionem Virginis, & sicut docent autores, Apostolos emisisse hoc votum, propter perfectionem suæ dignitatis, & in exemplum aliorum fidelium, ita maximè consentaneum fuit, vt B. Virgo hoc votum paupertatis emitteret, propter suam perfectionem, & ad exemplum aliorum, & hæc indicasse generatim sufficiat pro veritate ita rationi consentanea, vt nullus piè eam possit, aut velit negare.

DVBIVM II.

An B. Virgo emiserit votum obedientiæ.

IN hoc dubio ponendum est perfectissimam fuisse in B. Virgine obedientiam, vt Patres docent in aliqua Scripturæ loca, & agentes de virtutibus B. Virginis, & alij quos citat Spinelus *libro de laudibus Virginis cap. 11.* & legi potest Ignatius *in epistola ad S. Ioannem Apostolum*, S. Athanasius *homil. de Deipara*, Eusebius Emissen. *in Euangelio de annuntiatione*, Chrysostom. *homilia 4. in Matth.* Hieron.

A Hieronym. *epistola 22. ad Eustochium.* Sophronius *sermone de assumptione.* Ambrosius *lib. 2. de Virginibus,* Damascen. *lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 15. & oratione 1. de natiuitate Deipara,* Anselm. *de excellentia virgin. cap. 3.* Bonauentura *in meditationibus vita Christi, cap. 3.* Antonin. *3. part. titul. 31. cap. 4. §. 2.* & alij Patres, & Doctores *homilijs & concionibus de festiuitatibus B. Virginis*, & explicantes varia loca Scripturæ, tam noui, quàm veteris Testamenti, quæ frequenter occurrunt.

Quòd verò obedientiæ votum emiserit B. Virgo, docuit expressè Sploellus *libro citato, cap. 37. num. 10. & num. 18.* & Ioannes Eusebius citatus dubio præcedenti. Et sicut diximus, conuenlens fuisse & B rationi consentaneum, vt B. Virgo emiserit votum paupertatis, propter perfectionem suam, & ad exemplum aliorum, ita de voto obedientiæ, quæ virtus valdè perfecta est, oportet sentire, & hîc etiam habet locum argumentum sumptum ab eo quòd Apostoli emiserunt tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, hoc enim maximè concedendum est de beata Virgine, quæ sanctior fuit Apostolis, & à filio suo edocta, & ab Spiritu sancto directa in omnibus bonis operibus, & ad perfectionis statum pertinentibus.

Sed posset aliquis quærere, quænam fuerit materia huius voti obedientiæ, in quo mihi res non constat: sed non est dubitandum illud votum fuisse C prudenter emissum, & iuxta diuinum beneplacitum ex inspiratione Spiritus sancti, & in ordine ad exemplum aliorum.

Secundò posset aliquis quærere, an votum obedientiæ, & paupertatis fuerit solemne solemnitate introducta in Ecclesia; & negat P. Vazquez *disputatione 124. cap. vltimo, num. 94. in fine.* & P. Suarez *tomo 2. in 3. part. disputat. 6. sect. 3. in fine.* loquens in simili de voto virginitatis, & ratio est, quia B. Virgo non emisit hæc vota in aliqua communitate, & subiecta alicui Prælato. Et, vt dicebamus in simili de voto virginitatis, vota hæc obedientiæ & paupertatis propter perfectiorem affectum perfectiora fuerunt in Virgine, quàm nunc D fiut vota solemnia in personis religiosis.

Et iuxta hæc dicendum est B. Virginem votum obedientiæ ita emisisse, vt immediatè per illud subiiceretur Deo ad obediendum, non alicui superiori alicuius communitatis religiosæ. Et in hoc sensu loquitur P. Vazquez *suprà* de voto obedientiæ, dicens non fuisse conueniens, vt alterius obedientiæ per professionem subderetur.

Hoc loco disputant aliqui de perfectione sanctitatis S. Iosephi, & P. Suarez specialem facit disputationem *tomo 2. in 3. part. ad quæst. 29. in artic. 2.* & est disputatio 8. & alij tractatus peculiares faciunt de vita S. Ioseph, & sanctitate illius. Mihi hoc loco solùm placet aduertere, id quod dixit sanctus E Thomas *3. part. quæst. 28. articul. 4. in fine corporis,* beatum Iosephum post matrimonium contractum cum Virgine emisisse votum castitatis, id quod etiam alij docuerunt, & ex antiquis Scholasticis Henricus *quodl. 9. quæst. 11. littera F.* tractat, an illud votum fuerit solemne, & dicit, quantum est ex se, illud fuisse solemne: an verò absolutè fuerit solemne, non definit, in quo philosophandum est, sicut de votis beatæ Mariæ diximus. De aliis verò priuilegiis, quæ aliqui autores docent concessa fuisse sancto Iosepho, prudenter loquitur P. Suarez *disput. citata ad finem,* & sine fundamento idoneo, nihil est affirmandum à viro prudenti, & Theologo.

DISPVTATIO XXV.

MORALIS.

De votis Apostolorum.

DVBIVM I.

An Apostoli habuerint paupertatem.



IN hoc dubio fuit hæresis orta tempore Bonifacij VIII. quam excitauit Geraldus de Parma, & quidam Dulcinus Nouariensis, asserentes quòd Apostoli nec receperunt, neque in crastinum seruauerunt pecuniam, quam hæresim refert Castro *lib. 2. de hæresibus, verbo Apostoli, hæresi 2.* Quam bene refutat, & refutari potest ex *Ioanne 4.* cùm Christus venisset in ciuitatem Samariæ, discipuli ciuitatem intrarunt, vt emerent cibos ad manducãdum: similiter Iudas loculos habebat vt emeret necessaria, & colligitur ex *Ioanne 13.* & ex *Ioanne 6.* & colligitur ex *1. Corinth. 16. & Actorum 9.*

Sed obiicitur illud Matthæi 10. *Nolite possidere argentum & aurum,* &c. & iterum, *Nolite soliciti esse in crastinum.* Respondetur, his locis loquutum fuisse Christum, pro tempore, quo Apostoli mittebantur ad prædicandum per ciuitates Israël, vt discerent in Deo spem collocare, & bonum exemplum darent populis, vt constat ex Patribus in citata loca.

Alia hæresis fuit asserentium, Apostolos neque in communi, neque in particulari aliquid habuisse; quod tamen, vt hæreticũ, damnauit Ioannes XXII. *in extrauaganti Antiqua, & cap. quorundam, de verborum significatione,* & ideo necessarium est concedere, Apostolos vel in communi, vel in particulari aliquid habuisse.

Sed obiicitur Nicolaus III. *in cap. exiuit, de verborum significatione in 6.* Sed contendunt Doctores catholici ita explicare hos Pontifices, vt contrariã non sentiat, & Corduba *lib. 4. quæstionary. quæst. 3. ad 5.* explicat, Pontifices loquutos fuisse pro diuersis temporibus, & quidquid velit Corduba, eandem solutionem tradiderunt, Caietanus *in Apologia de potestate Papæ, 2. part. cap. 13. ad 1.* Canus *libro 6. de locis, c. 8. ad 6.* & Turrecremata *lib. 2. sua summæ, c. 12. ad 10.* quod rectè explicuit, quòd scilicet dominus, vtpote omnium Magister, & aliquando paupertatis viam perfectissimè obseruauerit, & docuerit, vt cùm dixit iuueni, nolenti ipsum sequi, Matthæi 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet;* & iterum, *Vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me;* & iterum, *qui non renuntiat omnia quæ possidet,* &c. quod fecisse Apostolos, testatur Petrus nomine illorum omnium, dicens, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

Et sic *Lucæ 8.* dicitur, quòd deuotæ mulieres ministrabant Christo, & eius discipulis de suis facultatibus.

Nihilominus, vt citati dixerunt Pontifices, quia Christus erat Magister omnium, ad instruendam Ecclesiam oportuit aliquando Christum loculos habere.

An verò circa dominium rerum, quas habent Franciscani, contraria senserint prædicti Pontifices, controuersia est inter Doctores. legantur quæ diximus 2. 2. *tomo 2. disput. 31. dubio 3.* & legi potest P. Vazquez *tomo opusculorum, tractatu de redditibus Ecclesiasticis, dub. 1.*

Dvbivm II.

An Apostoli aliquando emiserint votum paupertatis.

ALiqui senserunt, Apostolos non fecisse votum paupertatis, ita sensit Sarmiento *in 1. part. Apologia, & in defensionibus contra Nauarrum 1. part. cap. 9.* Et explicat, quia licèt paupertas pertineat ad perfectionem, nihilominus ad statum Episcoporum pertinet vt aliqua bona habeant, ex quibus possint subditis pauperibus succurrere, & Apostoli futuri erant Episcopi.

Contrariam tamen sententiam docent multi asserentes Apostolos emisisse votum paupertatis, & S.Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 4. *ad* 3. dixit Apostolos vouisse ea, quæ ad perfectionem pertinent, & colligit ex illo, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te,* &c. idem sensit Sotus *lib. 7. de iustitia, quæst. 5. artic. 1. & quæst. 2. artic. 2. ad 3. & quæst. 6. art. 1. ad 1.* & Nauarrus *in Apologia de redditibus contra Sarmiente, quæst. 1. monito 9.* & communiter interpretes S.Thomæ *ad quæstionem* 88. *citatam*, & P. Valent. *tomo 3. disput. 10. quæst. 4. puncto 1. folio 1902. column. 2.* Et probabiliorem sententiam putat P. Vazquez *tomo opusculorum, opusculo de redditibus Ecclesiasticis, cap. 2.* & mihi maximè placet, & colligitur ex Augustino *libro 17. de ciuitate Dei, cap. 4.* & probat ex illis verbis D. Petri, *Ecce nos reliquimus omnia.* Et certè hoc maximè decuit dignitatem & perfectionem Apostolorum.

Vlteriùs potest explicari, quia, vt docent Patres *circa caput 4. & 5. Actorum,* loquentes de Anania, & Saphira, tempore illo Apostolorum non pauci Christiani fecerunt votum paupertatis, & hunc locum Actorum citant P. Valent. *loco citato*, & P. Vazquez *suprà dub.* 1. & Sanctos Patres citauimus *infrà.*

Et de tribus votis idem docuit tanquam exploratum, P. Spinellus *lib. de beata Virgine, cap. 37. num. 10.* à verbis illis, *& quod spectat*, & citat Hieronymum *libro 1. contra Iouinianum*, circa illud Matthæi 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Ex quo Hieronymus colligit, Apostolos emisisse tria vota. & idem tribuit Augustino (Spinellus) *loco citato de ciuitate.*

Difficultas restat quo tempore Apostoli emiserint hoc votum paupertatis, de qua nihil certum inuenio apud Doctores: credendum autem est iuxta diuersas temporis circumstantias prudenter fuisse vsos consilio, & voto paupertatis, & illud obseruasse in ordine ad propriam perfectionem, & aliorum doctrinam, & exemplum.

Aduertit autem P. Vazquez ex doctrina tradita Apostolorum non colligi statum Episcoporum necessariò requirere paupertatem, sed pro conditione temporum conueniens esse habere aliqua bona in pios vsus, & auxilium pauperum, vt habuerunt Ambrosius, Augustinus & alij ex antiquis, & S.Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *articul.* 6. *ad* 2. quòd habuit dum Corinthij prædicaret aliquid missum ab aliis Ecclesiis, 2. *Corinth.* 11. & quòd aliquid possint habere Episcopi docet *ibidem* S. Thomas, & Sotus *lib. 10. de iustitia, quæst. 4. artic. 1.* & alij Doctores communiter.

Et quod diximus de voto paupertatis emisso ab Apostolis, confirmari potest, quia constat ex antiquo tempore Apostolorum tale votum fuisse in vsu fidelium, & colligitur ex Clemente I. *epistola 5.* ex Vrbano I. *in epistola sua decretali*, ex Augustino *in Psalmum* 23. Basilio *in constitutionibus monasticis, cap. vltimo.* Cassiano *de institutis renunciantium, cap. 13.* ex Concilio Aurelianensi I. *canon.* 21. Hic autem vsus, absque dubio introductus est ab Apostolis *verbo & exemplo*, qui edocti à Christo, id docuerunt. Et generatim de statu religionum incepisse ab Apostolis contra Madeburgenses, probat Bellarminus *tomo 1. lib. 2. de Monachis, cap. 5. pag. 1217. §. sextò probatur.*

Et id probat ex *Actorum 5. cap.* quos suprà retulimus, & ex Augustino 17. *de ciuitate, cap. 4.* & ex Eusebio *lib. 2. historia, cap. 16.* ex Hieronymo *de viris illustribus*, in Philone, & ex eodem Augustino *sermon. 2. de vita communi clericorum*, ex Possidonio *in vita Augustini*, Isidor. *lib. 2. de offic. cap. 15.* ex Cassiano *collatione* 18.

Et in specie de voto paupertatis id probat *libro citato, cap. 20. colum. 1269. & 1270. ex cap. 4. & 5. Actorum.* & ex Patribus circa hæc loca ex Chrysostom. *homilia 12. in Acta Apostolorum.* Hieronym. *in epistola ad Demetriadem*, quæ est 8. primi tomi. August. *sermone 27. de verbis Apostoli, & sermone 10. aliàs 12.* de diuersis, in editione Louaniensi, Fulgent. *in epistola de debito coniugali, cap. 8.* Gregor. *libr. 1. epistola 33. ad Venantium.* Aratore *libro 1. in Acta Apostolorum, circa citatum locum.* Œcumenius *in hunc locum*, & quòd Apostoli fecerint tria vota, docuit P. Suarez *tom. 3. lib. 3. cap. 2. num. 9.*

Dvbivm III.

An Apostoli emiserint votum continentia, & obedientia.

COmmunis sensus Patrum est, Apostolos post vocationem ad Apostolatum, emisisse votum castitatis, & colligunt ex illis verbis Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, quem locum etiam de separatione ab vsu copulæ carnalis, multi intelligunt, & docet Epiphanius *hæresi* 58. & Apostolos tria vota substantialia religionis emisisse docuit Spinellus *libr. de B. Virgine, cap. 37. num. 10.* & dicit esse exploratissimum, & citat verba Petri, *ecce nos reliquimus*, &c. in hunc sensum expendit Bellarmin. cap. proximè citato, & citat pro eodem sensu Clementem Alexandrii III. *stromatum*, & Hieronymum *lib. 1. in Iouinianum*, & dicit ita sensisse plures alios, neque vllum catholicum contradixisse. Et decuit maximè tale votum dignitatem & perfectionem Apostolorum, qui suo exemplo, & doctrina, iam inde à principio multos fideles induxerunt ad faciendum tale votum, vt constat ex innumeris locis Patrum, quæ citat Bellarmin. *libro 2. de Monachis*, probans contra hæreticos licitum esse votum castitatis.

Sed obiiciunt hæretici, plures Apostolos habuisse vxores; ergo non seruarunt castitatem. hanc obiectionem retulit Bellarmin. *libro 2. de monachis, cap. 34.* & docet primò, ex Scriptura solùm posse probari certò Petrum habuisse vxorem, iuxta caput 8. Matthæi. Secundò docet certum esse beatum Ioannem fuisse Virginem. Tertiò docet Bellarmin. Hieronym. contra Iouinianum probabiliter docere alios Apostolos fuisse Virgines, sed quidquid de hoc sit, inquit Bellarminus, satis nobis est Apostolos post vocationem à Christo continentes fuisse.

Sed obiicit P. Martyr non potuisse Apostolos sine causa repudiare vxores, cui obiectioni suprà respondet Bellarmin, & breuiter possumus respondere

Apostolos

postolos non repudiasse illas, sed ex consensu illorum & ex inspiratione Spiritus sancti, & consilio Christi separatos fuisse ab vsu copulæ carnalis, ac proinde potuisse emittere votum castitatis.

Alia verò quæ contra votum castitatis obiiciunt hæretici generatim, fusè refert, & refellit suprà variis capitibus noster Bellarminus, de quibus alibi.

Circa secundam partem dubij citati Patres explicantes illud, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*, &c. docent Apostolos emisisse votum obedientiæ, & expendunt illud, *& sequuti sumus te*, & ita communiter sentiunt Scholastici. Et explicari potest, quia, vt constat ex multis, quæ refert Bellarm. *suprà cap.* 11. in communitatibus religiosis semper fuit à religiosis emissum votum obedientiæ tanquam valde conducens ad statum perfectionis. Certum autem est, hoc habuisse originem ex doctrina & exemplo Apostolorum, qui edocti à Christo illud emiserunt, tanquam decens statum & dignitatem Apostolorum.

Aliqua verò loca, in quibus Christus docuit consilia perfectionis, quæ Apostoli voto confirmarunt, assignabimus selecta sequenti.

DISPVTATIO XXVI.

MORALIS, & POSITIVA.

De consilijs Euangelicis.

DVBIVM I.

An consilia Euangelica colligantur ex Scriptura.

NTE omnia ponendum est, quid sit consilium Euangelicum, de quo rectè Bellarm. *tomo* 1. *lib.* 2. *de Monachis*, *c.* 7. vbi docet, consilium vocari opus bonum à Christo nobis non imperatum, sed demonstratum, non mandatum, sed commendatum.

Secundò sciendum est consilium differre à præcepto, ex parte materiæ, ex parte subiecti, ex parte formæ, & denique ex parte finis.

Et quantum ad materiam, differunt; quia materia præcepti est facilior, etiam secundùm cognitionem; materia verò consilij difficilior, quia ad materiam præcepti, vel quæ contraria est consilio, natura ipsa inclinat, v. g. ad coniugium, non tamen ad materiam consilij, v. g. ad abstinendum à coniugio propter continentiam, & hoc significauit Ambros. *lib.* 1. *de virginibus*, illis verbis, loquens de virginitate, *Quis humano possit ingenio eam comprehendere, quam neque natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra vsum naturæ sit?*

Item pseudo-Hieronymus *sermone de assumptione Virginis*, inquit, Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis.

Item materia præcepti bona est, materia consilij melior, loquendo de præceptis quæ circa eandem materiam versantur, circa quam versantur consilia.

Ex parte subiecti, quòd consilium respicit aliquos, præceptum communiter plures. Ex parte formæ, quòd præceptum ex se obligat, consilium relin-

A quitur voluntati operantis. Ex parte finis, seu effectus, quòd præceptum non seruatum pœnam habet, consilium non item, & consilij maius esse aliquando præmium, iuxta doctrinam Augustini *de sancta virginitate cap.* 14.

Mitto errores circa consilia, quos refert Bellarmin. *suprà cap.* 8. Consilia autem Euangelica ex multis Scripturæ locis, tanquam verè consilia rectè ex multis Scripturæ locis probat Bellarm. doctè & eruditè contra hæreticos *suprà cap.* 9. & testimoniis Patrum *cap.* 11. & exemplis *cap.* 10. *& cap.* 13. soluit obiectiones hæreticorum.

Speciatim autem dicemus in hoc dubio de paupertate, & consilium paupertatis colligitur ex verB bis illis Christi ad adolescentem, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* quæ verba, & contextus satis significant ibi esse consilium, & non præceptum: ait enim Christus, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: si vis perfectus esse, vade & vende*, &c. prior pars pertinet ad obseruationem præceptorum, posterior ad consilium, sine obligatione, iuxta communem sensum Patrum & Catholicorum omnium. & meritò satis doctè hæreticos refutat Bellarm. *loco citato*, *cap.* 19. legatur ab illis verbis altera expositio Caluini. legatur Ambros. *lib. de viduis, vltra medium.* Hieronym. *lib. contra Vigilantium.* Augustin. *epistola* 89. *quæst.* 4. Chrysostom. *in citata verba.*

C Idem consilium paupertatis potest colligi ex illis verbis Matth. 5. *Beati pauperes spiritu*, secundùm aliquorum explicationem.

Sciendum autem est, vocem *pauper*, in Scriptura varios habere significatus. Primò solet sumi pro homine afflicto, Psalmo 24. *Vnicus & pauper sum ego*, &c. Secundò pro humili, Isaiæ vltimo, *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum.* Tertiò pro eo, qui non habet diuitias, vel quia illas non habet actu, licèt habeat affectu, aut non habet affectu, sed actu, vel quia illas non habet actu simul & affectu.

Vlteriùs notandum est quinque esse expositiones huius loci. Prima est Caluini, & quorunD dam aliorum hæreticorum, qui putant per pauperes hoc loco intelligi homines afflictos; sed hæc expositio admittenda non est, quia in hoc sensu non distingueretur à tertia beatitudine, *Beati qui lugent*, vel ab vltima, *Beati qui persequutionem patiuntur.*

Alia est asserentium, per pauperes intelligi humiles, ita sensit Chrysostomus *in commentario huius loci*, & Augustinus *sermone de verbis Domini in monte*, quem alij sequuntur. Sed licèt verum sit humiles Beatos esse, tamen prædicta expositio multis non placet, vt ex dicendis constabit.

Tertia posset esse, dici Beatos qui diuitias actu non habent, sed illas desiderant affectu. Sed hæc E expositio meritò refutatur à Patribus, quia prædicti homines non sunt Beati, sed miseri.

Quarta esse potest vt Beati dicantur pauperes affectu, licèt diuitias habeant, & certè hic status participatio alicuius beatitudinis est. Sed probabilior expositio eorum, qui voluntariè dimiserunt diuitias ex affectu virtutis paupertatis. Ita exposuit Ambrosius *in caput 6 Lucæ*, Nissenus, Hieronymus, Beda & alij non pauci recentiores communiter *in eum locum.* Et S. Leo I. in illis verbis *Math.* 5. Item Chromatius, Anselmus *in hunc locum*, Basilius *quæst.* 205. Bernardus *sermone* 1. de festo omnium Sanctorum, Abulensis, Iansenius, Lyranus, & Caietanus. Et probari potest ex proprietate verbi Græ-

ci, quod propriè significat mendicum panperem, & *Lucæ* 6. si rectè expendatur contextus, Christus pauperes opponir diuitibus. Ex consequenti autem, & quasi secundariè potest intelligi de humilibus, eo quòd qui voluntariam paupertatem eligit, humilem statum desiderat.

Ex hac ergo vltima expositione Bellarmin. *suprà cap.* 20. & alij controuersistæ contra hæreticos meritò colligunt, consilium Euangelicum paupertatis, & docent esse materiam voti, de quo alibi. Alia loca Scripturæ possent adduci, sed hæc sufficiant.

DVBIVM II.

Vtrùm consilium castitatis colligatur ex Scriptura.

CONsilium castitatis & continentiæ optimè colligunt Patres ex illo *Matth.* 19. cùm dixissent Apostoli, *Non expedit nubere?* Respondit Christus, *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* & infrà, *sunt eunuchi, qui se castrauerunt, propter regnum cælorum; prætereà dixit, qui potest capere capiat.* Quæ omnia significant cousilium, non præceptum, iuxta sensum Augustini *sermone* 61. *de tempore*, & Cypriani *libro de habitu virginum.* Hilarius *in citatum locum*, & *ibidem* Chrysostom. Hieronymus *lib.* 1. *contra Iouinianum*, Beda, & Anselmus *in eum locum*, & posteriores alij, Epiphanius *hæresi* 58. S. Fulgentins *lib. de fide ad Petrum*, de quo Bellarm. *suprà cap.* 23.

Et potest etiam colligi ex illo Lucæ 1. *Quomodo fiet illud, quoniam virum non cognosco.* iuxta sensum Patrum. Ita enim exponit Nissenus *oratione de natiuitate Domini* Augustinus *lib. de sancta virginitate cap.* 4. Beda *in caput* 1. *Lucæ.* Anselm. *lib. de excellentia virginis, cap.* 4. Rupertus *lib.* 3. *in Cantica.* Bernard. *sermon.* 4. *super Missus est.* de quo potest legi Bellarminus *loco citato cap.* 22.

Aliqua, quæ hæretici tradunt in responsione ad hæc loca, refert, & refutat Bellarminus *citatis capitibus*, & leuioris momenti sunt, & contra doctrinam Sanctotnm Patrum.

Potest etiam catholica doctrina de consilio castitatis confirmari ex his Scripturæ locis, ex quibus scribentes contra hæreticos colligunt, licitum esse votum castitatis.

Et probari potest ex illo Pauli 1. *ad Timoth.* 5. vbi dicit Apostolus, *Adolescentiores viduas deuita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* vbi per primam fidem votum castitatis intelligunt Patres. Ita Concilium Carthaginense IV, *canone* 104. cui Concilio interfuerunt duceuti & quatuordecim Episcopi. Et idem docuerunt Patres Concilij Toletani IV. *cap.* 55. vbi intersuerunt septuaginta Episcopi.

Et ex Pontificibus Clemens *lib.* 3. *constitutionum cap.* 1. & 2. Innocentius I. *in epistola* 2. *cap.* 13. Gelasius I. *in epistola* 1. *cap.* 23. & multi Patres, ita Tertullianus *in libro de monogamia, non procul à fine*, Basilius *libro de virginitate*, parum vltra medium, Hieronymus *lib.* 1. *in Iouinianum, & in caput* 44. *Ezechielis.* Epiphanius *hæresi* 48. Augustinus *libro de sancta virginitate, cap.* 23. *& libro de bono viduitatis cap.* 8. *&* 9. *in Psalm.* 75. Fulgentins *in epistola* 1. & communiter interpretes huius loci, ex Græcis, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius: ex Latinis pseudo-Ambrosius, Primasius, Beda, Aymo, Sedulius, & Anselmus, & alij posteriores. Mitto friuolas hæreticorum expositiones, quas refert & refutat Bellarmin. *loco citato cap.* 24.

DVBIVM III.

Vtrùm consilium obedientiæ colligatur ex Euangelio.

APud Catholicos certum est consilium obedientiæ haberi in Euangelio, & colligunt Patres ex illis verbis Christi, *Vade & vende omnia quæ habes, & sequere me*, & expendunt pro consilio obedientiæ illa verba vltima, *sequere me*, & in hunc sensum exponunt communiter Patres, ita vt non sit ibi sermo de sola obedientia præceptorum, sed de obedientiæ consilio, quia, vt constat ex contextu, Christus hortabatur adolescentem illum ad perfectionem, & ita in omnibus communitatibus religiosis introducta est à principio obedientia, etiam ex voto, quod sine dubio originem habnit ex exemplo & doctrina Apostolorum, qui de consilin obedientiæ edocti fuerunt à Christo. legatur Basilius *in constitutionibus monasticis cap.* 21. Hieron. *in epistola ad Eustochium, & in epistola ad Rusticum monachum.* Sulpitius *in dialogo de virtutibus S. Martini*, August. *lib. de moribus Ecclesiæ cap.* 31. *& in Psalm.* 75. Gregorius *homil.* 20. *in Ezechielem.*

Illud notandum est generarim, quod locis citatis notauit Bellarminus, ita Christum docere consilia Euangelica, vt non tradiderit illa tanquam præcepta, in quo errarunt aliqui hæretici.

Deinde hactenns nos egimus de tribns consiliis Euangelicis, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, vt ostenderemus Apostolos habuisse votum illorum, & ex eorum exemplo & doctrina manasse in homines fideles.

Sed hæretici contendunt prædicta vota non esse licita, & contra doctrinam traditam aliqua obiiciunt. Vnum est ex locis Scripturæ, in quibus significatur bona opera voluntariè esse facienda, & non ex necessitate, iuxta illud Psalm. 53. *voluntariè sacrificabo tibi*, & 2. Corinth. 9. *Non est tristitia, aut ex necessitate*, quo modo etiam vtuntur Patres, Hieronym. *in Iouinianum, ante medium.* Prosper *lib.* 2. *de vita contemplatiua. cap. vltimo.* & alij multi frequenter, præsertim in citata loca.

Huic obiectioni fusè respondet Bellarmin. *suprà cap.* 29. & breuiter dicendum est, in illis locis solùm significari, Deo placere opera quæ fiunt cum lætitia sine coactione, quod planè conuenire potest his, quæ fiunt ex voto, &, vt diximus in materia *de voto*, cum communi Doctorum catholicorum sensu, laudabilius est aliquid facere ex voto, quàm sine illo.

Alterum soler obiici desumptum ex locis, in quibus Scriptura hortatur homines ad matrimonium, 1. Corinth. 6. *qui non se continet, nubat*, & 1. ad Timotheum 5. *volo iuniores nubere.*

Sed respondendum est in his locis Apostolum exhortari homines ad matrimonium non absolutè, sed vt cessent à peccatis incontinentiæ, qui in illis vexantur; & hoc modo sunt explicanda similia testimonia Scripturæ, vel Patrnm. legatur Bellarm. *cap.* 10.

Tertiò obiiciunt hæretici, obseruationem votorum esse donum Dei, quod Deus tribuit cui vult; ergo contra prudentiam est aliquid vouere, cuius impletio non est in nostra potestate; de hac obie-

ctione fusè disputant aliqui contra hæreticos, & legi potest Bellarm. *supra cap. 21.* Sed breuiter dicendum est verissimum esse, obseruationem rectam votorum esse donum Dei, sicut & honestam obseruationem præceptorum, & ad talem obseruationem votorum Deum semper concedere donum auxilij gratiæ sufficientis, sicut ad obseruationem præcepti, & tale auxilium nulli negant, ac proinde prudenter potest quis vouere, sicut & velle obseruare præcepta, licèt interdum neget Deus auxilium congruum, & efficax gratiæ, sicut & respectu obseruationis præceptorum, de quo fusiùs in materia *de gratia*, & in materia *de prædestinatione.*

Alia plura obiiciunt hæretici contra honestatem voti, quæ sigillatim examinantur à Doctoribus in materia *de voto.*

Incipit secunda pars Summæ Theologiæ.

DISPVTATIO XXVII.

POSITIVA, & MORALIS.

DVBIVM I.

Circa locum ad Hebræos 6. Non enim iniustus est Deus, &c. *& quædam alia loca Scripturæ.*



IRCA hunc locum difficultas est, an ex illo probetur reuiuiscentia meritorum, ex quo loco illam probant communiter Scholastici, & legi potest P.Suarez *relectione de reuiuiscentia meritorum*, & P.Vazquez *in 3 p. tomo 4. ad quæst. 89 in art. 5. dub. 1. & 1.2. disp. 121.* & ego dixi de hac re in materia *de charitate, & 2.2. tom. 1. disp 69.*

Hic locus ex professo à nobis explicandus est, eo quòd aliqui recentiores putant ex illo loco non probari reuiuiscentiam meritorum in sensu Scholasticorum.

Et primò, aliqui existimarunt Paulum ibi loqui de operibus factis ab Hebræis in statu peccati mortalis, & secundùm hunc sensum non potest ex illo loco probari reuiuiscentia meritorum, quia opera facta in statu peccati mortalis, non sunt meritoria vitæ æternæ, neque possunt reuiuiscere ad tale meritum, & hunc sensum fusè refutat P.Suar. *relect. citata disp. 1.* habetur *tomo opusculorum.*

Sed hic sensus est contra communem explicationem interpretum, ac proinde non est admittendus.

Alij tamen ita explicant illum locum, vt dicant Hebræos fecisse illa opera in statu gratiæ, tamen post illa non fuisse lapsos in peccatum mortale, ita Caietanus in eum locum, & recentiores aliqui.

Sed communior expositio est Paulum loqui de operibus factis in statu gratiæ, & de Hebræis, qui postea in peccatum mortiferum lapsi sunt. Ita Chrysost. Theodoretus, Theophylact. Glossa ordinaria, & interlinealis, S.Thomas & pseudo-Anselmus, & recentiores alij in eum locum, P.Suarez, & P.Vazq. P.Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 6. punct. 3.* quod *infrà* explicabitur.

Sed non desunt recentiores aliqui existimantes, Paulum planè loqui de operibus factis in statu gratiæ, ex illo tamen loco non posse probari reuiuiscentiam meritorum in sensu Scholasticorum, quorum fundamentum *infrà* adducetur.

A In hoc dubio primò mihi placet Paulum loqui de operibus factis in statu gratiæ, qui est communis sensus Patrum. Secundò existimo ex illo loco posse probari reuiuiscentiam meritorum per subsequentem iustificationem, quod præter citatos Patres sensit Concilium Tridentinum *sessione 6. c. 16.* & contextus ipse satis indicat Hebræos lapsos fuisse, cùm enim dixisset Paulus impossibile esse, hoc est, valde difficile, illos qui semel sunt illuminati, iterum renouari per pœnitentiam, subiunxit statim, *Confidimus autem de vobis, meliora, & viciniora saluti*; quasi dicat, confidimus de vestra pœnitentia, & addit, *non enim iniustus est Deus, &c.* & quòd loquatur Paulus de his qui lapsi fuerant, B supponunt Patres illi qui putant Paulum docere post Baptismum susceptum, impossibile esse renouari per alium Baptismum. legatur P.Vazquez *1. p. disput. 97. cap. 1. & 1.2. disput. citata, cap. 2.* P.Suarez *suprà.*

Et explicari ampliùs potest ex Concil.Trident. *sessione 6. cap. 16.* vbi ait. Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba, *abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionem quam ostendistis in nomine ipsius.* hæc Concilium. Vbi considerate C dixerunt Patres, *siue perpetuò conseruauerint iustitiam, siue amissam recuperauerint*, proponenda sunt Apostoli verba, & nullius esset considerationis dicere, siue conseruauerint iustitiam, siue amissam recuperauerint, nisi aliquo modo haberetur ratio præteritorum operum, quæ per peccatum mortificata fuerunt, pro his enim, quæ nunquam peccato impedita sunt, nullius est momenti illa distinctio. Tunc etiam Concilium dixit proponenda esse illa Apostoli verba 1. Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino* & vt etiam ostenderet, habendam esse rationem operum antiquorum in his, qui iustitiam amiserunt, inquit proponenda esse illa D verba ad Hebræos 6. *non enim iniustus est Dominus*, &c. Meritò ergo ex illo loco *ad Hebræos 6.* probarunt Scholastici reuiuiscentiam meritorum, & eam doctrinam sequuti sunt Patres Concilij Tridentini.

Notandum autem est quod notabam *locis citatis*, non esse admittendam sententiam quam docuit Bañes in materia *de charitate*, asserens merita non reuiuiscere ad præmium essentiale, quæ est opinio digna grauissima censura.

Sed contendunt aliqui, Paulum in citato loco *ad Hebræos 6.* non loqui de reuiuiscentia meritorum, sed hortari Hebræos ad confidentiam, & perseuerantiam in bono statu, quia dixerat, *confidimus de vobis* E *meliora, & viciniora saluti, & versu 11. eiusdem capitis*, & idem colligitur ex *versu 12. eiusdem capitis.* Idem videtur intendere Apostolus, & *cap. 10. versu 34.* vbi cùm laudans Hebræos dixit, *nolite itaque amittere confidentiam vestram*, quibus verbis, & aliis similibus videtur Paulus hortari Hebræos, non ad resipiscentiam, sed ad perseuerantiam in bono statu.

Sed, vt diximus, communis Patrum sensus est, Paulum loqui ad eos, qui lapsi fuerant, & eos hortari ad resurgendum à peccatis, & recuperandum statum prioris iustitiæ ex gratia Dei, & ad confidentiam remunerationis præteritorum operum, quæ facta sunt in statu iustitiæ si ad talem statum resurgant, & in gratia mortui fuerint, vnde contrarium

non satis probat Cornelius in citatum caput *ad Hebræos* 6. & alij recentiores.

Sed obiiciunt contra communem sensum Patrum & Scholasticorum, Paulum *in citato loco* loqui ad omnes Hebræos, & tamen difficile est omnes illos lapsos fuisse in peccatum, ac proinde hortari eos ad resurgendum à peccato, & ad confidentiam de præmio illorum operum, quæ per subsequentem iustificationem felici natiuitate resurgerent ad præmium essentiale, quod in priori statu iustitiæ meruerunt.

Sed respondendum est, non esse necessarium omnes omnino Hebræos fuisse lapsos, licèt enim ad omnes scribat Paulus, potuit tamen illos solùm exhortari ad pœnitentiam, qui lapsi fuerant, sicut solet etiam Christianus orator dum ad populum verba facit, exhortari enim solet omnes ad pœnitentiam, licèt non omnes audientes sint in statu peccati mortalis.

Quæri verò potest, an post Concilium Tridentinum sit probabile negare ex citato cap. *ad Hebræos 6.* probari reuiuiscentiam meritorum, iuxta communem sensum Scholasticorum.

Et aliqui multum videntur reprehendere eos recentiores, qui post Concilium Tridentinum negant Paulum *in citato cap.* loqui cum Hebræis qui lapsi fuerant in peccatum.

Sed licèt mihi sit multo probabilior sensus communior Patrum, & S. Thomæ, & aliorum Scholasticorum, quos retuli, propter ea quæ dixi, tamen explicatio Cornelij & quorundam aliorum, non debet iudicari digna graui aliqua censura, & licèt Concilium Tridentinum multum faueat explicationi S. Thomæ, tamen non est iudicandum voluisse damnare contrarium sensum, satis est dicere Concilium sequutum fuisse communiorem interpretum sensum, licèt circa illum locum sint variæ explicationes, vt retulimus.

Item, vt docent Theologi in materia *de locis Theologicis*, & in materia *de Concilijs*, Concilia, vel Pontifices non semper vtuntur locis Scripturæ in sensu omnino certo, & literali, quando non tractant ex instituto de sensu loci Scripturæ in ordine ad doctrinam fidei, vel morum.

Dubium II.

An mereatur censuram expositio loci Iudicum 11. *asserentium filiam Iephthe non fuisse occisam à patre.*

AGentes de voto sequuti sumus communem sententiam Patrum, qui dixerunt Iephthe occidisse suam filiam, quem sensum secuti sunt Scholastici.

Alij verò dixerunt Iephthe non occidisse filiam, priuando illam vita corporali, sed solùm illam Deo obtulisse vt intra claustra conclusa viueret.

Difficultas verò in præsenti solùm est, an hæc posterior opinio mereatur censuram aliquam; & multi putant quòd licèt sit falsa, tamen non sit digna censura, & potest probari, quia illam sequuntur aliqui, nempe Lyra *in cap.* 11. *Iudicum*, sequutus aliquos Hebræos, & Vatablus *ibi*, Arias Montanus etiam *ibidem*, & P. Mariana 16. *versu* 37. Vlteriùs potest explicari, quia, vt retulimus in materia *de voto*, qui illam opinionem sequuntur, retinent verba vulgatæ Latinæ, explicantes non de morte corporali, sed de ciuili, quod fusè, & eruditè explicuit P. Azor *tomo* 1. *lib.* 11. *cap.* 14.

A Deinde, quòd non mereatur censuram, videtur colligi ex eo, quòd licèt viri docti illam opinionem retulerint & refutauerint; tamen nihil dicunt de censura, vt constat ex P. Suarez *tomo* 2. *in* 3. *part. disp.* 6. *sect.* 3. & P. Vazquez *tomo* 2. *in* 3. *part. disp.* 124. *cap.* 5. & eodem modo alij prædictam expositionem improbarunt, tamen non dixerunt esse dignam censura. Habet etiam hic sensus argumenta aliqua quæ retuli in materia *de voto*.

Non tamen defuerunt ante aliquot annos in Hispania qui expositionem Lyrani dicerent esse temerariam, eo quòd sit contra communem sensum Patrum, qui senserunt Iephthe morte corporali occidisse filiam, ita August. *quæst. super lib. Iudicum*, & 1. B *de ciuit. cap.* 20. & Ambros. 3. *officio. cap.* 128. Hieronymus indicat *in cap.* 7. *Hieremiæ*, & 2. *contra Iouinian.* Epiphan. *heresi* 55. Chrysost. *homil.* 14. *ad populum*, & *homil. de Iephthe.* Origen. *homil.* 9. *in Ioann.* Tertullian. 3. *contra Marcio.* Iustin. *q.* 99. Nazianzen. *oratione* 22. Isidorus in allegoriis supra Scripturam, & de vita & morte Sanctorum. Beda *lib. quæst. in librum Iudicum. cap.* 7. Ropert. *in lib. Iudicum cap.* 12. Concil. Francfordien. *in epistola ad Episcopos Hispaniæ cap.* 8. Concil. Toletan. VIII. *cap.* 2. & ex Hebræis Iosephus 5. *antiquit. cap.* 12. & Philo *lib. antiquitatum biblicarum.* & communiter Scholastici 4. *dist.* 38. S. Thom. 2. 2. *q.* 88. & *ibi* interpretes, & frequentiùs communitérque interpretes Scripturæ *in citatum cap Iudicum.* Anton. C 2. *part. tit.* 11. *cap.* 1. § 2. qui cùm retulisset expositionem Lyrani, dixit non esse recedendum à communi sensu Patrum, propter quam causam etiam P. Azor suprà noluit amplecti sententiam Lyrani.

Meum in hac re iudicium est. Primò retinendam esse lectionem Latinam vulgatam loci illius *Iudicum* 11. quia lectio Latina approbata est à Concilio Tridentino, de quo fusè disputaui 2. 2. *tom.* 1. agens de regulis orthodoxis, & de autoritate Latinæ vulgatæ.

Secundò, retenta lectione Latina vulgata mihi longè probabilior est communis sensus sanctorum Patrum, qui multum confirmatur ex Iosepho, nam cùm esset Iudæus doctissimus, locum Iudicum ex- D plicuit de morte corporali filiæ Iephthe: credibile autem est illum non ignorasse suæ gentis historiam.

Tertiò, ego non auderem discedere à communi sensu sanctorum Patrum, contra quos mihi non est probabilis expositio Lyrani: an verò mereatur illa grauem censuram, aliis relinquo iudicandum.

Dubium III.

De sensu loci Iacobi 1. Vir duplex animo inconstans est, &c.

IN illo capite agebat Apostolus de fiducia requisita ad orationem, de qua conditione simul, & de E aliis egimus 2. 2. *ad quæst.* 83. In citato verò cap. dixerat Apostolus, *Qui indiget sapientia, postulet à Deo*, &c. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*; & hoc exponit Apostolus, cùm statim dicit, *Vir duplex animo, inconstans est*, qui enim petit cum hæsitatione quasi duplici affectu (id est, actu animi) afficitur, quia partim credit, partim dubitat, cùm enim petit, planè credit Deum posse illud dare, & cùm hæsitat, aliqualem habet dubitationem, vel expressam, vel virtualem, & ita exposuit citata verba, *vir duplex animo*, Clemens Romanus *lib.* 7. *c.* 12. facta expressa interrogatione de explicatione horum verborum; & communiter interpretes, speciatim P. Mariana, & P. Sà, & aliqui recentiores nostræ Societatis.

Et hoc sensu exponit Theophylactus illud 1. Corinthior. 13. *Si habuero omnem fidem*, id est, integram, sinceram, & sine vlla hæsitatione, & eodem modo S.Thom. *ibi lect.* 1. Et adducit locum Matthæi, *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis*. Et de hac fide intelligit Chrysostom. *homil.* 58. *in Matthæum*, qui expresse explicat de fide sine hæsitatione, id est, quæ omnem excludat formidinem; *si habueritis fidem sicut granum sinapis*; & Theophylactus in eadem verba Abulensis *in illud caput quæst.* 166. Et sic possunt explicari similia loca, & doctrina est obseruanda pro materia de fide miraculorum, & de fiducia requisita ad orationem, de qua dixi in materia *de fide*, vbi explicui, an distinguatur à fide Catholica? & an addat iudicium aliquod particulare. legatur P. Vazquez 1.2. *disp.* 210. *cap.* 4. *& in caput* 11. *epistola ad Hebræos*. A B

De aliis verbis *Iacobi cap.* 2. quibus ostendit non ex sola fide iustificari hominem, diximus ex instituto 2.2. *tomo* 1. *disp.* 14. *dub.* 5.

Alia sunt verba *Iacobi cap.* 2. quæ pertinent ad peccatum acceptionis personarum, quæ explicui 2.2. *tomo* 2. *disp.* 21. *dubio* 1. Solummodo occurrit addendum circa illa verba, *habens annulum aureum in veste candida*, explicationem quam ibi retuli ex Baronio de annulo pro fibula aurea, traditam etiam esse à Patre Sà in eum locum Iacobi, & ab aliis posterioribus.

DVBIVM IV.

De sensu illius loci Lucæ 17. Regnum Dei intra vos est.

HVnc locum explicat Beda *ibi* de Christo habitante per fidem in cordibus nostris, iuxta illud Pauli, habitare Christum per fidem in cordibus nostris, quod intelligitur de fide viua.

Secundò Chrysost. citatus à S.Thoma *in catena*, *ibi*, explicat de Christo habitante in cordibus nostris per participationem gratiæ; per quam ipse tanquam Rex regnat in animabus iustis, & regnum eius legésque illius charitatis suor & amoris, & ideo sponsa, *Cantic.* 2. appellauit Regem sponsum quando introduxit illam in cellam vinariam, & priuati Principum, hoc est, qui ab illo specialiter diliguntur, sunt qui in secreta Regum cubicula ingrediuntur, & sunt qui quasi Reges gubernant, & ideo in Apocalypsi dixerunt sancti, fecisti nos Deo nostro regnum, Græcè habetur, *fecisti nos Deo nostro Reges*, nempe per participationem & gratiam. D

Tertiò Eucherius quæstiunibus super Lucam exponit, Christum regnare in nobis per meritum, & ponderandum est, *meritum* verbum esse militare pugnæ & agonis, iuxta Patres, & Scholasticos. Et hoc potest potiori ratione dici, quando per merita & bona opera iustorum Christus introducitur & formatur in cordibus aliorum, exemplo, doctrina & prædicatione. E

Quartò Cassianus *collatione* 1. *cap.* 13. explicat regnum Dei intra nos esse, per cognitionem perfectissimam, quam Deus communicat iustis amicis suis necessariam ad bonum regimen propriæ animæ, & aliarum animarum.

Quintò Nazianzen. citatus à S.Thoma *in catena* in locum citatum Lucæ, *regnum Dei intra nos esse lætitiam, hilarem enim datorem diligit Deus*, iuxta Paulum, & ad gubernandas animas maximè necessaria est affabilis & lætus vultus gubernantis, & modus contrarius valde nociuus regimini animarum, sicut & regimini politico ciuium.

Sextò Nissenus *lib. de Beatitudinibus*, *& de virginitate cap.* 12. Regnum Dei intra nos est per imaginem Dei, ad quam facti sumus, quod potest explicari exemplo priuati, (vt aiunt, id est, valde familiaris) apud Regem, qui dicitur portare Regem in corpore suo, & iustos alloquens dixit Paulus Corinth. 6. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Hispanè significantissimè dicitur de speciali Regis amico, *trae vn Rey en el cuerpo*.

Et septimò explicatur de iusto, qui habet satis cognitum & perspectum spiritum Dei ad executionem voluntatis illius, & ideo Germanus Patriarcha Constantinopolit. in expositione orationis Dominicæ dixit loco illorum verborum Lucæ, *Regnum Dei intra vos est, Spiritus sanctus intra vos est*, quasi dicat, *abeysse vebido à Dios el espiritu*, & huic consonat quod Nissenus in fragmentis relatis *tomo* 3. *Bibliotheca colum.* 494. circa illud, *Adueniat regnum tuum*, testatur antiquitus aliquos codices Græcos legere, *adueniat Spiritus tuus*.

Et quia cum prædicto Spiritu semper est Christus, ideo explicat S.Nilus *de oratione cap.* 55. regnum Dei intra vos est, id est, Christus, per participationem gratiæ, quæ omnes explicationes valde vtiles sunt ad morales sensus, & doctrinam animarum.

Tamen literalis sensus est Christum venisse, & versari intra Iudæos, vt communiter exponunt interpretes valde docti, & suadet contextus; interrogauerant enim Iudæi, quando venturum erat regnum Dei? & respondit Christus, *Regnum Dei intra vos est*, quasi diceret, iam venit, & hic locus sic explicatus iuuat ad probandum contra Iudæos, Messiam venisse. C

DVBIVM V.

De sensu illorum verborum Pauli 2. ad Timotheum vlt. Ministerium tuum imple, &c.

HVnc locum exponit S.Thom. *ibi* de obligatione iuuandi proximos verbo, exemplo, doctrina, & vita, iuxta illud Christi, *qui fecerit, & docuerit*, & aliàs sola vita, vel sola doctrina non impletur ministerium.

Claudius ibi exponit necessarium esse ad implendum ministerium non solùm docere verbo & exemplo, sed cum perseuerantia per multum temporis, donec doctrinæ semen in cordibus audientium fructus ferat abundantes & felices, indiuulséque inhæreant, vt non facilè deficiant.

Theophylactus addit ad implendum ministerium perfectè, necessariam esse patientiam ad sustinendum malum, pro bono officio, & eodem sensu exponit Chrysostomus, & eo perfectiùs implebitur ministerium, quo perfectior fuerit patientiæ gradus; & in hunc sensum rectè quadrat illud Sapient. 10. *Compleuit labores illius*, magnum enim complementum est perfectæ doctrinæ, & vitæ patientiæ perfectio, non solùm quæ necessaria est ad perseuerandum in bonis & difficilibus operibus, sed quæ requiritur ad ferendum malum pro bono, & iniuriam pro beneficio, præsertim, si non solùm sit patientia cum quiete, & pace animi, sed etiam cum gaudio.

Ministerium autem esse plenum, intelligi potest à contrario, iuxta illud Apocalypsis, *Non inuenio opera sua plena*. explicat S. Ambros. *ibi*, quia deficit plenitudo charitatis, quæ est dilectio, iuxta Paulum.

Item quia deficit recta intentio, vt explicat Aufbertus. Ex quo fit vlteriùs, quod docuit Rupertus, nempe talia opera, sine recta intentione facta, non deseruiant ad remissionem peccatorum. Item oritur id quod dixit Primasius, ex operibus ita factis non sequi fructum in operante, vel in aliis, & ex his defectibus deficit plenitudo ministerij, & licèt appareant opera alicuius momenti, tamen reuera nullius sunt in conspectu Dei, & operans audit illud Isaiæ, *Expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas.* & Hieremiæ 2. *Quomodo conuersa est vitis aliena.* Hispanè, *pampana loca, parra vastarda*, quæ sine vllo fructu luxuriat in folia viridantia.

Ex his omnibus satis constat quomodo sunt intelligenda verba Pauli, *ministerium tuum imple*, in B sensu literali, qui moralis etiam est.

Dvbivm VI.

De sensu illius loci Apocalypsis 2. Dabo illis stellam matutinam, &c.

In his verbis continetur promissio Christi facta humilibus, oportétque explicare, quid intelligatur per stellam matutinam. Et primò Andreas Cretens. & Aretas *ibi* explicant, ita vt Christus promittat humilibus victoriam contra dæmonem, qui Lucifer dicitur, & cecidisse, Isaiæ 14. *quomodo cecidisti Lucifer.*

C Secundò explicat Carthusian. de Angelo custode, quia *Angelus* in Scriptura solet significari nomine stellæ, & ita exponit Dionys. Carthusianus.

Tertiò alij explicant ita vt per stellam matutinam intelligatur Beatissima Virgo, quæ specialiter diligit humiles, & ab Ecclesia & Patribus vocatur stella matutina.

Alij per *stellam matutinam* intelligunt donum scientiæ, qua illuminatur intellectus humilium, ita Ioachimus: dejnde per *stellam matutinam* intelligitur communiter ab interpretibus Christus, qui dicit de seipso Apocalyps. vltimo, *Ego sum stella splendida & matutina*, & iste videtur sensus literalis, & communiter magis receptus, & secundùm omnes hos sen- D sus rectè intelligitur illud 1. Petri 5. *Humilibus autem dat gratiam*; & illud, *reuelasti ea paruulis*, item illud, *qui se humiliat, exaltabitur.*

Nec desunt qui per stellam matutinam intelligant Ioannem Baptistam, qui ab aliquibus dicitur stella matutina, quia præunciauit aduentum Christi vt Solis.

DISPVTATIO XXVIII.

Moralis, Theologica, & Philosophica.

Circa cognitionem sensitiuam Christi.

Dvbivm I.

An potentia sensitiua decipiatur circa sensibile.



Non disputamus modò, an sit veritas formalis in sensu, sufficit supponere, sensum per suam actionem posse conformari obiecto.

Prima sententia fuit Academic. asserentium, sensus omnes certum iudicium habere nullum, quos in eiusmodi Academicis eleganter refellit Tullius & Tertullianus *lib. de anima, cap. de quinque sensibus.*

Secunda sententia fuit Epicur. dicentium sensum falli non posse in suo iudicio, contra quos Tullius *lib. de anima*, & August. 8. *de ciuitate cap.* 7. rationabiliores verò sententias Philosophorum in discursu dubij expendemus.

Primò supponendum est, si comparemus actum sentiendi cum potentia prout in formata specie, nunquam est difformitas inter actum & potentiam eliciens. Ratio est euidens, quia semper cognitio in actu assimilatur potentiæ cognoscitiuæ, prout in actu primo, & ideo Albertus *tract.* 3. *cap.* 5. & Apollin. *quæst.* 13. docuerunt nunquam in sensu esse falsitatem, quia semper est prædicta conformitas. Verumtamen imperfectè rem explicauerunt, nec enim sensus dicitur deceptus, quia fit actus secundus difformis actui secundo, sed quia difformis est obiecto secundùm se, sicut constat in falsitate intellectus, quæ consistit in difformitate actus cum obiecto.

Pro explicatione dico, sensus internus falli nequit circa rationem communem proprij obiecti. Probatur, quia visus non potest percipere nisi colorem, v. g. neque ex suo modo cognitionis potest iudicare intellectus coloratum non esse coloratum, aut esse sonum, vel obiectum alterius potentiæ, quia ab obiecto alterius sensus non immutatur, vt experientia constat, docétque Philosophi *loco citato.*

Rationem huius attigit D. Thom. 1. *part. quæst* 85. *art.* 6 quæ doctrina vera est respectu alicuius sensibilis communis, quia sicut non potest percipere visus nisi proprium obiectum, ita non potest percipere rem nisi extensam, &, vt docet experientia, non potest iudicare ex suo modo cognitionis, rémque percipit esse inextensam: simile exemplum esse potest de figura.

Ex quo fit, vt vera esse non possit doctrina aliquorum asserentium, sensum decipi non posse circa rationem communem proprij obiecti, bene tamen circa rationem communem, cuiuslibet sensibilis communis, hæc enim differentia vniuersalis est, vt constat.

Circa motum verò, vel quietem fallitur interdum sensus, quia videt rem reuera motam, quasi reuera quiesceret, & tunc reuera fallitur circa rationem communem præsentiæ, imò, vt constabit ex dicendis, aliquando, in rigore loquendo, dici non potest quòd fallatur circa cognitionem rei motæ vt quiescentis. Neque ob id nego posse aliquando contingere difformitatem inter actum sensationis, & sensibile commune. nam aliquando res visa apparet in duobus locis, cùm tamen reuera tantùm sit in vno.

Secundò tamen dico, circa sensibilia communia & propria potest aliquando contingere talis sensario, vt intellectus sequutus sensationem iudicet obiectum E sensatum aliud esse quàm sit, scilicet quantum ad rationem proprij sensibilis, vel communis, hoc totum experientia constat, cùm res videtur à loco maximè distanti, & sensationes has falsas vocant autores hoc loco, forsan quia causaliter inde sequatur falsitas intellectus aliquando, absolutè tamen in re non existimo esse formalem difformitatem inter has sensationes & obiecta sua, quia quoties est cognitio circa idem obiectum sensibile, hoc tantùm differens ab alia quòd vna sit à loco propinquiori, alia à loco magis distanti, semper est eiusdem speciei, & ipsa species causata ab obiecto. Similiter licèt vna sit alia perfectior, semper tamen est conformitas in obiecto.

Et

Et circa hunc modum deceptionis contingit aliquando facilè & distinctè percipere colorem rei, & non ita facilè motum, vel quietem, & iuxta hunc sensum intelligo Aristotelem 2. *lib. de anima, textu* 63. *&* 64. *& textu* 161. iuxta diuisionem quorundam, scilicet secundùm aliorum diuisionem *lib.3. de anima cap.3.*

Aliæ verò explicationes Aristotelis distinguentis potentiam respectu sensibilis proprij, vel communis quoad deceptionem, neque in se se veræ sunt, vt constare potest ex dictis, nec videntur intentæ ab Aristotel. legatur Toletus 2. *de anima quæst.* 13. nonnulla alia quæ de sensibus externis in communi poterant disputari, differo in commodiorem locum.

Dubium II.

An species eiusdem obiecti semper sit eiusdem rationis in quolibet loco.

Occasionem huius vnus mihi tribuit Fonseca, qui 1. *Metaphys. cap.*2. *quæst.*7. *sect.*8. affirmat non esse improbabile asserere, esse diuersam speciem sensibilem, qua Socrates cognoscatur, aliquando vt quoddam animal, aliquando vt quidam homo.

Verùm vt rem explicemus, notandum est, quòd in sensu externo cognoscere aliquid vt corpus, vel vt animal, solùm est cognoscere accidentia propria huius, vel illius prædicati, quia sensus non terminatur ad substantiam.

Secundò addendum est, quòd si idem obiectum videatur, semper est species eiusdem essentiæ, quia obiectum illud producit similitudinem sui naturaliter diffusam per totum medium; ergo seruata identitate obiecti, & ipsius obiecti necessariò dicendum est speciem causatam ab illo, esse eiusdem rationis magis, vel minus intensam qua cognoscatur perfectius, vel imperfectiùs.

Vnde doctrina Fonsecæ, in variato, & obiecto viso nullo modo habet probabilitatem, quòd si variaretur in obiecto modus aliquis, tunc proportionaliter posset variari in specie, vnde quoties videtur albedo, siue in loco distanti, siue in remotissimo, semper videtur per speciem eiusdem rationis inæqualiter intensam.

Declarari autem potest ampliùs, quia omne agens naturale in variata ratione agendi, & perseuerante eadem dispositione passi semper facit effectum eiusdem rationis, quamuis magis, vel minus intensum; ergo à simili.

Declaratur secundò, quia albedo remissa in parte sibi proxima producit speciem remissam, quam tamen albedo intensissima posset producere in remotissimo loco, vt etiam contingit in aliis agentibus, proportione seruata.

Ex quo etiam consequenter dicendum est, actum causatum ab eadem specie magis, vel minus intensa, esse eiusdem rationis, quia non habet vnde distinguatur specie, cùm omnino idem sit speciè, eademque potentia, idemque specificus modus tendendi, vnde non placet quod de actibus sumit velrectum Fonseca *suprà*, videlicet esse diuersam visionem, secundùm essentiam illam, qua cognosci tur Petrus à longa distantia tantùm vt taliter, & qua cognoscitur vt homo, quia hoc tantùm potest prouenire intra latitudinem eiusdem visionis essentialiter solùm ex perfectiori, vel imperfectiori repræsentatione eorundem accidentium figuræ, v. g. vel

A colotis, & ob hanc doctrinam occurrit necessariò explicandum hoc loco.

Dubium III.

Quomodo in visu contingat deceptio.

Ratio dubij sumitur ex dictis, quia si semper species est eiusdem rationis cum quauis specie obiecti eiusdem, & actus semper proportionatur speciei, non videtur qua ratione possit intelligi inter actum & obiectum aliqua difformitas, qualis inueniri potest in simplici apprehensione obiecti.

Supponendum enim est id quod cum D.Thoma

B 1. *part. quæst.* 17. *art.* 2. communiter supponunt eius discipuli aliíque Philosophi agentes de veritate intellectus, non posse esse in sensu veritatem, vel per modum iudicij, sicuti reperitur in secunda operatione intellectus, neque per modum actus reflexi quo cognoscatur conformitas inter priorem actum & obiectum solùm: ergo restat per se esse falsitatem in sensu per deformitatem cum obiecto in repræsentando.

Et si sermo sit de deformitate cum proprio sensibili, existimo omnino verum, nullo modo esse hanc difformitatem, quia nullum obiectum mouet visum, nisi per propriam speciem, vnde etsi à longissima distantia imperfectè videatur albedo,

C semper tamen videtur albedo, quamuis imperfectè, quia videtur per imperfectam similitudinem, vnde si intellectus iudicet videri alium colorem, malus est iudex, vt dixit Augustin. *loco infrà citando*, & non habet malum internuntium, id est, ipse intellectus fallitur sensus, vnde nequaquam, neque enim quæuis imperfecta cognitio deformis est obiecto, vt constat in apprehensione vnius solius prædicati essentiæ habentis plura; neque enim dicitur falsa hæc conceptio; quamuis non sit omnium prædicatorum: ergo multo minus dicetur falsa imperfecta cognitio, quæ enim eo nomine dicitur imperfecta, quia ex modo tendendi diuidat indiuisibilia prædicata simplicia apprehensione, sed tantùm, quia

D licèt tendat in totum obiectum, nihilque distinguat indistinctum, tamen imperfectè fertur ex modo suo tendendi in totum obiectum, vt contingit in visione albedinis à longa distantia.

Et ideo concludo in visione proprij sensibilis tantùm esse causalem, aut (vt veriùs dicamus) occasionalem falsitatem respectu intellectus, qualis est etiam ea, quæ potest contingere non ex solo vnico actu, sed ex duobus, vel pluribus, quibus cognoscuntur plura obiecta permixtim, sicut cùm quis per vitreum viride aspicit albedinem, contingit decipi intellectum dum iudicat quidquid videtur esse colorem viridem.

Circa sensibile verò commune eadem est ratio

E dubitandi, quia etiam hoc sensibile habet ex natura sua producere similitudinem sui, neque aliquod aliud obiectū potest ex natura rei producere ementitam similitudinem, alienámque alterius obiecti, vt ex his quæ fusè diximus speciebus satis constat.

Vnde acutè (vt assolet) August. *lib. de vera religione cap.*33. *tomo* 1. affirmat oculum non falli in perceptione baculi fracti secundùm apparentiam. Verba Augustini hæc sunt, Corporea species non mentitur, quia nullam habet voluntatem; si verò etiam non putetur esse quod non est, nec fallit, sed ne ipsi quidem oculi fallunt, non enim possunt renunciare animo, nisi affectionem suam, quòd si non tantùm ipsi, sed omnis corporis sensus ita renunciant,

ciant, vt afficiuntur, quid ab eis ampliùs exigere debemus ignoro. A

Addit, (quasi tacitè obiectioni respondens) si quis remum frangi in aqua opinatur, & cùm inde aufertur, integrari, non malum habet nuntiatum, sed malus est iudex, vnde concludit, quare oculus rectè videt.

Quæ verba me cogunt asserere solutionem D.Thomæ esse contra mentem Augustini 1.*part. quæst.* 17. *art.* 2. asserit enim D.Thomas Augustinum tantùm concedere non esse deceptionem in intellectu quatenus percipit visum sentire aliquid, nec quantum ad hoc sensum decipere intellectum, decipi tamen sensum dum percipit rem aliter quàm sit; sed manifestè pugnat hæc solutio cum verbis Augustini. nam in iudicio quo quis opinatur, lignum frangi in aqua, affirmat intellectum malum ea iudicem visum, vnde non esse malum nuntium, ideóque concludit August. oculum rectè videre, quæ doctrina eo sensu accipienda est, vt velit August. semper vti his actibus, obiectum ipsum, siue sit sensibile proprium, seu commune, causare speciem, & terminare actum, & quantum ad hoc non posse esse formalem difformitatem, quamuis occasionalis esse possit. B

Tradita etiam est hæc sententia ab Anselmo *dialogo de veritate cap.*6. his verbis. Non mihi videtur hæc veritas, vel falsitas in sensibus esse, sed in operatione, ipse námque sensus exterior si fallit, non illi mentitur exterior. C

Et paulo inferiùs, cùm explicuisset qua ratione eueniat, vt cùm per rubicundum vitrum, res alterius coloris inspicimus, cunctæ nobis appareant rubicundo colore delibutæ: subdit, qui ergo hoc nescit, putat visum communicat hoc.

Addendum tamen est speciale aliquid esse circa obiectum hoc, quod dicitur sensibile commune, scilicet ex reflexione aliqua oriri, vt quamuis repræsentetur eadem præsentia, tamen ex ratione indiuiduali speciei, repræsentetur quasi in diuerso situ, vel quasi ex auersa facie faciei obiecti, vt constat quando in speculo quis videt propriam faciem, certum enim est non videri faciem propriam, per speciem quæ oritur à facie, & tendit in speculum, quia hæc antequam speculum esset ibi, poterat esse diffusa per totum medium: agnoscitur ergo facies per speciem refractam in speculo, quæ ipsam faciem quasi ex opposito repræsentat. D

Vnde, quamuis hæc species refracta in speculo non videatur, sed obiectum ipsum, cuius est species, tamen reuera obiectum repræsentatur quasi ex opposita facie.

Ex qua doctrina nonnullæ experientiæ, possunt explicari, & propter hoc Toletus 2. *de anima quæst. vltima* ait, aliquem errorem esse in visione speculi, & ideo sapientes quidam antiqui speculum hieroglyphicum falsitatis effecerunt, vt Pierius refert *lib.*42. de speculo agens, ferè in vltimis lineis, licet enim in speculo appareat rei similitudo, tamen quæ læua sunt, dextera referuntur. E

Et iuxta hanc rationem nonnullæ aliæ contingunt refractiones specierum circa præsentiam obiecti, siue fiant in aliquo corpore intermedio, vt quando species baculi ita refrangitur, vt ex illa simul & specie baculi existentis, extra quam secundùm aliquam partem causetur visio talis, vt si intellectus liberè iudicet, affirmet partes baculi, non esse in spatio omnino continuo, atque adeò esse disiunctas, siue contingat hæc refractio, vel diuersitas ex diuersa positione oculorum, vt quando ex eo res vna apparet tanquam in duobus sitibus, quia superposito digito ita leuamus oculum, vt extrahamus illum à naturali positione.

Ex quibus concludo, etiam circa obiectum, quod est commune sensibile, non esse essentialem deformitatem in specie, vel actu, sed tantùm ratione differentiæ indiuidualis speciei, ab obiecto quidem causatæ cum aliqua refractione; quare dixit meritò suprà August. non posse essentialiter oculum pro sua natura videre remum in aqua. Et iuxta hanc doctrinam communiter loquendum est, atque affirmandum in sensu esse falsitatem, sentiendum tamen, vt dixi, præsertim vbi cum subtilioribus sit disputatio.

Sed dicet aliquis ex doctrina proximè allata sequi, eiusdem obiecti esse duas species in eodem subiecto. nam cùm quis se videt in speculo, fatemur esse in eadem linea recta duas species, quæ quasi ex diametro repræsentent idem obiectum. Ex alia verò parte videtur esse id quod suprà docuimus, in eodem scilicet subiecto tantùm esse eas species, quæ diuerso modo possunt informare, habent hunc diuersum modum, quoties repræsentant diuersum obiectum.

Veruntamen in hoc casu absolutè dicendum est, has duas species esse totaliter diuersas, quia non possunt componere vnam aliquam. Probatur, quoniam nec possunt componere vnam continuitatem extensionis, peritæ ab obiecto. nam hæc continuitas tantùm reperitur in partialibus speciebus repræsentantibus diuersas partes extensionis obiecti: at verò harum specierum, quælibet repræsentat totum obiectum; & simili ratiocinatione potest probari non esse vnam continuitate subiecti, quia istarum quælibet est adæquatè in toto subiecto.

Et simili discursu probatur non esse vnam speciem continuitate intensionis, & ratio à priori est, quia hæ duæ species, quæ in eandem speciem coalescunt, eodem modo procedunt, scilicet immediatè ab obiecto, vel per reflexionem, vnde constat verum esse quod suprà docuimus, duas species solo numero differentes posse esse in eodem subiecto, & quamuis istæ species sint eiusdem obiecti, tamen ex eo possunt esse in eodem subiecto, quia ex differentia indiuiduali habent afficere potentiam modo diuerso, quia referunt illa ad obiectum idem, diuerso tamen modo. nam per vnam speciem illarum, possum ego videre meam faciem in speculo, quando sum ex aduerso speculi, per alteram verò nequaquam, per quam tamen alius ex opposito videre potest meam faciem.

Ex hoc principio potest facile solui dubium quoddam de colore existente in duobus locis, de quo aliquando saltem negari non potest, quin habeat duas species sui in medio eodem, videlicet quando esset in locis, omnino oppositis per eandem lineam, vt probat ratiocinario facta.

Neque tantùm contendimus, ibi esse duos modos duarum præsentiarum, quod nemo negare potest, quia sunt ibi duæ præsentiæ, sed etiam contendimus sensibilis proprij, licèt vnum tantùm sit, esse duas species, quod in sua doctrina concedent Caietani, & alij existimantes præsentiam & sensibile proprium indiuisibiliter repræsentari per eandem speciem, quia cùm hic sint duo sensibilia communia, dici non potest esse eamdem speciem

speciem indiuisibilem illius sensibilis proprij, & duarum præsentiarum, quia sequeretur, quòd ex quocunque loco videretur color vt existens in vno loco, videretur etiam prout existens in alio, quod tamen ex natura rei non potest deberi.

Et ratio potest sumi ex dictis, quia quilibet modus repræsentans præsentiam versùs vnam partem, ex natura rei afficit speciem proprij sensibilis, repræsentantem illud versùs eandem. De his verò duabus speciebus loquendum est, sicut de duabus speciebus eiusdem obiecti repræsentantibus illud ex opposito.

Ex his verò quæ dixi facilè intelligitur ratio, eo quòd visus videns eandem rem pluribus speciebus refractis in pluribus speculis, apprehendat illam pluribus actibus vt diuersas. Intelligitur etiam secunda ratio, ob quam licèt visio facta per speciem refractam terminetur ad ipsum obiectum aliquando, possit apprehendere illud, vt motum, licèt quiescat propter refractionem speciei in speculo moto.

Ex quo soluitur argumentum quoddam quo nonnulli huius ætatis contendunt visionem terminari ad speciem secundùm esse repræsentatiuum, quia si ad ipsum, inquiunt, obiectum terminaretur, neque apparerent vt plura obiecta, neque appareret obiectum vt motum, quando quiescit reuera, sed hæc omnia & similia ex dictis soluuntur.

Dubium IV.

An in sensibus Christi fuerit deceptio, qualis esse solet in sensibus aliorum hominum.

Victoria relatus à Medina *loco statim citando*, non putabat inconueniens in sensibus Christi concedere deceptionem, & ipse Medina *quæst.* 15. *art.* 3. P. Suarez *disp.* 24. *sect.* 3. putant diuina virtute adiutum fuisse Christi sensum vt non deciperetur, & Tapia *quæst.* 16. *art.* 4. putat deceptionem sensus non fuisse in Christo, quia sensu præseruabatur ab errore per intellectum, & fieri posse quod dixit P. Suarez, mihi dubium non est.

Existimo tamen, sine hoc optimè intelligi posse, D in sensu Christi sensationem absque deceptione, & non est cur negemus Christi sensibus naturalem modum cognoscendi absque imperfectione deceptionis.

Pro cuius explicatione notandum est id quod suprà docuimus, in sensibus non esse circa sensibile proprium deceptionem per difformitatem essentialem speciei cum obiecto, quod facilè intelligitur, quia species impressa oritur ab obiecto sensibili naturaliter: est ergo naturalis similitudo illius in quacunque distantia; est igitur semper in repræsentando similis obiecto, id est, quod illud repræsentat, & non aliud, licèt in vna distantia minus perfectè quàm in alia, & idem est de quauis repræsentatione imperfecta ex alio accidenti, siue ex parte medij, siue ex parte potentiæ; ergo inter speciem sensibilem, & proprium sensibile non est difformitas essentialis, licèt sit imperfecta repræsentatio; quòd si species impressa non est diuisibilis obiecto, & expressa species euadat similis impressæ, non erit in sensatione difformitas essentialis cum obiecto.

Vnde mihi maximè placet opinio asserentium, in sensu non esse propriè veritatem, vel falsitatem, quam ex Aristotele, & aliis rectè probat P. Vazquez 1. *part. disp.* 75. qui *cap.* 2. ferè in fine docet, sensum dici falsi & esse verū, nō quia in eo sit veritas, vel falsitas propriè, sed quia est causa veri, vel falsi iudicij.

A Ego verò potius appellarem opinionem, quàm causam veri, vel falsi iudicij, & eodem modo intelligendus est S. Thomas 1. *part. quæst.* 17. *art.* 2. dum concedit falsitatem in sensibus per accidens, propter rationem dictam, quia species impressa & expressa euadunt similes obiecto, & sensibili proprio, & idem est de sensibili communi, licèt circa hoc interdum videatur deformitas aliqua inter speciem & obiectum, quando, v. g. ex reflexione fit, vt quasi in diuerso situ videatur repræsentare obiectum, vt scilicet quando ratione reflexionis in speculo apparere videtur obiectum quasi intra speculum, sed hanc nullus potest propriè appellare falsitatem, licèt sapientes quidam antiqui speculum falsitatis Hie-

B roglyphicum effecerint.

Et Tapia *suprà* dixit, non esse deceptionem, apparere minora, ea quæ distant.

Abulens. *in caput* 13. *Genesis quæst.* 516. de Adamo in statu innocentiæ loquens, expressè docet propter nostram rationem in sensu imperfectam sensationem non esse deceptionem. Ratione etiam dispositionis medij solet baculus, v. g. apparere diuisus qui reuera non est, in quo etiam falsitas propriè non est, vt iam *suprà* docui.

Ex tradita ergo doctrina colligo, nullum esse inconueniens, concedere in sensibus externis Christi, sensationes quæ ex natura rei fieri solent à sensibilibus, quia illæ non sunt dissimiles essentialiter obie-

C ctis, nec falsæ formaliter, causaliter verò in Christo non potuerunt esse falsæ, quia non poterant causare falsum iudicium in intellectu, qui erat plenus sapientia, & veritate; nullum verò inconueniens videtur concedere interdum in sensibus Christi, sensationes minus perfectas, vel propter distantiam obiecti, vel propter aliam causam, nunquam tamen concedendum esse habuisse falsitatem in sensibus.

DISPVTATIO XXIX.

Moralis, & Positiva.

Dubium I.

An ante Euangelium fuerit status religionis.



In hoc dubio quod grauissimum est, affirmant aliqui, & ad hoc ostendendum supponunt, ante Christum fuisse virtutes heroicas ex gratia Dei.

Secundò docent possibiles fuisse ante aduentum Christi virtutem castitatis, paupertatis, & obedientiæ, etiam ex gratia Dei.

Tertiò docent possibiles etiam fuisse prædictas virtutes voto confirmatas, quia ex gratia Dei etiam possibilia erant vota circa tales materias, nec potest

E ostendi aliqua implicatio, propter quam dicantur non fuisse possibilia talia vota.

Ex his colligunt reipsa fuisse talia vota in aliquibus antiquæ legis, propter perfectionem illorum, propter quam ea vota conceduntur in Apostolis. Deinde probant ex sanctis Patribus, quia dicunt Eliam fuisse fundatorem vitæ monasticæ & Pattem Monachorum, & citant Dionysium Areopag. *cap.* 6. *Ecclesiastica Hierarchia*, Philo *de vita contemplat.* Iosephus *cap.* 12. *&* 72. *speculi*, S. Ephrem *sermone ad monachum nouitium*, S. Basilius *in regulis fusius disputatis cap.* 22. Gregorius Nyssenus *hom.* 7. *in Cantica.* Chrysostom. *homil.* 69. *super Matth. & de virginitate cap.* 79. *&* 80. Ioannes Hierosolym. sæpe *in suo libro,* Cassianus

Cassianus multis in locis, & præcipuè *lib.1. cap.2.* S.Nilus *in libro ascetico*, Isidor. Pelusiota *lib.1.epist.5.* Theodoret.*in histor.sanctor.Patrum.*Sozomenus *lib.1. histor. cap.12.*Eustachius *in vita S.Euricij*, Antioch. *hom.89.*Simon Metaphr.*in vita S.Pachon.*Theophyl. *cap.1.in Lucam.*Theodor. Balsamon super Photium *tit.3.cap.3.*Nicephor.Calixt.*lib.9.histor.cap.14.* Clemens apud Euseb.*lib.3. histor. cap.32.*Ambros. *epistola ad Verzelen.* Hieronym. *epist.ad Paulin.* Augustin. *in Psalm.132.*Isid.*lib.2.offic.cap.5.*Petr.Damian.*opusc.15. cap.2.*Rupert.*Cant.4.* Hug.Victor.*sermone 72.* Bern. *ad fratres de monte Dei.*

Citant etiam alios autores, VValdens. *in doctrina lib.3.art.1.cap.4.* Abulens.*4. Regum, cap.1. quæst.15. & 16.* Lytan. & Caietan. *4. Regum cap.5.* Baron. *anno 340.*Bellarm.*lib.de Monach.cap.5.& 39.* Gaspar Sanchez *3.Regum 17.*Anton. Ferdinan. *de visione veter.Testam. in visione Eliæ.* Salla *tomo 4. annalium anno 3124.num. 9. 10. & anno 3127. num. 23. & 26.* & posset citare plures alios.

Item contendunt, ante Euangelium fuisse verum statum religionis,& probari potest, quia verisimile videtur in veteri lege fuisse votum paupertatis, quod potest explicari, quia si Philosophus aliquis propter solam rerum naturalium scientiam dimiserit diuitias, quanto magis propter amorem Dei in veteri lege verisimile est aliquos Sanctos contempsisse diuitias.

Deinde de voto obedientiæ potest probari, quia cùm constet Essenos,& filios Prophetarum in communi congregatione vixisse, verisimile est emisisse votum obedientię ad ordinatum regimen eius communitatis. Et de castitate idem videtur credibile fuisse in aliquibus Sanctis veteris Testamenti, de quo diximus agentes de voto castitatis B.Virginis.

Sed contrariam sententiam, nempe ante legem euangelicam, non fuisse statum religionis quantum ad substantiam & perfectionem, docuit P. Suarez *lib.3. de religione cap. 1. tomo 3.* & manifestè docuit P. Vazquez *tom.2. in 3.part. 124. cap. vltimo §. neque verò num.9}.* & communiter hoc tempore Magistri nostræ Societatis, & viri docti in omnibus Ecclesiæ Academiis, qui vel hoc docuerunt expresè in publicis lectionibus, vel de hac cõtrouersia interrogati hanc sententiam sequuti sunt, & mihi constat contrariam opinionem vehementer displicuisse Magistris Theologiæ Complut. Adademiæ, tenent communiter Doctores, qui docent, hunc statum religionis perfectum institutum fuisse à Christo, de quo S. Thomas & interpretes eius 22. agentes de statu religionis,& legi potest P. Suarez *tomo 3. de religione lib.3.cap.1.& 2.* & in hoc secundo capite multos citat asserentes hunc statum fuisse institutom à Christo, qui planè supponunt ante ipsum Christum non fuisse.

Notandum autem est Doctores aliquos significasse aliqualem modum religionis fuisse in veteri lege: sed nullus est ante hoc tempus, qui affirmet in veteri lege fuisse perfectum statum religionis quantum ad substantiam, sed quantum ad virtutes paupertatis, castitatis & obedientiæ fuisse in aliquibus personis.

Et potest explicari primò, quia si loquamur de votis solemnibus, sicut nunc sunt, nullum est probabile fundamentum ad dicendum, in veteri lege fuisse vota solemnia, quia non est vllum fundamentum ad dicendum fuisse votum castitatis quod redderet homines inhabiles ad matrimonium contrahendum.

Item dici non potest fuisse votum paupertatis quod redderet hominem inhabilem ad dominium, vel vsum rerum, vel simpliciter, vel secundùm quid. Quod satis explicant Pontifices dum affirmant, solemnitatem introductam ab Ecclesia, per potestatem acceptam à Christo, de quo diximus in materia *de voto*. Et explicatur ampliùs, quia talis status quantum ad prædicta vota cum solemnitate externa cognita ab aliis sine fundamento diceretur fuisse in veteri lege; & si loquamur de solemnitate introducta ab Ecclesia, manifestum est non fuisse in veteri lege. Si autem loquamur secundùm opinionem asserentium solemnitatem consistere in traditione, facta per votum Deo in manibus alicuius Prælati loco Dei, etiam dicendum est non fuisse, quia nullum est idoneum fundamentum ad hoc affirmandum. An verò in ea lege aliquis emiserit tria vota in occulto,& soli Deo cognita, non potest dici, quia nullum est idoneum fundamentum, & hîc potest habere locum doctrina S.Thomæ 2.2. *quæst.184. art.4.* de statu hominis interno, vel externo.

Et hæc veritas magis constabit ex solutione eorum, quæ ab vno, vel altero recentiore obiiciuntur, ad probandum, in veteri lege fuisse tria vota religionis, quæ in specie infrà soluentur.

Notandum autem est hoc loco, aliquem defendentem in veteri lege fuisse tria vota, ita respondere huic rationi factæ de solemnitate votorum, quæ modò est in Ecclesia, vt nihil dicant de illa, & de effectu illius in ordine ad matrimonia, & dominia rerum; quod tamen maximè vrget & confirmat sententiam communem P.Suarez & aliorum.

Deinde P.Suarez *cap.citato ad finem*, docet quòd si sermo fit de tribus votis sine solèmnitate, fortè aliquem in veteri lege illa emisisse, quamuis de nullo possit firmo fundamento affirmari. Et mihi placet communis sententia P.Suarez,& aliorum.

Pro cuius explicatione obiicienda sunt nonnulla.

Primò possunt obiici Patres & autores, qui appellant Eliam institutorem vitæ monasticæ; sed isti non loquuntur de statu religionis, confirmato per vota, sed solùm de illo quantum ad virtutem, & externum aliquem cultum,& modum viuendi, quod manifestè indicant, dum perfectionem status religiosi tribuunt Christo autori,& institutori.

Vnde S.Thomas *in caput 11. ad Hebræos*, circa illud, *egentes angustiati*,&c. dixit his verbis significari à Paulo pœnas & afflictiones voluntariè assumptas ab antiquis Patribus, ex fide,& illo verbo *egentes*, explicat indicari voluntariam paupertatem, quo præfigurabant (ait S.Thomas) statum perfectionis noui Testamenti; manifestè ergo S.Thom. sensit perfectionem status religiosi, solùm fuisse præfiguratam in veteri Testamento, quod etiam docuit Hieronym. *epistola 22.ad Eustochium.* & Bernardus *epistola ad fratres de monte Dei*, pluresque alij Patres id frequenter significant, dum loquuntur de statu religionis instituto à Christo. legantur illi quos citat P. Suarez *suprà cap.2.*

Deinde secundò obiiciunt contra P.Suarez autores aliquos nostræ Societatis. Et primò P. Canis. *de corruptel. verbi Dei, cap. 2.* Heribertum Roshoirum *in annotatis ad vitam S.Paul. num.4.& 5.* Bellarmin. *tomo 1.libro de monachis cap.5.& 39.* Salian.anno mundi 3124. *num.9. & 10.* & anno 3139. *num.38.& 39.* Gaspar Sanchez *lib.3.Regum cap.17.in princip.*Anton. Ferdinand.*visione 9.*Gregor.de Valent. *lib. de statu & votis religiosorum, cap.2. & 22.disp.10.quæst.4.punct.1,* Ioann. Buseus *opere de statibus, agens de Heremitis.* Cornel. *Genes.5.vers.24.* Gualteri. *in Chronolog. 3. tabul.6.*Possevino.*lib.5.Biblioth.select.c.49.*Luisi. Alcazar

Apoca

Apocalyps. 11. *num.* 3. P. Ojeda *in reformat. Hispan.* pro immaculata Conceptio. Castro *in prologomen. ad* 12. *Prophetas lib.* 4. *cap.* 5. Maldonat. *Matth.* 8. Sed hi omnes planè loquuntur in sensu D. Thomæ *suprà* citato *in epistolam ad Hebræos*, sicut & plures alij, vt constabit legenti, & ideo de his & similibus obiectionibus curandum non est, præsertim cùm sint hominis, qui in sua historia prophetica multa dixit, quæ damnata sunt à supremo Senatu Inquisitionis, & meritò multi viri docti iudicarunt totuio ipsum librum esse prohibendum.

Sciendum autem est prædictum autorem refutare nonnulla quæ docuit P. Suarez, & vt notarunt viri pij & doctissimi in Hispania, non tam refutat illa rationibus, quàm verbis contumeliosis, quibus ego respondere nolo, ne respondens similis ei fiam, præsertim quòd non deerunt nostræ Societatis insignes Magistri, qui ei respondeant, ne ipse sibi sapiens videatur, & speciatim multa notent, quæ licèt non sint damnata à supremo Senatu S. Inquisitionis, parùm tamen habent probabilitatis, & multum audaciæ.

Deinde obiiciunt, sufficiens fundamentum esse ad dicendum fuisse statum Religionis in veteri lege, quòd in illo fuerint virtutes insignes in aliquibus viris, ac proinde etiam erit possibile, eas confirmasse voto; sed hoc parui momenti est, quia licèt res fuerit possibilis, tamen nos contendimus sine fundamento dici de facto ita fuisse, imò contrarium satis esse certum ex doctrina Patrum, quando dicunt statum religionis institutum esse à Christo, quam doctrinam recepit semper Scholasticorum cœtus, quod ampliùs ex dicendis intelligetur.

Dubium II.

An qui in veteri lege referuntur seruasse castitatem, paupertatem, vel obedientiam, fecerint votum harum virtutum.

Certum videtur aliquos in veteri Testamento seruasse castitatem, vt ex Hieronymo, & aliis retulimus, agentes de voto virginitatis Beatissimæ Virginis, & refert P. Suarez *tomo* 2. *in* 3. *part. disp.* 6. *sect.* 3. & *tomo* 3. *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 1. Docet autem P. Suarez non constare, ex certo aliquo principio illos emisisse votum castitatis, aut virginitatis. Addit secundò *vltimo loco citato*, non esse sufficiens fundamentum ad dicendum Eliam, aut filios Prophetarum emisisse tale votum, quòd cognoscerent perfectionem talis voti, quia tunc non erat virginitas in communi obseruantia, tum quia potiùs videbatur commendari fœcunditas, & ita sine speciali reuelatione non facerent illud votum, sicut de Beata Virgine docent nonnulli Patres, vt diximus *loco citato*; præsertim quia vota de rebus difficillimis non videbantur tunc in vsu.

Sine idoneo ergo fundamento dicunt aliqui in veteri lege aliquos seruasse vitam religiosam cum tribus votis, & sicut diximus de castitate, ita de paupertate, & obedientia philosophandum est, & de aliquibus personis statim dicemus.

Interim obiici potest testimonium *Isaiæ* 56. vbi Dominus consolatur eunuchos, eisque promittit nomen sempiternum, quod non peribit, quod non de eunuchis corporalibus, sed de obseruantibus castitatem communiter intelligunt Patres &

A interpretes *ibi*. Respondetur aliquos ita intelligere hunc locum, vt explicent de obseruantibus castitatem, nihil tamen dicunt de voto: deinde licèt admittamus ibi esse sermonem de obseruantibus castitatem per votum, tamen non est necessarium dicere prophetiam illam implendam in veteri Testamento, sed in nouo, vt indicat Bellarm. *lib.* 2. *de Monachis cap.* 9. vbi cum Hieronymo eodem modo intelligit locum Sapientiæ 3. *felix spado*, &c.

Et P. Suarez *suprà cap. citato*, vult sermonem esse generalem de omnibus obseruantibus castitatem, vel sine voto, vel cum illo.

Deinde docet P. Suarez, quòd licèt Elias obB seruauerit castitatem & paupertatem, tamen non constat certo testimonio fecisse votum castitatis, & paupertatis.

Item licèt Elisæus seruauerit castitatem, & paupertatem, tamen non constat fecisse perpetuum votum illarum. Item licèt dicatur Elisæus ministrasse Eliæ, tamen non constat hoc fecisse ex voto obedientiæ, & licèt ex 3. *Regum cap.* 19. constet Elisæum relictis patre & matre sequutum fuisse Eliam, tamen quòd id fecerit ex voto, non colligitur: dici tamen potest in eo facto adumbratum fuisse perfectum religionis statum futurum in lege noua.

Sed potest obiici ex 4. *Regum* 2. vbi filij ProC phetarum, post raptum Eliæ venientes adorauerunt Elisæum, quasi illi se subiicientes. Verùm ex hoc loco non potest colligi efficaciter professio religiosa, vel votum obedientiæ, vt contendunt sine fundamento recentiores aliqui.

Secundò potest obiici ex *cap.* 6. 4. *libri Regum*, colligi filios Prophetarum in vna communitate habitasse cum Elisæo: sed bene respondet P. Suarez non esse certum qualis fuerit modus ille viuendi, & an filij Prophetarum fuerint subiecti Eliæ, vel Elisæo in perpetuum, vel ad tempus. Secundò docet incertum fuisse an ex voto obedientiæ, vel ex contractu humano, vel solùm ex voluntaD ria subiectione fuerint subiecti, vnde ex illo loco probari non potest filios Prophetarum fuisse verè, & propriè religiosos, licèt ad tempus obseruauerint voluntariè paupertatem, vel obedientiam; & prorsus improbabile est in prædicta congregatione filiorum Prophetarum fuisse statum religionis per vota solemnia, quod vnus, vel alter ex recentioribus docuit non sine temeritate.

Iuxta doctrinam traditam de filiis Prophetarum philosophari possumus de similibus congregationibus.

Et de Essenis, de quibus mentionem fecit Philo *lib. de vita contemplatiua*, & Ioseph *lib.* 18. *antiquitat. cap.* 2. & *lib.* 2. *de bello Iudaico cap.* 7. & legi E potest P. Suarez *cap. citato*, qui eruditè ex Hieronymo & aliis de Essenis tractat, & dicit aliquos sensisse prædictos Essenos non habuisse rectam fidem, vt indicat Iosephus, & Epiphan. *ibi* citati à P. Suarez, & quòd non seruauerint paupertatem, indicat ex Iosepho *lib.* 18. *antiquitat. cap.* 2. ex Philone: sed de hoc nolo disputare, satis nobis sit quod *ibidem* docet P. Suarez, de castitate & obedientia nihil posse certò affirmari, multo minus possumus affirmare illos fecisse votum perpetuum de his virtutibus, &, vt dixi, omnino improbabile est asserere hos fecisse vota solemnia.

Et P. Vazquez *tomo* 2 *in* 3. *p. disp.* 124. *cap.* 5. *n.* 88. *in fine*, docet quòd licèt personæ, quas retulerat

cap. 2. dicantur seruasse castitatem, tamen non dicuntur fecisse votum: retulerat autem inter eas personas etiam Essenos.

De Nazaræis verò & Rechabitis rectè loquitur P. Suarez *citato cap.* & legi potest Baronius *in apparatu ad Annales in principio tomo* 1.

Ex dictis facilè etiam intelligitur in lege naturali ante legem veterem non fuisse statum religionis. legatur Suarez *loco citato*. Et quantum ad hoc de statu religionis non est audiendus Iacobus Bolduck *libro* 1. *de Ecclesia ante legem, cap.* 10.

Iuxta doctrinam traditam consequenter doctè & prudenter P. Suarez *libro citato, cap.* 3. tractans an status religionis perpetuò durauerit, dixit se non B disputare de continuatione congregationis illius, quæ ab aliquibus dicitur fuisse religio in statu veteris legis, quia, vt iam ostendimus, certum non est fuisse statum religionis perfectum, imò longè probabilius est nullam communitatem illius, temporis fuisse veram religionem per tria vota perpetua, & in hoc sensu intelligenda sunt nonnulla alia quæ *ibidem* dicit, quæ vnus, vel alter recentior sinistrè interpretatur vt pugnet cum insigni Theologorum giganti.

Tribuitur enim Patri Suario quòd neget absolutè continuationem illius congregationis absolutè per traditionem, quam tamen expressè concessit de congregatione illa qualicumque *tomo* 4. *de religione, tractatu* 9. *libro* 2. *cap.* 10. & confirmat ex Bul- C lis septem Pontificum *ibi* relatis. Vnde *in* 3. *tomo cap. citato*, solùm negat traditionem, ex qua probetur congregationem Eliæ fuisse perfectum statum religionis, & ita *tomo* 4. *cap. citato*, non retractat quod dixerat *tomo* 3. *capite relato*, vt vidit autor ille historiæ propheticæ *libro* 3. *cap.* 31. *num.* 3.

DISPVTATIO XXX.

Dvbivm I.

De qualitate propositionum.

E hac materia dixi in prima parte selectarum: placet autem hic nonnulla notare pro his quæ dicemus in hac secunda parte de censura, & qualitate aliquarum propositionum.

Et prima propositio digna censura assignatur hæretica, quæ est contra principia fidei, de quo legantur quæ diximus *loco citato*. & quæ doctè aduertit P. Suarez *tomo de fide, disp.* 19. *section.* 2. §. 1. *ergo inquirendum, vsque ad* §. denique circa alium modum inclusiuè.

Deinde assignatur propositio erronea, & ali- E qui putant reipsa non distingui ab hæresi, alij putant propositionem erroneam esse quæ est proxima hæresi & contraria conclusioni theologicæ illatæ per legitimam consequentiam ex vna de fide, & altera euidenter nota de lumine naturali, de qua diximus *disp. citata*, & legi potest P. Suarez *suprà* §. *in secundo gradu*, qui citat Canum, Cordubam, & Simancam.

Alia propositio dicitur sapiens hæresim, & generali ratione comprehendit erroneam, specialiter tamen dicitur illa quæ est contraria propositioni quæ colligitur ex principiis quæ probabiliter iudicantur de fide, vel quæ colligitur ex certis

A principiis de fide, licèt consequentia non sit omnino certa, vel, vt dixi *disputatione citata*, aliqui putant propositionem sapientem hæresim esse illam, quæ habet speciem apparentem hæresis, & licèt reipsa non sit hæresis, tamen ex circumstantiis materiæ & personæ prudenter iudicatur esse proximam hæresi.

Vlteriùs alia propositio dicitur temeraria, de qua dixi *loco citato*, & rectè de illa philosophatur P. Suarez *suprà*, qui bene notat posse aliquando dici temerariam propositionem solùm philosophicè, quia non est in materia fidei, aut morum, neque ad illam pertinet, neque ab ea pendet.

Item de propositione scandalosa, Iniuriosa, aut B seditiosa, dixi *disputatione citata*, & bene P. Suarez cum aliis *suprà*. Obseruandum deinde est quod sæpe docuimus, prædictas censuras posse cadere in propositiones, quibus aliqui damnant propositiones catholicas, vel quæ ex illis deducuntur certò, aut valde probabiliter, v. g. si propositionem multorum Theologorum valde probabilem quis appellet temerariam, ipse in sua censura temerarius est, & idem de aliis, quod etiam obseruauit *suprà* P. Suarez, §. *atque ad hos gradus, parum à principio*, & ideo Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt aliquas propositiones Michaëlis Baij propter censuras, quibus notauit propositiones aliquorum Theologorum, vt explicuimus in materia *de gratia, opusculo* C *contra errores Michaelis Bay*.

Dvbivm II.

Qua dicatur propositio probabilis.

PRo materia huius dubij videnda sunt quæ de opinione probabili tradunt Doctores in materia *de conscientia*. Nauarrus *in summa, cap.* 23. *à n.* 285. Henricus *quodlibet.* 4 *quæst.* 33. Adrianus *quodlibet.* 2. Corduba *lib.* 2. *quæst.* 13. *&* 17. P. Vazquez 1. 2. *d.* 62. *cap.* 4. P. Azor *lib.* 2. *institutionum moralium à cap.* 9. & aliquid dicit P. Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, d.* 44. *num.* 2.

D Primò notandum est contra legem diuinam positiuam, vel naturalem non posse esse opinionem probabilem, licèt interdum ex ignorantia possit quis excusari à peccato operans contra aliquam legem, de quo in peculiaribus materiis agendum est.

Secundò non potest esse opinio probabilis contra manifestam legem Pontificis, quia contra illum priuati Doctores non habent autoritatem, sed si sensus legis sit obscurus, poterunt esse diuersæ opiniones probabiles circa sensum legis. Ex quo fit vt antiquorum opinio quæ aliquando potuit esse, vel iudicari probabilis, non maneat cum ea probabilitate adueniente nouo decreto, vel lege Ponti- E ficis, imò fieri potest, vt maneat damnata per tale decretum Pontificis, etiamsi priori tempore habuerit aliquos Doctores.

Item non debet censeri opinio probabilis ex numero solùm autorum, sed maximè considerandum est, an autores illi habeant aliquam rationem probabilem, vel testimonium aliquod probabile aliquorum Patrum. Et maximè considerandum est, an plures autores vnius prioris sequantur opinionem te non examinata, neque considerata ratione ex affectu solùm tradendi opiniones plausibiles vulgò, & nimis laxas, quod hoc tempore frequenter contingit.

Vnde opinio quæ aliquando habuit plures au-

tores

tores, postea damnata est, vt constat de sententia asserentium licitam esse confessionem per litteras, quæ tamen damnata est à Clemente VIII. de quo diximus in materia *de pœnitentia*.

Item post decretum Vrbani VIII. non est probabilis sententia asserentium posse vnum sacerdotem accipere plura stipendia pro vna Missa.

Item sciendum est non esse probabilem opinionem contra communem sensum fidelium, præsertim doctissimorum.

Ex dictis etiam videtur parum habere probabilitatis placitum asserentium posse Sacerdotem implere præceptum recitandi horas canonicas per officium cuiuscumque Dei translatum in alia die, quod mihi non est probabile, de quo in materia *de horis canonicis*.

Vlteriùs non est probabile placitum vnius, vel alterius autoris, asserentis posse aliquem absolui à reseruatis licentia petita, & non obtenta, hoc enim dicitur sine vllo probabili fundamento, & contra communem sensum Doctorum, & rationem efficacem, de quo dixi in materia *de pœnitentia*.

Præterea non est probabile quod quidam dixit, hoc tempore non esse obligationem recitandi litanias in die S. Marci, & tribus diebus ante Ascensionem, quod planè est contra communem sensum Ecclesiæ, & licèt ille autor citet aliquos pro suo sensu, tamen illi id non dicunt, & licèt dicerent, non esset probabile placitum contra iam apertum sensum Ecclesiæ.

Plura de probabilitate, vel improbabilitate opinionis diximus 1. *parte, selectarum disputatione iam citata*, vbi etiam explicuimus, an possit esse probabilis opinio vnius Doctoris: ostendimus etiam, quomodo opinio improbabilis differat à temeraria; & generatim tradidimus quæ sint consideranda ad probabilitatem, vel improbabilitatem opinionis.

Incipit secunda pars Censuræ Theologicæ.

DISPVTATIO XXXI.

DVBIVM I.

An hoc tempore mereatur censuram asserere quòd qui mortem pateretur, pro defendenda conceptione immaculata Virginis sine originali, esset Martyr.



NON defuerunt, qui dicerent talem conclusionem esse cōtra decreta Pontificum circa hanc materiam.

Sed multi viri docti putant hanc conclusionem non esse contra decreta Pontificum, neque mereri vllam censuram, sed esse veram, ita defendit P. Salazar *tractatu de conceptione*, & alij; & cùm ea propositio semel & iterum fuerit delata ad Senatum supremum sanctæ Inquisitionis, iudicatum est non esse dignam censura, & concessa est facultas illam defendendi in publicis actionibus, quod mihi maximè placet, & probanda est ex doctrina generali de martyrio, de quo diximus 2. 2.

DVBIVM II.

An sit contra decreta Pontificum in hac materia de conceptione, asserere, quòd potest à Pontifice definiri vna pars huius controuersiæ.

ALiqui dicunt posse definiri, quòd Virgo habuerit peccatum originale. Alij docent, quòd pars contraria potest definiri, & dicendum, quòd expectandum est iudicium Pontificis.

DVBIVM III.

An possit definiri, quòd B. Virgo non habuerit debitum contrahendi peccatum originale.

ALiqui dicunt habuisse debitum; alij non habuisse. Sed in præsenti dubio non lego qui disputauerint.

Ego alibi dixi, B. Virginem habuisse debitum contrahendi peccatum originale, & oppositum esse falsum, & ita existimo definiri non posse esse falsum placitum, neque esse vllum firmum fundamentum ad contrariom dicendum, imò multi putant temerarium esse asserere prædictam propositionem posse definiri.

DVBIVM IV.

An sit probabile placitum asserentium, esse præceptum suscipiendi Sacramentum extremæ vnctionis in periculo mortis.

SCiendum est ita sensisse Petrum Sotum *lection. 2. de extrema vnctione, §. de necessitate huius Sacramenti*, & fauent alij, consentit P. Suarez *tomo 4. in 3. part. d. 43. sect. 2.* & ita sentiunt viri docti huius temporis.

Scire oportet pro contraria opinione citari aliquos, qui tamen explicari possunt non improbabiliter, & solùm significant, hoc Sacramentum non esse necessarium necessitate medij, dicunt enim non esse de necessitate salutis; quæ verba significant necessitatem medij, vt loquitur S. Thomas 4. *d.* 23. & alij ex antiquis.

Item sciendum est, quòd licèt ex recentioribus multi dicant extremam vnctionem non esse in præcepto, tamen nullus dixit opinionem Petri Soti esse improbabilem, vel dignam aliqua censura.

Item aliqui huius temporis putant opinionem Petri Soti esse veram; alij satis probabilem, & fauent, quæ adducit P. Vazquez *loco citato*. & certè Petrus Soto *loco citato*, satis prudenter, piè & doctè loquitur. Et absolutè pronunció eam opinionem nullam mereri censuram.

Aduertendum est posse esse quæstionem, an sit præceptum diuinum Christi de susceptione huius Sacramenti. Secundò an sit solùm Ecclesiasticum. Tertiò an sit præceptum propriæ charitatis recipiendi illud in articulo mortis, propter obligationem apponēdi omnia media, quæ possunt iuuare ad vitandum tale periculum damnationis æternæ, quæ obligatio potest intelligi, supposita institutione Sacramenti huius.

DUBIUM V.

An sit probabile placitum aliquorum asserentium, hanc locutionem, Christus praedestinatus est filius Dei, non esse propriam in rigore.

DE hac materia diximus in materia *de Incarnatione*, & propriam putat S. Thomas, & discipuli, & multi Scholastici, & recentiores interpretes S. Thomae, si vnum, vel alterum excipias tantùm, magnique audacis ingenij. Et multi meritò putant, eam propositionem esse verissimam in toto rigore, & oppositum non esse probabile.

DUBIUM VI.

An sit probabile placitum cuiusdam recentioris asserentis, in eo qui habet votum castitatis, non esse contra votum complacentiam simplicem delectationis venereae.

REspondeo primò, non esse probabile, quia non habet probabile aliquod fundamentum.

Secundò esse temerarium, quia est contra communem sensum doctissimorum virorum.

Tertiò videtur errorem sapere considerata bona Theologia, & communi sensu fidelium, & ideo existimo, non esse tutum in praxi.

DUBIUM VII.

An mereatur censuram asserere, librum Ecclesiastici non esse canonicum.

REspondeo, post Concilium Tridentinum hoc dici non potest, quia definitum est esse canonicum, licèt antiquitus fuerit de hoc aliqua controuersia, & ideo antiqui aliqui autores cautè legendi sunt.

DUBIUM VIII.

An sit probabile asserere, Christum de facto meruisse suam beatitudinem essentialem.

REspondeo, siue sit sermo de merito per operra propria antecedentia naturâ beatitudinem animae Christi, siue de merito per subsequentia opera naturâ posteriora; placitum est hoc tempore improbabile, & contra omnes Doctores, & ideo non sine aliquali temeritate.

DUBIUM IX.

An sit dignum censura asserere, quòd professus nostra Societatis post votum non accipiendi dignitatem, nisi ex praecepto Pontificis, possit accipere dignitatem merè secularem, sine dispensatione voti.

NOn defuit vnus, vel alter hoc tempore, qui diceret, per nostrum votum non excludi dignitatem purè secularem.

Sed est contra communem sensum nostrae Societatis, quae à tempore Patris nostri S. Ignatij semper intellexit, per tale votum excludi etiam dignitatem secularem, & oppositum dici non caret ma-
A gna temeritate, & est doctrina quae vergit in magnum detrimentum nostrae religionis, & a nonnullis iudicata est scandalosa.

DUBIUM X.

An sit dignum censura asserere, quòd possint Patres professi nostrae Societatis ex solo praecepto Principis secularis acceptare eam dignitatem secularem sine violatione voti.

AFfirmat vnus, vel alter, sine vllo probabili fundamento, & doctrina est contra communem sensum nostrae Societatis, à tempore nostri sancti Patris Ignatij; quae semper intellexit esse necessariam dispensationem Summi Pontificis, vel praeceptum illius, & opposita scandalosa est, & temeraria.
B

DUBIUM XI.

An mereatur censuram asserere, quòd praedicti professi possint, vel teneantur acceptare dignitatem, ex solo praecepto Nuntij Apostolici.

DE hoc enim fuit quaestio hoc tempore; & aliqui affirmant. Sed est contra communem sensum nostrae Societatis, & à tempore nostri sancti Patris Ignatij, & ita est improbabile placitum, & temerarium.
C

Et quòd hoc non possit Nuntius, faciliùs intelligetur, quòd Summus Pontifex rogatus nollet eam facultatem concedere.

DUBIUM XII.

An sit probabile placitum asserentium venari contra prohibitionem legis positiuae, solum esse peccatum contra iustitiam legalem.

D

PRimò respondeo, sententiam esse falsam, quia, vt dixi 2. 2. *tomo* 2. ex mente sancti Thomae, non est peccatum contra iustitiam legalem, nisi quando lex violatur, ex contemptu boni communis.

Deinde, vt dixi 2. 2. *tomo* 2. *disputatione de furto in venatione*, peccatum venationis potest esse contra iustitiam commutatiuam, quando venalia sunt alicuius, vel priuati dominij, vel communitatis.

Tertiò existimo venationem posse fieri sine peccato, quando venalia sunt communia, & lex solùm est poenalis, iuxta generalem doctrinam de agris.

E Difficultas esse potest, quando lex prohibet, ne dominus animalium occidat illa, pro alio tempore anni, contra quam virtutem peccet si violat legem.

Aliqui putant esse contra iustitiam legalem. Sed falluntur, quia, vt saepe dixi 2. 2. iustitiae legatio non violatur nisi cùm expresso contemptu boni communis violatur lex.

Alij putant, esse contra temperantiam, nescio qua ratione moti, quia haec virtus moderatur dolorem, tristitias, vel rem veneream, vel abscessus ab esu & potu, in vsu comedendi & bibendi.

Alij putant, praedictam violationem esse contra obedientiam. Sed, vt docuimus 2. 2. non fit specialis violatio

violatio obedientiæ, nisi ex contemptu superioris, vel præcepti.

Dici ergo potest primò, posse esse peccatum contra iustitiam, si lex prohibet talem vsum carens dominio rei, & impediens vsum pro aliquo tempore propter causam iustam, & hoc posse legislatorem, non potest esse dubium. Et eodem modo si animalia essent communia, posset Princeps prohibere venationem illorum, propter bonum reipublicæ. Item peccatum esset contra iustitiam, & illam legem capere, aut occidere animalia.

Tandem non est improbabile posse esse aliquod peccatum in venatione animalium, si ex illa incurratur in grauem necessitatem, & tunc esset contra pietatem erga rem publicam, supposita doctrina de B virtute pietatis.

Dubium XIII.

An sit probabile, posse aliquem complere obligationem recitandi officium diuinum, recitando quolibet die officium quodlibet, quodcunque illud sit.

Respondeo primò non esse probabile, si sermo sit de officio historico, ab officio Breuiarij Pij V. propter præceptum recitandi in hoc Breuiario, & vt dicebam in materia *de horis canonicis*, au- C tores aliqui, qui pro contraria opinione citantur, scripsere ante Pium V.

Secundò mihi etiam est improbabile, nec tutum in conscientia, posse adimpleri præceptum, per quodcumque officium, in quocumque die, quia manifesta videtur intentio Pij V. & Pontificum assignantium officium pro quolibet die, & ita si mutatio fiat ex deliberatione, non possunt adimplere, licèt aliquid aliud alibi, vel aliquando diximus in materia, si fortè dixi.

Dubium XIV.

An sit probabile, quòd aliqui docuerunt, quòd D si quis omittat officium diuinum completorium, possit satisfacere, si sequenti die, vel tempore recitet aliquod officium loco officij omissi, ita vt non teneatur aliquid restituere pro omissione prædicta.

Referuntur aliqui ita sentire. Sed considerato iure naturali solo non est improbabile, posito tamen iure positiuo de obligatione recitandi, propter omissionem recitationis officij, placitum non solùm est improbabile, sed temerarium, neque tutum in conscientia. E

Dubium XV.

An sit probabile quod aliqui docent, posse Sacerdotem implere obligationem recitandi officium, etiamsi distractus sit voluntariè si proferat solùm verba.

Hoc tempore aliqui ita videntur sentire. Ego verò neque probabile id censeo, neque tutum in conscientia, quia tale præceptum implendum est, modo honesto, & seruata reuerentia debita, A iuxta ea quæ diximus 2.2 *ad quæst*. 83. agentes *de horis canonicis*.

Neque refert, quòd aliqui viri pij & docti ita sentiant, quòd sine vllo probabili fundamento loquantur. Et idem iudicium est in attentione ad audiendam Missam, siue in audiente, siue in dicente.

Dubium XVI.

An sit verum quod quidam recentior docet, eum qui accipit stipendium pro onere dicendi Missam certo loco, non posse aliud stipendium accipere pro applicatione sacrificij.

Ita sensit quidam hoc tempore, & probat quidem, quia hoc est accipere duo stipendia, quod est prohibitum.

Sed fallitur apertè, quia quando prohibet duo stipendia pro onere suo, intelligitur de eleemosyna accipienda pro applicatione sacrificij: sed accipere aliquam eleemosynam pro applicatione sacrificij, & aliam pro onere dicendi in tali loco, quando manet liber sacerdos, ad applicandum sacrificium pro quo vult, non accipit duo stipendia eodem titulo, & hoc frequenter accidit in hac curia Matriti.

Et iuxta hæc est intelligenda prohibitio de duobus stipendiis, & oppositum nullam habet probabilitatem, quia nullum habet probabile fundamentum, sed ex ignorantia procedit.

Dubium XVII.

An mereatur censuram asserere, B Virginem non contraxisse verum matrimonium cum Iosepho per verba de præsenti, vel signa.

Leguntur P. Suarez, & P. Vazquez 3. *parte* agentes de matrimonio, & disputantes de matrimonio Virginis.

Ego existimo esse manifestum errorem propter consensum Patrum, & perpetuum sensum Ecclesiæ.

Dubium XVIII.

An sit probabile posse Episcopum dispensare cum his qui habentur tanquam coniuges, & tamen nunquam contraxerunt matrimonium, & habent impedimentum dirimens, & non possunt facilè recurrere ad Pontificem, & quamuis possent, sequeretur magnum scandalum, & habent filios.

Et occurrentibus prædictis circumstantiis, fatentur Doctores, posse Episcopum dispensare, & ita senserunt in Hispania viri docti de hac re interrogati, propter assignatas rationes, & eruditè docet noster P. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 40. & Basilius *libro* 8. *de matrimonio, cap.* 77. *num.* 6. & citatur P. Vazquez 1. 2. *disp.* 198. *cap.* 1. sed non loquitur clarè.

***

DVBIVM XIX.

An mereatur censuram, qui hominem in hac vita mortali, dicit esse aequalem in sanctitate cum aliquo Sancto canonizato.

Respondeo in hac locutione posse esse insignem temeritatem, praesertim quando Sanctus canonizatus insignis fuit in virtutibus & miraculis: & cum illo comparatur mortalis aliquis, mediocris sanctitatis, & talis locutio, siue per scripta, siue per verba, generat frequenter scandalum.

DVBIVM XX.

Quam censuram mereatur asserere, quòd aliquis Sanctus (excepta B. Virgine) non habuit peccatum originale.

Respondeo, aliqui dicunt doctrinam esse temerariam; alij manifestum errorem. Et certè nullum est fundamentum ad hoc dicendum, & res est grauissima.

DVBIVM XXI.

Quam censuram mereatur qui diceret, supremos Inquisitores, deceptos circa qualitatem alicuius propositionis, errasse in iudicando.

Respondeo praedictos iudices ita prudenter procedere praeuia consultatione doctissimorum hominum, pro qualitate materiae, vt praedicta propositio sit temeraria, & autor illius suspectus circa fidem, qui tanto tribunali detrahit.

DVBIVM XXII.

An sit probabile asserere, quòd satisfactio poenitentiae sacramentalis facta in gratia, non conferat gratiam ex opere operato.

Respondeo, hoc esse contra sanctum Thomam, vt diximus in materia *de poenitentia*, agentes de satisfactione.

Secundò est contra sensum Doctorum, & sine idoneo fundamento, ac proinde non solùm non est probabile, sed etiam temerarium, licèt non desit vnus, vel alter qui illud docuerit.

DVBIVM XXIII.

An sit probabile, quod aliquis dixit, Christum Dominum habere characterem sacerdotalem, quòd sit qualitas sacerdotalis, sicut habent alij sacerdotes.

Respondeo, de sacerdotio Christi egimus in materia *de Incarnatione*, 3. *parte*, vbi P. Vazquez ex doctrina Patrum probat Christum natura esse sacerdotem.

Secundò nullus hactenus dixit, Christum esse sacerdotem accidentali forma. Et ita existimo, valde esse temerarium, & plusquam temerarium, si quis diceret, fuisse sacerdotem sola forma accidentali.

A Deinde si quis concedat, Christum fuisse sacerdotem per vnionem cum natura diuina, & simul habuisse formam accidentalem, illa prima pars est vera, & haec secunda omnino improbabilis, & contra communem sensum Doctorum.

DVBIVM XXIV.

An sit probabile, in scientia infusa Christi praeter species infusas supernaturales, & habitum distinctum ab speciebus supernaturalibus esse tertia alia qualitas, & lumen supernaturale.

B

Ita putant recentiores in materia *de beatitudine*. Sed res est contra communem Scholasticorum, qui vel solas species infusas ponunt in ea scientia, vel species simul cum habitu supernaturali, de quo dixi *opusculo de lumine gloriae* 3. *parte*, agentes de scientia infusa Christi. Tertium verò illud lumen hactenus in vsu est, & sine vlla necessitate ponitur, & exinde opinio est improbabilis.

DVBIVM XXV.

C

Quam censuram mereatur, qui dixerit, Iudices sanctae Inquisitionis non posse prohibere libros, vel scriptum aliquod, quando non continet doctrinam contra fidem, vel temerarium, erroneum, vel scandalosum.

Respondeo Iudices sanctae Inquisitionis semper procedere cum magna consideratione, & consultatione praeuia doctissimorum hominum, & licèt liber non contineat doctrinam contra fidem, si tamen continet aliquid contra honorem & reuerentiam debitam personis Ecclesiasticis, & verba irrisoria contra illas, vt proferre solent haeretici, iustissimè possunt praedicti iudices prohibere illos libros, vel expurgare; & idem est si ex illis sequatur scandalum contra bonos mores, haec enim si
D permittantur possunt vergere in detrimentum fidei, & bonae doctrinae, & ideo illa propositio est temeraria & scandalosa.

DVBIVM XXVI.

Quam censuram mereatur asserere, quòd dignitas prophetica veteris Testamenti, est maior dignitas, quàm dignitas Apostolica noui Testamenti.

Non defuit, qui hoc temere diceret, vt laudet Eliam. Sed error est manifestus, contra
E sensum Ecclesiae, & Sanctorum, & contra id quod dicit Scriptura de Apostolis.

DVBIVM XXVII.

Quam censuram mereatur asserere Eliam fuisse sanctiorem Apostolis.

Respondeo esse manifestum errorem contra sensum Ecclesiae, & Patrum sine vllo fundamento.

Dubium XXVIII.

An sit probabile quod dixerunt aliqui hoc tempore, praeceptum audiendi Missam posse impleri, etiam si quis audire incipiat post finitum Euangelium.

Respondeo esse improbabile, & temerarium, contra communem sensum Doctorum, qui putant fore peccatum mortale, si culpabiliter inceperit quis audire Missam post finitum Euangelium, neque oppositum habet aliquod apparens fundamentum.

Dubium XXIX.

An mereatur censuram asserere, personam Christi non esse propriè compositam.

De hac propositione diximus 3. *part. ad quaest.* 2. Et multi meritò putant esse propositionem falsam, & improbabilem, neque carere temeritate.

Dubium XXX.

An possit concedi sine vlla nota censura, Christum esse compositum ex tribus subsistentiis.

De hac controuersia diximus 3. *part. ad quaest.* 2. & propositio est verissima & propria, iuxta *ibidem* dicta, vbi etiam explicuimus Concilium Tridentinum, & mentem Patrum, & responsionem Summorum Pontificum de hac controuersia.

Dubium XXXI.

An sit dignum censura, quod quidam hoc tempore typis mandarunt, habentem votum castitatis non peccare contra votum per simplicem delectationem veneream, & morosam eius delectationem.

Respondeo primò sententiam esse omnino improbabilem, quia votum absolutè emissum comprehendit omnem materiam illius virtutis, & ita contra votum fit per quodcunque vitium contra eam materiam.

Secundò existimo, esse sententiam temerariam contra communem sensum doctissimorum hominum, & sine vllo fundamento; neque desunt qui putent, esse manifestum errorem.

Dubium XXXII.

An sit probabile quod quidam dixit, omissionem recitationis vnius horae canonicae minoris, v.g. tertiae, vel sextae, non esse peccatum mortale.

Ego sanè existimo, peccatum esse graue, & mortale, quia si rectè res consideretur, materia est grauis, ex communi sensu Doctorum. Neque video probabile fundamentum pro contraria opinione, & ideo censeo, non esse probabile illud placitum, neque tutum in conscientia. Et idem iudicium est de hora nona. De aliis verò horis res est certissima, neque potest oppositum dici sine graui temeritate.

* * *

A

Dubium XXXIII.

An possit dici sine censura, sacrificium Missae conferre gratiam, ex opere operato ei pro quo offertur.

Non defuerunt qui ita sentirent, qui simul docent, per hoc non excusari hominem talem à confessione peccatorum mortalium. Et probat primum illud ex dictis Conciliorum, & Patrum, qui dicunt, per hoc sacrificium numquam peccata remitti.

Sed multi Theologi huius aetatis putant dictum illud esse graui censura dignum.

Mihi videtur, non esse probabilem, & in re graui B est contra communem sensum Scholasticorum sine graui fundamento, & quod dicitur, peccata remitti per hoc sacrificium, intelligi debet, quia impetrat auxilia ad iustificationem.

Non desunt tamen, qui praedictam propositionem, licèt dicant esse falsam, tamen affirmant non esse censura dignam.

Dubium XXXIV.

An sit probabile posse aliquem, qui habet ius ad maioratum, obiicere quòd alter sit illegitimus, licèt putetur legitimus.

C Ratio dubij sumitur ex eo quòd hoc est contra honorem illegitimi, qui putatur legitimus. Secundò est contra honorem matris. Tertiò est contra vitam matris, si maritus propter hoc velit illam occidere.

Propter haec aliqui dubitant, & sensisse videntur hoc non esse licitum.

Ego verò existimo in primis si sint testes sufficientes ad probandam illegitimitatem, posse qui habet ius ad maioratum illi obiicere illegitimitatem, licèt sit contra honorem eius, quia alter non tenetur propter honorem alterius amittere maioratum debitum sibi, & successoribus suis.

Secundò etiam non impedit, quòd foemina D amittat famam, quia iam scit delictum eius testificaturos ad probandum delictum, & alter non tenetur amittere maioratum propter infamiam adulterae.

De periculo mortis maior est difficultas. Sed fieri potest, vt non sit tale periculum si mortuus sit maritus, vel talis conditionis, vt non possit timeri mors vxoris ab illo inferendae. Item si timeatur periculum, potest foemina admoneri, vt ingrediatur religionem ad seruandam vitam, vel alio modo ponat se in loco secreto.

Et hoc idem existimo in casu, de quo aliquando interrogatus fui, nempe, quando foemina finxit aliquem suum filium esse, qui verus non erat, & habet ius ad maioratum, potest probari veritas per testes E legitimos.

Dubium XXXV.

An sit probabile, posse aliquem religiosum absolui à reseruatis per Bullam Cruciatae, quando eius religio habet Bullam Pontificis, in qua decernit & declarat, quòd non vult religiosos eius religionis gaudere priuilegio Bullae Cruciatae.

Non defuerunt, qui docerent posse religiosos vti Bulla Cruciatae, mouentur variis rationibus, de quibus alibi diximus.

Alij putant probabile, posse religiosum vti tali

Bulla Cruciatæ, propter plures recentiores, qui hanc opinionem typis mandarunt, & aliis viris doctissimis, qui verbo & scripto id docuerunt.

Ego verò eam opinionem neque probabilem, neque tutam in conscientia existimo, præsertim in religione, in qua superiores pij & prudentes faciles sunt ad concedendam facultatem, vt subditus absoluatur à reseruatis, vt sunt in nostra Societate.

Dubium XXXVI.

An sit digna censura opinio asserentium, non probari efficaciter ratione naturali immortalitatem animæ rationalis.

Toletus 3. *de anima* dixit eam propositionem esse temerariam. Alij dicunt solùm esse improbabilem, mihi videtur parum pia, & releganda ab scholis.

Dubium XXXVII.

An mereatur censuram opinio asserentium, characterem sacramentalem, esse solùm relationem rationis.

Variæ sunt sententiæ de hoc dubio, sed P. Vazquez in materia *de sacramentis in genere* 3. *part. disp.* 3. non esse tenendam, nec damnandam; mihi tamen non est probabilis.

Dubium XXXVIII.

An mereatur censuram nouum placitum asserentium, Christum habuisse characterem accidentalem sacerdotij.

Aliqui vehementer damnant hoc placitum. Mihi est omnino improbabile, & parum consentaneum doctrinæ Patrum, vt constat ex his, quæ 3. *part. tom.* 1. agens de sacerdotio Christi affert ex his Patribus P. Vazquez, & est contra omnes Scholasticos sine fundamento.

Dubium XXXIX.

An sit probabilis opinio asserentium, actum charitatis, & dilectionis Dei supernaturalis habere vim sanctificandi formaliter.

De hac materia ante aliquot annos fuit magna controuersia, de quo ego dixi in materia *de gratia*, & opusculo *de forma sanctificante*, per plura dubia, vbi plures citaui pro hac opinione.

Et hoc tempore plures defendunt eam, non solùm vt probabilem, sed etiam vt veram, & sæpe defenditur in Academia Complutensi in publicis actibus vniuersitatis & religionum, ac proinde hoc iam non potest negare esse valde probabilem, propter autores qui illam defendunt, & argumenta quæ illam confirmant, retuli *opusculo citato*.

Dubium XL.

An sit probabilis opinio asserentium, habitum gratiæ concurrere efficienter ad productionem habituum supernaturalium.

Aliqui ita censent, solùm quia gratia est veluti essentia, & cæteri habitus, veluti passiones.

Sed multi meritò putant hoc placitum esse falsum, & sine idoneo fundamento, & ego existimo esse probabile.

Et primò certum est, habitum fidei, & spei, non produci ab habitu gratiæ, qui postulat, esse prios ordine generationis, & potest manere corrupta gratia, & hoc siue gratiæ habitus differat ab habitu charitatis, siue non. Ex quo etiam sequitur, non esse fundamentum ad dicendum habitum supernaturalem virtutum moralium produci ab habitu gratiæ.

Dubium XLI.

An sit probabilis opinio asserentium Christum in cælo non orare verbis expressis.

Toletus in cap... Ioannis, dixit, opinionem esse improbabilem, propter quod grauiter reprehenditur à recentioribus.

Ego puto opinionem illam esse valde probabilem, & consentaneam multis sanctis Patribus, vt ostendit P. Vazquez *tomo* 1. *in* 3. *p.* licèt mihi magis placeat opinio contraria.

Dubium XLII.

An sit probabilis opinio asserentium, non posse esse in Deo voluntatem efficacem dandi gloriam, ante præuisa merita, sed danda est propter merita.

Non defuit aliquis frequenter audax, qui diceret, hanc opinionem esse improbabilem.

Sed de veritate huius opinionis dixi opusculo de hac re, & vt veram illam tradidi, & ostendit P. Vazquez 1. *part.* in materia *de prædestinatione*, & ideo improbabilissima est illa censura, & hominis non satis compositi cum P. Vazquez.

Dubium XLIII.

An sit probabilis opinio asserentium imaginem semper adorari cum prototypo, ita vt prototypum adoretur vt quod.

Non defuerunt hoc tempore aliqui, qui docent hanc opinionem esse contra septimam Synodum, & dignam censura. Alius dixit secundùm hanc opinionem, imagines non adorari propriè, quod etiam est dignum censura; sed de hac materia diximus 2. 2. agentes *de adoratione*, & 3 *part.* in materia *de Incarnatione*, vbi ostendimus prædictam opinionem esse veram, & explicuimus, quomodo imago propriè adoretur, etiamsi adoretur simul cum prototypo, declarauimus etiam mentem septimæ Synodi, quam rectè assecutus est P. Vazquez 3. *part. tom.* 1. in materia *de adoratione imaginum*, agentes *de adoratione humanitatis Christi*, & probauit, prædictos autores asserentes eam opinionem esse dignam censura, temere loquutos, & eam censuram esse temerariam.

Dubium XLIV.

An mereatur censuram placitum asserentium, cum sola cognitione naturali ex parte intellectus, si detur gratia ex parte voluntatis, posse aliquem operari actum in ordine supernaturali sufficientem vt disponat ad iustificationem.

Respondeo errorem esse manifestum in fide, quia, vt constat ex his quæ diximus in materia *de*

de gratia, semper ad operandum ex gratia requiritur A gratia excitans ex parte intellectus, siue sit supernaturalis quantum ad substantiam, siue quantum ad modum, secundùm diuersas opiniones Theologorum.

DUBIUM XLV.

An sit probabilis opinio asserentium habitum gratiæ, & charitatis, non distingui realiter.

NOn defuit quidam recentior, qui in materia *de gratia* diceret, eam opinionem non esse probabilem. Sed temeritatis censura est nota huius autoris sententia, propter ea, quæ circa hanc quæstionem B diximus in materia *de gratia*, & legi potest P. Vazquez de hoc agens, & fusiùs Bellarm. *tomo* 3. agens de hoc.

Et prædictam sententiam de tali distinctione habitus gratiæ & charitatis defendunt omnes ferè.

DUBIUM XLVI.

An sit probabilis opinio asserentium, existentiam, & essentiam non distingui realiter.

NOn defuit quidam scriptor, qui tractans de gratia Christi malè loquutus fuerit de hac sententia, agens de existentia humanitatis Christi, C existimans non posse rectè explicari, Virginem fuisse matrem Christi, nisi humanitas Christi existat existentia Verbi.

Sed de hac difficultate diximus in materia *de Incarnatione 3. part. ad quæst.* 17. vbi P. Vazquez & P. Suarez: modò dico non posse sine temeritate negari, prædictam opinionem esse probabilem, quam ego semper iudicaui verissimam.

DUBIUM XLVII.

An sit probabile quod quidam doctissimus autor dixit in materia de Angelis, *posse vnum Angelum mouere alterum Angelum sine impulsu* D *illi impressum.*

HOc multi putant improbabile, & ego non video fundamentum idoneum ad ponendum talem impulsum spiritualem. nam in corporibus est idoneum fundamentum ad talem impulsum & qualitatem: in rebus verò spiritualibus non apparet ratio ad constituendam talem qualitatem, neque ex Scholasticis antiquis aliquis cognouit talem qualitatem.

DUBIUM XLVIII.

An sit probabile vnam animam rationalem separatam, posse alteram animam separatam E *mouere per impulsum.*

MEum iudicium est sicut de præcedenti. Imò rursus an vna anima habeat vim naturalem mouendi alteram, vel corpus quod non informat.

Quòd si aliquid contrarium legitur in historiis antiquis Gentilium, potuit contingere ea virtute dæmonum, & quod in historiis fidelium legitur, potuit fieri virtute Dei, vel Angeli.

* * *

DUBIUM XLIX.

An sit tutum in conscientia, quod quidam dixit, non esse peccatum mortale recitare aliquam horam vnius diei, post finitum illum diem, & transacta media nocte, v.g. si post duodecimam horam noctis diei Lunæ, recitet quis Completorium recitandum die Lunæ.

PLanè est contra communem sensum Doctorum, & fidelium, in hac materia, sicut & in materia ieiunij, omnes enim putant, post prædictam horam si ab ea incipiat dies ieiunij, non posse sine peccato aliquid cibi sumi.

DUBIUM L.

An sit hæreticum negare, characterem sacerdotalem manere in anima, in statu futuræ vitæ.

P. Vazquez, & P. Suarez 3. *part. ad quæst.* 63. agens de charactere, quo sensu dicatur indelebilis docet Ecclesiam nihil declarasse de permanentia characteris in futura vita, & ita censet non esse hæreticum negare illum permansurum in futura vita.

Nihilominus cùm sit omnium Scholasticorum, antiquorum & recentiorum, non potest sine magna temeritate negari, illum characterem non manere in statu futuræ vitæ.

DUBIUM LI.

An sit contra votum paupertatis, si religiosus, pro munere pretio æstimabili, aliquid accipiat, vel petat, non sibi, sed alteri personæ.

REspondeo primò, hoc posse fieri sine peccato quòd officium illud, aut munus non est prohibitum religioso. Secundò dico, posse fieri sine peccato contra paupertatem, etiam si esset prohibitum, quando prohibitio fieret ex fine religionis, tunc enim posset religiosus facere contra religionem, quamuis non violaret paupertatem. Tertiò, si prohibitio fieret ex fine paupertatis, posset esse peccatum contra votum, quod maximè considerandum est ex circunstantiis. Ex his soluitur dubium, de quo nunc ago, an sit probabile prædictum religiosum in tali casu non peccare contra votum paupertatis.

DUBIUM LII.

An sit peccatum reseruatum in religione, in qua omne peccatum externum, quod fit ex praua intentione, sit actus externus, qui secundum se potest bene & malè fieri.

ALiqui referuntur sentire, non esse reseruatum, quia externus actus, v.g. potest bene & malè fieri, & per se non est signum affectus interni inhonesti.

Sed puto hoc non esse tutum in conscientia, neque vllo modo probabile, quando ex circunstantiis personarum, & ex aliis prudenter iudicatur actus ille signum mali affectus externi, & ita sentiunt viri doctissimi huius temporis, & sic manet soluta ratio contrarij placiti.

Dvbivm LIII.

An possit Petrus occidere Ioannem quando agnoscit Ioannem velle in iudicio imponere Petro crimen, propter quod Petrus iudicari ac condemnari possit. Et intelligitur dubium quando crimen falsò imponitur.

Referuntur aliqui affirmantes; quia Ioanes in hoc casu censetur quasi aggressor. Sed hoc improbabile est, neque tutum in conscientia, & contra bonum publicum, quia Ioannes procedere vult secundùm ordinem iuris, & secundùm illum debet se Petrus defendere, & aliud esset causa magnæ perditionis in republica, & aliqui putant prædictum placitum esse dignum magna, & grauissima censura.

Dvbivm LIV.

An possit Petrus occidere Ioannem, quando agnoscit Ioannem velle ipsum Petrum occidere priuata autoritate si possit oblata occasione.

Existimare posset aliquis Ioannem esse aggressorem in hoc casu, & sic posse Petrum illum occidere.

Sed cùm non sit Ioannes actualis aggressor, non potest Petrus illum occidere, sed debet quærere alium modum ad defendendum se, & seruare suam vitam, & oppositum est improbabile, scandalosum & perniciosum in republica.

Dvbivm LV.

An qui post factum votum de migrando religionem, habuit rem cum fœmina, & ex illa generauit filios, propter quod passa est detrimentum honoris, & post hæc omnia dedit promissionem de futuro matrimonio cum illa, teneatur illam ducere, non obstante voto religionis.

Respondeo esse obligationem contrahendi matrimonium cum illa, propter damnum illatum, ad recompensandum illud, præsertim quia licèt non præcessisset promissio matrimonij, tamen subsequuta est ex affectu recompensandi damnum illi illatum; & licet peccauerit contra votum, tamen variato rerum statu cum tali circunstantia damni, non obligat votum, nisi illa mortua post matrimonium vir possit sine incommodo ingredi religionem.

Neque est probabile asserere oppositum considerata doctrina Doctorum, in materia de voto, & granes Theologi in Hispania ita senserunt de hac re interrogati.

Dvbivm LVI.

An possit hæres absolui, qui non implet votum defuncti de eleemosyna facienda, vel alio opere pio quando habet pecuniam, ex qua possit illud votum implere.

Respondeo talem hæredem peccare grauiter non implendo votum defuncti eùm possit, & ita non est absoluendus donec impleat talem voluntatem. Et confessor non debet admittere excusationes multas, quibus hæres solet se excusare, & re sanè considerata, non sunt sufficientes, quod videtur ita

A certum vt oppositum nullo modo sit probabile, neque tutum in conscientia.

Dvbivm LVII.

An possit probabiliter dici, esse præceptum suscipiendi sacramentum Confirmationis.

Respondeo, non esse aliquod probabile fundamentum, ad probandum esse tale præceptum. Et communis sensus Doctorum, imò, & fidelium est, non esse per se tale aliquod præceptum.

B

Dvbivm LVIII.

An sit probabilis opinio asserentium, dispensationem factam sine causa, in præcepto humano positiuo esse validam.

De hac agunt Doctores in materia *de legibus*, & hanc opinionem sequutus est P. Vazquez, qui pro ea citat alios, & idem docuit Ferdinand. de Mendoza *libro de pactis*, & sequuntur alij huius ætatis. Et argumenta pro illa sunt magni momenti, & ideo non sine temeritate dixit eam opinionem non esse probabilem.

C

Dvbivm LIX.

An sit dignum censura qui contradiceret opinioni communi, quam Doctores solùm tradunt vt probabilem.

Doctores huius ætatis sentiunt, non esse dignum censura negare veritatem illius opinionis, posset tamen temerarium esse negare esse probabilem, nisi denuo esset aliquod argumentum, ex autoritate manifesta, vel ratione demonstratiua, quam Doctores priores non viderunt.

D

Dvbivm LX.

An mereatur censuram, qui negaret, Deum non tribuere operibus iustorum præmium vltra condignum.

Communis sensus Doctorum, præsertim recentiorum in materia *de gratia* docet, Deum tribuere præmium vltra condignum; sed plures id docent solùm vt pium & probabile. Propter quod viri docti huius ætatis existimant, non mereri censuram, qui illud negant tanquam placitum non omnino certum.

E

Dvbivm LXI.

An quando reseruatur peccatum carnis contra castitatem externam, comprehendatur visus, ornatus, &c. procedentes ex affectu interno.

Referuntur aliqui, qui clarè pronuntiant, tale peccatum non esse reseruatum, quia talis visus non potest ab aliis cognosci, & fieri potest tali modo, vt non sit signum ornatum affectus interni, & intentio reseruantis videtur ea esse, vt non fiat actus externus in ea materia quæ possit significare internum affectum.

Ego

A Ego verò existimo tale peccatum esse reseruatum, quando reseruatio cadit supra omnem actum externum libidinosum, procedentem ex volontate libidinosa, quia talis est visus prædictus, neque est fundamentum ad limitandam intentionem reseruantis, & oppositum neque est probabile, neque tutum. Suppono autem tale peccatum posse reseruari.

DVBIVM LXII.

An sit dignum censura, quòd aliquis recentior dixit posse pœnitentem propria autoritate commutare pœnitentiam sibi impositam à Confessario. B

Respondeo placitum esse omnino improbabile, quia nullum habet idoneum fundamentum, & autor illius non est tanti nominis, & autoritatis vt faciat illud probabile. Deinde est contra communem sensum Doctorum in materia *de pœnitentia*, & ideo existimo, placitum esse temerarium, neque vllo modo tutum in praxi.

Et explicatur, quia sacerdos imponit pœnitentiam, tanquam ex potestate præcipiendi: præceptum autem superioris non potest subditus commutare, vt constat, & contrarium esset contra bonum publicum, & rectam gubernationem, & in detrimentum C fidelium, ideo non dubito placitum esse erroneum.

Dices, vouens potest commutare votum, quod fit quando commutatur in euidenter melius; ergo & in pœnitentia. Respondeo esse manifestum discrimen, quia vouens imposuit sibi eam obligationem, vnde non mirum, si in euidenter melius possit illam commutare, secus in casu præsenti, vbi Confessor est, qui imposuit pœnitentiam, & pœnitens acceptauit.

Dices, pœnitens non tenebitur acceptare pœnitentiam; ergo etsi acceipiat, poterit postea commutare. Respondeo antecedens non esse mihi probabile, & post Concilium Tridentin. multi illud grauiter reprehendunt. D Item semel acceptata pœnitentia, non manet in voluntate pœnitentis, illam commutare.

DVBIVM LXIII.

An sit probabile, opera iustorum ex gratia Christi facta, non habere maiorem dignitatem quàm si fierent ex gratia Dei data sine meritis Christi, cæteris paribus.

Non defuerunt qui putarent esse probabile tale placitum, quòd ex dignitate meritorum Christi moraliter reddantur digniora opera iu- E storum.

Sed alij Theologi huius ætatis multi & doctissimi docuerunt, cæteris paribus talia opera non fieri maioris dignitatis, quia meritum Christi non dignificat immediatè opera iustorum, sed tantùm confert iustis id per quod eliciunt talia opera. Itaque meritum Christi solùm se haberet vt causa efficiens gratiæ collatæ iustis. Id quod elarius explicatur, quia gratia habitualis ex natura sua est forma sanctificans, neque ex causa extrinseca meritum aliquod accipit.

* * *

DVBIVM LXIV.

An quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Iubilea, quorum quodlibet requirit confessionem & communionem, sit necessarium ad lucrandam indulgentiam, bis confiteri, & bis sumere Eucharistiam.

Non defuit qui affirmaret id, quia quælibet indulgentia requirit peculiaria opera. Sed longè probabilius est, non esse necessarium bis confiteri, aut sumere Eucharistiam, si pœnitens perseueret in gratia, tempore vtriusque indulgentiæ, quia confessio & communio, requiruntur in ordine ad dispositionem animæ, vt existens in gratia possit lucrari indulgentiam, secus de aliis operibus, sicut si quælibet indulgentia requirat dare eleemosynam, tunc enim necessaria esset dare duas eleemosynas, istæ enim non habent pro effectu primario emundare animam à peccato. Neq; videtur contraria intentio requirentis confessionem, & requirentis eleemosynam quando expressè non constat de voluntate requirentis duas confessiones distinctas.

DVBIVM LXV.

An sit vera dispensatio, si data facultate Confessario dispensandi circa certam materiam, & audita confessione pœnitentis, Confessor absolutionem sacramentalem dederit illi rectè disposito, & pœnitens & Confessor non putauerunt esse necessarium expressè dicere, Dispenso te.

Interrogatus sum, primò an sufficiat virtualis dispensatio, quæ hîc videtur interuenisse. Secundò an sit necessarium iterum expressè dispensare, & proferre verba dispensationis. Tertiò an hæc dispensatio possit fieri à sacerdote, etiam si dispensans sit absens.

Circa primum, mihi videtur sufficere virtualis illa dispensatio. Secundò cùm non sit sacramentalis absolutio, non video esse necessarium illam dispensationem repetere per verba expressa. Ad tertium respondeo, absolutionem sacramentalem non posse fieri absente pœnitente iuxta decisionem Clementis VIII. Sed hæc dispensatio non est absolutio sacramentalis, vt suppono, & ita fieri potest absente persona cui conceditur dispensatio, vt constat in aliis dispensationibus, quæ omnia non solùm vt probabiliora, sed vt vera approbata sunt à viris doctissimis huius curiæ Matritensis.

DVBIVM LXVI.

An sit probabile quod quidam dixit, religiosum habentem facultatem disponendi de aliquibus pecuniis, posse eas consumere in prauos vsus.

Respondeo, mihi hoc non est probabile, quia superior non potest talem facultatem concedere ad talem subditum, si tamen Summus Pontifex dispensaret cum aliquo in voto paupertatis, posset dispensatus liberè disponere de pecuniis, quantum ad dominium, & vsum, licèt peccet si consumat in prauos, & illicitos vsus, neque sic intelligitur quando superior aliquis religionis concedit facultatem disponendi de aliquibus pecuniis.

Dubium LXVII.

An sit probabile quod recentior scriptor dixit, superiores religionum sicut parochos seculares, posse audire omnium confessiones, quia superior religionis habet scientiam omnium sicut parochus.

RESpondeo, parochos habere ex iure eam facultatem, quæ tamen non censetur concessa superioribus religionum, & Doctorum sensus communiter significat, & ideo existimo illud non esse tutum in conscientia.

Dubium LXVIII.

An sit probabile quod quidam dixit hoc tempore, quòd si quis per tempus Iubilai, cupiens absolui de peccatis, obliuiscatur aliqua reseruata dum confitetur, ita vt non absoluatur à reseruatis, possit postea vti priuilegio.

HOc, & de dispensatione, vel cõmutatione votorum, mihi videtur verum, quia non est vsus priuilegio, & priuilegium non determinat tempus, & idem est de absolutione à reseruatis, quando verba absolutionis emissa sunt, scienter verò omitti non C possunt, & ita sentiunt multi huius ætatis. Difficilius est an possit transacto tempore Iubilæi pœnitens absolui à casibus reseruatis; & sanè, si commodè non possit, adeat ad proprium confessarium, & non dubito quin possit ab illo absolui virtute illius à quo libet, præcipuè quando priuilegium non limitat ad vnum confessarium determinatè, secus si limitaret.

Dubium LXIX.

Quam censuram mereatur hæc propositio, parum esse spatium vnius horæ adorationem mentalem.

ITa loquuntur hoc tempore aliqui parum docti & moderatæ experientiæ, & ideo multi viri docti prædictam propositionem damnant, vt temerariam, quia in aliquibus religionibus est tempus assignatum ad opera virtutum, & tempus assignatum ad orationem mentalem, vt constat. Et prædicta propositio sine dubio oritur ex errore, & falsa opinione de effectibus orationis mentalis, sine exercitio aliarum virtutum. Vnde refertur alia opinio eiusdem asserentis, in oratione mentali non esse exercendos actus aliarum virtutum, quia vtilior est oratio: hæc autem propositio est manifestus E error contra communem doctrinam sanctorum Patrum.

Dubium LXX.

An mereatur censuram opinio asserentium Angelos loqui inter se per signa externa spiritualia.

DE hoc diximus in materia *de Angelis*, & quod *ibi* dictum est, non est necessarium hic referre.

A

Dubium LXXI.

An mereatur censuram opinio vnius, vel alterius dicentis, quemlibet Angelum loqui per peculiaria signa, quæ alij non intelligunt.

QVæ doctrina aliquibus recentioribus vehementer displicet, sine causa tamen, quia licèt mihi videatur facta, tamen iudico nullam mereri censuram, præsertim supposita opinione asserentium Angelum loqui per signa spiritualia, quæ habent vicem verborum.

B

Dubium LXXII.

An mereatur censuram asserere, quòd Angelus non mouetur localiter.

REspondeo esse dignam aliqua graui censura, non solùm temeritatis, sed erroris, contra modum loquendi Scripturæ, & Patrum.

Dubium LXXIII.

An mereatur censuram asserere, Angelum non posse mouere corpus localiter.

ALiqui putant esse temerarium. Ego verò existimo, esse proximam errori, propter modum loquendi Patrum, & Scripturæ, dum agunt circa modum quo mouet Angelus corpora.

Dubium LXXIV.

An sit simonia si Petrus promittat se daturum eleemosynam alicui loco pio, si ille impetret beneficium Ecclesiasticum.

D REspondeo hìc non esse simoniam, non enim datur temporale pro spirituali; sed ponitur opus honestum vt alter moueatur ad impetrandum beneficium, & ex hoc constat id de quo interrogatus sum, an sit probabile in hoc non esse simoniam, & fieri posse sine peccato.

Dubium LXXV.

An sit probabile dari actum supernaturalem indifferentem.

TAlem actum esse docuit quidam recentior 1.2. in materia *de bonitate & malitia*. Sed placitum est omnino improbabile, quia actus vt sit supernaturalis, debet sumere supernaturalitatem ex obiecto formali, secundùm veriorem doctrinam, de qua *alibi*, ac proinde obiectum formale supernaturalis actus semper est honestum, si enim non sit honestum, non erit supra totum debitum naturæ, quod requiritur ad supernaturalitatem, vt dixi d. 2. *tomo* 1. *ad quæst.* 6. Item supernaturalis actus secundùm substantiam requirit gratiam supernaturalis ordinis: hæc autem non datur ad actum indifferentem, vt tradunt Doctores in materia *de gratia*.

Dvbivm LXXVI.

An mereatur censuram asserere quòd formalis malitia peccati possit esse effectus prædestinationis.

Sic audio sensisse vnum, vel alterum recentiorum; sed modus loquendi non solùm est temerarius contra communem Doctorum, vt constat ex his quæ diximus in mat etia *de prædestinatione*, de conditionibus requisitis, vt aliquid sit effectus prædestinationis, sed etiam est impia locutio, & quæ manifestè sapit errorem, quia ex illa sequitur Deum velle formalem malitiam peccati, quod per sese apparet absurdum, & erroneum, neque potest illa locutio explicari in bono sensu.

Dvbivm LXXVII.

An sit probabile posse Episcopum cum parocho sibi subdito dispensare in residentia, vt talis parochus faciat officium distribuendi eleemosynas nomine Episcopi.

Non defuit vnus, vel alter affirmans; quod tamen mihi neque est probabile, neque tutum in conscientia, quia non est verisimile non reperiri alium, qui faciat tale officium eleemosynarij, qui non sit parochus, & cum quo non sit necessarium dispensare in residentia, & ita non facilè occurret causa prædictæ dispensationis.

Dvbivm LXXVIII.

An sit probabile placitum asserentium, in veteri lege fuisse perfectum statum religionis institutum ab Elia.

Affirmarunt aliqui ducti pietate potius, quàm idoneo aliquo fundamento.

Et ideo alij dixerunt placitum esse improbabile, alij esse parum consentaneum doctrinæ Patrum, asserentium statum religionis esse institutum à Christo. Ego de hac re alibi dixi, solùm affirmo mihi esse omnino improbabile id, quod nonnulli recentiores asserunt, in veteri lege non solùm fuisse vota paupertatis, castitatis & obedientiæ, sed etiam illa vota fuisse solemnia, & hoc quod de solemnitate dicitur, mihi est omnino improbabile, & viri doctissimi huius ætatis censent esse dignum grauiori censura. Ego verò non sum procliuis ad censuras, præsertim erga doctrinam eorum, qui non sunt satis compositi cum nostra Societate.

Sed de hac materia plura aliàs, vbi, Deo largiente, vita & vires suppetent.

FINIS.



INDEX

Locorum ſacræ Scripturæ, quæ ſpeciali aliqua ponderatione in hoc opere explicantur.

nouem



INDEX
Rerum & verborum memorabilium.

Affe

Habitus.

H

I

Sensus

L.

M.

An

Successio.

Supernaturalitas.

Suppositum.

T

Tempus.

Tenebræ.

Terminus.

Testamentum.

Theologia, Theologus.

Thesaurus.

Topica.

Transsubstantiatio.

Trinitas.

V

Venatio.

Venditio.

Verbum.

Quod

F I N I S.

620434

I.78.

